Politi
in
Genese

ENARRATIONES

R. P. F. AMBROSII CATHARINI

POLITI SENENSIS ARCHIEPISCOPI COMPSANI

IN

QVINQVE PRIORA CAPITA LIBRI GENESEOS.

Adduntur pleriq; alij Tractatus & Quæstiones rerum uariarum ac scitu dignissimarum, quarū catalogum uersa pagina indicabit. Fructum uerò sui laboris studiosus & æquus lector tum demum percipiet uberrimum, si animo solius pernoscendæ ueritatis cupido, et non sectis addicto, ad legendum accesserit.

Cum gratia & priuilegio IVLII Tertii Pontificis Maximi.



ROMAE

Apud Antonium Bladum Cameræ Apostolicæ typographum.

M. D. LII.

QVAE IN HOC VOLVMINE SVIS
locis distincte continentur.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO DOMINO IVLIO TERTIO PONTIFICI MAXIMO.

Fr. Ambrosius Catharinus Politus Archiepiscopus Compsanus

FELICITATEM.

LEGITVR APVD ECCLESIASTEN, Beatissime Pater: Faciendi plures libros nullus est finis. Si quod prima fronte verba ista porrigere videntur, & ferè omnes in illum sensum accipiunt, recipimus: profectò hoc studium condendi libros vituperare existimaretur Regum ille sapiẽtissimus, cum tamẽ in omni ętate & in omni arte & sciẽtia istud semper necessarium fuerit, quod & plurimi iiq; eruditissimi & sanctissimi viri etiam summa cum laude præstiterunt. Alius ergo est eius literæ sensus, quem D. Hieronymus qui morẽ loquendi Scripturarum assidua lectione deprehenderat, argutè admodum atq; eleganter exposuit. Vidit enim longè aliud esse apud Scripturas, facere libros, aliud autem, facere plures libros: hoc quidem ab Ecclesiaste reprobari, illud verò minimè. Declaro dictum apertius. Scripsere Euangelium Dei quatuor illi Euangelistæ quos probauit sancta Dei Ecclesia. Id quoq; pertentarunt & alii pleriq;. Si de illis quatuor roget quis, an plures libros, siue plura Euangelia scripserint, negabit B. Hieronymus. Vnum est enim Euangelium, & vnus Euangelii liber. Nam libri vnitatem efficit idem subiectum, idem autor, idem finis. Subiectum .n. Euãgelii sunt acta gestaq; Christi. Autor re vera Spiritus sanctus, quemadmodum & totius Scripturæ sanctæ. Finis, salus credentium & vita æterna. Cum igitur tria hæc in illis quatuor Euangelii scriptoribus conuenerint, hi quatuor scriptores quasi vnus scriptor habentur, & quæ scripserunt, vnus liber. Qui autem superuenerunt pseudoeuangelistæ, quos nescit Ecclesia, quia aliena temerè scripserunt & mendacia, hi sanè plura fecerunt Euangelia & plures libros: quia aberat vnitas ac veritas subiecti, & vnitas autoris, & finis. Finis enim (teste Philosopho) id est quod bonũ. At qui fallunt, nec ipsi, nec fallacię ipsæ vllum bonum prætẽdunt. Hoc ergo est quod Ecclesiastes improbat: Faciendi plures libros nullus est finis, idest, nullum bonum. Hoc idem omninò fugiendũ esse Frater Domini admonuit, dicens: Nolite plures magistri fieri, scientes quòd maius iudicium sumitis. Neq; enim vetuit plures homines fieri doctos, & sapientes ac magistros: sed vetuit plures homines fieri plures magistros.

Tunc enim verè plures Magistri sunt, quum non conueniunt, sed quisque propria docet & peregrina, & nō quæ ab illo vno q solus est verus Magister, didicerunt. Horum finis nullus est alius nisi inanis gloria, incessendi fallendique libido, ac contentionis studium, quæ certè non sunt bonū, sed malum prorsus. Iccircò non sunt verè finis, ad quem respicere scribētem oportet. Tales sunt Lutherus, Suuinglius, Oecolampadius, Osiander, & alii multi sectatores magistri, quos hæc nostra infelix ætas perquàm infaustè protulit. Hi plura fecerunt euangelia, & plures libros, quibus frater Domini seuerissimam damnationē prænunciauit. Occurrere fortè posset hic aliquis & obiicere: Si librorum vituperata pluralitas inde trahit originem, quòd plures non constantia, sed pugnantia scribāt, nonne hoc fuit Catholicorum, etiam eorum qui & excellentis doctrinæ & conspicuæ sanctitatis titulum sibi in Ecclesia vendicarunt? Hi enim sæpenumerò varia & cōtraria commenti sunt. Huic obiectioni respondetur facilè. Nam qui verè catholici & egregiè docti ac sancti fuere, plures quidem fuere, sed non plures magistri: quandoquidem & iis quæ euidenter ad fidem catholicam pertinebant, unanimi consensu semper inter se conuenerunt. In emergentibus verò inde quæstionibus & Scripturarū interpretationibus, non rarò (fateor) dissentiunt. Non sua tamen proferunt vt dogmatistæ, sed vt tractatores, vt interpretes, vt ingenuè confitentes se posse errare, & nihil suum se velle vel defendere, vel ab alio quoquàm defendi, quod valeat ostendi falsum. B. Hieronymus vitare obtrectatorum calumnias studens, cautè & prudenter dixit: Interpres magis Apostoli fui quàm dogmatistes. De B. autem Augustino quis in eius libris vel mediocriter versatus ignorat, quàm disertè, quàm ingenuè, quàm synceré, quàm frequenter admonet sectatores suos, ne immodoco zelo ducti putent omni errore purgatos esse suos tam multos libros? Ob eam causam Retractationum opus (licet complere non valuerit) meditatus est. Et nihilominus ipsemet considerans sua scripta à nonnullis perinde accipi ac si omni penitus menda carerent, eosdem non bonam suscepisse causam, & seipso iudice superari mira ingenuitate rescripsit. Videat qui velit ipsius testimonium & claram sententiam in Epistola numero septima ad Marcellinum, cuius aurea verba vehementissime cuperem neminem ignorare. Nam eius mentis esse omnes oportet qui de catholico nomine gloriantur. Hæc sum præfatus apud te Beatissime Pater IVLI Pontifex Maxime, cum Dei donum in me, nisi ingratissimus esse velim, profiteri cogar, quo (gratiæ sint ipsi Deo semper immortales) in eorum numero cōfidenter me collocare valeo qui verè catholici sunt, nec Ecclesiastę præceptum violantes, fecerunt & faciunt libros plures. Ego enim & si multa scripserim, solùm quod catholicum est suscipio, amplector ac veneror. Quod autem contrà est, reiicio & pro facultate mea passim redarguo, reprobo, detestor. Propter imperitos tamen & sectis plus æquo addictos protestari compellor, Nō quodcumque dixerit Augustinus, aut Hieronymus, aut alius quiuis siue ex Patribus, siue ex Scholasticis quantumuis sanctus, esse catholicā veritatē, potissimùm cum ipsi & in quæstionibus, & in interpretationibus sæpenumerò inter se discrepent. Sed illud catho-

licum

licum est quod Scriptura euidenter profert, quod catholica recipit ac declarat Ecclesia, in quod vnanimes sancti Patres conueniunt: deniq; quod ex cōtentione & inquisitione à tua illibatissima Sede & veritatis Cathedra vt catholicum certa sententia fuerit definitum. In reliquis opinari licet, sed sobriè. Propono in gratiam imperitorum aliquod ex iis exemplū quę nostra ætate ob hæreticos acciderunt. Negat Lutherus Dominum in cęna vllum instituisse sacrificium. Hoc commentum est hominis & magistri scribentis plures libros, & omninò peregrinum atq; hæreticum. Pugnat enim euidenter cum vniuersæ Ecclesię sensu, & consensu cunctorum Patrum, & decisionibus Conciliorum. Sunt verò qui existimant instituisse quidem Dominum sacrificium noui testamenti in pane & vino, ipsum autem Dominum non sacrificasse. Hanc opinionem etsi expressè contra nonnullorum Patrum doctrinam esse cōstet, non tamen protinus hæreticam dixerim. Verùm meo iudicio periculosam esse asseuerare non dubito, propterea quòd rectè coniectanti, illud mox sequeretur quod esse hæreticū cōclusū est. Si .n. Christus non sacrificauit, nec nos sacrificamus, nec fuit Melchisedec figura Christi in sacrificio, nec panem & vinū obtulit. At hæc Scripturæ manifestè repugnant. Quòd autem è Scripturis ipsis eiusmodi absurda deducantur, qui attentè considerauerit, facilè poterit agnoscere, & ita esse ut dixi, comprobare. Fuerunt porò nonnulli nec etiam hodierno die desunt, qui cum priora confiteantur, Christum scilicet instituisse sacrificium & sacrificasse, quibus tamen verbis cōsecrauerit, non satis exploratum & compertum putant. Innocentius Tertius ille summus Pontifex, qui & scientia & sanctitate conspicuus laudatur ab omnibus, Odo item Episcopus Cameracensis uir recolendæ memorię, qui in Ecclesia iam fluxerunt quadringinti anni floruit, super Canone Missæ scribens cū Innocentio conuenit: Tiltemanus etiam doctor nostro tempore egregius, & uitæ sanctitate percelebris, & nōnulli alii viri catholici admodum & doctissimi similiter existimarunt sanè dici posse, Christum nō iis vsum fuisse uerbis quùm consecrauit, quæ ipse nobis pro forma præstituit. Qui enim potestatem habebat excellentiæ, noluit certa uerborum forma obligari. Istud (ni uehementer fallor) longè probabilius esse mihi uidetur. Nec uerò me latet aliter B. Thomā docuisse: At nunquid propterea Innocentii, & aliorum catholicorum Doctorum dictum tanquàm hæreticum condemnabimus, præsertim si maiori autoritate ac certioribus rationibus fulciatur? Profectò si qui tantū audebunt, in illorum numerum seipsos trudent, quos Philosophus notat: Ad pauca respicientes, de facili pronunciant. Ineptum quippe est, insolens, & perquàm iniquum, unius B. Thomę sentētiis quasi oraculis astringi. Alioq si hoc reciperetur, nonne nimis angusta redderetur catholicorum Ecclesia? Si dicant se nō in sola autoritate Doctoris inniti, sed ratione qua Innocentii dictum aduersari uerbis Euangelii ostendit, Respōdemus istud ipsum esse quod nos pernegamus: quin contrà potius, euangelicam literam fauere & irrefragabiliter comprobare Innocentii sentētiam dicimus, præsertim si consulatur græca lectio. Nam B. Thomæ inductionem cōtra Innocentium & alios uel ipse Caietanus apud Euangelium minime

probat. Hoc igitur erat subtilius considerandum, nec temere damnandum quod nescias. Hæc Beatissime Pater non ab re disserui, quia nouum Tomum Enarrationũ & Quæstionum uariarum in lucem uenire suadentibus amicis passus sum, ubi multa postremi huius generis tracto, quę possunt inter Catholicos salua fide & charitate in disceptationem adduci, cum non satis apud eos discussa sint, qui subtilius meditantes non acquiescunt in eo, Ipse dixit. Verùm nemo unq̃ tam beatus extitit, ut maleuolorum fugerit linguas. Nec omnes norunt, etiam à sedulis messoribus non posse omnes spicas colligi. Nec item iuxta legis mandatum, posse quenquam pauperes prohibere ne spicilegium facere queant. Has ego mihi partes arrogo, quod non magnum est nec adeò inuidiosum. Si qui fortè latraturi sunt (Nunq̃ enim defuere rabulæ ac maledici qui susurrant in angulis) hoc os in os eorum coniicio: Venio ad lucem ò amici, vt vel manifestentur, uel arguantur opera mea, si fortassis in luce non sint facta. Ea de causa bonam eorum partem quæ hoc Tomo cõtinentur, misi ad Legatos Tridentini Concilii, & Patres doctrina præstantes, eorũ subdens examini ac cẽsuræ. Sed tẽporum conditio ꝓsequutionẽ impediuit. Expectabimus ergo tempora meliora, quæ clementissimus Deus assiduis seruorum suorum precibus & lacrymis tandem aliquando donabit, idq̃ citò & velociter, modo tu cunctarum CHRISTI ouium summe Pastor, quod mente agitas, vt idipsum vehementer cupis, ita etiam velociter effeceris. Nosti quod dico. Rem, fateor, difficilem & arduam tibi proponis, innumeros scilicet ab Ecclesia auferre abusus, & suam illi pulchram ac speciosam faciẽ restituere. Est inq̃ res perquàm difficilis, & molis ingẽtis: imò si rectè & omnifariam cõsideretur, inter ea quæ impossibilia sunt, reponenda. Verùm non despero, quin sperandum potius esse sentio. Quod enim est apud nos impossibile, non est impossibile apud Deũ, cuius propria sunt hmõi ardua opera. Ipse namq; in magnis delectatur, & miserationes eius super omnia opera eius. Nõ ignoro ingentia esse scelera nostra quæ sese veniẽti diuinæ misericordiæ opponunt: sed & illud quoq; scio, Vbi abundauit, superabundauit & gratia. Incipe tu hoc sanctissimum & Deo gratissimum opus, & quod noueris in Ecclesia noxium, tua autoritate quæ maxima est, citra moram auferri iube. Adiuuabit Deus consilium tuum, & quod ex te nequis, ipse perficiet. Verùm illud cogita, & præualebis: Iustus est primus suiipsius accusator. Prius est propria purganda domus, & ex oculo trabs eiicienda, q̃ valeat quis idoneè aliorũ errata vel corrigere & emendare, vel meritis punire suppliciis. Iudicium ergo à domo Dei incipiat. Nam quãdiu poterit illud nobis obiectari, Medice cura teipsum, nihil sanè boni sperare licet. Sed noui Beatissime Pater, mentem tuam bonam, voluntatem prõptam atq; paratam, Restat ne vlla prorsus tantæ rei difficultate conturberis: quia nihil Deo est impossibile.

Nunc igitur præsentem Tomũ ad te mitto Beatissime Pater, cuius iudicium libenter subeo, quod vt in omnibus elegans est & prudens, ita in iis & quæ eiusmodi sunt, ob assistentem tuæ Cathedræ veritatis Spiritũ, ab omni penitus errore liberum & immune. Angelus Dei magnus te seruet, & Petri nauim feliciter te summo Gubernatore in portum dirigat.

AMEN.

INDEX RERVM ET SENtētiarum quæ in libro Enarrationum in Genesin continentur, non quidem omnium, sed quæ maiori quadā atq; accuratiori consideratione legi debēt. Ad maiorem autem quodlibet promptè inueniendi facilitatem, cuilibet columnæ suus præfixus est numerus.

A.

B.

C.

D.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

V.

RELIQVORVM TRACTATVVM ET QVAESTIONVM INDEX de industria omissus est. Nam Assertionum summam secunda illius libri pagina breuiter explicat. Aliorum verò Tractatuum titulus eis præfixus facile monstrat legendam esse ab eo integram materiam qui rem totam intelligere, et dignum sui laboris fructum referre desideret, quemadmodum et proculdubio referet, modo libero à prauis affectionibus animo, solius noscendæ ueritatis studio et amore ducatur.

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISS. DOMINO

D. FRANCISCO DE MENDOZA S. R. E. PRESBYTERO

Cardinali .tt. Sancti Eusebij, Præsuli Burgensi,

Fr. AMBROSIVS *Catharinus Politus Archiepiscopus Compsanus.*

.S.

QVAE EXIMIVS ILLE PROPHETA *Moses de utriusq; & magni et parui Mundi fabrica initio suorum uoluminum enarrauit, quàm sint ad intelligendum difficilia si res ipsa per se non clamaret, certè illud esset indicium euidens, quòd in uniuersa Scriptura uix ullam aliam historiam reperias, quæ tot habeat ac tam uarias & secum pugnantes Doctorum expositiones, ut facilè detur intelligi, ex Tractatorum cōmentis uerum plerisq; in locis, certum, genuinumq; eius literæ sensum uix exculpi posse. Quod cum ego studiorū meorū initio animaduerterem, uictus quandoq; tædio fermè deliberabam nullam ulterius operam illic impendere, prorsus desperans posse me assequi quod primum ac potissimum inquirere soleo, uidelicet purā, certam, atq; ex ipsa uocum proprietate collectā Autoris mentem. Sed lapsu progressuq; temporis mutaui sententiam, postq; perspexi hanc historiam continere plenam conditionis humanæ ac diuinorum mysteriorum doctrinam, qua nullam nec utiliorem, nec iocundiorem ualet ullus liber afferre. Aduersus autem rei difficultatem armauit me illa Vatis sententia: Labor improbus omnia uincit. Sed multò magis diuinum illud decretum: In sudore uultus tui uesceris pane tuo. Quod si quis de communi tantum pane ac cibo intelligat, nihil intelligit. Adiuuarunt etiam me non parum ad hoc opus aggrediendum antiquorum studia, quæ ipsi literis commendarunt. Licet enim nullus (quantum ego legerim) appareat qui cuncta ad uotum explanauerit, à singulis tamen datur plura sparsim decerpere, quæ simul collecta integram exprimunt ueritatem. His igitur fretus auxilijs, sed in primis Spiritus sancti gratia & fauore, qui nunquàm suppliciter flagitanti ac sedulò collaboranti defuit, in hoc opus neruos totus intendens, expertus tandem comperi plus posse hominem si non ad sui ostentationem, sed ad Dei gloriam, & suam & aliorum ædificationem laboret, clementiæq; Dei fidat, quàm ipsemet inexpertus queat sibi persuadere. Ecce enim (Deo gratias immortales ago) iusta de laboribus nostris processere uolumina, idest, Cōmentaria, aut potius Enarrationes in quinq; priora capita libri Geneseos, quæ Hebræi sub illo suo titulo complectuntur,* BERESCHIT. *Vbi licebit conspicere primum & illum quidem ualdè felicem hominis statum, in quo posuit illum ab initio Deus optimus maximus. Deinde illum prorsus miserum & infelicem, in quem ipse semetipsum & nos secum sua præuaricatione coniecit. Tertiò illū in quem nos iam perditos clemētissimus Pater per suum unigenitum Filium sibi conciliatos instaurauit. Hac notitia nihil utilius, nihil perfectius, nihil deniq; beatius in terris potest ab homine excogitari. Quamobrem lectorem summopere mihi dari uelim perspicuæ ueritatis amantem, non*

autem sectis addictum. Verùm quia mos est ferè omnium qui suas lucubrationes in lucem emittunt, dicare illa magnis uiris, sub quorum patrocinio confidentius in conspectum doctorum hominum prodeant (quod & nostra studia exigere uidebantur) Reuerend. D. Thomas Stella Iustinopolitanus Episcopus, te mihi unum ostendit, Reuerendissime Domine, quem meritò optare deberem. Vir enim ille cuius in Euangelij prædicatione summa est laus, mei quidem amantissimus & supra modum studiosissimus, tui uerò etiam meritò obseruantissimus, cum hic Romæ ageret, uix unquàm mecum colloquebatur absq; tui memoria, & tuarum prædicatione uirtutum, quàm excellas ingenio, quàm benè & fructuosè uersatus sis in omni disciplinarum genere. Tum animi generositatem, candorem, prudentiam, liberalitatem, munificentiam (utpotè eam re ipsa expertus) non cessabat commemorare: & quod tibi omnium bonorum gratiam uehementer conciliat, te amatorem ac fautorem & amicum uerum omnium esse qui sectantur bonas literas. Nō intelligo bonas literas ut uulgò, sed quæ uerè bonæ sunt, erudientes hominem ac perficientes in iustitia coram Deo. Hæc mihi de te prædicabat ut homini qui in curia degens, cogitatione extra curiam sum, & peregrinus penè solus in Hierusalem, ita à teneris intentus studijs ac meditationi, & circa ea quæ extra hunc mundum sunt, uersans. Tanta igitur de te ab illo audiens, qui testis erat mihi omni exceptione maior, non ualui non moueri plurimum & affici, ac proinde familiaritatem & patrocinium tuum appetere, & quodammodo (quanq; pudenter) ambire. Ob eam igitur gratiam has nostras qualescunq; lucubrationes ut iam dudum constitui et pollicitus sum, amanter tibi dono, do, dicóq;. Rogo autem quùm ab alijs uel melioribus, uel magis necessarijs siue studijs, siue curis uacarit, eas legere interdum aut percurrere ne graueris: quod te facturum, tua genuina benignitas, & illa existimatio quam de me & doctrina nostra longè supra quàm merear concepisti, iam dudum mihi persuasere. Vale felix in Domino Patrone, ac Domine obseruandissime.

*

* *

*

Enarrationes

ENARRATIONES

R. P. F. AMBROSII CATHARINI POLITI

SENENSIS ARCHIEPISCOPI COMPSANI

In quinque priora capita libri Geneſeos.

CAPVT PRIMVM.

IN PRINcipio creauit Deus Cęlum & Terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

VNIVERSAE SCRIPTVræ primum ac principalem autorem eſſe Spiritumſanctum nullus verè Catholicus dubitat. Nam qui eas ſcripſerunt quaſi ſcribæ & amanuenſes illius cenſendi ſunt, ſcribentes quæ ille miro modo dictauit atq; ſuggeſſit: quorum omnium primus & elegans nobis Moſes proponitur, qui Spiritu Dei plenus hunc Geneſeos librum et quatuor ſubſequentes, Exodum videlicet, Leuiticum, Numeri, Deuteronomium (in quibus elegans & admiranda continetur doctrina) abſq; controuerſia conſcripſit.

Hos quinq; libros Pentateuchum appellarunt veteres, ideſt, quinq; librorum volumen. Quidam exiſtimarunt (quanq̃ meo iudicio non admodũ congruè) hos quinq; libros eſſe quinq; illa verba ſiue ſermones quos cupiebat Apl'us in Eccleſia ſuo ſenſu loqui. Vtcunq; ſeſe res habeat, hic primus liber à noſtris GENESIS nuncupatur, nec ab re quidem: quoniam exordium primò & generationem mundi rectam & ſanctam enarrat, ideſt, ipſius hominis generationem, cuius gratia Deus reliqua omnia quæ ſunt iſtius mundi viſibilis condidit. Deinde, quoniam hanc diuinam hominis atq; perfectam generationem inuidus Serpens extinxit, initia regenerationis texuntur, quæ in populo Hebræo, quem fecit ſibi Deus peculiarem & admirabilem, hoc præcipuè libro indicantur.

Diuiſio totius libri rectè ab Hebraicis titulis capitur, quibus eum ſecant Hebræi. *Diuiſio libri.* Nam hoc principium vſq; ad quartum caput vocant BERESCHIT, ideſt, in principio (Sic enim hebraicè incipit ipſe liber) quæ prima pars continet exordia mundi & Adæ lapſum. In quarto & quinto capite & ſecunda parte libri enarratur ipſius Adæ generatio, vnde primum proceſſit ſeculum criminoſum, ac iccircò diluuio periturum: & vocant non immeritò ADAM, vſq; ad ſextum caput. Ibi tertia pars, in qua paucorum ſalus per arcam, & requies à diluuio, & noua quaſi mundi regeneratio per aquam, vt B. Petrus declarat, habetur. Hanc vocant NOE, ideſt requiem, vſq; ad duodecimum caput. Ibi quarta pars, quam vocant ABRAM & ABRAHAM: vbi rurſum in figuris apparẽt myſteria: Ipſe enim & Iudæo & Græco exemplum iuſtificationis oſtẽditur per fidem primùm, ac deinde, vt iuſtificatio perficiatur, per obedientiam, quæ perfecit fidem: & hoc vſq; ad vigeſimum quartũ caput. Ibi quinta pars, quam ISAAC vocant, vbi de eius nuptiis agitur & duobus filiis. Quæ tota hiſtoria continet magna & pulcherrima ſacramenta de futura Chriſti Eccl'ia: idq́; vſq; ad vigeſimũ octauum caput. Ibi ſexta pars, quæ tractat hiſtoriam Iacob, magnis ſimiliter refertam myſteriis. Nam hic laboribus preſſus vſq; ad luctam cum Deo, in qua pręualuit, electorum ac prædeſtinatorum typũ gerit, & vitam veri Chriſtiani variis & magnis caſibus & periculis, ſudoribus, laboribuſq;

quamplurimis expositam declarat. Continet interim & alia multa mysteria. Et vocant IACOB vsq; ad caput trigesimum nonum. Ibi septima pars, quam vocant IOSEPH, quæ & alia similiter mysteria seruat admiranda de Christo & regno eius, præter ea quæ ex nuda litera capiuntur rara virtutũ exempla & præcepta vitæ ad felicitatem æternam. Inuocato igitur diuino Spiritussancti auxilio, qui nouit de tenebris lucem excutere, prima exordia mundi iuxta huius nostri Prophetæ historiam explicare atq; elucidare aggrediemur. Tu pie lector intende.

IN *Principio creauit Deus Cœlum & Terram.* Quinq; verba sunt hæc, & cuncta in se claudunt & continent magna & mirifica mysteria, quæ prius quàm secundum literæ sensum, quem perpetuò prosequi intendo, exponam, præmitto regulas quasdam ex B. Augustino collectas. Prima est: Scriptura sancta hoc habet singulare, vt vnus & idem locus non modò plures sensus diuersi generis admittat, nimirum literalem & allegoricũ, verumetiam plures literales & allegoricos, modò sensibus ipsa rerum veritas verborũq; significatio astipuletur. Nam si ego de Scripturæ verbis vnum aliquem verum sensum possim elicere, & item alius alium æquè verũ, verbis itidem ipsis minimè repugnantibus, nunquid Spiritus ipse Scripturæ autor non præuidit vtrumq; sensum ex verbis illis posse colligi, qui scrutatur etiam profunda Dei? Si ergo præuidit, cur non etiam intendit? Nulla certè à viro docto potest efficax assignari ratio, alioqui redderetur incertũ quid ibi potius senserit Spiritus.

Regulæ ad intelligẽdas Scripturas.

NOTA.

Secunda regula (& hanc prudenti lectori semper ante oculos positam velim) eiusmodi est: Nisi vrgeat, imò nisi impellat manifesta necessitas, à certa vsitataq; vocabulorum significatione nullo pacto esse recedendum, ne scilicet corrumpatur historica narratio: sicut in libro quem inscripsimus Claues ad intelligendas Scripturas, diligenter lectorem admonuimus.

His duabus regulis pmissis, ad interpretationem horum quinq; verborum accedo, vt primò habeatur autoris intentio, deinde cuiusq; illorum verborũ singillatim propria ac peculiaris interpretatio. Intentio ergo autoris est, principia fidei tradere, quæ sunt creationis exordia, & diuina fœdera cum creatura. Necessarium istud omninò ad ostendendam summam Dei omnipotentiam, sapientiam, & bonitatem, quam homo suopte ingenio inuestigare & apprehendere nunq̃ potuisset. Cuius rei signum inde patet euidens, quia nullus vnq̃ apprehendit, nisi qui cælitus instructus fuit. Et vtinam postquam fuit in mundo diuinorum ignorantia, fuisset simul ingenua ipsius ignorantiæ confessio, non autem ad ipsam ignorantiam accessissent errores minimè ferendi, & incredibilis multorum præsumptio & arrogantia, qui visi sũt sibiipsis esse sapientes. Rarissima enim vox illa fuit et præclara confessio, Hoc vnum scio quòd nihil scio. Vt hæc igitur perniciosa tolleretur ignorantia, & ipsi Deo gratiæ redderentur, intonat Moses: *In principio creauit Deus cælum & terram.*

Intentio Moysi in hoc libro.

Cõsideranda sunt accuratè singula Prophetæ verba. Prophetam consultò appellaui, quandoquidem is, tametsi omni sapientia Aegyptiorum esset eruditus, non hæc ab vllo homine didicit, sed ab ipso Deo. Falsum est enim & præposterum quod ausi sunt quidam scribere, Mosen hæc à sapientibus seculi accepisse: quod mirum in modum derogat & sanctitati & autoritati Scripturæ. Primum igitur huius Prophetæ verbum est, DEVS; secundum, CREAVIT, tertium, COELVM, quartũ, ET TERRAM, quintum, IN PRINCIPIO.

Quantum igitur attinet ad primum illud verbum DEVS, sciendum est hebraicè legi ELOHIM, quæ vox pluralis est numeri, & idem significat quod Dii, vt doctissimi probauerunt: licet aliqui Hebræorum ob perfidiã negent, & quidam ex nostris ab eis (vt opinor) decepti non probent, sed ambo apertè conuincuntur. Hebræus enim primùm negare non potest hanc vocem ELOHIM esse pluralis numeri iuxta formam nominis, cum eius singularis sit Eloha. Nec item inficiari potest, hac eadem voce pluralis numeri non solùm significari Deum, sed etiam Angelos & homines, heroas tamen & principes siue iudices. Et tertiò, hanc ipsam vocem omnibus in locis vbi non significat Deum, semper in plurali significatione accipi, vt apud Psalmistam: Minuisti eum paulò minus ab Angelis. Et alibi: Diis non detrahes. Et alibi: Quæ est tam grandis natio quæ habeat Deos appropinquantes sibi etc. Quamobrem dicere tum demũ esse singularis numeri quùm Deum significat, non est tam loqui ex obseruatione et doctrina grãmaticæ, quàm ex voluntate ac mera perfidia. Etenim qui vocem aliquam esse anomalam defendit, hoc ita esse probare debet, præsertim regula in contrarium stante et forma vocis, et præsertim cum

Explicatio nominis Elohim.

Psal. 8.

Exod. 22.

Deut. 4.

omnibus aliis in locis iuxta vocis formã aperta sit pluralis numeri significatio. Probet igitur Hebræus, hanc dictionem, cum semper aliâs pluralitatem significet, solummodo vbi pro Deo ponitur non item pluraliter significare. Id certè nulla grammaticæ ratio potest efficere.

Hebræorũ argumenta circa vocem Elohim refelluntur.

Dicet Hebræus, Non potest tunc significare pluralitatem, quia Deus est vnus & simplicissimus & nullam valens continere pluralitatem. Et nos respondemus, Iam hoc à grammatica non accipis ô Hebræe, ad quam non pertinet considerare sit'ne vlla in Deo pluralitas: sed ad ipsum Prophetæ spiritum debes attendere, qui certè si non esset aliqua in Deo pluralitas, nequaquam vsus fuisset voce pluralitatem significante, tantam ad errorem porrecturus occasionẽ & ansam. Quia igitur illud ipse (quod tu non vis capere) vidit, quòd vnus ille Deus est nihilominus plures personæ, ideò illas plurali numero significauit.

Sed insurgit adhuc Hebræus, & hoc argumento instat: Si hæc vox ELOHIM pluralitatem vllam significaret, minimè iungeretur verbo numeri singularis, sicut accidit semper quũm significat verum Deum, & hoc ipso in loco vbi dicitur ELOHIM CREAVIT, & non, Elohim creauerunt. Sed hîc cęcus Hebræus primùm non considerat mysteriũ, videlicet in nomine ELOHIM pluralitatem personarum, in verbo autem CREAVIT, vnitatem deitatis & actionis diuinæ, qua creata sunt omnia, significari. Profectò vt vtrãq; veritatem exprimeret, non poterat vel doctius vel significantius loqui. Addo etiam clarissima Scripturarum loca in quibus vox ista ELOHIM, etiam quando Deum verum significat, adiectiuo pluralis numeri adiungitur, vt Iosue vltimo capite, vbi iuxta hebraicam veritatem legitur: Non potestis seruire Domino, quoniam Elohim sancti ipse. Dicit de vero Deo, Elohim sancti, idest Dii sancti, vt significarentur personæ. Et adiecit IPSE, vt indicaretur vna substantia. Locus hic est manifestus, nec à quoq̃ potest nisi manifesta tergiuersatione declinari. Et vide, quæso, quàm pulchrè. Ferè enim quoties Elohim iungitur verbo, quia verbum actionem significat, ipsum verbum singulari numero poni consueuit, ne plurificari videatur actio ac virtus agentiũ, quæ prorsus est vna. Quando verò cum nominibus adiectiuis cõiungitur, non curat Scriptura ponere adiectiuum in numero plurali: quoniam per illud nec actio aut virtus, ac proinde nec eius substantia siue essentia plurificatur. Secus autem esset si substantiuum nomen adiungeretur, vt eleganter docet B. Thomas. Quare cõcedimus tres existẽtes, tres sapientes, tres immensos, tres æternos, tres creantes: non tamen tres Deos, nec tres creatores. Nec me fugit B. Athanasium nõ concedere tres ęternos, aut tres immensos. Hoc enim fecit (vt rectè declarat B. Thomas) sapientissimè & ad necessariam cautelam, ob sensum falsum qui posset inde accipi, nimirum si hæ voces substantiuè acciperentur, & sic plurificaretur aut æternitas aut immensitas: potuisset tamen concedere, & ad sensum verum reducere.

In diuinis quid concedendum.

Habemus enim de Deo vero: Non est natio tam grãdis quæ habeat Deos appropinquantes sibi. *Deut. 4.* Dixit, Deos appropinquantes, vt Trinitatem significaret. Nõ sum tamen nescius à quibusdam ea verba non ad Trinitatem, sed ad falsos Deos aptari: quod mihi certè non placet. Nam Dii Gentium, qui sunt Dęmonia, nimis appropinquabant eis, sed non propitii.

Conuincitur ergo Iudæus quammanifestissimè cum à forma nominis, quę est pluralis numeri, tum à significatione: quoniam apertè deprehenditur hęc vox pluralis significationis semper quando non stat pro Deo, sed pro magnis personis, quales sunt Angeli & qui insignem aliquem magistratum gerũt, vt in illis iam citatis locis, Diis non detrahes. Et: Minuisti eum paulò minus ab Angelis. Cur igitur non sic quãdo stat pro ipso Deo? Neq; verò probare possum quod à quibusdã affertur, Deum significari plurali numero propter pluralitatem virtutum aut idearum quæ sunt in illa simplicissima diuina natura. Nullus enim homo rectè diceretur HOMINES, propter quarumlibet virtutum pluralitatem: quia dicendo Homines, intelligitur pluralitas suppositorum. Sic non esset dignum dicere Deos, si tantùm esset vna persona Deus. Deniq; nomen hoc plurale ELOHIM non quamcumq; pluralitatem significat, sed personarum, vt constat ex omnibus aliis Scripturæ locis, quando pro vero Deo non sumitur. Cur nõ hoc igitur quando ꝓ vero Deo ponitur? Hîc Hebræus non potest respondere quicquam ex scientia linguę, sed solùm (vt diximus) ex perfidia: quia non credit Trinitatem. At Christianus qui Trinitatem negare non potest, cogitur omninò hîc mysterium recognoscere. Nam posita Trinitatis veritate, & posito hoc nomine ELOHIM esse pluralis numeri, & pluralis quoq; significationis in cæteris (quoniam si-

gnificat pluralitatem personarum semper vbi non significat verum Deum) nulla Catholico relinquitur fingendi ratio cur non ita sit quando verũ Deum significat. Cum ergo ita sese veritas habeat, tres scilicet esse personas in diuinis, & quòd hæc vox ELOHIM talem personarum pluralitatem ex ipsa sui forma significet (ex quibus duo ista colligimus, scilicet & sensum esse in se verum, & hunc sensum etiam ex verbis oriri) profectò ex iam data B. Augustini regula nihil restat quin fateri cogamur hunc ipsum sensum esse à Spiritusancto intentum.

Addo & hunc sensum longè pleniorem esse, vtpotè in quo totum clauditur sanctissimę Trinitatis mysterium. Pluralitas.n. personarum in nomine ELOHIM, idest Dii, et singularitas essentiæ in verbo illo BARA, idest creauit, continetur. Ita verò prouidentissimè factũ est, vt & inde erudiretur Iudęus, cui dictũ erat: Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est. Deinde verò detestabilis agnosceretur & argueretur Gentilium error, qui Deos sibi impiè multiplicabant. Quamobrem hic sensus & illustrior apparet & verè dignus Theologo. Tertiò iunge his, cõuenienter sic dictum esse: quoniam cũ actiones (teste Philosopho) sint suppositorum, creatio propriè pertinet ad personas.

Nam & ipsius Trinitatis opera sunt indiuidua: ideóq; opportunum fuit indicare personas creantes. Quòd si aliquo Scripturæ loco istud erat indicandum, maximè certè in hoc ipso exordio opportunum erat, vbi cõmune rerum omnium creationis opus narratur, vt verum sit verbum Christi, qui dixit: In capite libri scriptum est de me. Et item vt hinc confoederentur Hebręi tanquàm in foribus cęcutientes & impingentes, ac simul illi hæretici qui Filium ac Spiritum sanctũ blasphemantes, tanquàm creaturas receperunt.

Quocirca vehementer admiratus sum, & plurimum dolui Caietanum à nescio quibus Iudæorũ Rabbinis seductũ, ea ad presentem locũ scripsisse, quę effecerunt vt meritò prudentiã in eo multi desiderarint & adhuc desiderent: ego verò insuper & in ratiocinando acumen. Ait enim: Duabus coniecturis ducor ad opinandũ quòd Elohim caret singulari. En in primis verbis quàm parum cõsiderate loquitur, immemor eius regulæ qua Iurisconsulti vtuntur. In incertis, inquiunt, non autem in certis locus est coniecturis. Etenim apud hebraicæ linguæ peritissimos (cuius ille ignarus erat) certum est ELOHIM esse pluralis numeri, cuius singulare est ELOHA. Quid igitur oportebat in re certa permiscere exquisitas ac futiles coniecturas? Porrò eas, quæso, pauló attentius in gratiam veritatis consideremus. Prima est (inquit) quòd Moses frequentissimè nominans Deum Elohim, inchoando præsertim doctrinam creationis mundi, occasionẽ maximam dedisset Israelitis existimandi plures Deos. Si enim Elohim habet in hebræo singulare, vtendo Moses non singulari, sed plurali, manifestè significat pluralitatem iudicũ. Et propterea ex hoc quòd vtitur plurali nominando Deum, colligitur quòd caret singulari. Hęc est eius ratio seu coniectura prima, quæ & sui debilitate facilè corruit, & itẽ instantia manifesta refellitur. Debilitate, inquam, sui corruit: quia non propterea tollitur occasio plures existimandi Deos si ELOHA non sit eius singulare, cum manifestè ipsa vox ELOHIM sit pluralis numeri & formæ & significationis, & ELOHA singulare. Vnde remanet prorsus eadem causa ad cogitandum pluralitatem Deorum. Posset enim non minus dici: Cur potius elegit Moses ELOHIM quàm ELOHA, vel EL singularis, eo etiam dato quòd nõ veniat ELOHIM ab ELOHA? Instantia verò exploditur cõiectura hæc Caietani: quoniam ADONAI est absq; dubitatione pluralis numeri cum affixo pronomine, & habet singulare suum ADONI. Cum autem frequentissimè Deus in libris Moseos & aliorum prophetarum vocetur ADONAI, vbi poterat vocari per suum singulare ADONI, cur non similiter reprehendantur prophetæ illi quòd maximam per hoc ansam illis dederint ad cogitandum plures Deos? Et aduerte prudens lector: colligit Caietanus ELOHIM vocem pluralis numeri non habere suum singulare ELOHA, quia frequenter ad significandum Deum Moses illa vtitur, & non ELOHA. Ergo pari ratione ADONAI non habebit singulare ADONI, cum etiam frequenter eadem voce vtatur Scriptura ad significandũ ipsummet Deum: quod tamen est apertissimè falsum. Vidisti primam hominis coniecturam: nunc audi secundam.

Altera est (ait) quę maximè vrget, quòd expressè Moses manifestat se vti plurali pro singulari, adiungendo verbum singularis numeri, creauit. Hæc enim adiectio conuincit quòd pro singulari vtitur plurali: quod oportet sępe fieri in vsu nominum carentium singulari. Dixi vrget, quia non est hîc locus mysterio Trinitatis: hæc ille. Vide primum quàm securè loquatur. Nõ est hîc (inquit)

locus mysterio Trinitatis: cum tamen aliter doceant tot ac tam insignes viri & hebraicis literis eruditissimi, vt fuit magister Paulus Burgensis, & alius qui librum egregium, cui hũc titulum præscripsit, Victoria aduersus Hebræos: & ex recentioribus Augustinus Steuchus Episcopus Eugubinus, Santes Pagninus, Ioannes Reuclinus, & alii plures. Item B. Thomas, & omnes (quantum ego legi) qui in Magistrum sententiarum commentaria ediderunt, absq; scrupulo & citra vllam controuersiam hanc intelligẽtiam cõprobauerunt, contra quorum omnium autoritatem vnius tantùm viri nudum pronunciatum admitti, insolẽs est & absurdũ. Neq; verò rationem assignat vllam cur non sit hîc locus mysterio Trinitatis: nec eam refutat quæ aduersum se in promptu poterat cuilibet prudenti occurrere ad probandum hunc locum esse potissimum & opportunissimum vbi hoc mysterium debuit significari, postquàm hîc de creatione mundi agebatur, quę propriè est Trinitatis opus, & ipse Dominus testatus est: In capite, siue in principio libri scriptum est de me. Quamobrem rectè ac pręclarè Rupertus scripsit: Igitur in capite libri splendidè demonstratur creatricis præsentia Trinitatis.

Adhæc, Cum sint apud Hebræos plura nomina Deum significantia, verisimile est omninò prouisum fuisse à diuina sapientia aliquod particulare nomen ad hanc personarũ pluralitatem significandam. At nullum aliud apparet præter hoc vnum ELOHIM. Neq; obstat si lædi videatur grãmaticę ratio quùm dicitur, Dii creauit. Nõ enim re vera læditur. Nam quemadmodũ licitum est dicere, Populus currunt, Turba ruunt, quia sub ea voce, populus vel turba, multi comprehenduntur: ita econuersò rectè ac verè dicitur, Dii creauit, vt salua pluralitate personarum, deitatis & productionis vnitas significetur, proindeq; ęqualis, imò vna & eadem omnipotentia & maiestas: quo primo verbo impietas arriana penitus extermineť. Quin etiam per hoc quod dicitur CREAVIT, omnis aufertur suspicandi Deorum pluralitatem occasio, & simul sapiẽtibus via ad perspiciendum mysterium aperitur. Addo istos esse qui re vera propriam grammaticæ rationem non defendunt, cum citra controuersiam ELOHIM sit pluralis numeri. Etsi enim demus carere singulari & habere significationem singularis, non propterea tamen rectè salua grammaticę regula cum singulari iungeretur: quod multis facilè comprobari posset exemplis. Sed audiamus quæ adiecit.

Non est hîc locus (inquit) mysterio Trinitatis diuinarum personarum, tum quia falsò personæ dicuntur iudices, quemadmodũ dicuntur Dii, Domini &c, vt patet in symbolo Athanasii: tum quia si verè dicerentur iudices, dicendum consequenter fuisset in plurali numero, creauerunt: quemadmodum quia Pater & Filius spirantes dicuntur, consequenter dicitur quod Pater & Filius spirant Spiritumsanctum: hæc ille. Verùm quid audio? Si per Athanasium prohibemur ne dicamus Dii & Domini quùm de Trinitate loquimur, cur igitur hoc admittunt Magister sentẽtiarum & omnes Doctores scholastici & B. Thomas hoc in loco Geneseos? Si hoc plurale DII non aliud significat quàm habentes deitatem, & de personis verè dicitur quod sunt habentes deitatem, cur igitur & hoc non dicatur quod sunt Dii? Mirum verò qua consideratione Athanasiũ ad hoc probandum citauerit, quasi ille neget posse dici personas illas Deos aut Dominos, qui hoc tantùm ait: Tres Deos aut tres Dominos dicere catholica religione prohibemur. At longè aliud est dicere tres personas esse tres Deos (quod Athanasius negat) & aliud dicere tres personas esse Deos, quod nullus Catholicorum negat à Mose esse dictum, quicquid habeant regulę Scholasticorum, quibus non subiiciebatur Scriptura. Quamuis enim confiteamur esse tres personas, & de eisdem quod sint tres Dii, non tamen licet coniunctim inferre, Ergo tres Dii. Prodit Philosophus hanc fallaciã tali exemplo, quod & his seorsim concessis: Ille est citharędus, & ille est bonus, non licet inferre, Ergo citharędus bonus. Bonitas quippe de homine primùm vt homo est, prædicatur: postmodo verò de eodem non vt homo, sed vt citharędus est. Simile est in re proposita. Quùm .n. dico de personis quod Dii sunt, verum dico: quoniam sunt habentes deitatem. Et de eisdem verum est dicere quod sunt tres, cum verè sint tres personę. Nec tamen propterea admittitur, Ergo tres Dii: quia quùm semel & diuisim cõcessum est esse tres, hic numerus ad personas pertinet. Si autem concederemus coniunctim, sunt tres Dii, iam idem numerus ad deitatem pertineret, & sic plurificaretur deitas, quod est horrendum.

Ecce vt iam patefacta est fallacia, qua miror hominem tam præstantẽ decipi potuisse. Posset tamen etiam de personis dici Tres Dii, si illud DII maneret appositiuè in hunc sen-

sum, Tres qui sunt Dii. Neq; uero (vt ad rẽ redeam) inficior dici potuisse, Dii creauerũt, sicut dicitur Pater & Filius sunt spirantes, vel spirauerunt. Quoniam autem vere tunc data esset occasio ad errorem ignorantibus mysterium, quales erant plurimi, ideo Propheta sapientissime ac vigilãtissime ex omni parte prouidit sic dicendo, ELOHIM BARA, idest, Dii creauit, vt vnitatem essentiæ & actionis palam indicaret in verbo actiuo CREAVIT, ac simul in nomine ELOHIM tacite innueret personarum sacramentum. Nec item negarem dici posse, Pater & Filius sunt spirans, aut spirant, cum & hoc sit verissimũ. Quamobrem iterum dicam, plurimum doleo aliis quoq; locis vbi proculdubio hoc mysterium significatur (nullo Catholicorum obsistente, & multis iisq; magnis viris id colligentibus, imo ipsa vniuersa Ecclesia solenniter in diuinis id concinente, vbi nefas est mentiri) ipsum Caietanum eadem confidentia sic ea loca interpretatum, vt id omnino tollat.

Gen. 18. Etenim in hoc ipso libro vbi apparuerãt tres viri Abrahę, & ipse tanquam vnum, nomine tamen plurali, eos adprecatus est vocãs Adonai (quo in loco miro modo diuinæ Triadis sacramentum insinuatur, vt magni ac doctissimi viri cõsiderarunt) ita tamen ab hoc Doctore locus ille exponitur, vt nihil minus inde quam Trinitatem accipere liceat. Mirandũ profecto, virum illum alioqui doctum admodum & catholicum in plerisq; cum perfidis consensisse, vbi nec vlla erat species rationis, quin magna potius infirmis occasio ad errores. At istud sane prorsus est perniciosum. Nam si hic locus & ille, & itẽ alius atq; alius, in quibus id mysterii omnium iudicio cõmendatur, nobis eripitur, quid (obsecro) iam obstabit ne hinc ansam accipiant perfidi in nos obiectandi rem illam esse fictam, quam tamen nos pro fundamento fidei nostræ recipimus? Nam & quod ipse adiecit, nõ esse incredibile Deum ita fuisse vocatũ ELOHIM & ADONAI numero plurali, non quidẽ propter personarum pluralitatem, sed quia ea esset consuetudo alloquendi venerabiles personas, merum est Hebræorum commentum à perfidia ortum, quod nec vllum habet è scripturis sanctis quo probari possit, exemplum. Imo prophetæ omnes, quin & ignobilissimi hominum, siue ad reges & principes mundi, siue ad ipsum Deũ dirigentes sermonem, semper vsi sunt singularis numeri nominibus, nisi quod aliquando Deum nominibus pluralis numeri significarunt, vt ELOHIM & ADONAI: sæpenumero tamen nõinibus singularis numeri, vt EL & ELOHA, & ADONI, & aliis. Qua in re nulla alia fingi causa potest, nisi vt hoc mysterium vnitatis ac Trinitatis agnosceremus. Nam si istud honoris gratia vsitatum fuisset & cõsuetum, aliquod saltem extaret exemplũ in Scripturis, magnas personas aliquando pluralis numeri voce appellatas, quod tamen nusq̃ apparet. Præterea, si modus hic Deum alloquendi in plurali numero ad clariorem illius honorem ptinebat, perpetuo certe debebat obseruari, cum honor illi perpetuus debeatur: & tamen Adam dixit: Mulier quam dedisti, nõ quam dedistis. Abraham similiter: Quid dabis mihi? Et alibi: Nunquid perdes iustum cum impio? Nõ dixit autem: Quid dabitis? aut: Nunquid perdetis?

Deum plurali numero honoris gratia nunq̃ in Scripturis nominari.

Præterea, quum sic honoramus Maiores, etsi dicamus eorum cuipiam, Vos, non solemus tamen dicere, Vos facis, aut vos fecisti, sed vos facitis, & vos fecistis. At hic dicit, DII CREAVIT. Quare nec illi saluam reddũt suis hisce commentis grammaticæ rationem. Cum itaq; interdum singulari numero admisceatur pluralis (vt in proposito) & quod idẽ Abraham dixit: Domini mei si inueni gratiã in oculis tuis, ne transeas seruum tuum: hoc mysterium clare insinuat, non aũt dictum est honoris causa. Alioqui si honoris causa dixerat Domini mei, cur non item honoris gratia subiunxit, In oculis vestris, sed in oculis tuis? Deniq; hoc esse commentum perfidiæ Hebræorum, quod nostri iure optimo tanquam falsum & ridiculum explodunt, iam arbitror paucos latere: Theodoritus hanc circa rem eleganter & merito traducit Hebręorum Rabbinos. *Theodoritus.* Admonuit me tamen (ne quid dissimulem) quidam ex Hebręis iam noster effectus, inueniri locũ vbi ADONIM pluralis numeri iungitur verbo singulari, & tamen aptatur non Deo, sed creaturæ. De Ioseph .n. dicitur: Locutus est Domini terræ, pro Dominus terræ. *Gen. 42.* Quo de loco manifeste habetur instantia, vocem numeri pluralis ad significationem singularis trahi & cũ singulari coniungi. Verum hoc non absq; ratione. *Notandum.* Siquidem Ioseph ex se nõ erat Dominus terræ, nisi in eo consideratus fuisset Pharao, qui tale ipsi Ioseph imperiũ tribuebat, vt in vna illa voce Ioseph, intelligeretur simul & Pharaonis imperium. Est & alius similis locus Isaiæ cap. xviiii, vbi eadem vox ADONIM iungitur cum singulari: Et tradam Aegyptum (inquit) in manu Dominorum crudelis, siue duri. Sed in illis pluribus Dominis in Spiritu consideratus est

vnus

vnus, in cuius solius manus incidere durum est & horrendum. Sed de his hactenus: prudens & acutus lector poterit inde agnoscere, non temere in Scriptura recedi plerunque a ratione grammatices in iis quae huiusmodi sunt, vt admoneamur inuestigare sensus mysteriis refertos, fidelibus quidem & non superbis peruios, incredulis autem & superbis abditos.

Contra aduersarium legis et prophetarum. CREAVIT. Quamuis B. Augustinus quodam in loco dicat, creare proprie esse ex aliquo, facere aūt ex nihilo: hoc tamen non videtur a Scholasticis recipi. Et certe hoc in loco necesse est nos intelligere creationem ex nihilo, cum sit haec productio prima, quae nullam materiam supponit. Quod si philosophaster aliquis id fieri non posse vulgatis Philosophi argumentis contendat, vnde tanquam dignitatem accipiendum putat, Ex nihilo nihil fieri: in promptu est responsio. Id enim verum est generatione physica, quae est a potentia naturali, & fit in tempore & per motum, & supponitur necessario subiectum in quo fiat huiusmodi transmutatio. At nos generationem hyperphysicam cōsideramus, quā hic vocamus creationem, & quam nullū dicimus requirere subiectum, quia nec fit per motum, nec vlla alteratio, nec vlla transmutatio interuenit. Quamobrē Ioannes Grammaticus recte interpretatur Aristotelem, qui dum negat Deum esse factorem mundi, in hunc sensum negat, non esse factum scilicet per modum mutationis, sed magis dicendus productor, aut creator, seu constitutor. Alioqui circa mūdi aeternitatem ipsemet Philosophus simpliciter dixit, hoc esse problema circa quod sapientes varie opinati sunt. Nō essent aūt sapientes qui opinarentur contra manifestas demonstrationes. Non ergo putauit Philosophus se demonstrasse aduersus inceptionem mundi per viam supernaturalē, quam vocamus creationem. Neque vero nos qui dicimus ex nihilo fieri, ponimus aliquod subiectum quod sit ipsum nihilum, ex quo quid fiat (manifestam enim haberet contradictionem) sed intelligimus dictum ex nihilo negatiue, idest, non ex aliquo. Nam & Philosopho quoque necesse esse cōcedere aliquo modo creationem ex nihilo, hinc facile accipi potest, quia in vniuerso videmus ingenerabilia secundum naturam, vt sunt cęli & materia prima. Oportet enim his aliquam constituere effectricem causam cum non sint ex seipsis: quandoquidem nihil praeter solū Deum potest ex se esse. Si dixeris ex aliquo subiecto esse, saltem ex ipsa prima materia, rursum quaeretur de illo subiecto vnde sit, & oporteret vel dicere creatum a Deo, vel si ex alio subiecto eductum diceretur, procederemus in infinitum. Cum igitur videamus aliquid ingenitum & ingenerabile naturaliter, oportet fateri ex nihilo factum & creatum a Deo. Nec subtilis admodum circa hoc regritur & ardua cogitatio, vt plerique sibi persuadent, qui nihil praeter naturam considerant. Si enim ad Dei spectemus omnipotentiam, quis (obsecro) rem summam, nimirū Deum ipsum, non etiam summe potentem, ac proinde omnipotentē cōfiteatur? Quod si est omnipotens, quid obstat ne id possit quod est a nobis imaginabile, nullamque implicat contradictionem?

Ex nihilo nihil fieri quomodo intelligendum.

Ioannes Grammaticus.

Philosophus in Topicis.

Consideremus, quaeso, artificum ordinē. Est quidam artifex infimus homo ipse, qui nō potest opus qualitercumque facere sine subiecta formata materia. Est & Natura opifex superior homine: haec subiecto quidem eget, scilicet materia, verum de forma per quā adiuuetur, non curat. Est praeterea & hominis & Naturae parens & autor Deus supremus omnium artifex. Hunc ergo quid impediet ne valeat absque subiecto vllo quamlibet rem in esse sua omnipotentia educere, quae immensa est, & nullis prorsus finita aut circumscripta terminis? *Trium artificum differentia, Hominis, Naturae, Dei.*

Dicet forte aliquis: Licet isto modo sit creatio, & ponatur Deus creator & effector rerum omnium, non tamen necesse est confiteri earum initium: quia potest intelligi ab ęterno mundum fecisse. Non desunt qui hac cōsideratione permoti conentur demonstrare ipsum mundum initium habuisse, & sic fuisse temporis initium: quorum rationes colligere & quam sint inefficaces ostendere, non existimaui operaepretium. Facile enim per se patere possunt vel parum promotis in physicis & philosophia. B. Thomas noster merito damnat huiusmodi homines, qui rationibus ea demonstrare conantur quae sunt proprie fidei: quoniam praebent infidelibus materiam irridendi nō solum nos (quod tolerari leuius posset) verumetiam (quod nullo pacto ferendum est) fidem nostram, cui falso putant nos adhaerere ob infirmas huiusmodi & minus efficaciter concludentes ratiocinationes. *Obiectio.*

Illud omnino notatione dignum, quod quidam nostrae aetatis tractator & Moseos interpres in sua Cosmopeia (sic enim suum opus inscripsit) postquam conatus est demōstrare non potuisse mundum esse sempiternum, & hoc ipsum se demōstrasse arbitratus *Augustinus Steuchus Epus Eugubinus.*

est, tandem de cęlo empyrio tractans nō pu tat esse quid creatum, paratus tamen recantare si malè sentiat. Sed multò prudentius erat rem ipsam accuratissimè prius vel perpendere vel silentio supprimere, & non ita ineptè tam periculosa literis mandare. Iam enim diem suum ille obiit, libellus autē viuit assiduè. Quis igitur nomine illius recātabit, cum tam manifestus error pateat, & possit fortè rudioribus nocere? Quicquid enim non est Deus, illud oportet esse creatum. Cęlū verò empyrium nemo vnquam Catholicus, sed nec Paganus (quod sciam) esse Deū putauit: neq; hic homo dixit esse Deum, sed quoddam potius manans ex ipso Deo, & tamen æternum cum illo. Hoc certè à sacra theologia & veritate est alienissimū. Viuunt tamen hi libri, & ab imperitis quibusdam & rerum nouarum amatoribus probantur: quę immodica licētia inter alios abusus ad nostræ ætatis infelicitatem adiicitur. Verùm mittamus hæc, & simplicem nostram interpretationem prosequamur.

Quanquàm ita sit vt creationis voce hoc in loco intelligere oporteat productionem creaturarum ex nihilo, tamen eadem vox ēt significat quando quid Dei iussu ex alio educitur. Sic dicitur creasse hominē, & animalia, & plantas, & alia quęcunq; suo iussu ex aliqua materia prodierunt. Et re vera cum verbum CREARE latinum sit, vix potest iuxta primam significationis impositionē accipi pro ea productione quæ est ex nihilo, quam ii ignorabant qui primi hoc vocabulo vsi sunt. Nihil verò obstat quin etiam nos eā vocem ad hoc significandum accommodare valeamus. Creare enim vniuersaliter significat aliquid nouum producere: ex nihilo aūt an ex aliquo, neq; vitiat neq; constituit significationem. In Scripturis frequentior huius vocis significatio aptata est his quæ ex aliquo producta sunt: siquidem ante oculos nostros non aliter apparet. Nam præter primam illam Dei productionē quicquid à Deo productum est, non ex nihilo, sed ex aliquo est productum. Gręci pro *creauit* interpretantur *fecit*. Hoc tamen in loco oportet intelligere hanc siue factionem, siue creationem dixeris, ex nihilo fuisse: quamuis possit quędam potentia passiua in ipsis creaturis considerari antequàm conderentur & in seipsis existerent. In Deo enim quodammodo erant vt produci possent & extra illum existerent. Sequitur ergo tertium verbum, vnde hanc fidei veritatem recipimus.

Creare pro educere aliqd ex materia.

IN PRINCIPIO. Sensus est, non q̄ in principio siue temporis seu æui creauerit, quasi p̄supponat principiū temporis aut æui ipsis rebus creatis, sicut accidit in generatione: sed quòd ipsarum rerum creatarum fuit aliquod initium, idest, ita creauit vt inciperēt esse in aliquo pūcto, quod (vt ait B. Basilius) minus fuerit momēto. Fuit enim æui initiū: quoniam incepit esse cùum ipso primo rerū principio, nondum autem tempus, sicut & inferius latius patebit. Et de hoc principio loquitur Aquila grandis intonans: In principio erat Verbū, vt intelligeremus ipsum Verbum non factum cum aliis rebus, sed illarum effectorem fuisse. Iam enim tunc esse inueniebatur quùm alia esse cęperunt. Erat ergo in semetipso & sua æternitate, quæ est nunc illis incomprehensibile nobis.

Sed extiterunt aliquando irrisores quidā, inter quos Auerrois & alii impii (quorum omnium vtinam periisset semen) qui nos dolosè interrogant. Quid ergo, inquiunt, agebat Deus antequàm mundum istum crearet? Fertur quidam sic interroganti respondisse: Cogitabat quomodo te, quem præuidebat adeò contentiosum & curiosum fore, puniret. Dignum certè sicut merebatur illa hominis curiositas responsum. Nos autem, vt qui id quærunt, vnde decipiantur intelligāt, respondemus eos nō intelligere quid loquantur quùm sic rogant: Quid ante faciebat Deus? Nos enim ponimus initium temporis siue ęui, quo posito, stultū prorsus est interrogare quid faceret Deus ante hoc initiū. Imaginantur isti esse tempus ante initium temporis, aut æuum ante initiū æui, ac proinde in illo tempore siue æuo Deum otiosum fuisse: stultè hoc omninò. Nam quęstio hęc se ipsam sua perplexitate interimit, quæ ab hypothesi recedit: quoniam si ponitur initium temporis, nónne excluditur ante? Quùm ergo quæritur quid faciebat ante, initiū illud temporis excluditur, quod est contra suppositum, nullum videlicet fuisse initium. Est ergo creatio in qua non oportet vllam cogitare mutationem nec in rebus creatis, quę non erant, nec in Deo vel in ipsius Dei voluntate, quæ vna fuit æterna, & ab æterno hoc definiens vt mundus esset ex tempore eo modo quo fuit, & non ab æterno. Deus enim immutabilis est, ac per hoc æternus & incorruptibilis, & solus habens immortalitatem, vt de quo nihil transit, nihil perit, nec initium habens neq; finem: quod de nulla creatura dici potest.

Diximus autem superius & verè, mundum

habuisse initium a nobis demonstrari nō posse. Nunc dicimus nonnullis argumentis saltem id suaderi posse probabiliter bonis mentibus. Et primum est, Quia si ponitur mundus æternus, & sic semper fuisse homines, & vnicuiq; homini esse animam & illam immortalem, sequeretur innumeras actu & infinitas numero inueniri animas: quod certè est absurdissimum & impossibile. Ideò fortasse ad hoc euitandum impius ille Auerrois adhæsit opinioni quorundam veterū quam B. Hieronymus memorat, ponentium vnicum omnium hominum intellectum. Alii verò certas numero animas cōstituerunt, quæ tamen quasi quodam circulo abirent & redirent in noua corpora. Alii, quòd anima humana & ipse intellectus hominis esset mortalis. Quæ tamen omnia & falsa sunt, & aduersus pietatem militantia. Temerè.n. diceretur, licet mundus semper fuerit, hominem tamen ipsum non semper fuisse. Ex quo efficitur vt prædicta ratio magnum debeat apud viros probos & doctos habere momentum.

Suadetur etiam initium rerum optima ratione a B. Thoma. Nam ptinuit ad bonitatem Dei hoc pacto, idest, ex initio rerum manifestare, creaturam ex mera ac libera voluntate esse productam, ne instar quorundā impiorum impiè putaremus Deum hęc agere ex necessitate naturæ. Deniq; si nulla esset ratio, prę̨stat omni rationi testimonium Dei, hocest, tam probatę scripturæ autoritas, quā esse a Deo certò scimus. Quòd si physicus obiiciat: Ego hoc non video, nónne meritò ridebitur si velit hinc concludere, Ergo non est? Physicus enim a sensibus accipit disciplinam. At plurima supra sensum quæ fiunt, nobis ostensa sunt credentibus. Et ideò his dicitur: Audiens sapiens, sapientior erit. Oportet quippe hęc auditu ex fide suscipere. Quid, obsecro, mirum si Solem noctua nō videat? Quæ, si dicenti sibi, Sol est, responderet, Nequaquam est, quia illum nō video; nónne stultè & falsò diceret? Talis est physicus, qui per elementa huius mūdi quæ videt, ea quæ sunt omnipotēntiæ vult metiri. Huius rei gratia perquamdoctè monebat Colossenses Apostolus: Videte ne quis vos decipiat p philosophiam & inanem fallaciam secundū traditionem hominum, secundum elementa huius mundi, & non secundum Christum.

Prou. 1.

Quapropter dolui vehementer edi Romæ proſtareq́; libros quorūdam de philosophia materna lingua compositos, quò magis impo nere valeant rudi & indocto vulgo, vbi contra catholicam veritatem argumentis Philosophi, etsi ad fæcem iam detritis, æternitatem mundi concludi docent. Quæ doctrina ne dum a viro Christiano tradi poterat, cuius est fidei fundamenta tueri, non autem euertere, sed nec a uerè philosopho. Illa enim Philosophi argumenta nihil aliud quàm modum generationis excludūt, quę per motum fit & præsupponit subiectū. At nos per creationem exordia mundi asserimus, quæ nec vllum motum, nec tempus, nec subiectum reqrit, vt sarctam tectam seruemus Dei omnipotentiam, ne naturæ Dominum ipsi naturę subiiciamus. Philosophus aūt (vt eleganter B. Thomas admonuit) nō putauit se vnq̄ demonstrasse simpliciter aduersus ponentes mundi principium: quod isti nouitii autores non considerant. Nolim tamen hęc imputari illius viri impietati, tametsi verba ipsa satis eam ostentent, quibus nos, idest, Christianos quasi ridiculos & impossibilia concedentes traducit, ipse hac parte (cum eius bona pace) verè ridiculus & traducendus. Ne quid verò reticeam, recreatus sum vehementer cū ipsemet admonitus mihi significauit se aliud opus meditari, vbi quę minus piè antea scripsit, se emendaturum & synceram professiorum fidem pollicitus est. Quoniam verò interim in manus multorum veniunt eiusmodi libelli, etsi hominem ex corde diligam, veritatem tamen omni amicitiæ præferens libuit hoc in loco admonere lectorem, & exonerare ex parte dogmatisten, qui nō ex proprio sensu talia scripserit. Sed ad rem nostram.

Creauit ergo Deus res in principio, idest, sic creauit vt earum esset initium, atq; ex tempore & in puncto primo durationis siue temporis siue ęui potius, appareret, vt dicemus paulò inferius.

Sunt ex Græcis nōnulli, inter quos Theodoritus, qui non ineptè exponunt, *In principio*, idest, in primis, aut primùm creauit Deus cęlum anteq̄ cętera constitueret. Et hoc vt distinguat primas creaturas cęlestes & primū quodāmodo mūdum ab iis quę postmodo creata & oculis nostris pspicua facta sunt. Adhuc etiā aliter exponi potest, *In principio*, idest, in capite & fundamento, siue in Filio, quod vt caput & fundamentum fuit a Deo prædestinatum omnibus creaturis, in quo omnia consisterent, quemadmodum declarat B. Thomas. Vnde & principium vocatur, & Primogenitus omnis creaturę, in quo condita sunt vniuersa. Et hic est magnus & gloriosus sensus, nec video qua ratione cuiq̄ debeat meritò displicere.

Potest & sic exponi, *In principio*, Idest. per

Principium, nempe Filium. Nam per illum facta sunt secula, & (teste Scriptura) condita sunt vniuersa. Quidam, vt Aquila, interpretati sunt, In sapientia, aut in capite seu capitulo, quemadmodum scriptū est: Omnia in sapientia fecisti, quod ferè in idem recidit. Exponunt etiam quidam, *In principio*, quasi dixerit Moses, summatim & in caput redigendo cuncta, *Creauit Deus cœlum & terram*: quoniam in his duobus creatis omnia continentur. Et ex data iam regula cum omnes hi sensus sint veri in se, etiam à Spiritusancto hoc in loco intentos esse fateri oportet, pręsertim cum ipsa vocum significatio non repugnet. Sequitur quartum verbum.

COELVM. Hoc variè exponitur. Qui- *Cœli multiplex acceptio.*
dam per hoc omnia corpora cęlestia intelligunt. Sed huic opinioni primùm repugnat quod dicitur secunda die factum esse firmamentum, scilicet grande cęlum. Deinde quæstionem relinquit. Cur enim de spiritualibus creaturis, idest, de Angelis, nulla mentio, cum hæc sint maximæ & inter creaturas præcipuæ? Ob eam causam alii, vt B. Augustinus, dixerunt per hoc verbum intelligi spiritualem creaturam. Sed hęc expositio similiter relinquit quæstionē econtrariò. Cur enim omittitur cęleste corpus, quod est tam dignum præ terra, quam tamen nominant?

Est ergo tertia expositio, quę intelligit Deum creauisse cęlum empyrium cum ipsis Angelis, aut (quod idem est) ipsos Angelos cum cęlo illo, vt simul cum ipso cęlo inueniantur, imò vna illa cęli appellatione cōtineri etiam corporeum illud cęlum & spirituale, ipsos scilicet Angelos, qui & cęli dicuntur, imò & cęli cęlorum. Si ad eum sensum intelligas, plana sunt omnia, & silet omnis hinc inde exorta quæstio. Quocirca hanc ego sententiam puto esse verissimam, cum omnia ei consonent. Nam ratio primùm astipulatur, ne in hac creaturarum recensione relinquantur primæ & potiores inter creaturas, nimirum summæ illæ creaturæ spirituales & corporales, Angeli atq; illud primum cęlū.

Secundò, articulus hebraicus fauet, qui significat certum quoddam cęlum & certā terram. Habet enim hic locus, vt quidam Hebræorum notant, geminum quasi articulum singulariter.

Tertiò, quia etiam vox ipsa est numeri pluralis, & significat plures cęlos, imò est numeri dualis. Duo enim sunt cęlorum genera, videlicet spirituale & corporeū. Et hæc sub se plura cōtinent indiuidua. Siquidem sunt numerosissimi Angeli, qui cęli appellatione significantur.

Quartò, quia ea expositio totum illud cōplectitur, quod in aliis desideratur. Spiritualem enim & corporalem complectens creaturam continet illam expositionem D. Augustini, qui solius spiritualis meminit. Continet etiam illam B. Basilii, cui plerięq; accedūt, qui solam cogitauit corporalem creaturam, idest, cęlum empyriū. Quo fit vt huic quā probamus expositioni, singulę tantorum virorum mirificè attestentur: quæ tamen nō est nostra, sed antiquorum Patrum, quam Beda & Strabo magis approbant, & meritò. Attestatur nanq; illi apostolicum & ecclesiasticum symbolum: Credo in vnum Deū Patrem omnipotentem, factorem cęli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Inuisibiles enim Angeli sunt, & omnino credibile est ex hoc loco fuisse acceptā illam symboli partem quæ inuisibiliū creationem tradit. Alioqui si hoc principio, vbi ex professo traditur hæc historia, non habetur, nunquàm in tota enarratione reperietur. Illud exploratissimum quòd Græci omnes doctores (vt B. *1. p. q. 16.*
Thomas tradit) senserūt primam creaturam *ar. 3. ad pri.*
Dei, idest, Angelos, multo antè inuentam esse creatā, quàm esset hic noster visibilis mū- *Angelos ante mundum visibilem creatos.*
dus conditus. Non enim senserunt Græci omninò ante omnem corpoream creaturam fuisse Angelos, sed ante hunc visibilem mundum nostrum gratia hominis factum ex illa materia informi.

Quòd verò B. Augustinus dixerit Deum *Super Gen. ad*
creasse Angelos in superiore aeris parte, nō *literam cap. 3.*
habet constantem rationem, quin potius cōmunem aliorum sibi oppositam sententiam. Nam & posteriores hac parte illum non sunt secuti. B. Thomas de more dictū temperat, & glossis quibusdam excusat. Nō hīc omittam, quod & maximum habet pondus, summi Pontificis testimonium fidem suam profitentis, sicut habet magnum Lateranense Cōcilium, vbi habemus Romanam Ecclesiam confiteri, Dominum ab initio simul creasse spiritualem & corporalem creaturam, videlicet angelicam & mundanam, ac deinde hominem. Nec est verisimile hanc professionē aliunde quàm ex hoc loco acceptam fuisse. Hæc igitur Pontificis sententia eleganter vera efficitur eo modo quē diximus & dicemus: quia primùm Angelos cum suo cęlo creauit, & cum illa materia quam corporalem creaturam vocat & mundanam, vnde constitutus est alter mundus, idest, homo & quæ hominis gratia condita sunt.

Quòd

De cælo Empyrio notandũ

Quod autem Caietanus tentauerit cęlum empyrium à cęlorum numero excludere, omitti posset nisi eius ratio esset etiam scandalosa. Ait enim cęlum empyrium à posterioribus traditum, nullibi inueniri in Scriptura. Fauet primùm hęc ratio hæreticis, qui quodcunq; in Scripturis non habetur expressum, mox explodunt: quasi verò omnia literis sint mandata, & non plurima per traditiones acceperimus. Deinde, quomodo tam securè ait, cęlum hoc empyriũ nõ inueniri in Scripturis? Certè si cęli nomine hoc in loco significatur summum & excellentissimum cęlorũ, sicut Sãcti interpretãt, & hoc est quod sancti Patres vocant empyrium, falsum profectò est minime inueniri in Scripturis. Non enim idcircò comprobatur non esse per hoc solum, quòd hoc nomen, *Empyrium*, nõ inueniatur in Scripturis. Nónne Christum ὁμοούσιον confitemur, quamuis non sic vocatus sit in Scripturis? Deniq; quod ait à posterioribus hoc cęlum esse traditum, omninò falsum est. Non enim puto inter posteriores locandum esse B. Basilium, nec à semetipso hoc finxisse, sed à superioribus accepisse credibile est. In suo Exhameron hunc locum egregiè descripsit, & alium mundum anteriorem hoc nostro vocauit. Sed inferius suo loco ipsius sancti Doctoris verba citabo, vt amator veritatis tanto teste gaudeat. Non est autem dubium de Beda, quem & à veteribus accepisse credibile est. Ipse enim & Strabo cęlum empyrium vocant, illud certè quod vnũ oportet esse summum cęlum, in quo sunt Angeli beati, vbi sese visibilem ostendit Pater, qui ob eam causam cęlestis dicitur. De eo .n. dicimus orantes: Pater noster qui es in cęlis. Et hoc est cęlum quod dicitur cęlum cęli, & cęli cęlorũ in Scripturis tropo hebraico, sicut Canticum canticorum: quia summum & supremum est cęlum continens omnes alios cęlos. Ita Diodorus scribit. Dignum verò fuisse vt hoc cęlum prius crearetur, & de quo meritò fieret mentio, nemini dubium esse debet rectè deputanti. Hoc vocarunt empyrium græca voce quasi igneum, propter eminentiã eius & splendorem. Huic etiam attestatur Rupertus Abbas, & pleriq; recentiorum inclyti nominis. B. Basilius ideò vult hoc cęlum pertinere quodammodo ad alium mundum, quia nobis inuisibilis est & extra commercium nostrum. Vocat & æternum, nõ ea quidem ratione qua nouus ille scriptor existimauit, quasi fuerit semper, cum expressim dicat fuisse conditum ab initio: sed quia hoc cęlum nunq̃ deficiet vtpote ab omni corruptione et mutatione ex voluntate et ordinatione Dei alienum. Non defuisse tamen qui vnum tantum cęlum asseruerunt idem Basilius testatur, & hanc fuisse opinionem philosophorum. At si verum esset, cur ergo B. Paulus dixisset se raptum vsq; ad tertium cęlum, si cęlum vnum erat? Et quid oportuit dicere cęli cęlorum? Scio nõ deesse glossas pertinacibus: sed & illud quoq; scio nõ oportere nos propter eos qui huiusmodi contentionibus delectantur, esse solicitos. Porrò si quis Sãctorũ inueniatur illud dixisse (quod de B. Ioanne Chrysostomo inficiari nõ possumus) non est hac parte sequendus, quia & Scripturæ & sensui manifestè repugnat.

Strabo.

Rupertus.

Hinc potius acquirere sapiẽtiam debemus & eruditionem, ne simus veluti animalia immũda, quæ fixas vngulas ad discernendum non habent. Hæc autem circa numerum cęlorũ videntur mihi iam esse comperta, vt sint septẽ orbes planetarum. Horum nomina etsi prophana sint, iis tamen postq̃ inueterato vsu recepta sunt, nos quoq; vtemur, ascẽdendo secundum suum ordinem sunt Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iupiter, & Saturnus. Super hos orbes est illud stelliferum, quod firmamentum vocat Scriptura, & dicitur octaua sphæra. Super hoc est primum mobile. Nam nouem esse cęlos qui mouentur, egregii & antiquiores Astrologi testificati sunt, tametsi recentiores decem mobiles ponant, quibus assentiri non valeo.

Cælorum numerus quotus.

Supremum verò cęlorũ, hoc est, illud empyrium in quo omnia continentur, credibile est immobile esse, etiam ex D. Thomę sententia, vt sic decem sint cęli propriè ad cõstituendum numerum perfectum, nimirum decimum. Hanc sententiam fuisse olim communem ferè omnium sapientum, vir multę lectionis facile deprehendet. Nam antiqui Astrologi nouem esse orbes cęlestes, quos necesse est moueri, deprehẽderunt. Insuper vsq; ad octauum sensu peruenerunt: Nonũ quidem non sensu sed ratione inuestigarunt. Est enim inuisibilis, vel Cicerone teste in suo libello de somnio Scipionis. Ioannes de Sacrobusto magnus Astrologus non nisi nouẽ orbes mobiles posuit, hoc tantùm ratione ita exigente. Profert vir ille multiscius & excelsi ingenii Ioannes Picus Mirandulanus viros duos Hebræos, alterum Abraham Hispanũ maximum astrologum, alterum verò Isaac philosophum, qui ambo nouem cęlos mobiles asseruerunt, & decimum immobilem, quem empyriũ dicimus, cui traditioni & ipse facilè acquiescit. Et verè sic se habent pro-

Ioannes de Sacrobusto.

Ioannes Picus Mirandulanus

NOTA.

portionabiliter ad spiritualia. Sunt enim nouem chori Angelorum, quasi nouem orbes mobiles. Sed vnus est summus chorus qui cunctos continet, ipse immobilis Deus Pater & Filius & Spiritussanctus, quibus gloria in secula. Mitto cęli appellatione nonnunq̄ etiam aerem intelligi solitum, vnde & volucres cęli dicuntur. Sed quando sic intelligi oportet, ipsamet Scriptura manifestat. De hoc autē empyrio cęlo multa tradit B. Thomas quæ digna sunt omni acceptione, cum ipsum non modò primum ac summum sit, verumetiam solum ipsum nō subiectum motui sed immobile, & maximè formale, accedens quantum fas est ad spiritualem substantiam, & influens absq; motu. Digna profectò habitatio & domus nō solùm beatarum animarum & corporum, verumetiam separatarum substantiarum. Nam cū loco illo creati fuerunt omnes Angeli, vt ibi domicilium suum agnoscerent, nec peccato vnq̄ coinquinatus est. Hoc est tertium cęlū in quod raptus fuit B. Apostolus, & concreatum cum materia informi. Hæc ex B. Thoma.

ET TERRAM. Circa hoc verbum multi multa meditati sunt, & quilibet suo sensu, vt facilè possit ex tot opinionibus conflari nouum chaos. Est in primis quorundam opinio, qui terræ nomine hoc in loco eā significari terram volunt quam nos cernimus oculis, & quam nos terram dicimus. His fauet ipsa vox, quæ passim ad eum sensum accipi solet. Verùm contra hanc expositionē plura faciunt. Primùm, cur omitterentur omnia alia elementa longè digniora, nec nominarentur? Deinde, constans fuit antiquorū opinio, ante productionem visibilium atq; elementorum fuisse chaos & confusionem, etiam ante omnes Deos quos sibi finxit pagana religio. Hesiodus antiquissimus vates, & Mercurius Trismegistus Ethnicorum Theologus, & posteriores nonnulli, vt Anaxagoras & Euripides, de huiusmodi chaos & prima rerum origine nonnulla dixerunt à veritate minimè aliena. Et ex latinis Vergilius & Ouidius idem senserunt. Neq; verò existimare debemus ea prorsus esse contemnenda quæ ex maiorum traditionibus accepta creduntur, tametsi in his fabulæ simul & mendacia ab eo qui zizania seminare nō cessat, permista fuerint. Hesiodus apertissimè tradit chaos fuisse antequàm terra esset. Vnde eleganter Ouidius.

Ouidius Met. lib. 1. *Ante mare & terras, & quod tegit omnia cœlum*
Vnus erat toto naturæ uultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis indigestaq; moles.

Et hoc Anaxagoras nō vt philosophus sed vt theologus docere voluit, aiens, Mentem quandam, nempe diuinam, diremisse & exornasse quæ erant confusa. Hæc mens erat Spiritus ille diuinus q̄ mouebať super aquas. *Anaxagoras.*

Est autem & pro hac sententia B. Augustini professio coram Deo, quam ab eo in spiritu Dei factam existimo, in hæc verba: Duo fecisti Domine ab initio. Vnum prope te, idest, angelicam creaturam. Alterum prope nihil, quod est materia prima. Hanc sententiam vt cæteris longè verisimiliorem venerabilis Beda confirmat his verbis: Proinde res duas fecit ante omne tempus Deus, Angelicā creaturā, & materiā informē. Et quāuis Salomon dicat: Qui viuit in æternum creauit omnia simul: secundum originem tamen materia informis antecedit formatam speciē. *B. Aug. in cōf.* *Beda.*

Sed Vgo de sancto Victore egregius Scripturarum scrutator rectè respondet, Deum satis omnia simul creauisse, quando & angelicam & mundanam creaturam, idest, illam materiam ex qua omnia sunt facta, creauit. *Quo sensu dicantur simul creata omnia.*

Sed quid diutius moror? Scriptura ipsa sancta hoc manifestè probat, vt mirer quospiam disputantium minus considerasse. Ait enim Sapiens: Manus tua creauit orbem terrarum ex materia inuisa, siue (vt B. Augustinus citat) ex materia informi. Sic enim gręcè legitur, ἐξ ἀμόρφου ὕλης. Prius ergo præparatam fuisse materiā ex qua productus est orbis terrarum fateri debemus, nisi velimus verba Scripturę prorsus violare. Nā si creata simul fuisset materia cum reliqua creatura, quomodo verè diceretur, orbē fuisse ex illa creatum? Sic enim dicitur creatus homo de limo terræ, nimirum prius existente limo: & de viro mulier, prius existēte viro: & sic quęcunq; isto modo dicuntur, etiā isto sunt modo intelligenda. *Sap. 2.*

Non sum nescius eos qui aliter opinantur, hoc pariter tentare vt respondeant. An verò satisfaciant veritati, veritatis studiosi viderint. Compertum iam mihi est, quam probamus, hanc esse antiquorum & Hebræorū & Christianorum sententiam à traditionibus maiorum profectam. Quapropter ille insignis Theologus Gregorius Nazanzenus in sermone de Spiritusancto in hunc modū scripsit: Venerantur igitur Hebræi numerum septenarium, quoniam constat quòd Deus sex diebus materiam substituit ac formauit, omnibusq; speciebus & varietatibus exornauit, & mundum hunc quem cernimus perfecit. Septimo verò ab operibus requieuit &c. Ecce quomodo magnus hic Theologus subiectam *Nazanzenus.*

iectam materiam & praexistentem cōfitetur, ex qua mundus tot speciebus & varietatibus Dei Spiritu exornatus atq; perfectus resplenduit. Scio quosdam detestari hunc dicendi modum, ex materia fuisse mundum à Deo productum, quasi dogma platonicum & cōmentum humanum. At si acutè perspexeris quod impugnant & detestantur, est illud solum quod Platonici videbantur dicere, materiam ipsam quidem fuisse aeternam & nō creatam: quam si confessi fuissent esse creatam, & inde postmodo conditum hunc visibilē mundum, nostri siluissent, velut quibus nihil esset scrupuli relictum quod opponere possent.

Cur Deus non creauerit res perfectas ab initio. Verùm mirabitur forsitan aliquis, & rogabit: Quid necesse erat Deum primò hanc informem materiam creare, vt ex illa postmodo reliqua fierent? Nónne rationi magis cōsentaneum erat, perfectum artificem ab initio simul condere res perfectas? Quem ego vicissim interrogo: Cur, obsecro, non vno itē momento creauit totum hominem, sed prius materiam, idest, corpus formauit de limo terrae? Et cur non vna die produxit & herbas, & cūcta animalia, & cęlos, & luminaria, & reliqua omnia? Discamus igitur primùm, non propterea quicquam omnipotentiae Dei derogari quòd eo pacto fecerit vt ex vilibus & imperfectis praetiosa & perfecta prodirent. Qui enim ab initio creauit cęlum empyrium ex nihilo, iam ostēdit se potuisse reliqua opera minora solo voluntatis imperio & nutu condere. Si quaeritur qua ratione sibi cōstet artificis hac in re sapientia: Respondeo, ad doctrinam nostram ita factum esse, vt quē ipse ordinem in mundi maioris constitutione seruauerit, eundem in homine qui dicitur Microcosmos, debere seruari significaret. Homo enim prius suapte natura quodāmodo informis est, & postmodo per dona pretiosa formatur, vt sit in eo prius (vt Apostolus docet) quod est animale, deinde quod est spirituale, Spiritu ipso sancto incumbente super aq̄s, quae sumus nos, iuxta illud: Aquae multae, populi multi. Ex eo igitur Dei facto hanc suipsius salutarem notitiam accipit homo, quantum sit discriminis inter esse aliquo modo, vt quaedam materia: & inter benè ac beatè esse, quod inde tū nobis aduenit, quùm ab ipso Deo per Spiritum eius informamur spiritualibus donis, & per dilectionem in eū conuertimur ac beati efficimur. Hanc sapientissimi Patris mirificam prouidendi creaturis rationem tunc perspiciebant Angeli, & rē totam magno stupore admirantes, tandem percepere mysterium, vt & illud nobis aliquando suggererent, & hanc inde caperemus doctrinam. Huiusmodi verò meditationem, quae mihi vehemēter placet, longiore sermone B. Vgo de sancto Victore explicauit: ne quis paulò liberius eam quasi meam contemnat. Itaq; cū haec sententia rationes habeat & autoritates grauissimas, & quodam modo traditionem antiquorum Patrū: denique & Scripturam ipsam testem (pręter illa quae mox dicentur) eam iure ac meritò complector & probo. Ecce enim vel ipsemet autor seipsum exponens adiecit.

Terra autem inanis erat & vacua. Septuaginta interpretes: *Inuisibilis & incomposita.* Oncelos chaldaeus: *Squalida, seu desolata & vacua.* Alii: *Informis & inanis.* Aquila *Inanitas & nihil.* Nam TOHV & BOHV fermè idē significare aiunt: minus tamen prior vox q̄ posterior. Nec desunt qui dicant TOHV significare materiam ipsam inanem & forma carentem: BOHV autem naturalem materiae appetitum ad illam. An verò ita se veritas habeat, eruditis iudicandum relinquo. Certū quidem est (& hoc communis eruditorum probat consensus) huiusmodi vocibus significari potius inanitatem, vacuitatem, vanitatē, desolationem, vastitatem, denique proprie nihilitatem quandam, quae sunt conditiones materię informis. At haec profectò isti terrae non conueniunt, etiam si (vt volunt) daremus eā mineralibus & plātis caruisse, quódq; esset aquis operta.

Quam formā habebat prima materia. Nec quenquam mouere debet quòd nequeat materia sine forma intelligi. Nos talē non ponimus fuisse materiā quę prorsus esset omni forma destituta, sed eam quae debilissimum habebat actum, quem dicimus confusum, imperfectum, & primum entitatis seu potentiae. Non enim habebat certam formā specificam, quae cōtraheretur ad certum esse. Nam & ipsae simplices elementorum formae imperfectae sunt, & ideò in mistis permanent, si Auerroem sequimur. Illius ergo materiae imperfectissimus erat actus, quò posset esse subiectum commune cūctis formis, & in qua inesset desiderium superuestiri per formas p̄sbentes illi esse perfectum. Equidem cogitare non valeo hanc esse materiae naturā (vt aiūt) appetere formam, & cum hoc ipsam omninò carere actu. Non me latet esse circa hoc quaestiones & disputationes Scholasticorum, quę prolixiorem tractatum requirerēt. Satis visum est hîc ostendisse quid mihi verius videretur, qui non facilè patior me eorū moueri argutiis qui diuersum sentiunt, & inter se ipsos non parum dissident.

Porrò nullus perturbari debet si hæc vox, *Terra*, minime illud cõmuniter significare videatur. Ipsemet Moses dubitationem hanc sustulit, qui ne hanc conspicuã, sed vt quandam alterius rationis ignotam obscurãq; terram nobis significaret, eam quibusdam insolentibus articulis prænotauit, vberiusq; declarauit per circumlocutiones & negationes, sicut & ipsa rei ignobilitas postulabat. Sic & cęlum similiter iisdem articulis designauit, quibus etiã ipsum significaret abstrusum atq; absconditum, sicut superius diximus. Quemadmodum enim Deus ob summam suam gloriam ac nobilitatem non est noscibilis nobis, ac proinde non rarò tenebrarum nomine significatur: ita econuersò, quia materia ipsa prima propter infimam atq; extremam ignobilitatem,& quodammodo nihilitatem quandam à nobis comprehendi non potest, conuenienter tenebrosa prædicatur. Hoc enim pacto vtrumq; & quod summũ est,& quod infimum, per viam negationis cõmodius noscitur. Sequitur ergo,

Et tenebræ erant super faciem abyssi. Ecce quomodo per abyssum eandem materiam declarat ob immensam scilicet longitudinem & latitudinem ac profunditatem à summo illius cęli vsq; ad summum aliud cęli. Et addit, super faciem illius abyssi fuisse tenebras, idest, carentiam luminis, cum nihil adhuc esset sua certa specie constans atq; distinctũ. Quæ verò ex hoc loco Manichæi de tenebris cõmenti sunt, verè non hominum sed tenebrarum commenta fuerunt: nec iam ea rescire vllam aliam vtilitatem affert, nisi ad agnoscẽdum quàm simus tenebrosi omnes, nisi à vero lumine illustremur. Sunt enim eorum dogmata omninò confusissima, tenebrosissima, & à profũdis Dæmonum abyssis eruta, vt verè mirãdum sit quo artificio potuerint illi pessimi Spiritus in mentem non prorsus dementium hominum ea instillare.

Et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Hic similiter per aquas,voluit illam materiam quasi quoddam chaos significare ob fluiditatem & incõpactionem. Quid enim aqua labilius? Per Domini Spiritum nõnulli ventum quẽdam intellexerunt, quod minus probabile est. Nam quid erat causæ cur ex ea materia vllus ventus prodiret? Addo,apertè hic Domini spiritum vocari: & B. Hieronymus docet, in vniuersa Scriptura, potissimum si Domini spiritus dicatur, Spiritumsanctũ ea voce significari. Quamobrem constantissimè idẽ B. Hieronymus, & Basilius, & Ambrosius, & Hilarius, & Augustinus, & Gregorius, deniq; omnes ferè alicuius nominis & famæ Doctores, hũc locum reiectis aliis interpretationibus de Spiritusancto intelligunt. Ad eundem sensum Ecclesia sancta in solennitate Pentecostes aspiciens, & ad summæ Trinitatis tertiam illam Spiritussancti personam dirigens sermonem ait: Tu super aquas foturus eas ferebaris &c.

Quid per spiritum Domini significatur in scripturis.

Si verò roges, Cur non potius super cęlos? Respondeo, Vbiq; erat Spiritus, qui est Deus. Vt autem eius immensam intelligeremus dignationem, dicit Scriptura: Ferebatur & incũbebat super aquas illas, idest, super illud chaos, vt sua benignissima voluntate inde cuncta quæ ibi erant in potentia, in actum educeret, & in suas species distingueret, quò participarent singula certæ alicuius & veritatis & bonitatis. Nam cęlum cũ suis Angelis iam erat perfectè creatum, nec opus erat ferri aut agitari Spiritum super ipsum cęlum ad conferendam ei perfectionem, quod sapienter Spiritui sancto tribuitur. Scriptum est enim: Verbo Domini cęli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Hic est Spiritussanctus, cuius fuit perficere creaturas suas pro desiderio optimæ voluntatis suæ. Quapropter hæc metaphoricè dici constat, quandoquidem Spiritus matris loco describitur tanq̃ materiis alis imperfectam creaturã fouere cupiens, vt eam ad perfectum adduceret: Nam & hoc spiritu actus aiebat Dominus: Hierusalem Hierusalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt: quoties volui te congregare sicut gallina cõgregat pullos suos sub alas, & noluisti? Hactenus ergo p̃ aquas nihil aliud posse intelligi quàm ipsum chaos, id argumento est, quoniam Scriptura nihil aliud conditum esse commemorat præter cęlum & terram. Et iã declaratum est ipsam terram nihil aliud fuisse quàm ipsummet chaos, vt sic res ignota & penè ignoscibilis diuersis his, terræ, aquæ, & abyssi vocibus denotaretur. Terræ quidem nomine ob ignobilitatem, crassitudinem, obscuritatem. Aquæ verò ob inanitatem, fluiditatem, & incompactionem. Deniq; abyssi voce ob profunditatem ac vastitatem. Et sic habes explicatam primam huius capitis particulam, quæ ad æuum pertinet ante huius mundi constitutionem, antequàm esset tempus seculare, quod est numerus seu mensura motus. Nondum enim erat motus, vt B. Augustinus eleganter considerauit, & inferius nobis repetendum erit.

Cur spiritus ferebatur super aquas, non super cœlos.

Ps. 32.

Matth. 23.

Cur prima materia vocata est terræ nomine.

NVNC igitur operæpretium est vt doctrinam catholicarum veritatum, quæ

hoc de loco mirè colliguntur, agnoscamus.

Veritates catholicæ ex creatione mundi collectæ. Prima est sanctissimæ Trinitatis mysterium, contra perfidos Iudæos & quosdam impios hęreticos, quod ex nomine ELOHIM & verbo BARA, idest, Dii creauit, eleganter colligitur: quanquam & ex eo quoque colligi potest quod dicitur, In principio, idest, in Filio, siue per Filiū, sicut & Dilectus dixit: Omnia per ipsum facta sunt: & per id quod subditur de Spiritu Domini qui ferebatur super aquas.

Secūda Secunda veritas, est mysterium creationis, quod mundus & quicquid nō est Deus, est à Deo, contra Democritū & quosdam fatuos qui atomorum concursum fingebant, & à Deo creatam esse materiam ipsam, quam quidam posuerunt ęternam.

Tertia Tertia veritas est, esse vnum mundum tātum, non plures: qui mundus concluditur & continetur summo cęlo, & ex illa primęua materia eductus est. Ex quo etiam eiusdem Democriti temeritas exploditur, cæterorūque eiusdem farinæ insipientium hominum, qui plures mundos confinxerunt.

Quarta. Quarta veritas, est vnitas principii & Creatoris, contra insaniam Manichęi, qui non minus irrationabiliter loquens quàm impiè, duo esse rerū principia & duos autores dogmatizauit, alium quidem visibilium, aliū verò inuisibilium.

Quinta Quinta veritas, est omnipotentia Dei & æternitas. Creatio enim quæ ex nihilo est, requirit omnipotentem. Et cum in initio rerum creatarum intelligatur esse qui creat, manifestatur æternus & immortalis, sine principio & sine fine, & tamen ipse finis est & principiū omnium, Alpha & Omega.

Sexta Sexta veritas est, Deum nullis creaturis indiguisse, sine quibus manserat æternùm beatus & potens. Libera ergo & spontanea atque benigna voluntate fecit omnia.

Septima. Septima veritas, est initium æui ac temporis, quod physici (vtpote naturam solùm & generationis modum speculātes) ignorarūt.

Octaua Octaua veritas, est mysterium incarnationis Christi, quod educitur iuxta aliam expositionem ex illo verbo, *In principio*, hoc est, in Capite, seu in Sapientia, quæ est Filius.

Nona. Nona veritas quæ hinc educitur, est ipsa ordinis ratio. Nam primò debuit statui vnū ad quod omnia referentur, & quod cuncta appeterent. Hic est Christus, in quo velut in quodam solidissimo fundamēto posita est atque consistit omnis creatura & spiritualis & corporalis: quod vt fieri posset, dignatus est ipse etiam de terra prodire, vt traheret omnia ad seipsum, & omnia in ipso consisterent.

Decima. Decima veritas, est nobiliorum creaturarū ab his quæ infimiores sunt, distinctio, quæ à loci dignitate cognoscitur. Quemadmodum enim cęlum loco distat à terra, ita pariter spirituales creaturæ à terrenis, idest, Angeli ab hominibus dignitate distarēt, nisi nos dignificasset & magnificasset vnus ille homo, hoc principium, in quo condita & constituta sunt omnia. Decuit ergo vt crearetur primò spiritualis creatura simul cum suo loco & orbe, idest, immobili & altissimo illo cęlo, quod ante omne tempus creari debuit, vt sic æuum antequàm esset tempus præcurreret, sicut eius dignitas postulabat: deinde tempus cum sua creatura in specie propria constituta corporea & mobili constitueretur.

Hæc est nostra istorum verborum interpretatio, cui sępius B. Augustinus astipulatur. In hunc enim modum ad Deum loquebatur: Duo reperio quæ fecisti carentia temporibus, cum tibi neutrum coæternum sit; *B. Aug. in Confess.* Vnum quod ita formatū est, vt sine vllo defectu contemplationis, sine vllo interuallo mutationis, quamuis mutabile, tamen non mutatum tua æternitate atque immutabilitate perfruatur. Alterum quod ita informe erat, vt ex qua forma in quam formam vel motionis vel stationis mutaretur, quod tempori subderetur, non haberet. Et paulò post. Propter duo hæc sentio sine commemoratione dierum dicere Scripturam tuam: In principio creauit Deus cęlum & terrā. Statim quippe subiecit quam terram dixerit &c. Ecce quàm perspicuè quàmque explicitè fauet huic sententiæ tantus Doctor: cui & pręclarissimi veterum similiter attestati sunt, Gregorius Nazanzenus, Chrysostomus, Basilius, Damascenus: & è nostris D. Cyprianus, Hilarius, Hieronymus, & alii penè sine numero (de antiquis loquor) quorum recitare sententias longum esset minimeque necessariū. Testatur B. Thomas in Sūma, Græcos omnes existimasse Angelos multò ante hūc mūdum visibilem fuisse conditos, quæ erat certè antiquorum traditio. *B. Tho. 1. par. q. 61. ar. 3. ad pri.* Neque omittam Ioannis Cassiani testimonium, qui in collat. 8. *Cassianus.* Abbatis Sereni verba ista refert. Ante conditionem, inquit, huius visibilis creaturæ, spirituales cęlestesque virtutes Deū fecisse, quæ pro hoc ipso quòd scirent se ad tantam beatitudinis gloriam beneficio Creatoris ex nihilo fuisse productas, ei gratias referentes indesinenter eius laudibus inhærerent, nemo fidelium dubitat. Nota testimonium magnū & graue. Nemo, inquit, fidelium dubitat, *Notandum.*

vt intelligas hanc fuiſſe certam traditionem à veteribus certò acceptam, & iccircò etiam nobis omni acceptione digniſſimam. Fauet illi & Eccleſię autoritas, quam iam produximus, quæ ait, Spiritualem creaturã ſimul cum corporali, ideſt, cum materia illa informi habẽte corporeas dimenſiones conditam fuiſſe, ac deinde hominem, ideſt, vniuerſam inferiorem creaturam, & mundum viſibilem, qui propter hominem factus eſt. Sic enim intelligendum eſt illud Pontificis dictum, vt cum illa tam celebri Sanctorum recepta ſententia conuenire poſſit. Nam vt teneamus Angelos ante hunc viſibilem mundum fuiſſe creatos, facit primò naturalis eorũ dignitas, qua ſupereminent omni puræ creaturæ. Vnde non deſunt qui de his ſcriptũ putent: Prior omnium creata eſt ſapiẽtia & intellectus prudentiæ ab æuo. Secundò Sanctorum autoritas. Tertiò & Scriptura illa apud B. Iob: Vbi eras tu quando me laudabant aſtra matutina? Vocat aſtra matutina Angelos, qui cũ ſint prius creati & ſumma luce præ nobis donati, quaſi mane oriri dicuntur. Nos autem qui vtcunq; etiam lux ſumus, veſpertina aſtra dicimur. De Diabolo habemus Scripturæ teſtimonium aientis: Quomodo cecidiſti Lucifer qui mane oriebaris?

Angelos ante viſibilem mundum creatos.

Ecclesi. 1.

Iob. 38.

Quòd verò non ſine ſuo loco, & quidem ſibi conuenientiſſimo, ideſt, cum cęlo empyrio creati fuerint, præter doctorum virorum autoritatem, hoc quoq; ratio ipſa per ſe demonſtrat. Non enim abſq; loco cõditi ſunt, quem potius continerent quàm ab eo continerentur. Eſſet quippe omninò à ratione alienum, ſi eos vnquàm extra omnem orbem penitus fuiſſe concederemus. At quis alius locus vbi conderentur erat eis conueniens, niſi eminentiſſimus ille propter excellentiſſimam eorum naturam? Nec valet ea ratio qua quidam mouentur: Quia .n. homo nõ fuit conditus in paradiſo terreſtri, ſed poſt à Deo fuit in eum locum tranſlatus, etiam Angelos arbitrantur in paradiſo cęleſti nõ fuiſſe primò conditos, ſed poſtea eò tranſlatos, cũ eorum naturæ (vt volunt) is locus tanq̃ ſuperior non deberetur. Non valet, inquam, hæc ratio: quoniam nullum eſt adeò nobile corporeum quod eorum naturam ſuperet dignitate. Hoc tantum non decebat, neq; eorum naturæ non informatæ gratia cõueniebat, vt ſcilicet ibi viderent gloriã Dei. Quãobrem non effulſit illis lumen gloriæ Deus ipſe, donec obedientia illud promeruerunt. De hoc autem primo cęlo omnium nobiliſſimo & digniſſimo particularis mentio fieri debuit, cum ſit quodammodo domus Dei, teſte Baruch propheta: O' Iſrael quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius. Ipſe Dominus Deus loco illo non indigebat, ſed propter Chriſtum præcipuè parata eſt domus illa & ciuitas magna, vbi ſũt perpetuæ cęleſtis Filii nuptiæ, quæ & paradiſus dicitur, in quo fuerunt & inde eiecti ſũt Satanas & Angeli eius. B. Baſilius de hoc loco & eius gloria, quódq; ante hunc viſibilem mũdum fuerit, his verbis ſcribit: Erat ſanè ſtatus quidam mũdi generatione ſuperior abſtractis illis à concretione materiæ potẽtiis, mundo præſtantioribus pro decoro accommodatus, temporis etiam cõditione anterior, ęternus nimirũ ac perpes, hoceſt, nulli vnq̃ ſubiectus corruptioni ac deſtructioni. Ecce quàm pulchrè deſcripſit hoc cęlũ cęleſtibus creaturis accommodatum. De chaos verò conſtans illa antiquorum traditio, & alia plura quæ iam ſuperius adducta ſunt, egregiè conteſtantur: ex quibus etiam illorũ improba confutatur opinio qui aſſeruerunt primã materiam increatam ac Deo coęternam.

Angelos ſimul cũ cœlo empyrio creatos.

Baruch. 3.

B. Baſilius in Hexam. hom. 1

Cum igitur huic interpretationi tot & tanta vera conueniant, & inde conſequatur plurimarum expulſio falſitatum, quis auſit aduerſus illam diſputare, quã tam vetus tamq; diuturna conſenſio ac perſuaſio mentibus hominum infixit? Per ſpiritum autem Domini ſimiliter intelligi Spiritumſanctum, quis niſi nouitatis ſectator contradicat? Nónne ipſa vocum proprietas, autoritas Eccleſiæ, & Sanctorum doctrina ita teſtantur? Ecce B. Ambroſius illum locum exponens: Nos, inquit, cum Sanctorum & fidelium ſentẽtia cõgruẽtes, Spiritumſanctum accipimus. Idẽ Diodorus, Cyrillus, & alii penè ſine numero. Baſilius dicit hoc eſſe verius & à maioribus traditum. Atteſtatur & Apoſtolus his quæ diximus de Angelis, quos ante hunc mundũ fuiſſe conditos oſtendit aiens: Secundũ gratiam ſuam quæ data eſt nobis ante tempora ſecularia. Innuit ergo fuiſſe ante hæc tempora quæ vocat ſecularia, alia quędam tempora non huius ſeculi, ſed æui quando prędeſtinationem Sanctorum ſtatuit Deus in Filio. Vnde & ad Titum ſcribit, Deum vitam æternam promiſiſſe ante tempora ſecularia. Quod enim promittitur, alicui promittitur. Promiſit ergo aliquibus Deus hanc vitã ante hæc tẽpora ſecularia. Adfuiſſe itaq; aliquos fateri oportet, qui hanc pro nobis receperũt promiſſionem. Quinam autem, rogo, niſi Angeli qui tunc ſoli erãt huius promiſſionis acceptatores? Licet Angeli nequàm illam

2. Thimo. 1.

oderint

oderint ac respuerint. Dicere autem Deum sibiipsi (vt quidam exponunt) promisisse, nónne admodum absonum videtur? Oportet enim inter promittentem & eum cui promittitur, esse personarum distinctionẽ. Sed de hac re inferius disseremus copiosius. Interim hoc debet esse certissimum, quod etiam sæpius est inculcandum, Antiquos pro compertissimo habuisse, Angelos ante hunc mũdum visibilem fuisse creatos. Deniq; multũ fauet huic interpretationi, quòd scilicet nihil ei repugnat. Nihil enim contrà adducitur, cui non facilè promptéq; respondeatur. Hoc autem est maximum compertæ veritatis signum.

Cur creationis Angelorũ nulla expressa mẽtio in Scripturis.

Illud quidem mouere potest hominem q nihil nescire vellet, Cur nulla de Angelorũ creatione facta est hîc expressa & explicata mentio, nec item de eorundẽ consummatione & casu? Respondemus: Nondum erat capax & dignus homo ad hoc mysterium capessendum. Et hic est mos diuinæ sapientię, non omnia confestim reuelare, sed ea duntaxat quæ pro tẽporũ varietate & progressu videt esse necessaria, vt quæuis ętas suis gaudeat reuelationibus. Nam & mysterium incarnationis velatũ est in Scripturis, multisq; seculis mansit incognitũ, donec placuit Deo illud vniuerso orbi reuelare. Hactenus igitur de prima huius capitis particula.

Dixítq; Deus, Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quòd esset bona: & diuisit lucem à tenebris, appellauítq; lucem diem & tenebras noctem: factumq; est vespere & mane dies vnus.

Dixítq; Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Hîc fuit initium mundi huius & temporis. Conuenienter enim post æui initium ac perfectionẽ spiritualium, idest, creaturarum æuiternarũ, sequitur reliquarum rerum creatio quæ sub tempore constituuntur, & consequenter ipsius tẽporis concreatio, quod ex motu & anima numerante consistit.

Difficultates quomodo Deus dicat.

Verùm non desunt hîc multæ difficultates, quibus explicãdis sedula est à nobis dãda opera. Primò cum scriptum sit, Dixit Deus, occurrit cogitatio quomodo Deus dicat, & quid dicat. Non enim facile est intelligere, nec est omnium apprehendere. Nos igitur pro virili rem totam explicare conabimur. Assiduè ac semel dicit Deus, vt ait Scriptura: Semel loquutus est Deus. Sed quæ ab eo pferuntur, multa sunt & varia. & inter se diuersa, multumq; differẽtia. Qui enim dicit, aliquid dicit, & sic aliquid profert. Iccircò cum Dei prolatio inanis esse nõ possit, quodcunq; profert etiam producit. Est autẽ duplex à Deo productio, prima quidem interna, altera verò externa. Porrò interna iterum duplex est. Quæ omnia dũ summatim & iuxta captum nostrum declarare studeo, lectorem rogo vt diligenter intendat. *Iob. 33. ps. 61*

Doctrina de Trinitate.

Cum natura diuina sit intellectualis & indiuidua, oportet etiam in ea intelligere personalitatẽ, imò in ea maximè, vt sit certa hypostasis quæ talem naturam substineat. Nam per naturam non intelligimus incommunicabilitatem, sicut persona significat. Omnis enim natura quatenus natura, communicabilis est pluribus indiuiduis & hypostasibus. Per personam verò intelligimus cum hypostasi etiam incommunicabilitatem. Et cum in æternis, esse & posse non differat, si non in vniuersum naturę repugnet pluribus communicari personis, planè consequitur naturam ipsam diuinam communicabilem esse. Si communicabilem, ergo cõmunicatam ex data regula: quia in ęternis non differt esse & posse. Posita igitur iam & intellecta in diuinis prima persona; consideramus de ea

De generatione Filij.

quòd ipsa naturam suam ac seipsam perfectè intelligit, ac sic intelligendo concipit quodammodo speciem sui, & sic conceptam exprimit quasi exemplar ex se: & hoc est verbũ quod profert internè, secum manẽs intimissimè. Hoc autem verbum perfectum est: quoniam totum quod est ipsa prima persona exprimit, & consequenter totam illius diuinę personæ substantiam adæquat. Ideò appositissimè dicitur character substantiæ eius. Quoniam verò quod adæquat diuinam substantiam & personã, nõ potest esse nisi Deus, Ergo hoc verbum quod profertur à Deo, & adæquat illam substantiam diuinã, Deus est: Et quia vna tantùm est deitas, oportet qòud sit idem Deus, & non alius Deus ab eo qui erat prima intellecta & constituta persona. Si igitur Deus est hoc verbũ quod productũ est, & hic Deus est indiuidua substantia & similiter intellectualis, oportet etiam quòd sit persona incommunicabilis: & cum hoc verbum quod dicimus esse personam, productũ sit à prima illa persona iam posita à qua producitur, etiam oportet ab ea differre secundũ personalitatem, vt ita loquar. Non enim potest intelligi, vnam & eandem esse personam quæ producit & quæ producitur. Ideò

dicimus produci personam aliam habentem nihilominus eandem naturã, nec tamen admittimus quòd essẽtia generet aut generetur, producat aut producatur. Generare enim aut generari competit in personam, non in essentiam. Et cum ista talis persona, quod est Verbum, producatur per modũ naturæ, quia qui est intellectualis naturæ dum intelligit ac dum dicit, producit: ideò dicitur generari & genitus. Deniq; quoniã ipse genitus per omnia generanti ac genitori similis est in natura, cum eandem naturam habeat, ideò persona iam prius constituta quæ hoc Verbũ generat, dicitur Pater, & quę genita est, Filius. Vnde & hęc nomina facta sunt illis propria, quibus illos inuocamus. Et hęc est prima viarum Domini. Vnde & ipsemet Filius
Prouerb. 8. dicit: Dominus possedit me ab initio viarum suarum antequàm quicquã faceret ab inino; significans per eam possessionem internam illam Verbi conceptionẽ qua Filius apud Patrem ęternaliter existens quodammodo possidetur, quanquam & ipse inuicem possideat. Sicut.n. Filius in Patre est, ita in Filio Pater, quoniam sese inuicem comprehendunt.

De productiõe Spiritussancti. Est autem & secunda via processionũ Dei altissimi, quam sic pro captu nostro indicare licet. Nam illa prima persona cum sit naturę intellectualis, habet etiam coniunctam voluntatem. Vnde sicut primò semetipsam intelligit, & intelligendo concipit, & concipiẽdo Verbũ exprimit: ita hoc iam posito seipsũ diligit & Filium qui ex ipsa iam processit, & diligẽdo sibi etiã bene cupit ac Filio: & bene cupiendo producit sibi ac Filio donũ, quod est ipse amor quo Pater & Filius arctissimè colligantur. Et quia iste amor & donum ab ista prima persona profectum, est quoddam immensum, vtpotè dignum donãte & eo cui donatur, qui sunt ipse Deus, etiam ipse amor productus est Deus. Nam tota illa immensa vi bonæ voluntatis producitur. Si autẽ Deus est, etiam persona. Et quia inter producentem et productum statuere distinctionem saltem personalem oportet, ideò hæc persona producta alia est ab ipsa producente. Et quia illa prima persona quæ producit, quam dicimus Patrem respectu Verbi, quod est Filius, iam intelligitur Filium produxisse anteq̃ amet & diligat, ideò non absq; Filio ipsam pducit: & sic à Patre & Filio hęc persona dicitur procedere, & propterea ab vtroq; personaliter distingui. Quia verò Pater non vt Pater, & Filius non vt Filius eã producunt, sed ambo prorsus vna eademq; voluntate spirant non quasi duo principia, sed quasi vnum (sicut verè sunt vnum) illam producunt: Item quia non naturaliter, idest, per modum naturæ siue generationis per intellectum, sed ex voluntate ambo producunt: ideò spirari potius hęc tertia persona quàm generari dicitur, & ob eam causam Spiritus nuncupatur. Et quia hęc volũtas vnde amor iste procedit, sanctissima est & mundissima, amorem quoq; ipsum qui inde procedit oportet esse sanctissimũ & mundissimum: iccircò hic amor seu donum ab vtraq; persona procedẽs, Spiritussanctus dicitur. Et hę sunt viæ Domini internæ in diuinis: quia hę personæ (quanquã realiter inter se distinctę) sic tamen sũt inuicẽ intimæ, vt alia in alia sit. Sic enim in Patre Filius, & in Filio Pater, & Spiritus in vtroq; & in quolibet eorum est, & eorum quilibet in ipso.

Sunt autẽ aliæ viæ Domini, vnde externę Quomodo pcedat Deus in externis suis operibus. sunt processiones & emanationes rerum, quę in se etiam suum habent ordinem, sicut & in Deo. Nam ex Dei sapientia & consilio, qui rerum gradus ad pulchritudinẽ vniuersi disposuit, omnis ordo processit. Et primariũ rerum omnium & creaturarum caput & fundamentum est Christus, qui & λόγος dicitur, idest, Verbum, secundum internã processionem; licet & Sermo dicatur, quia λόγος etiã sermonem significat, cum etiam externè pronunciatus fuerit à Deo secundum carnis naturam. Quare & ῥῆμα dictum est, quod nos etiam dicimus Verbum, hebraicè dicitur *Deber*, & significat rem aliquam vel factũ aliquod manifestabile. Vnde & Pastores dixerunt: Videamus ῥῆμα quod factum est, Luc. 2. quod fecit Deus & ostendit nobis. Igitur de eodem Verbo dicitur: Genitum non factũ; scilicet secundum ęternam processionem. Factum verò iuxta processionem externam secundum carnem, cuius ipse meminit aiens: Exiui à Patre & veni in mundũ. Sic & quæcunq; fecit Deus, verba dici possunt: quoniã Io. 16. à dicto eius & sapientia procedunt non naturaliter, sed per voluntatem quasi ab artifice operante. Nõ solùm enim operatur artifex volens, sed & per voluntatem ipsam: sic & Dominus. Et ideò admonemur de eo quod dicit: *Fiat lux*, siue, *Erit lux*, *Et facta est lux*. Pręcedit enim voluntas hoc ipsum dictum, idest, imperium: quoniam hîc dicere Dei est facere, volũtate quodammodo pręeunte atq; iubente. Etenim iam hoc ipso constituto quòd illa prima persona semetipsam intelligendo dicit, & dicendo generat Filium, & semetipsam ac Filium amando spirat Spiritũsanctum, videt etiam in se & in Verbo suo (quo se totam exprimit) omnium ideas natu-

rarum

rarum, quas naturas videt etiã esse creabiles, vt aliquo modo sint extra ipsũ, & participent de eius essentia, sapientia, & bonitate. Noluit ergo inuidere, sed ex optima & æterna volũtate sua in illo Spiritu suo sancto pleno bonitatis & gratiæ placuit ei vt sic esset, idest, ex illo exirent, non natura producẽdo illas, aut ex necessitate naturæ (Sic enim solũmodo Filium ꝑduxit) sed ex beneplacito & mera volũtate. Et ideò nulla creatura est Filius eius naturaliter, sed solus vnus qui est Christus. Nam quodcunq; vult Deus extra se esse, finitum est, nec verè est præ illo: quia non necessariò est sicut ipse, sed per ipsam Dei voluntatem est, quę si retraheret hoc suũ velle, quòd scilicet sint extra seipsam, cũcta proculdubiò in nihilum vetterentur. Nõ enim necessariò voluit extra seipsum res esse, quia se solum vult necessariò vt finem suiipsius. Hoc quippe tantummodo vult quælibet voluntas necessariò, scilicet finem suum: reliqua non necessariò, si citra eorum adminicula finis valeat obtineri. Ideò Deus cum extra illum sint creaturæ, non eas vult necessariò: quia nec sunt finis ipsius, nec ad ipsum finem quicquã promouent, sed in hoc liberè se habet volũtas Dei ad vtrunq;. Neq; enim ad suam felicitatem illis indiget. Illas tamen esse voluit propter bonitatis suæ quandam (vt ita dicã) exundantiam, & quasi indigeret creauit eas in pondere, numero, & mensura: & sic volens dixit imperiosè, Fiant, idest, iussit esse, suo hoc dicto ineffabiliter eas proferens.

Cur Deus per modum imperij non creauerit empyrium. Hic nonnihil quæstionis, cur non sic dixerit de cęlo empyrio & materia prima per modum imperii, *Fiat*, siue *Sit cœlum*. & eodẽ modo, *Fiat*, siue *sit terra*, sed solũm enarraſ Deum in principio creauisse cęlum & terrã. Respondeo: Sunt quidam ex Rabbinis qui dicunt ea voce, *Berescbit*, quod nos dicimus, *In principio*, cõtineri virtute hoc verbũ, *Dixit*. Verùm si hoc etiam detur, non dirimit quæstionem. Dicet enim quis: Cur nõ explicitè pronunciauit in hunc modum, Dixit Deus, Fiat cęlum, aut Fiat terra: aut sit cęlum, sit terra? Verius ergo ad quęstionem respondetur vt quod Moses ait, Dixit Deus, sit vox imperii. Imperium autem id præsupponit cui imperetur. At cum non esset quicquam ab initio super quod cadere posset diuinum imperium vnde res educendę essent, nõ potuit esse vox imperii, *Fiat*. Et ideò simpliciter dixit quòd initio creauit Deus cęlum & terrã. Postquàm verò creata est materia, vt ostenderet ex ea fuisse reliqua educta, cum esset in potentia ad omnia, vox illa imperii, *Fiat*, in illã directa est. Vnde scriptum est: Ipse dixit & facta sunt. Ipse mãdauit & creata sunt. *Ps. 148.* Quæ sentẽtia propriè videtur ad ea pertinere quæ ex materia dicto ipso creauit, quorũ primũ fuit lux, de qua dicit: Dixit Deus, Fiat lux. Inueni postmodo quosdam Hebręorũ, & ex nostris nonnullos eodem pacto respondisse quo nunc respondimus. Quamobrem id meritò probabilius eò censeri debet, quò in illud plures consentiunt.

Potest tamen dici quòd illud chaos & confusa informisq; materia deprecabatur quodãmodo suas formas distinctas, ne illud opus imperfectũ maneret diutius: cui summa Dei benignitas clementer se inclinans, Spiritu id inenarrabiliter postulãte, dixit *Fiat*. Sic supplicationibus multorum moti Pontifices scribere solent, Fiat. Dixit ergo Deus, *Fiat lux*. Nemo autem per lucem intelligat qualitatem sine corpore, quo sensu accipitur à philosophis, sed substantiam quandam lucidam. Est enim vsitatus mos apud Scripturas, vt rerum substantiæ his nominibus exprimantur. Sic homo spiritualis dicitur Lux, & carnalis, Tenebræ. Dixerunt quidam lucem hanc fuisse nubeculam quandam lucidam, quod nequaquam probabile est. Nam si dicunt hanc nubeculam Sole posteà adueniente vt erat permansisse, vbi, rogo, nobis illã ostendunt? & in quem vsum? Si autem quorũdam opinionẽ sequuti resolutã esse dicant in pręiacentem materiam: ergo in opere creationis admiscebitur destructio? At quid opus fuit illud creare quod mox destruẽdum erat? Hoc'ne decebat vt prima dies haberet illud adeò futile opus nubeculæ? Quod verò alii dicunt, ex ipsa nubecula postmodo creatum fuisse Solem, vt nulla probabilitate fulcitur, ita facilè cõtemnitur. *Refellitur opinio circa nubeculam.* B. Augustinus quodam loco dixit hanc lucem fuisse spiritualem substantiam, idest, Angelos: cui opinioni hęserunt nonnulli autoritate potius quàm ratione ducti. *B. Augu.* Sed iam illos creatos asseruimus, & longo æui tractu mansisse, quemadmodum veteres Theologi magno consensu tradiderunt, & ipsemet B. Augustinus. Superest ergo vt cum B. Dionysio & aliis plerisq; id asserentibus, per hanc lucem intelligamus Solem ipsum, quem assiduè cernimus tam admirabilem. Nam quid, obsecro, nominari potest æquè dignum lucis nomine, quàm Sol iste, qui perinde est lux mũdi corporalis, vt lux mundi spiritualis dicitur Christus? Ego sum, ait, lux mundi. Nec obstat si hęc Solis creatio quarta die commemoretur, vbi dicitur: Fecitq; Deus duo luminaria

magna, Solem vt præesset diei &c. Si enim
Notandum. diligenter aduerteris, non dicitur ibi factum
fuisse Solem in illa die, sed rememorando,
seu (vt melius dicam) recapitulando circa lu-
minaria cęli, narrantur quæ in illa die quar-
ta iam facta inueniebantur. Non dico facta
in illa die, sed inter ea quæ in illa die inuenie-
bantur iã facta, siue in illa siue in alia die facta
fuerint, cõnumeratus est Sol ipse, qui factus
est prima die.

Non me latet à quibusdam rẽ aliter cõpo-
ni, videlicet Solem quidem in sua substantia
& quantum ad lucis officium attinet, creatum
esse prima die, sed quãtum ad alios plurimos
influxus atq; effectus quarta die. Hoc prop-
ter autoritatem B. Dionysii qui ita visus est
dicere, non audeo reprobare. Fortè hos
effectus D. Dionysius considerauit nõ quasi
Soli quicquam deesset quominus valeret in
eos effectus, sed quoniam nõdum erant aliæ
concausæ ad illos effectus producẽdos. Sic
enim dictũ libenter reciperemus, alioq prior
dicendi modus omninò probabilior videtur.
Non enim (ni fallor) dixisset Propheta: Et
vidit Dominus lucem quòd esset bona, nisi
fuisset lux ipsa omninò in seipsa pfecta: quo-
niam id demum bonum est, vt ratio boni re-
Mos in Scrip- quirit, quod perfectum est. Est autem in
tura vsitatus. Scripturis frequentissimum, vt multa per an-
ticipationem, multa quoq; per recapitulatio-
nem dicantur. Nam post enarratos omnes
dies habes enarrationem plantati paradisi, q
tamen conditus fuit prima die, licet quidam
aliter opinentur. Hoc si Propheta non ex-
pressisset, facile potuisset quis credere illum
postmodo fuisse plantatum: sed ne id puta-
res, claris verbis cauit dicens. Plantauerat
autem Deus paradisum voluptatis ab initio,
idest, prima die. Sic & hoc in loco cauit ne
putares factum Solem quarta die, cum lucem
prima die creatam ponat. Inconuenientissi-
mè enim lucis appellatione qduis præter So-
lem intelligeretur, & conuenientissimè tam
excellenti tamq; digno syderi & corpori illu-
strissimo data est hæc prærogatiua, vt prima
die sit factum, lucisq; nomine absolutè signi-
ficatum. Neq; enim absq; Solis luce dies,
idest, mane & vespere esse potuisset. Ergo
Orbes planeta- si prima die factus est Sol (de quo non puto
rum simul cum esse dubitandum) non potest rectè intelligi
Sole creatos ẽe absq; suo orbe factus, qua etiã die, sicut qui-
dam tradit, & ita mihi videtur esse recipien-
dum, cæteri orbes planetarum sunt conditi.
Nam de eis nulla fit alibi mentio. Itaq; ha-
bemus septem orbes planetarũ prima die ex
illa materia conditos. Sed si Sol creatus est
illa die, & factũ est vespere & mane dies pri-
mus, oportet necessariò subintelligere etiam
tunc simul conditam fuisse & fundatam terrã,
super quam & vespere & mane conspicitur.
Et hoc Psalmista indicare voluit aiẽs: Initio *Ps. 101.*
tu Domine terram fundasti (quod de initio
temporis intelligitur) & opera manuum tua-
rum sunt cęli. Quòd si fundata est terra, &
ortus est dies & nox, etiam reliqui elemento-
rum orbes conditi sunt, vt sic apparere posset
dies per Solis illuminationem super terram,
quę tamen aquis tunc operta erat. Sic solet
in Scripturis ipsum totum parte nobiliori nõ-
minata significari. Quid autem luce ista no-
bilius atq; præstantius, qua totus mũdus illu-
minatur, nominari potest? Non curauit au-
tem Moses nominare elementa, vt est Aer,
cum non habeat proprium nomen in Scrip-
tura, quatenus elementum est: & similiter dè
Igne elemento nulla fit vsquàm mẽtio. Sæ-
penumerò autem omne quod creatum fuit,
terræ ac cęli nomine significatum est, vt terrę
& cęli appellatio satis sit ad omnia significan-
da. Nã hæc sunt semper omnibus in prõp-
tu, & ante omnium oculos posita. Est insu-
per credibile nonam sphęrã ea ipsa die fuisse
conditam, idest, primum mobile quod sub
cęlo empyrio est, illo prorsus immobili, &
in quo clauduntur omnia.

Igitur iam creato Sole & cęteris quæ dixi-
mus, idest, toto mundo præter firmamen-
tum, cępit esse initium temporis. Nam factũ
est, ait Moses, vespere & mane dies vnus.
Tunc verũ fuit quod ait Scriptura: Manus *Sap. 11.*
tua creauit orbem terrarum ex materia inui-
sa, seu (vt ait B. Augustinus) informi. Et
Apostolus ad hunc locum aspiciẽs ait: Deus *2. Cor. 4.*
est qui dixit de tenebris lucem splendescere,
hoc est, de materia illa tenebrosa suo dicto et
mãdato eduxit lumẽ, vt splẽdorẽ mundo red-
deret. Hoc idem tradere voluerunt ex antiqs
nõnulli, q rerũ principiũ fuisse noctẽ dixerũt,
idest, illud obscurum chaos. Simul ergo ex
illa informi materia creata est Solis lux, & or-
bes planetarũ; & elementa, terra, aer, aqua,
& ignis. Nam eos qui quæstionem mouent,
an ignis sit elementum, non esse audiendos
censeo. Sed quoniam hæc physica sunt,
physicis sunt relinquenda. Credo insuper
illud primum mobile cęlum nonum illo pri-
mo die conditum, vt intelligatur illa die om-
nia fuisse condita quę ad constitutionẽ mun-
di faciunt, præter firmamentũ, idest, octauũ
cęlum. Est enim credibilissimum, & istud sẽ-
per fama prædicauit, mundum factum fuisse
hoc primo die, quem nos Dominicum vo-
camus.

camus. Vnde & antiquo carmine Ecclesia canit: Primo dierum omnium quo mundus extat conditus, vel quo resurgens Conditor nos morte victa liberat. Et iterum alio carmine: Lucis Creator optime, lucē dierum proferens, primordiis lucis nouæ mūdi parans originem. Est pariter Sedulii antiqui Christiani non ignobilis autoris elegans carmen, qui de hoc die Dominico ita concinit.

Sedulius lib. 4. Carm.

Cœperat interea post tristia sabbata felix
Irradiare dies, culmen qui nominis alti
A Domino dominante trahit, primusq; videre
Promeruit nasci mundum, atq; resurgere Christum.

Initium ortus Solis.

Creditur, nec citra rationem, in primo Arietis puncto Solem conditum, & ibi ortum suum facientem dedisse initium temporis. Nam eo in pūcto naturaliter initium esse diurni motus non absq; ratione dixit Philosophus, non quasi putauerit mundum eo in tempore incępisse, sed quòd si incępisset, illinc incępisset. Initium enim motus primi mobilis ac motus ipsius Solis idem naturaliter esse debet. Et propterea hac ipsa die primum mobile conditum fuisse dicendum est, vt iam sic appareat mundus cōditus excepto dumtaxat firmamento, idest, cęlo sydereo, quod factum est secunda die. Omnis ergo mūdus ex illa inuisa & informi materia factus est à Deo, vt ait Scriptura. Quare nullo pacto est audiendus Auerrois, qui videtur negare materiam in cęlis & compositionem ex illa. Hic autem fuit in his rebus diuinus ordo, vt ex imperfecto ad perfectum res educerentur, & hūc ordinem seruat adhuc Dominus Deus in generatione spirituali.

Duo initia respectu diuersarū creaturarū

Illud verò accuratè obseruandū, ac memoria firmiter tenendum, duo in Scripturis commemorari initia respectu diuersarū creaturarum, & diuersæ durationis, videlicet initium æui, & initium temporis, aut initium creaturarum supramundanarum, vt ita dicā, quę non sunt sub tēpore, vt Angeli cum suo cęlo immobili, quę duo fuerunt antequàm esset aliud initium mundanæ creaturæ, quæ fuit cum tempore, quod & incępit esse hac prima die.

Et vidit Deus lucem quòd esset bona. Verè bonus Sol, qui est aspectu pulcherrimus animumq; serenat, ex quo veniunt omnes influxus terrę & generationes. Hoc autem de illa nubecula quam fingunt fingi non potest.

Et diuisit lucem à tenebris, hoc est, ita instituit vt motu diurno orbis solaris moueretur ex oriente in occidentem. Ex hoc enim venit illa diei ac noctis, lucis & tenebrarum diuisio, vt super quam terram non illuceat, super eā tenebræ sint: super quam verò illuceat, sup eam sit lux. B. Augustinus voluit per hæc significari segregationem bonorū Angelorū à malis. Nam boni qui fuerunt lux, manserunt in cęlis meliorem lucem adepti: mali aūt tenebræ facti, in tenebras extremas expulsi sunt. Hoc nedum non improbamus, sed recipimus, modò prior maneat literalis sensus. Quod verò dicitur: *Vidit ergo Deus hanc lucem quòd esset bona*, non aliud est quàm per notitiā bonitatis suæ probauisse, & quodammodo sibi in illa complacuisse. Porrò hoc maximè de vera & æterna luce, quæ est Christus, mysticè intelligitur.

Appellauitq; lucē diem, & tenebras noctem. Videtur hîc lucem pro eo tēpore accipere, quo lux est super hemisphęrium nostrum & illud illuminat: & sic est dies respectu nostri. Quòd si hinc Sol & lux recesserit, fiunt tenebræ & nox. Ista autem quę dicitur à Deo indita diei & nocti appellatio, quid aliud significat quàm inde ab eo fuisse edoctos primos homines vt ista tempora iis nominibus appellarent, vt diei quidem appellatio ad id tēporis arcteť quo Sol luceat in hemisphęrio vbi inuenimur? etsi aliter accipiendo hāc vocem, dies quoq; noctem comprehendat. Sic enim dicitur vespere & mane dies vnus: quia dies etiam noctis tempus comprehēdit. Dictum est verò, *Dies unus*, tropo hebraico, pro, Dies primus. Hic est dies Dominicus huius rei gratia potissimum memorabilis ac venerabilis nobis: quoniam in eo creatus est mūdus, & luce magna illuminatus. Ex quo fit vt non ab re datus sit Soli hic dies, quia in eo lux ipsa mundi Sol pulcherrimum omniū Dei opus apparuit. Per hoc verò quod ait, *Vespere & mane*, intelligitur totum tēpus quod vnum diem complectitur. Et vox quidem hebraica quæ significat vespere, misturam quandam (vt notant Hebræi) significat, & ideò crepusculum quando iam lux permiscetur cum tenebris, quod est in ipso Solis occasu. Et tamen hîc pro vespere & mane intelligitur totum tenebrarum tempus ab initio crepusculi vsq; ad diluculum, quod dicitur Mane. Hebraicè dicitur BOCHER, quæ vox inquisitionem significat, & quidem commodè. Nam illa hora diluculi res perspicuè nondum cernuntur, & propterea quodam modo inquiruntur donec clarè lux appareat. Et similiter hîc per, Mane, totum reliquum tempus vsq; ad vesperam intelligitur, vt sic compleatur dies.

Cur prius dictum sit vespere q̃ mane.

Est autem dubitatio, cur prius nominetur vespere quàm mane. Respondeo, Cum cer-

tissimum sit in quauis hora, imò quouis horę momento simul esse diem & noctē in diuersis orbis partibus (Dum enim in hoc hemisphęrio dies est, nox pculdubio est in altero hemisphærio, & econuersò;) dicendum est à Mose sic fuisse positam mundi inchoationē; vt in alio hemisphærio illi genti ad quam scribebat opposito, Sol illucere inceperit: ita vt primò esset vespere in hoc nostro, & Sole postmodo nobis oriente lux diurna vsq; ad aliud vespere redderetur. Itaq; mundus iste secundum hoc nostrum hemisphęrium, in quo creatus est homo, habuit primum vespere, deinde mane: quod etiam cum diuinis officiis appositissime conuenit. Nam sabbato in vespere iam cadente incipit dies Domini celebrari, vt significetur tunc incipere diem Domini solennem. Ob eam causam fuit mandatum in Scripturis vt festorum solennitates à vespere inciperent. Nec istud magno vacat mysterio, quoniam sic in nobis fit, & ita fieri debemus intelligere. Antequàm .n. facie ad faciem nostrum verum Solem videre possimus, oportet prius pręcedere vigilias vespertinas, & ambulare quasi in nocte per fidem, & sic expectare perpetuā clarissimi atq; splendidissimi festi lucem, idest, quando apparebit Christus gloria & vita nostra. Sed non desunt pleriq; ex hominibus qui festum prius quàm vigilias celebrare volunt contenti bonis huius seculi, desperantes de futuris, contra diuini ordinis præscripta. Hoc ergo illis meritò eueniet vt æterno festo priuati, in sempiternis vigiliis torqueātur. Quare hoc mihi videtur in causa fuisse cur prius memoratum fuerit vespere quàm mane. *Notandum.*

Scio Caietanum aliter exponere, videlicet quòd Sol fuit creatus in puncto oriētis: vnde illucente illo vsq; ad occasum dicitur fuisse vespera, videlicet terminans diem: quod sanè non placet. Potius nanq; dicendum erat p exortum Solis fuisse mane quàm vesperum, & per occasum fuisse potius vesperum quàm mane. Verum ergo est secundum Scripturam, diem nobis incipere ab ipso occasu vesperę, & terminari ad idem punctum reuerso Sole. Existimo & hoc traditione à veteribus acceptum. Thales enim Milesius interrogatus, nox'ne diem, an dies noctem præcessisset, respondisse fertur, noctē præcessisse.

Dixit quoq; Deus, Fiat firmamētum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuisitq; aquas quæ erant sub firmamēto, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocauitq; Deus firmamentum, cęlum: Et factum est vespere & mane dies secundus,

Dixit quoq; Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Quidam nomine firmamenti intellexerunt illam aeris partē in qua nubes condensantur: & quidam illam condensationem tunc factam putarūt firmamenti nomine esse significatam. At huiusmodi commento multa repugnare videntur. Si enim tunc facta est illa aeris pars, quando assignabunt factas fuisse reliquas? Nunquid dignum fuit vt circa hanc aeris partem vna integra die occuparetur Dominus? Præterea, nunquid hoc opus condensandi nubes propriè pertinet ad opus creationis? Nónne suapte sponte & natura fit vt nubes in ea parte densentur, & similiter extenuētur ac resoluantur in aquas? Ad hęc, possunt'ne vllum citare Scripturæ locum, quæ talem partem dignetur firmamenti nomine appellare? Quanquàm hebraicè hìc legitur RACHIAH: quod significat extensionem quādam immensam. Vnde & scriptum est: Extendens cęlum sicut pellem. Sed nec per extensionem fiunt condensationes nubium. Dicitur prętereà significanter, à Deo cęlum illud eodem nomine vocatum quo primum ac summum cęlum, nimirum empyrium. Et certè nō erat digna hæc aeris pars quę eo nomine tam studiosè ab ipso Deo vocaretur. Deniq; hoc firmamentum est illud in quo paulò post stellas esse iussit Dominus, easq; ibi posuit. Cęlum ergo quod nos sydereum vocamus, videlicet octauam sphęram, hoc nomine intelligi debere longè aptius est & rectius: quoniam dignum fuit dici cęlū quod est summum inter eos orbes qui videntur à nobis. Est enim octaua sphęra, quæ excelsum locum supra cęlos planetarum sibi vēdicat, & primum eorum ascendendo quos nominauit Apostolus, quum dixit se raptum fuisse vsq; ad tertium cęlū in paradisum Dei. Nam secundum cęlum est nona sphęra primum mobile, vulgò chrystallinum appellatum, vt soliditas eius significetur. Et hoc cęlum vocat scriptura sancta aquas quæ super cęlos sunt. Super cęlos, inquam, idest, super ipsum firmamentum cęli nomine hìc peculiariter donatum: quoniam summum est omnium eorum quæ à nobis videntur. Vnde & in eodem psalmo postquàm de firmamento

De firmamēto. *Ps. 103.* *Primum cœlū post planetas dicitur firmamentum.* *Cœlum chrystallinum.*

mento dixit: Extendēs cęlum sicut pellem, *Cœlū empyriū* adiecit: Qui tegis aq̃s superiora eius. Tertium verò cęlum empyrium est super aquas situm, quod etiam terræ nomine in Scripturis significatur, sed eius terræ de qua dicitur: *Psal. 26.* Credo videre bona Domini in terra viuentium. Et meritò vocata est terra, quia etiam nostra erit habitatio qui de terra sumus: sed ipsius Domini in primis, qui dignatus est de terra fieri vt & nos ad consortium Angelorū & ad vitam æternam extolleret. Quis sapiēs qui hæc Dei beneficia erga genus nostrum tā immensa atq; excelsa meditet, & dignas agat gratias? Sed ad rem.

Ob eam causam de hoc empyrio quod est super cęlum aqueum seu chrystallinū, puto *Ibid. 103.* sensisse Prophetam vbi ait: Qui firmauit, aut extendit, siue expandit terram super aquas. Hi enim tres cęli, hoc est, Firmamentum, Chrystallinum, & Empyrium, hoc cęli nomine vocari maxime digni sunt, cum maximi sint inter omnes orbes. Sed de cęlo aqueo non eousq; clara fit in Scripturis mentio aut certa significatio, nisi quemadmodum dictū est. Porrò satis hoc in loco innuitur quādo ait: *Et diuisit aquas ab aquis*. Nemo autem miretur nonam sphęram per aquas significari, quoniam iuxta hebraicam dialecton, cum cęli dicantur SCHAMAIM, aquas significāt. Sic enim exponunt eruditi Rabbinorum, SCHAMAIM, id est, ibi aquæ. Quod ergo dicitur: *Et diuisit aquas ab aquis*, interpretor per aquas citra vllam hæsitationē hoc in loco creaturas omnes Vniuersi ex illa materia conditas significari, quam & aquarum nomine superius appellauit Propheta, quæ quodammodo hoc firmamento, quod est vltimū nobis visibile, diuiditur. Diuidit enim quasi supramundanas creaturas, videlicet cęlum ipsum aqueum, ab inferioribus quę suis, id est, ipsius cęli terminis concluduntur, & hunc nobis visibilem mundum finiunt.

Creaturas nomine aquarum significari. Non sit autem cuiquàm mirum, omnes creaturas vocari aquas, cum & in Scripturis habeamus populos hoc verbo significari & vocari, sicut declarauit Dilectus dicens: *Apoc. 17.* Aquæ multæ, populi multi. Et verè omnis creatura suæ conditione naturæ est veluti fluens aqua, instabilis, tumultuosa, insipida, quæ in malum atq; in nihilum tenderet, nisi cōtineretur atq; regeretur verbo virtutis Dei, & eius sapientia gubernaretur. Necessariò autem Scriptura per hæc nomina significauit nobis res ignotas & inuisibiles, postquàm deerant quibus exprimerētur, propria nomina. Quin etiam vt ex rerum proprietatibus quas nobis significant, aliquo modo ad qualemcunq; earum notitiam deduceremur. Vocauit autem Dominus firmamentum, cęlū, id est, dignum fecit eo nomine quo & ipsum empyrium, cum propter eius magnitudinem, tum quia inter ea quæ nobis sunt cōspicua, sublimius est atq; omninò nobilius. Ob eam causam Angelos & Prophetas suos docuit vt sic vocarent. Dictum est autem ab interpretibus fundamentum, quoniam Septuaginta dixerunt στερέωμα ob admirabilem eius soliditatem ac firmitatem, quæ vox minimè potest illi aeris parti etiam nubibus condensatæ conuenire. Vnde & apud B. Iob: Tu forsitan cū eo fabricatus es cęlos, qui solidissimi *Iob. 37.* quasi ære fusi sunt? Quapropter quidam nedum cum ratione, sed prorsus temerè hāc soliditatem negarunt.

Superest nunc resoluendum, cur hoc in *Dubium.* loco non dixerit Propheta: *Et uidit Deus quòd esset bonum*: Aiunt quidam ob numerū dualem qui propterea censetur infamis, quoniam primus ab vnitate recedit. Vnde & animalia immunda bina & bina introducūtur in arcā. Hęc ratio quibusdam minus satisfacit, vtpote mystica et quę nō debebat officere rei veritati. Si enim verè hoc bonum erat, quid porrigebat periculi reddere hoc in loco testimoniū, Deum vidisse & probauisse? Itaq; quidā alii ab Hebræis edocti dicunt, cū huius cęli vtilitas nondum esset manifesta donec aquæ separarentur à terra, iccircò Mosen distulisse in tertium diem quando facta est eiusmodi separatio. Mihi verò magis probatur abstinuisse *Solutio dubij* Mosen ne diceret quòd esset bonum: quoniam firmamentum adhuc imperfectum erat, cum non haberet suum stellarum ornatum, in quo summa illius pulchritudo consistit. Hanc autem perfectionē quarta die adeptum est, & iccircò ibi dicitur: Vidit Deus quòd esset bonum.

Est & alia dubitatio, cur'nam hoc primū *Dubitatio.* firmamētū nō fuerit prima die cū cęteris cęlorum orbibus creatum à Deo, cum hoc ad motum inferiorum orbium maximè pertinere videretur. Huic dubitationi quidam res- *Solutio.* spondit (vt mihi quidem visum est) aptissimè, sic diuino consilio factum fuisse, vt viderent Angeli Deum esse Dominum & autorē omnium rerum & omnis ordinis, qui citra vlla secundarum causarum adiumenta poterat continere & regere mundū, vt & cęli possent suum peragere cursum absq; pręsidio superiorum. Quod ego interdum cogitans, idē in ecclesiastica hierarchia cōtingere agnosco, in qua cum uideam ferè firmamentū deficere,

hoc est,

hoceſt, Prælatos bonos, & ſuperiores qui exemplo & doctrina debent inferiores ordinare & regere: attamen Deus admirabili cura occultiſſimis ſuæ prouidentiæ modis reliquum Eccleſiæ corpus regit & conſeruat. Quis.n. neget ꝑpoſitos Eccleſiæ Dei quaſi firmamētū cenſeri debere & ipſius firmamēti
Dan. 12. ſydera, vt ait Daniel ꝓpheta? Præterquàm quòd latent etiam huius facti myſticæ rationes: ſed nos literam præcipuè nunc profeſſi ſtatuimus.

Dixit verò Deus: Congregentur aquæ quæ ſub cęlo ſunt in locū vnū, & appareat arida. Et factum eſt ita. Et vocauit Deus aridam, terrā: congregationeſq; aquarum appellauit, maria. Et vidit Deus quòd eſſet bonum, & ait: Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. Et factum eſt ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, lignumq; faciens fructum & habens vnumquodq; ſementem ſecundum ſpeciem ſuam. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Et factum eſt veſpere & mane dies tertius.

Dixit verò Deus: Congregentur aquæ quæ ſub cœlo (ſiue ſub cęlis) *ſunt in locum vnum, et appareat arida. Et factum eſt ita.* Hîc manifeſtè de aquis eo modo loquitur quo nos communiter intelligimus. Cum enim aquæ hactenus iuxta primam ſuam naturam, excepto Paradiſo, vniuerſam terram occuparent, & cōſequenter ſi ita manſiſſent, eandem reddidiſſent inhabitabilem atq; infructuoſam, icircò neceſſaria fuit earum à terra diſtinctio, quibus etiā alia quodammodo natura inderetur verbo Dei, non ſolùm vt denſarentur, ſed vt congregarentur in vnum locum, ſicut & factum videmus, & eſt mirabile in oculis noſtris. Alias eſſe circa hoc recentiorum interpretum opiniones ſcio, quas non duxi proferendas in medium. Mihi enim nunquàm placuit in immenſum & ſine fructu commentaria extēdere. Si qs paulò auidior aut curioſior aliud ſcire cupiat, ne alios conſulere queat, nullus eſtqui impediat. Iſtud ego probabilius exiſtimo, aquas iuxta ſuam naturam particularem ſuper terram tāquàm nobilius minuſ'ue graue elementum poni debuiſſe, ſicut aer ſuper vtrunq; collocatus eſt vt leue: & ſic etiā ignis ſuper aerem vt leuius. Sed quia maiori & vniuerſaliori bono noceret, ſi vbiq; terram operirent aquæ (non enim poſſet illa producere fœtus ſuos: nec animalia ſeruari, nec plantæ potuiſſent) ideò Deus optimus maximus prouidit hanc aquis naturam vt in vnū congregarentur, neq; (vt ait Pſalmiſta) cōuerterentur operire terram. Et alibi: Congregans ſicut in vtre aquas maris: vel vt certius exprimitur in hebraicis, ſicut in cumulū. Vnde B. Thomas diuinę ſcripturæ autoritate motus huic ſententiæ acquieuit. Nam & mare altius eſſe terra B. Baſilius, quemadmodum D. Thomas refert, cōfidenter teſtatur, idq; experiētia compertum docet: & vix puto quenquàm ſapientem ea de re vnquàm dubitaſſe. Cicero. Cicero in libro de natura Deorū ſic ait: Mare cum ſupra terram ſit, medium tamen terræ locum expetens congregatur vndiq; æquabiliter, neq; redūdat neq; effunditur. Et Philoſophus aqua ambiri terram, ſicut aer aquam & ignis aerē ambit, teſtatur. Ariſt. in Meta. lib. 2. c. 2. In Metaphyſicis autem contrariam falſam opinionem Thaleti attribuit, putanti omniū rerum principium eſſe aquam.

Caietanus. Quare miror Caietanum hoc tam contumelioſè his verbis reprobauiſſe: Si quis autē (ait) dubitat terram apparentem ſuperiorem eſſe aquis, non tam eget ratione quàm applicatione ad ſenſum, quo ad oculum videmus aquæ motum ſemper in decliuiorem eſſe locum. Hinc enim manifeſtum eſt quòd ſi terra apparens eſſet inferior mari, aqua maris ad ipſam vtpote decliuiorē moueretur, ac operiret eam: hæc ille, & idē ſuper pſalmū. 136. aſſeuerauit. Non conſiderauit autem quomodo Deus contra hanc particularem naturam propter vniuerſalius bonum dederit illis legem, & terminum poſuerit quē non eſſent tranſgreſſuræ, ne cōuerterentur (vt ait Propheta) operire terram: quod & de multis Scripturæ locis accipitur. Nam alibi legimus: Qui legem poſuit aquis & mari ne trāſirent fines ſuos. Pſ. 103. Et Dominus ipſe ad Iob vt rem hanc omni admiratione dignam conſideraret, dicebat: Iob. 38. Quis concluſit oſtiis mare quando erumpebat quaſi de vulua procedēs, cum ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem? Circundedi illud terminis meis, & poſui vectē & oſtia, & dixi: Vſque huc venies, & non procedes amplius, & hîc confringes

tumentes

tumentes fluctus tuos. Et apud Ieremiam: Me ergo non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non pauebitis? Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit: & commouebuntur & non poterunt, & intumescent fluctus eius, & non trāsibunt illud &c. Ecce quàm apertè ostendit Scriptura illam esse maris & aquarū naturam fluctuandi, & conuertendi se super terram, alia tamen lege addita & quasi præcepto quodam fuisse ab ipso Deo cōpressam. Vbi admirabilis consideratur Dei prouidentia, & quomodo id quod naturale est dupliciter debet accipi. Primo quidem modo cōsiderata cuiusque rei particulari natura: altero verò considerata natura vniuersali. Vnde respectu diuersæ huius acceptionis, & naturale & innaturale est aquis sic esse, & sic manere quomodo manent non operientes terram. Naturale quidem secundum naturam Vniuersi hoc ipsum exigentem. Innaturale autem secundum propriam ipsius elementi naturam. Non tamen cōceditur id esse violentum, quod supra particularē naturam est illis additum. Non est enim Dei (vt D. Dionysius egregiè docet) rerum violare naturas, sed sua prudentia ita temperare, vt quod ad vniuersalius bonum cōducit, partes sibi vendicet superiores, & illud potius naturale vocetur. Nam ipse semper quod vniuersalitati congruentius est, illud magis curat: qua in re summopere commendatur eius sapientia & bonitas, cui debet omnis natura cedere.

Notandum

D. Dionysij pulchra sētētia

Cicero

Id cum Cicero vidisset, dixit: Ipsum autem mare sic terram appetēs litoribus clausit diuina ratio, vt vna ex duabus naturis conflata videatur. Pulchrè equidem dictum, vt cōcordiam ferè cōtrariarum naturarum exprimeret. Non obstat autem si aquæ verè descendant quùm ad mare influunt, & earum descensus sit per terram: quoniam non inde sequitur, ipsum mare & eius aquas esse terra ipsa inferiores, sed solùm terram quæ mari est propinquior, esse aliquantò illa inferiorē quæ abest longius, cum qua veritate stat, altissimum mare esse longè superius terra.

Quin & ipsemet Caietanus (nisi fortè quidnam senserit ego non capio, qui illum tam inconstanter scribere potuisse, maximè paucis lineis interiectis, vix credere possum) superius sic definiuit. Elementum aquæ est secundum se tam grāde, vt linea ducta à superficie terræ ad circumferentiam aquæ, sit longe maior quàm linea ducta à centro terræ ad superficiem terræ: quia elementū tantò grādius quātò superius &c. Videtur ergo dicere hîc terram à Deo sic fuisse eleuatam vt esset super ipsum mare: quod & sine autoritate dicitur & sine ratione. Non enim dictum est terræ vt eleuaret se, sed aquis vt cōgregarent in vnum & appareret arida. Cōgregentur, inquit, aquæ in vnum locum.

Sed hîc rursum dubitatur, cur non omnes aquæ sint in vnum locum redactę, sed sint plura aquarum loca. Nam præter Oceanū quod est omnium amplissimum, est Thyrrenum, est Adriaticum, Indicum, Aegyptiū, Pontus, Propontis, Hellespontus, Euxinus, Aegęum, Ionium, Athlāticum, & alia mediterranea. Respondet huic quæstioni Philosophus aiens omnes aquas in vnum tendere, idest, in mare maximum, saltem per meatus occultos. Vel quod hîc dicitur, *in vnum locum*, intellige suum ꝓprium locum ac separatum, vt non sequantur centrum terrę, sed vnum peculiarem eccētricum habeāt, ad quem quodam modo cogant Dei imperio: quod quidem imperium ad maximam aquarum partem pertinet, videlicet ad mare magnum, in quod omnes aquæ fluunt.

Cur oēs aquæ non sint in vnū locū cōgregatæ

Et uocauit Deus aridam, terram: congregationemque aquarum appellauit maria. Prudenter aduertit Rabbi Moses & compertò notauit, quoties dicitur, *Et uocauit Deus*, signum esse vnam & eandem vocem aliter atque aliter accipi. Nam cum superius dictum sit, Fiat lux, iam diximus lucem capi pro Sole. Ideò quùm inferius ait: Et vocauit lucem diem, & tenebras noctem, ostendit aliter accipi debere lucem & diem, videlicet pro ea temporis parte quādo lucet Sol, & aliter capi tenebras, quàm superius quando dixit, Et tenebræ erant super faciem abyssi: quia ibi significant obscuritatem materiæ primæ. Item dies superius pro toto tēpore cursus Solis viginti quatuor horarum accipitur, vt habeat suas proprietates à die per sua luminaria distinctas. Et ob istam gratiam cum superius per cęlum sit significatum empyrium, volens eodem nomine significare firmamentum, dixit: Et vocauit firmamētum cęlum, vt intelligeres de alio cęlo esse sermonem. Simili de causa quoniā terræ nomine significata est ab initio illa materia prima, nunc significationis variationem declarare volens, dixit: *Et uocauit aridam, terram: & congregationem aquarum appellauit maria*, vt & hîc per aquas etiā aliud quàm superius significari ostendat, cum dixit: Et Spiritus Dominī ferebatur super aquas. Et iterum: Diuisit aquas ab aquis. Quæ omnia diligenter ad firmitatem eorum quæ superius dicta sunt, considerare oportet.

Vna & eadē vox variè capitur.

Et uidit Deus quòd esset bonum, & ait. Patet autē manifesta bonitas siue vtilitas huius segregationis aquarum, ne totam occupent terram, propter animalium terrestrium conseruationem, ac terræ fruges ac fructus. *Germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum faciēs fructum iuxta genus suum, cuius semen sit in semetipso super terram.* Hebraicè sic aiūt haberi: Herbificet terra herbam quæ seminificet semen, lignum fructiferum fructum faciens &c. Verùm ad sensum nihil refert. Solùm idiotismus hebraicus ostenditur, qui voces habet fęcundæ significationis. Illud subnotauit quidam, primam vocem hebręā, quam interpres sic exponit, *Germinet*, iuxta autem hebraismum, *Herbificet*, non herbam propriè significare, sed generaliter quodcūq; frondosum ac viride. Quod verò sequitur, *Herbam virentem, & lignū fructiferum* &c. vtrūq; significare, idest, verè herbam & arbores. Vbi apertè vides hanc fuisse causam separationis aquarū quam Deus fecit, ne terra impediretur quominus suos fructus pferre posset: & hoc etiam propter animalia quæ creaturus erat in terra, & potissimum ipsius hominis causa, ad cuius vsum cętera omnia accommodata sunt & ordinata.

Non me latet quo sensu istud, *Germinet terra*, à B. Augustino exponatur, quasi dixerit, Vim habeat germinandi, tanquàm non statim ptulerit germen & herbas, sed postmodò certis suis tēporibus p influxus & pluuias cęli concurrentes & recedētes. At pfectò istud longè est verisimilius, quod & magis propria vocum significatio probat, Dominum ostēdere voluisse, quomodo sine mediis causis poterat cunctos mediarum causarum effectus perfectè & in momento producere, vtpote omnipotens & agens ex voluntate, non autem ex necessitate naturæ, sicut & hominem componere per seipsum voluit, & cuncta animalium genera perfectè. Nam & hoc oportebat in initio, quemadmodum probatur inferius vbi legimus: Istę sunt generationes cęli & terræ quando creatæ sunt &c.

Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignumq; faciens fructum, & habens vnumquodq; sementem secundum speciem suam. Iussit ergo Dominus de ambobus, videlicet de herbis & arboribus, vt statim germinarentur à terra ac prodirent. Et quia sic iussit, ita factum est. Quod etiā declarans speciatim ait: *Et protulit terra*, idest, germinauit aut prodire fecit. Illud mouet quosdam curiosos, cur Dominus multas noxias herbas, & spinas ac tribulos, & virgulta quędā quæ pariter infructuosa videntur atq; inutilia voluerit è terra germinari. Quibus rectè D. Augustinus respondet, multas etiā esse talium herbarum vtilitates, licet vel inutiles, vel noxię nobis videātur, qui earū vsum ignoramus. Additur etiam, omnia hæc ad pulchritudinem Vniuersi requisita fuisse. Est & quod turbat quosdam. Nam si Deus mense Martio produxit arbores, vt creditur, quoniam creauit mundum in primo Arietis puncto, & creauit eas cū suis fructibus, quomodo peruersa est hæc rerum natura, quæ non reddunt amplius fructus eo tēpore, sed ferè in mensibus Autumni? Sed non considerant à Domino Deo istud ab initio factum esse, qui rerum naturam sequi non tenebat, sed vt Dominus naturæ sic voluit facere prima vice, sicut & pleraq; alia. Nec mirū fuit iterum germinauisse arbores, & fructus nouos in Septembri reddidisse, cū ab initio fertilissima esset terra. Illud preterea pulsat quorundam infirmorum mentem, cur nulla fiat mineralium mentio. Verùm cum hæc sint veluti viscera terræ, tanq̄ ipsius terrę pars accipiuntur, quæ suapte natura citra opus hominis coalescunt, nec semen aliquod expetunt. Sunt enim quasi venæ terræ, nec iis opus erat ab initio, vt repentè prodirent ac apparerent.

Et uidit Deus quòd esset bonum, scilicet ad pulchritudinem & vtilitatem. *Et factum est uespere & mane dies tertius.* Hic dies totus datus est cultui & ornatui terræ ex Domini imperio, non ex influxu cęlestium, cum nondum essent luminaria in cęlo præter Solem. Voluit enim Dominus (vt diximus) ostendere se cuncta posse, nec obligatum esse ordini naturę, quem ipse constituit.

Dixit etiam Deus: Fiant luminaria in firmamento cęli, & diuidant diem ac noctem: & sint in signa & tempora, & dies & annos, vt lucēat in firmamēto cęli, & illumínēt terrā. Et factū est ita. Fecitq; Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt pęesset diei: & luminare minus, vt præesset nocti: & stellas. Et posuit eas in firmamēto cęli, vt lucerēt sup terram, & præessent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quòd esset bonum.

Et factum

Et factum est vespere & mane dies quartus.

Dixit autem Deus: Fiãt luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem &c. Imperium Dei hoc quarto die fuit, vt essent luminaria in firmamento cęli. Etsi enim hebraicè legatur, Erit luminaria, nihil obstat: quoniam idiotismus est, ita vt non oporteat extraneas glossas, vt quidam faciũt, requirere. Et hîc non dicit, Germinentur, aut producantur luminaria à cęlo. Non enim erat cęlum natura ad hanc rem fertile: quapropter manu Dei condi ista oportuit, & quasi ab artifice produci. Ideò dixit Deus vt essent, & non vt producerentur à cęlo, sicut de terræ fructibus dictum est. Hîc verò annotandum, hac die non fuisse in sua substantia cõdita luminaria, sed solùm secundum formam luminis. Nam prima & secũda die cum cęlis ipsis fuisse simul conditos luminarium orbes fatendũ est, ne cogamur inopinabilia apud philosophos dicere, & quæ contra ratione͂ pugnare videantur. Alioqui quærerent ipsi à nobis quonam modo qua'ue ferruminatione Deus in ipsis cęlis luminaria illa constituerit. Quamuis & his responderi posset, Deum re vera esse magnum ferruminatorem, qui sicut nouit extendere cęlos sicut pellẽ, ita potuisset facere vt & liquefierent & densarentur, ac proptereà cederent darentq; locum aduenientibus astris. Prior tamen expositio est lõgè gratior & melior.

Quatuor luminarium officia Vbi notanda sunt quatuor luminarium cęli huius officia. Primum est diuidere noc-

Primũ officiũ tem à die. Quum enim apparent, nox est, & illis non apparentibus, dies. Et hîc nox non pro tenebris accipitur, seu pro priuatione lucis solaris, sicut in prima die fuit nox. Nam istam noctem sola absentia Solis efficit. Appellatione autem noctis hic etiã quid positiuum intelligimus: quoniam ipsa habet sua luminaria per quæ nox est, & suas qualitates per ipsa luminaria, vt & nox seruiat nostræ vitæ suadens somnos, quibus (vt ait quidam) placido releuentur membra sopore,

Secũdũ cæteraq; quæ noctis sunt præstet. Secundum officium est, quoniã per luminaria cęli multa sæpe significantur, vt pluuiæ, æstus, venti, & cætera huiusmodi quæ per illa efficiuntur. Vnde ait: *Et sint in signa.* Tertiũ

Tertium officium, quia inducunt temporum varietatem. Vnde ait: *Et sint in tempora*, Græcè καιροὺς. Non enim accipitur hîc tempus secundum sui substantiam, iuxta quam Physici illud definiunt esse numerum motus: sed secundum varietates naturales à situ atq; influxu astrorum cõtingentes. Aliud est enim noctis tempus, aliud est diei, ideóq; operis varietatem postulat, sicut mane & vespere. Item aliud vna dies, aliud alia: aliud vnus mensis, aliud alius: aliud Luna recens, aliud deficiẽs. Et per hæc diuiditur annus in Ver, Aestatem, Autumnũ, & Hyemem. Anni quoq; inter se plurimum differunt, quod latissimè patet. Duo enim sunt ab hinc anni quãdo nulla penè fuit æstas, cum anno pręcedente cuncta penè æstu caloribusq; soluerentur. Et hoc anno propemodum hyemẽ amisimus: quod in gratiam Cæsaris factum multi existimarunt, vt eos captiuos haberet qui maximè Germaniam conturbarant, & à religione christiana multos populos abduxerant. Sed ad rem nostram. *Tempore Cõcilij Tridentini 1546.*

Hæ temporum variationes ad καιροὺς, id est, ad opportunitates actionum, etsi ab omnibus diligenter obseruari debent, præcipuè tamen ad medicos, nautas, agricolas obseruatio ista spectare videtur, quò sua munia melius obire & exequi possint. Verùm non desunt plurimi qui sunt hac in re nimii, volentes ab astrorum situ & reuolutione cõparare sibi plurimorum euentuum notitiam, quæ tamen nullo modo inde haberi potest. *In eos qui credunt astrologis* Missam facio eorum arrogantiam qui putant se vim omnem potestatemq; astrorum tenere, ex quo fit vt miseram plebeculã & curiosos homines non rarò eludant. Quæ res quantum reipublicę christianę perniciosa sit, sanctissimi Patres passim declarant, & nos alibi exactius & ad persuadendum benè doctis & piis, rem totam particulari libello, Deo dante, tractare proposuimus: licet alii gloriosi nominis Doctores id iam egregiè pręstiterint. Verùm non puto superfluum cõtra tam perniciosum mendacium plures insurgere. Quartum deniq; luminarium officiũ est illucere super terram. Quod item cõfert & ad acquirendas per oculos rerum notitias, & ad varias hominum actiones, quæ absq; luce non possent ab hominibus perfici. *Quartũ officiũ*

Et factum est ita, videlicet vt iussum est. Hebraicè melius dicitur, Fuit ita. *Fecitq; Deus Duo luminaria magna, luminare maius vt præesset diei, & luminare minus vt præesset nocti: & stellas. Et posuit eas Deus in firmamento cœli, vt lucerent super terram, & præessent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras.* Hîc primùm aduerte, non dictum à Mose tunc facta duo luminaria, cum iam declarauerit luminare maius conditum fuisse prima die, sed per modum recapitulationis & collectionis omnium luminarium quæ in-

uenta sunt perfecta in quarta die, ait: *Fecitq; Deus duo luminaria magna*, non autem dicit Deū in quarta die illa fecisse. Nam patet iussum Dei in hac quarta die fuisse circa luminaria quæ sunt in firmamento. At Solem quidem iam constat prima die (vt dictum est) conditum fuisse. De Luna verò & aliis planetis nō ita explicitè quando creata sint, declaratur. Verisimile tamen est omnia, præter Solem, condita fuisse quarta die. Porrò cur Moses ipse hoc tacuerit, non est facile diuinare: etsi non vacare mysterio sit omnino credibile.

De magnitudine astrorum. Dixit luminaria magna secundum apparentiam: quoniam Luna post Solem præ cūctis astris apparet nobis maioris magnitudinis, quæ secundum veritatem, vt periti Astrologi testātur, minor est multis: quia tamen nobis propinquior, cętera influendo superat. Quidam (teste Caietano) dicunt Solem ita terram excedere, vt comparata ad illum sit centesima octogesima pars. Luna verò ad terram sit vigesima pars, si istud credere dignum est, cum nec inter se Astrologi, qui hæc metiuntur, consentiant. *Cicero de nat. Deorum.* Cicero testatur valdè differenter à priscis Mathematicis esse hoc exploratum & conclusum. Et de Luna quidem testatur, dimidia parte terræ esse maiorem. Legi D. Basilium & alios pariter sibi non consentientes. Quidā ex Lutheranis ait, Solem iuxta Mathematicos cōtinere magnitudinem terræ centies sexagies & sexies: Lunam verò minorem esse cunctis astris præter duo, videlicet Mercurii & Veneris. Terram excedere Lunæ magnitudinem trigesies nouies. Terræ quantitatē demonstrari esse stadiorū 252000. Stellas maiores ait habere magnitudinem terræ centies & septies & fermè sextam vnius. Tanta hæc in Mathematicis varietas illud saltem persuadere debet, ne vlli eorum facilè fidem habeamus. Qui si in his aberrant, quantò magis cum ex astrorum positione futura diiudicāt, & ea non rarò quę solus Deus oculo suæ æternitatis præuidere potest? Sed huiusmodi quæstio ad Theologum non pertinet. Porrò Lunam creatam fuisse plenam in oppositione ad Solem, rationabiliter creditur.

Quod verò ait: *Et posuit eas Deus in firmamento*, non putes Dominum eas extra firmamentum creauisse, ac postmodo in firmamēto posuisse: sed creando fecit vt ibi essent, sicut ponit animas in corporibus nostris. Aut quod magis placet, iam antea posuerat illas, sed hac die ex eis lucem prodire iussit. Illud verò, sint'ne ibi fixæ, vt vult Aristoteles: an potius sint erraticæ, vt Ptolomæus docet, & B. Ioannes Chrysostomus existimauit, non est meum cernere. Mihi tanq̄ verius probat esse fixas. & verba Scripturę id potius innuer.

Cur terræ ornatus prior q̄ cœli. Sed sese offert quæstio, Cur ornatui cęli ornatum terræ Deus antepofuerit, cum dignitate & natura ipse cęlestis ornatus terreno prior esse debuerit. Nam & per influxus cęli germinant terrestres plantæ. Respondēt quidam, Deum ita fecisse ad auferēdam idololatriæ occasionem, in quam potuissent labi homines hac syderum cognita præstantia. Caietanus aliter. Nos illud potius, ideò Dominum nō esse sequutū naturæ dignitatis'ue ordinē, quò ostēderet se esse dn̄um naturæ, & omnē dignitatē à se vno pēdere: quod intelligere noluerunt ii qui peccauerunt in cęlis.

Vtrū cœli sint animati. Quæstio item est de motu orbium cęlestiumq; luminarium, quæ habent proprios suos motus, sint'ne reuera animati cęli, & ipsa sydera animata, quemadmodum à quibusdam circumferuntur. Caietanus nedū hanc rem dubiam esse ponit, verumetiam eam partem quæ cęlos animatos asserit, ab Ecclesia electam docet: quoniam in præfatione sacri Canonis canit: Cęli cęlorumq; virtutes, ac beata Seraphim &c. quæ laudant & concelebrant Domini virtutem ac maiestatē, quod facere nisi animati essent, minimè possent. Vnde & alibi hanc sententiam probabiliorē tradit. Quo in loco dupliciter peccat. Primò ponens Ecclesiam in hymno sancto vnam asserere quęstionis partem, quā tamen ipsamet Ecclesia dubiam esse concedat. At cuius sapientiæ esset, eius problematis partē asserendam suscipere, de cuius veritate etiam formidaret? Quis prudens hoc ausit, & maximè in cultu Dei, & cum Deo loquens? Sunt enim assertionis verba, & ad Deum directa: Per quem maiestatem tuam laudant Angeli, quod sub eodem sermonis cursu de cęlis dicitur. Peccat secundo, supponens Ecclesiam eligere eam partē quæ minus habeat probabilitatis, imò quę nec à Christiano, si rectè cogitemus, defendi potest. Certè D. Basilius & Damascenus hanc opinionē omnino reprobant. Audi Damascenum: *Damascenus* Nullus, ait, animatos cęlos vel luminaria existimet. Inanimati sunt enim & insensibiles. Idē prorsus Basilius. Quòd .n. Christianus animatos esse cęlos sustineē nō possit, est mihi quidem perspicuum. Nam si propter motum animati ponantur, cessareq; debeat aliquando motus: nónne animæ illę restarent in perpetuo otio nihil in ipsis corporibus operantes, neq; quicq̄ ab eis adminiculi ad suas operationes sumentes? Hoc autem

autē quis vel mediocriter in philoſophia inſtructus poteſt admittere? Item ſi ſunt animati cęli, illorum animę (quæſo) quando conditæ fuerunt? Nūquid ante cęlos ipſos, & poſteà in ipſis poſitæ ſunt & infuſæ? At hoc voluntariè, & ſine vlla prorſus ratione diceretur. Si tūc creatę & infuſæ ſunt, quādo ipſi cęli ſunt conditi, quæro, illæ animæ fuerunt'ne protinus creatæ beatæ, an verò aliquando viatrices? Non enim cum Angelis ſunt annumerādæ, qui longè anteà creati etiam viatores fuerunt, vt ſuperius ex ſententia Sāctorum concluſum eſt. Oportet ergo eas animas vel non eſſe felices nunc, vel felicitatem non acquiſiuiſſe vllis ſuis meritis, vel ſaltem doceant quonam ſint merito factæ beatæ. Nam iſti cęli qui mouentur, facti ſunt nonnullis ſeculis poſt Angelorum creationem, vt ſancti Doctores crediderunt.

De motu cælorum.

Porrò negandæ ſunt interim quædam propoſitiones ex Ariſtotele & philoſophis, quibus cęlos à ſeipſis moueri colligunt: aut ſaltem benignè recipiantur. Angelus enim qui illis ad mouendum præeſt, videtur quaſi qd intrinſecum atq; cognatum, parſq; eſſe illorum, vt ſic dicantur mouere ſeipſos: quia p illos mouentur qui vt anima corporibus, ita illis alligari videntur, cum tamen non ita ſit verè. Parcendum quidem eſt philoſophis, qui non poterant in aliam venire exiſtimationem. Ponebant quippe motionem ſempiternam, ita vt ſemper orbibus ſuam mentem eſſe alligatam, quod ad animam propriè attinet, credere cogerentur. Nam motorem extrinſecum ad idem ſemper mouēdum motione continua natum non admittebāt: quoniam potius videretur ad hoc opus relegatus & dānatus, quēadmodū ii qui ad excidenda metalla relegant. Sed chriſtiana veritas reſoluit omnia, quæ tradit illud Spirituū beatorū eſſe officium, qui nullo labore, nulloq; ſuo faſtidio aut tędio cęlos mouent, ſed maxima cum delectatione: à quo tamen negocio feriabuntur aliquando, & perpetuò cum perpetua quiete ſtabilientur omnia.

Cælos ab Angelis moueri.

B. Thomas.

Adhęc, ponderanda eſt etiam ratio quam B. Thomas aſſignat: quoniam animam cum corpore coniūgi, eſt propter neceſſitatem ad operandum. Summa autem animæ operatio eſt intelligere. Et quia ad hoc indiget corpore, cum naturale ſit animę à corporeis ſenſibus & phantaſmatis habere obiecta quæ intelligat, ab ipſis phantaſmatis depurata & facta intelligibilia per intellectum, quem agētem vocant, ideò neceſſaria fuit ipſa corporis cum anima coniunctio. Hoc autem de anima cęli fingi non poteſt, vt ad intelligendum indigeat corpore. Nec alia ipſius animę operatio in eo corpore, pręter operationem motus, poteſt excogitari. Non enim ſentiunt cęli, nec vegetantur, cum nec nutriantur nec augeantur. Deniq; non eſt neceſſe propter hunc ſolum motum facere animatos cęlos. Magis eſt rationi conſentaneum dicere, tanq̄ extrinſecos motores cęlis adiungi illos Spiritus, q̄ vt animas eorum & formas. Inuicta certè hæc ratio D. Thomæ.

Maxima animæ operatio

Dicitur autē luminare maius præeſſe diei, ideſt, illi temporis parti quando lucet: quoniam tunc maximè influendo & illuminando habet quodam modo ſibi corpora obiecta ſub ſuo regimine. Similiter & luminare minus, ideſt, Luna. Nam in eo qui præeſt, partes iſtæ neceſſariò requirūtur, vt illuceat, regat, gubernet, producat: quę omnia in terris fiunt à Sole, à Luna, ab Aſtris die ac nocte. Hinc debent ſua officia diſcere Antiſtites qui pręſunt Eccleſię, qui apud Scripturas cęleſtibus luminaribus comparantur.

Et uidit Deus quòd eſſet bonum: & factum eſt veſpere & mane dies quartus. Hîc commemoratur quod tacitum fuerat ſecunda die, videlicet quòd eſſet bonum. Tunc enim verè bonū fuit, quando perfectio firmamenti per aſtra ſua reſplenduit.

Dixit etiam Deus: Producāt aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cęli. Creauitq; Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atq; motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundū genus ſuū. Et vidit Deus quòd eſſet bonum, benedixitq; eis dicens: Creſcite & muliplicamini, & replete aquas maris, aueſq; multiplicentur ſuper terram. Et factum eſt veſpere & mane dies quintus.

Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ uiuentis: & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli. Hebraicè, *Reptiliſicent*. Sed nec ſic exprimitur vis vocis, niſi repere ad aquatica trāſferamus. Dubium verò eſt, curnam ex aqua producta dicantur, cum magis de terra participent. Omnia enim animalia ſecundum materiam magis de terra participant quàm de aqua. Sed ita fecit Deus vt diſtincta eſſet

animalia, & quælibet ibi essent & se continerent vnde duxerant originem. Vnumquodq; enim ex quo principio maximè proficiscitur, se illi adiungi maximè appetit, & in eo se contineri, & non ex quo magis constat: quemadmodum & in desideriis hominū euenire conspicitur, vt natale solum sua dulcedine cunctos alliciat. Est enim & patria quoddam principium: quapropter durum est exulare multis, etiam si careant bonis in propria patria.

An volatilia producta sint ex aqua. Illud etiam iuxta vulgatam editionem mouet, quonam modo volatile producatur ex aqua. Quam quidem dubitationem hebraica veritas resoluit, quæ non dicit, producāt aquæ volatile: sed *uolatile uolet super terram*. Etenim vbi hæc facta fuisse narrantur, cautè non admiscentur volatilia inter ea quæ ex aquis producta sunt. Inferius autem numerantur aues inter animantia terræ, ait enim: Formatis igitur de humo cunctis animātibus terrę, & vniuersis volatilibus cęli, &c.

Notandum Illud non prætereundum silētio, cum hîc dicatur, *Volatile uolet sub firmamento cœli*, firmamenti nomine aliud significari, quàm ipsum cęlum sydereum, cum non solùm sub firmamento volēt aues, sed sub omni inferiori cęlo, & sub ipso ęthere. Quo in loco aduertendū est hebraicè legi: *Et uolatile uolet super terrā, super faciē firmamēti cœli*, vbi per faciem firmamēti significatur aer. Hic.n est primum nobis & ferè solum visibile seu sensibile sub cęlo illo, ita vt vox, *firmamenti*, complectatur omnes orbes vsq; ad aerem. Ideò computantur velut vnum cęlum cuncti orbes, qui sunt ab aere vsq; ad ipsum firmamentum, vt superius declarauimus. Et sic aer facies firmamēti dicitur, & sæpe cęlum vocatur. Sic enim dicuntur volucres cęli. Verùm cur aquatica primùm & volatilia producuntur quàm terrestria, cum hæc sint illis digniora? Respōdeo, ratione dignitatis elementorum: quoniam aqua dignius est elementum q̄ terra. *Cur aquatica prius q̄ terrestria.* Instabit aliquis. Cur ergo volatilibus anteponuntur aquatica? Nónne aquæ elementum, aeris elemento dignitate cedit? Nemo id inficiatur. Sed aues certè non sunt animalia aerea, sed magis terrestria, & quasi media inter terrestria & aquatica. Ideò mediū quodam modo locum in conditione & narratione obtinent.

Creauitq; Deus cete grandia & omnem animam viuentem & motabilem quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum. Quod Cete legimus, aiunt hebraicè haberi, *Dracones*. Sunt enim & marini Dracones & aerii, vt quidam volunt, quemadmodum & terrestres. Quòd autem Moses vsus sit hoc in loco verbo *Creauit*, minimè mirum videri debet: quoniam hoc verbum ad ea etiam aptatur, quæ non ex nihilo à Deo facta sunt. Quòd verò Caietanus quoddam altius (vt ait) circa hoc meditatus est, mihi debile videt, & quod facilè instantiis retundi possit. Videat qui volet.

Et uidit Deus quòd esset bonum, benedixitq; eis dicēs: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris: Auesq; multiplicentur super terram. Et factum est uespere & mane dies quintus. Ecce in quo eorum benedictio consistebat, nimirum in ea virtute & inclinatione, quam eis ad generādum largitus est Dominus, vt conseruarētur species. Porrò vbi nos legimus, *Crescite*, aliqui legunt, *Fructificate*: quod eundem sensum reddit. Prolis enim propagatio veluti quidam arboris fructus cēsetur: & hîc clauditur dies quintus.

Dixit quoq; Deus: Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta & reptilia, & bestias terræ secūdum species suas. Factumq; est ita. Et fecit Deus bestias iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quòd esset bonum, & ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cęli, & bestiis, vniuersæq; terræ, omniq; reptili quod mouetur in terra. Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fęminam creauit eos. Benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cęli, & vniuersis animātibus quæ mouētur super terram. Dixitq; Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam; & cunctis animantibus terræ, om-

niq; volucri cęli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum. Et factum est ita. Viditq; Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Et factum est vespere & mane dies sextus.

Sciendum est reptile hic alia voce hebraica significari q̃ superius. Nam illud reptile aquaticum, hoc terrestre est. Vnde & hebraicè diuersis vocibus significantur. Illud item aduerte hebraica lectione haberi, *producet*, non, *producat*. Est enim vsitatissimum apud hebræum idioma (vt aiunt) futurum indicatiuū pro imperatiuo accipi. Superius dixit: Erit lux, loco, sit seu fiat lux. Et statim: Faciemus hominem, pro faciamus. Illud insuper notandum, per hæc verba fuisse animalium quæ ad vsum hominum sunt necessaria, factam distinctionem, idest, iumentorum ab aliis feris bestiis, & minus homini necessariis. Iumentum enim à iuuando quasi iuuamentum dicitur.

Cur bestijs terræ nō benedixerit Deus. Quæri à quibusdam solet, Cur hæ bestię terræ non ita benedicanť, sicut pisces & aues. Huic quæstioni responderi potest, sub hominis benedictione hanc bestiarum benedictionem comprehendi, cum & ipsi homines sint animalia, imò etiam animalium domini, præsertim terræ. Vnde in hominis benedictione adiectum fuit vt dominarentur omnibus animalibus, etiam terræ. Quamobrem necessariò intelligiť huiusmodi animalia conseruari in sua specie debuisse, quibus præcipuè homo esset dominaturus, & sic in hominis benedictione includitur eorum benedictio. Aliàs non possent in suis indiuiduis, cū sint mortalia, permanere. Scio hanc quoq; rationem ad pisces atq; volucres accommodari posse: quoniā pariter sub hominis assignantur imperio. Verùm postq̃ illa habuerunt proprium suæ productionis diem, suam itidem propriam benedictionem habere debuerunt. Neq; enim cum homine tantam habent communionem, cum nō sint animalia terrestria, quantā illa quæ sexta die creata sunt. Posset & mystica assignari ratio, cuius gratia plerunq; sic disponitur Scripturæ historia vt locum quæstioni relinquat ad exercendos qui spirituales habent oculos, vt inspiciant quid intendat Spiritus. Nos verò literalem tantummodo sensum exponere studemus.

Et ait: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Faciamus, inquit. Hîc Trinitas apertè manifestať. Vox enim vna hæc est vel Patris ad Filium, tanq̃ consiliarium suum, vt rectè quidam exponunt: vel totius sanctissimæ Trinitatis, ac proinde trium personarū seipsas ad hoc insigne opus cohortantium, quamuis propter originis dignitatē sermo Patri attribuatur, quem ad alias personas cōuertit. Quidā tamen volunt aptare ad Filiū, vt ipsius propriè sit illa vox *Faciamus*, sed id nullo modo placet. Quod autem alii qui Iudæorum comminiscuntur, Deum hoc in loco fuisse Angelos alloquutum, ineptum est prorsus. Non est enim Dei & Angelorū vna imago, vt rectè sit dictum ad imaginem nostram, quasi vnam. Adde præterea minimè nos ad imaginem Angelorum esse creatos, sed ipsius Dei. Postremò non est Angelorum creare, aut cum Deo ad opus creationis concurrere. Sed in hæc absurda Iudæos trudit perfidia & odium in Christum & sanctissimam Trinitatem, quo obcęcati quod vero Filio adimunt, illud seruis tribuere coguntur. Est verò plusq̃ ridiculum nescio quod aliorum Hebræorum commentū qui stultissimè dixerunt, Deum esse alloquutum terram. Nec minus ineptè loquuntur q eum loquendi modum Deo tribuunt, quo viri principes vti cōsueuere. Solet enim Papa, Imperator, & Rex dicere: Nos sancimus: Nos iubemus: Nos volumus &c. tametsi sint personæ singulares. At hoc facillimè tum ratione, tum instantiis retunditur, vt iam superius cōprobauimus. Si enim is esset Scripturarum mos, profectò vbiq; fuisset seruatus. Nos verò id nusq̃ comperimus, sed contrà legimus, quoties Deum Moses alloquitur, semper verbo & nomine singularis numeri vtitur, vt cū dixit: Aut dimitte illis &c. & passim multis in locis Dominus de seipso ait Ego, vt: Ego sum qui sum. Ego ostendam tibi omne bonum. Ego percutiā, & ego sanabo: & ita perspicitur discurrēdo per totam Scripturam. Neq; Christus de seipso vnq̃ aliter est loquutus. Neq; ad illum dirigentes sermonem Apostoli, aliter q̃ in numero singulari loquuti sunt. Inanes igitur sunt & Hebræorum, & Caietani eos sequentis, ad hæc loca responsiones. Restat igitur vt hoc verbo, *Faciamus*, Trinitas personarum intelligatur. Et hinc illud attētissimè consideremus, & infigatur cordi nostro, quanta sit hominis dignitas, in quem consultatio & manus beatissimę Trinitatis dignata est inclinari. Quare hoc opus solum

Hebræorum commentum *Exod. 32.* *Ibidem. 3.* *Deut. 32.*

inter opera quæ à Deo producta conspiciũtur, ab ipso Dei Spiritu generatum legimus, de cęteris dicitur. Fiat lux. Fiat firmamentum, & sic de singulis. De solo homine audiuimus: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & aptato diuinitus corpori inspiratus est spiritus vitæ. Dixit egregiè Cicero, hominem ipsum esse animal prouidum, sagax, acutũ, memor, plenum consilii & rationis, & præclara quadam conditione generatum à supremo Deo. Sic enim vel ab iis effectibus animi ac mentis, vel à maiorum traditionibus hanc diuinam conditionem prisci autores acceperunt. At quãtò nos felicius, qui à diuinis oraculis hoc habemus tam distinctè, tamq; perspicuè & euidenter expressum? Gratias tibi Christe IESV Redemptor noster & Saluator.

Cice. sententia

Homo vnde dicatur.

Faciamus hominem, ait Pater Filio. Hîc primùm nota vocem, qua significatus est homo, quæ dicitur ab Adama, idest, terra, vel ab Edom, idest, terra rubra, vt vult Iosephus. Vnde primùm colligere licet, fuisse à parte sui indigniore denominatum hominem à terra, cum etiam reuera, *Isch*, dicatur hebraicè Vir, nec id quidem sine mysterio. Talis enim secundum suam naturam fuit homo ab initio, sicut ait Apostolus: Primus homo de terra terrenus. Propter hanc duarum naturarum, quibus homo constat, contrariarum coniunctionem, terræ videlicet & cęli (Nam secundum corpus è terra est, secundum animam verò est illi cęlestis origo, idest, immortalis & incorruptibilis ab ipso Deo) duo sunt in præcipuis linguis ad significandum illum nomina. Homo namq; ab humo dicitur latinè tanq̃ ab inferiori parte: & vir à fortitudine, vt à superiori parte, idest, à mente. Sic & græcè βρότος, idest, mortalis terrigena vocatur: & ἀνήρ, idest, vir. Habet tamen lingua græca etiam nomen ἄνθρωπος quod vtranq; videtur significare naturam, siue dicatur ἀπὸ τοῦ ἄνω, quod est sursum vergere, seu aspicere, tanquàm aliquid aliud habeat de terra propter quod ibi sit: & aliud de cęlo ad quod aspiciat & suspiret. Siue dicatur, vt ait Socrates in Cratylo, ab ἀναθρεῖν, quod est respicere aut considerare, tanq̃ ipse inter cætera animantia talis sit, qui quæ viderit reconsideret. Hominis enim proprium est inuisibilia ex visibilibus considerare, idest, à sensibus, secundũ quos terrenus est & terrena videt, ea accipere vt inde se iterum ad inuisibilium cogitationem per ipsum intellectum erigat, propter aliam eius multò maiorem vim ad eas naturas & proprietates intelligendas quæ sensibus perceptę sunt. Propterea ergo duæ sunt illæ voces hebraicæ hominem significantes. Vna est *Adam*, vox communis ad masculum & fęminam, vt ipsa fęmina intelligatur in masculo, non quòd solitariè fęmina absq; mare significetur ea voce Adam. Altera est *Isch*, idest, vir: quæ vox solum virum significat. Vnde *Ischa*, quasi vira, aut si volumus latinè loqui (non tamen planè hinc reddita significatione) Virago. Præterea, est & alia vox, *Enos*, quæ similiter hominem significat, hominem inquam secundũ suam miseriam. Vox enim ipsa, *Enos*, iuxta suam radicem denotat plagam, afflictionem, dolorem, contritionem, infirmitatem, obliuionem, malũ denique graue, ærumnosum, validum, desperatum. Vnde significatur homo ob primum peccatum labefactatus, incuruatus, & contritus, cui sese agnoscenti fuerit opus inuocare nomen Domini. Iccircò cõgruè ab Enos hoc factum fuisse inferius manifestatur.

1.Cor.15.

Adam nomen proprium primi parentis.

Hîc quidam notant, *Adam*, non fuisse nomen ꝓpriũ illius viri, sed commune omnium hominũ, sicut hæc vox, *Homo*, apud latinos: quod absurdum est & falsum. Absurdum enim est illum solum & primum hominem proprio nomine caruisse. Falsũ verò, quoniam eo nomine semper vocatus fuit tanq̃ singulari & proprio ferè per totam Scripturam. Nec alienum à ratione videri debet, idẽ nomen quod fuit illi proprium, etiam fuisse cõmune. Imò cõuenienter magna cum ratione factum est: quia genus nostrum in illo primo homine tanq̃ in origine cõtinebatur, qui & talis à Domino Deo in pactis cõsideratus est. Nam si nos ex illo, & ille de humo compactus est: nos etiam pariter ex humo venientes, eiusdem vocis post illum efficimur participes. Neq; hoc nouum iudicari debet: siquidem & in Trinitate proprium primæ personæ nomen est Pater, & secundæ Filius, tametsi hæc nomina sint omnibus communia, qui sunt patres, vel filii. Et filius Seth vocatus est proprio nomine Enos: & tamen hæc vox etiam hominem significat. Conuenientissimè autem primus omnium homo hoc nomine appellatus est, vt cogitaret semper quid esset ex sui natura, & ita gratiæ Dei ea omnia referret accepta, quæ pro se et posteris suis supra naturam ex dono habuit, & gratus esset. Quare non ab re dicitur, Deũ vocauisse masculum & fęminam hoc nomine Adam in die qua creauit eos, videlicet vt nunq̃ suæ conditionis obliuiscerentur, semperq; timerent.

NOTA

Sunt

Sunt & qui dicant, quotiescunq; legitur in Scriptura, Filii hominum: & de Christo, Filius hominis, nihil aliud significari quàm homines, vel hominē, quasi hoc habeat phrasis hebraica sicut & græca, in qua pro ipsis medicis habetur, Filii medicorū, & Filii Indorum, pro ipsis Indis: quam expositionem minime probare possum. Non enim sic puto intelligi etiam quod dicitur, Filii medicorū, Filii Indorum, sed cum respectu, eos videlicet ex medicis, Indisue factos vel propagatos esse. Nam filius medici, quatenus medici, medicus est. De Adam verò primo homine incongruentissimè diceretur, Filius hominis: nec vnq̃ de illo dictum fuit, Filius hominis. Nos quidem in Scripturis vocamur filii Adā, quod & verissimum est, nec ad phrasim hebraicam referendum, quasi non ita sit secundum veritatem, vt habet vsitata vocum significatio: quoniam ipse est pater omnium hominum. Christus tamen singulariter dicitur Filius Adam, quia singulari modo est filius eius, videlicet iuxta carnem & naturam, & nō sicut alii ex vi seminis, quo fit vt ipse solus inueniatur natura sine macula. Non est igitur recipienda quorūdam sententia dicentium, Christum ideò Filium hominis dici, cęteros autem Filios hominum non hominis, quia Christus non ex viro, sed ex Virgine tantum venit. Hoc enim reprobatur manifestè, cum & in Scripturis alii quoq; dicātur Filii hominis iuxta hebraicam veritatem. Et ipse Dominus grçcè ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου scribitur, id est, Filius hominis maris, non fœminæ, vt articulus τοῦ clarè indicat. Notandum etiā in Scripturis duos homines (vt docet Apostolus) vocatos hoc nomine Adam, tanq̃ parentes reliquorum qui ex ipsis prodierunt, diuersimodè tamen. Prior quidem homo solùm dictus est Adam, nec aliud proprium cognomen accepit. Ex isto omnes nos secundum carnem originem ducimus, etiam secundus Adam, Christus. Sed hic secundus proprio suo nomine ab opere maximo quod patrauit, vocatus est IESVS, idest, Saluator, ex quo secundum spiritum nos pdiuimus quicunq; sumus spem salutis adepti.

Filius hominis uel filij quid significent.

Christus singulariter filius hominis.

Aug. contra Faustum.

1. Cor. 15.

Quod verò D. Augustinus considerauit, in ipso nomine Adam secundum quatuor literas græcas significari omnes partes mundi, nempe per, α, ἀνατολὴν, orientē: per, δ, δύσιν occidētē: per, α, ἄρκτον, aqlonē: deniq; per, μ, μεσημβρίαν, meridiem, idq; ob eam gratiam, quod ex quatuor mundi partibus terra illa vnde compactus est, sumpta fuit, nullū habet à Scriptura neq; ab vllo propheta (quantum legerim) testimoniū. Si cui tamen hoc commentum placeat, non est magnopere aduersus eum contendendum. Existimarē tamen longè tutius esse ac prudentius quæ huiusmodi sunt præterire silentio: quoniam nec noxia sunt si credātur, etiam si vera non sint. Nec item si non credantur & vera sint, quicq̃ periculi est, cum nullo idoneo testimonio probentur. Hoc, inquam, consultius esset quàm aliquid temporis in his defendendis vel impugnādis conterere. Ne quis autem me eiusdem vitii, quod vitādum suadeo, hoc in loco coarguat, in Erasmum ista volo esse dicta, qui ob huiusmodi commentum paulò contumeliosior pro more suo in B. Augustinum extitit. Ad rem igitur redeūdo.

Quando dixit Dominus: *Faciamus hominem* &c. Per hominem intellexit primum illum hominem quem fecit, cui & hoc nomen imposuit. Sic enim vocauit eum, quia de terra sumptus erat: in quo etiam intellexit coniugē eius Heuam, quæ similiter ex illo venit. Nec id sine consideratione totius generis humani, tanq̃ iam in eis cōtineremur omnes, à quibus eramus postea propagandi.

Ad imaginem & similitudinem nostram. Homo ad imaginem Dei & sanctissimæ Trinitatis dicitur creatus. Hoc sicut singulariter de illo dicitur, & non de vlla alia creatura, ita singulariter de eo id esse verum intelligendū est. At contra hoc alibi Scriptura testari videtur, quoniam nihil potest Deo assimilari, tantùm excellit omnem creaturam. Vnde scriptum est increpando: Cui similem fecistis eum? Et alibi: Domine quis similis tibi? idest, quæ creatura similis? ac si diceret, non est prorsus inuenire. Adhæc, Similitudo cōsideratur aut secundū substantiā, vt animal animali, homo homini: aut magis ꝓpriè secundū accidens, vt nix dicitur ouo similis propter albedinem. Et certè nullū accidens verè in Deo est. Secundum substantiam verò aut est similitudo secundum genus, aut secundū speciem, aut secundum indiuiduum. Cum aūt Deus non sit sub vllo genere, nō potest esse nobis vlla cum eo similitudo neq; secundum genus, neq; secundum speciem, neq; secundum indiuiduum: quomodo ergo similis? Præterea, quomodo ad eius imaginem, cum hoc videatur propriū esse solius Christi, qui dicitur singulariter imago Dei? Respōdemus, Si velimus significationum rigorem sequi, nulla quantumuis eximia creatura potest esse Deo similis. Nam ille qui videbatur sibi esse aliquid, & in cęlis inter pulcherrimos apparebat, non est ausus se dicere Deo simi-

Quid sit ad imaginem Dei factum esse hoīem.

Isa. 40

Ps. 70.

lem, sed tantum appetens quod se videbat non esse, dixit: Similis ero Altissimo. Et ipse idem malignus dixit homini: Eritis sicut Dii. Itaq; fatendum est neq; secundum accidens, neq; secundum substantiam fas esse vllã genericam, siue specificam, indiuiduamq; similitudinem considerare inter nos & Deum, sed solùm secundum quandam analogiam, quæ sit tamen adhuc inter maxime remota & distincta.

Quomodo dicatur quid deo simile.

Sed hîc dicet aliquis. Si eousq; impropriè intelligis, sequeretur non solùm hominem Deo posse dici similem, sed insuper omnem creaturam, quatenus omnis effectus suæ causæ est quodam modo similis. Verùm hoc in loco tria sunt diligenter consideranda, quæ à Theologis hanc circa rem pspecta ad Deũ referuntur, dicta de creaturis. Primum est vestigium, Secundum similitudo, Tertium imago. Si quis (verbi gratia) pede humum calcauerit, relinquet sui vestigium, vt quodam modo nosci valeat fuisse hominem qui illàc transierit, & vestigium illud impresserit. Et tamen non propriè dicetur hominis similitudo aut imago illud vestigium. Sic cęteræ creaturæ (ipso homine excepto) respectu Dei sunt quasi vestigium quoddam in se habentes pedum Dei & viarum eius, idest, productionum quas dignatus est facere. Nam ex eo quòd omnis creatura est, & participat esse, habet vestigium Patris, in quo est principaliter fons ipsius esse, vt quodcunq; sit res aliqua seu persona, ab ipso sit. Et quoniam in omni re inuenitur sua species & pulchritudo quasi arte facta, quodam modo Filius repręsentatur, qui est veluti quædam ars paterna, per quem omnia facta sunt. Et quoniã in omni creatura datur propensionem atq; pondus inuenire, quo in aliquod aliud feratur vel vt perfectionem accipiat, vel vt etiam det (nam & dando ipsa perficitur) habet Spiritussancti vestigium, qui accepit de Patre & Filio, & per modum amoris productus, etiã ipse quodam modo se in creaturam effundit. Talia tamen vestigia non gerunt in se similitudinem naturæ diuinæ & sanctissimæ Trinitatis. Cum enim creaturæ irrationales non intelligant (licet intellectum ipsum summum significent, eò quòd ab intelligentia non errante agantur) non possunt eius similitudinẽ repræsentare: sicut fumus ignem quidem indicat, non tamen repræsentat nobis speciem ignis. Sola ergo intellectualis natura quodam modo similitudinem Dei habet quatenus intellectualis est. Nam cum rerum creatarum, vt elegãter D. Augustinus ait, quędam sint quæ esse tantum participent non ẽt viuant, hæ non dicuntur propriè Deo similes: quædam verò sint quæ etsi viuant, non tamen complent similitudinem Dei. Illæ igitur solæ quæ & sunt, & viuunt, & intelligũt, similitudinem Dei quantum fas est, habent: quoniã & in hac similitudine multum & ineffabiliter sunt ei dissimiles. Ob eam causam dixit Boetius, Esse ad imaginem & similitudinem Dei, est esse natura intellectiuum, arbitrio liberum, ac per se potestatiuum, quæ conditiones summo & eminenti modo sunt in Deo suapte natura. Hæc de similitudine & vestigio sic dicta satis sint.

De vestigio, similitudine, & imagine.

Boetius.

At imago aliquid super similitudinem addit, quoniam licet omnis imago similitudo sit, non tamen econuersò omnis similitudo est imago. Imago enim similitudinem secũdum naturam specificam, non genericam importat: & item quòd ipsa similitudo ab alia re educatur quasi ab archetypo, cuius imago dicitur, ad cuius similitudinem sit expressa, aut ad eius imaginem facta seu condita. Et talis est homo secundum mentem, quem effingendo Deus ad seipsum quodã modo respexit, vt ipse in illo velut in imagine, quantum capax erat creatura, repręsentaretur. Non obstat autem si solus Christus singulariter dicatur imago Dei: quoniam hoc illi conuenit quatenus est eius imago perfecta. Sic enim expressã habet in se naturã Patris, vt in eo non dico secundum speciem, sed in indiuiduo etiam ac numero eadem prorsus natura conspiciatur. Est enim Filius idem numero Deus qui & Pater. Quamobrem nullus vnq̃ filius potuit patrem suum ita referre, quemadmodum Verbum summi Patris, ipsum summum Patrem refert. Eadem enim penitus in indiuiduo est substantia qua ipse Filius est & qua Pater, vt hoc solum intersit, quòd ipse illam habet à Patre, Pater autem à nullo alio. Nos autem qui etiam dicimur imago Dei, sumus imago eius non sicut Filius naturalis eadẽ natura refert Patrẽ, sed sicut quędam tabula, in qua certi hominis cerneretur imago ex eius ore à quodam egregio pictore expressa. Aut sicut numus vbi Regis aut Principis excussa imago ostenditur, iuxta illud: Cuius est imago hæc & superscriptio? Sic sumus nos imago Dei. Verùm ista nequeũt exẽplis propriè ac perfectè demonstrari, cũ desint nobis exempla per omnia congruẽtia. Satis est hoc genere dicendi aliquid afferre adiumenti studiosis ad tollendos errores, & quasi manu ducere ad intima veritatis.

De imagine creaturæ ad creatorem

Christus solus propriè imago Patris.

Marc. 12

Etenim

Error duplex quorūdā circa imaginem & similitudinem.

Etenim duo magni errores, & quasi contrarii ex iam dictis excluduntur. Prior est eorum qui putarunt animam nostram esse de substantia Dei: quod existimare amentis est. Alter error eorū ē, qui arbitrati sunt Deū habere corpus & animā sicut nos habemus, & consequenter nos ad eius imaginem esse cōditos non solùm secundum animam, sed etiā secundum corpus: quod est pariter absurdissimum, & secundum veram Theologiam ēt ridiculum: licet in hunc errorem Tertullianus inciderit. Sed non debet videri nouum, viros etiam magnos interdū manifestis erroribus implicari. Est tamen hic error humanus, quia vel Marco Tullio teste, nullā possumus speciem cogitare pulchriorem q̄ humanam: Ideò illam Diis tribuerunt omnes gentes. Sed ad rem nostram.

Tertuliani error.

Dubium.

Non quiescit animus adhuc. Cur enim hìc dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem nostrā*, & non potius vt sit imago nostra? Dicere.n. *Faciamus ad imaginem nostram*, videtur significare prius aliquam esse Dei imaginem, ad quā homo formandus esset. Hoc autem quis probet, cum nihil proponatur creatum, ad cuius exemplar vellet hominem cōdere Deus?

B. Thomas.

B. Thomas hoc in loco considerauit dictum esse ad imaginem Dei, vt intelligeremus non esse hominem perfectè imaginem, sed ad cōsiderabilem quandam imaginem factum, ad quam tamen non attingit, sed aliquo modo accedit. Hebraica verò litera videtur sic habere: *Faciemus hominem in imagine nostra, sicut similitudinem nostram*, vt idem sensus accipiatur, videlicet hunc hominem esse factum ad illam imaginem quæ sit non verè similis, aut sicut id quod est simile. Cū enim dixisset ad imaginem, vel in imagine (quæ vox, vt declaratum est, plus continet quàm similitudo) quasi volēs de dictionis significatione deducere ac minuere, adiecit, *Sicut similitudinem*. Non me latet quosdam veterum per imaginē aliquid minus intelligere, q̄ per similitudinem, quorum hìc sententiam non sequor: quia nec ratione fulcitur, nec posteriorum cōsensu cōfirmatur, nec vis ipsa vocum id patitur. Beatus enim Thomas noster aliter docet, cuius ego doctrinam magis probo.

Adhæc, Si secundum mentem homo sit Deo similis, mens autem secundum tria consideretur, videlicet secundū potentias, secundum habitus, & secundū actus, præstantius est vt maximè similes Deo simus secundū intelligendi actum & volendi, non autem secūdum potentias tantū. Nam inanis esset potentia quæ non veniret ad actum, & similiter de habitu. Deus enim est actus purus, ideò semper actu. Ergo verius sumus illi similes cum actū mentis exercemus, sicut ipse Deus est actus purus.

Adhęc, quia diuersæ sunt intelligentiæ nostræ & (vt ita loquamur) volitiones, videndum est hìc secundum quam intelligētiā magis assimilemur Deo. Intelligimus enim alia à nobis: intelligimus aliquo modo & nos, & interiorem hominem in nobis, & per hæc iam intellecta intelligimus (quantum fas est) etiam Angelos & ipsum Deum, ad cuius similitudinem facti sumus. Sed quoniā intellectum in actu est quodā modo ipse intellectus, per hoc quòd actu intelligimus ipsū Deū, & per hoc ēt quòd volumus & amamus illū, illi magis assimilamur. Intelligentia enim fit similitudine, & amans quodā modo in amatū transformatur. Et hoc assiduum & propriū Dei est opus, nimirū se intelligere & amare. Verùm quoniam Deus est nobis inuisibilis, & per se suáq; essentiam videri non potest neq; apprehendi, sed per media lumina, idq; vel naturali lumine monstrante, vel lumine gratiæ, vel lumine gloriæ, sciendum quòd qui Deum lumine naturali contemplantur, non vident eum nisi in rebus ipsis quas condidit, velut in effectibus, ideò quam remotissimè: quia effectus isti nō æquantur primæ ac summæ causæ infinito interuallo. Per hāc ergo Dei intelligentiam quæ potest nobis natura comparari, non valde gerimus Dei imaginē, nec sumus admodum aut efficimur ei similes. Quinimò nisi nos Deus ipse miro modo adiuuaret, vix quicq̄ possemus per hunc creaturarum librum ad hanc assimilationem proficere. Obstaret siquidem carnis sarcina, & multę ac varię necessitates ac miseriæ, quibus premeretur anima & penè obcęcaretur. Nec tamē iniquè à nobis exigitur notitia Dei & amor in ipsum tanq̄ Deum ac Dominum omnium, vt potè omnium conditorē & cōseruatorem, omnipotentem, sapientē, pulchrum, excellentissimè atq; singularissimè bonum. Ipse namq; omnē hominem dirigit & adiuuat, vt possit secundum hanc notitię rationem Conditorē suū agnoscere. Quare meritò damnati sunt philosophi, qui se non exercuerunt in hāc Dei similitudinem, quam in seipsis vtcunq; habebant. Deus quippe illis, vt Apostolus testatur, manifestauerat, qui tamen nec eū glorificauerunt, neq; gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis. Vnde & ab antiqua Scriptura acriter & meritò reprehenduntur. At nobis qui Christiani sumus, additum est lumen gratiæ

Iusta philosophorum condemnatio.

Ad Rom. 1.

Sap. 13.

& fidei, multa quoq; reuelata de Deo quæ supra sensum nostrum sunt, & adiecta est charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Per hanc notitiam & lumen multò magis assimilamur Deo, vtpote per quod magis noscimus & diligimus illum: quoniam cognoscimus illum sicut sumus cogniti, hoc est, sicut dilecti sumus ab illo. Nō enim solùm ille nos cognoscit vt creaturas suas, id est, vt homines, sed vt filios suos charissimos propter verū & naturalem Filium suum, in quo adoptati sumus in spem fruendæ hereditatis. Quæ singularis dilectio efficit vt nos eum longè vehemētius diligamus, agnoscentes illius eximiam in nos dilectionem in Christo IESV. Videmus enim in hoc lumine finem ad quem nos ordinauit, & prædestinauit multos. Videmus & medium admirabile & gloriosissimū, quo ad hūc dignitatis gradum euecti sumus, ita vt in eius gratiam clamemus Abba, Pater. Videmus & viam quam ambulantes ad vltimam perfectionem ascendimus, id est, ad perfectam similitudinem. Hæc autem in solo lumine naturali nec videri, nec sciri poterant. Iccircò nisi nunc in hoc nos oblectemus speculantes tantam gratiam, gratiq; redamando amantem efficiamur, profectò deturpamus imaginem Dei & similitudinē quā impressit in nobis, si quid amauerimus præter ipsum aut supra ipsum, aut non propter ipsum: quoniam in ipso omnia diligenda sunt, & propter ipsum. Itaq; qui intra hos amoris fines sese non continent, ii & quod habent luminis, & quod essent habituri si seruassent & coluissent imaginē istam, iure optimo amittunt, sicut amiserunt Angeli nequam. Habebunt quidem aliquo modo imaginem Dei, sed sic atris lineis deturpatam, & circunductionibus obscuris oblitam, vt sit eis futura in opprobrium sempiternum. Cum autē post hanc vitam adiuti gratia Dei cęlum penetrauerimus facti tertii luminis participes (quod est lumen gloriæ) videbimus eum sicuti est. Nam fortes tunc erimus ad recipiendam Solis æterni lucem, in suo eximio splendore cū inenarrabili nostra lætitia coruscantē. Tunc verè similes ei erimus, & facie ad faciē & inseparabiliter videbimus eum. Interim respectu & comparatione illius cęlestis visionis, obscurè & in ænigmate videmus peregrinantes ab illo, & in spe ambulātes, modò diligamus illum. In anima verò nostra non solùm est Dei, sed etiam quodam modo ipsius Trinitatis imago, iuxta proprietates personarum. Sicut enim in Deo summo est principium intelligendi & producendi Verbum, vnde sequitur amoris & doni productio: sic & quodam modo in mente nostra est potētia ad intelligendum. Et cum Deum intelligimus, & exprimimus illum verbo internè cōcepto de illo. Vnde & amor erga illum procedit, & sic apparet quædam in mente Trinitas, sed longè & incomparabiliter ab ea distans quæ personas habet distinctas, quæ vnius sunt indiuiduæ naturę. Et hæc satis quantum valuimus pro mediocritate nostra circa hanc similitudinem & imaginem coniectare.

Rom. 8.

Et præsit piscibus maris, & uolatilibus cœli, & bestijs, uniuersæq; terræ, omniq; reptili quod mouetur in terra. Hebraicè legitur, *Et præsint.* Hīc magnam hominis dignitatem considerare & recognoscere debemus. Primò ab ipso autore qui explicatur, scilicet ipsa Trinitas sanctissima: tum ex consilio. Si enim omnem aliam creaturam consideres (primā semper, hoc est, ipsum primum cęlum empyrium cum suis habitatoribus excipio, de quo non erat interiò explicatè loqui) intelliges ibi iussum Dei vt fieret, nimirum: Fiat lux. Fiat firmamentū. Congregentur aquæ. Germinet terra. Producant aquæ, & alia huiusmodi. In solo vno homine circunspectionem Dei quandā consiliumq; intelligis, & ipsum Deum quasi autorem immediatum dicentem, *Faciamus*. Secundò considera dignitatē hominis à specie & forma: quoniam nullam aliam corporalem creaturam audis ad Dei imaginem esse creatam. Quapropter hominis vultus natura est erectus in cęlum, vt semper sursum, vnde venit, suspiceret, iuxta vulgare illud, sed elegans carmen.

Pro dignitate hominis

Pronaq; cum spectent animalia cætera terram:
Os homini sublime dedit, cœlumq; videre
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Tertiò perspicitur dignitas à dominatu & regimine homini dato super alias creaturas, cui iure excellentiæ debebatur. Quo in loco datur animaduertere, hominem esse finem omnium, cui traditur omnium dominatio. Dicit autem de homine illo, *Et præsint*, plurali numero, vt primò intelligeres in eo fęminam concludi, deinde illos qui ex ambobus prodirent.

Sed potest quis dubitare, quā hæc potestas veritatem habeat: quoniam non videtur homo re ipsa dominari omnibus animalibus. Cui dubitationi respondetur, ius hoc in loco & non actum dominii declarari. Vnde non obstat si multa sint animalia quæ euadāt eius dominationem de facto: quoniam talis erat homo natura vt & ius haberet in illis. Instabit,

Cur homo non dominetur omnibus bestijs.

Instabit, Videnē multa detrectare eius dominationem, vt sunt serpentes, leones, tigrides, & alia indomabilia, quæ nec absq; vi ac dolis possunt subiugari: imò, cum à quibusdam eorum etiam plerunq; lædantur & perdantur homines. Respōdetur, hoc propter antiquum peccatum euenisse. Si enim non peccasset Adam, nullam feram habuisset homo noxiam neq; contumacem, nec ab ipsius hominis subtractam dominio. Quòd verò hoc dominium, siue hæc hominis præsidentia in omnia animalia sit naturalis, aliquibus potest suaderi rationibus. Et primò quidem ac maximè dignitatis ratione, quæ ratio est vniuersalis. Homo namq; finis est, propter quem sunt omnia quæ videntur. Quemadmodum enim apparet varios in rebus esse gradus, vt scilicet terra plantis seruiat, plantæ animalibus: sic animalia seruitio hominis mancipari conueniens erat. Quare mera erat Manichæorum superstitio, & nunc etiam Mahumetistarum, qui illo tenentur errore, vt quadā superstitione nimis animalibus parçant: quanq̄ & econuersò non desint q tam indiscretè atq; atrociter eorū abutātur seruitio, vt minus ad seruiendū apta fiār.

Animalia naturali iure homini subiecta.

Manichæorum & Mahumetistarum superstitio.

Secunda ratio particularis, est indigentiæ ad vsum: quoniam homo plurium seruitio & abusu indiget: & nonnulla etiam, inter quæ numerantur oues & boues, absq; hominis custodia ac regimine salua esse nō possent. Tertia ratio est disciplinæ, cuius non sunt prorsus expertia pleraq; animalia. Et ideò data sunt homini, cuius magisterio & cura erudiantur ac regantur, siue ad operationem, siue ad solatium, vt in omnibus Dei bonitas & sapientia ꝓpter nos effusa appareat.

Quarta particularis ratio, est cohibitio & terror hominis in feras. Nisi enim homo eiusq; terror super feras immineret, proculdubiò nihil ab eis tutum relinqueretur. Ergo multis rationibus debuit illis homo ꝑesse.

Porrò vbi ait: *Vniuersæq; terræ*, Quidam hinc argumentum, sed debile admodum, colligunt, totam terram esse habitabilem. Non pugno in dictum, sed impugno argumentum: quoniam multis instātiis euertitur. Nam hoc dictum, *Vniuersa terra*, in Scripturis sæpenumero non accipitur quasi vniuersum orbem complectatur, vt cum legimus de edicto Cæsaris, quādo iussit vniuersum orbem describi. Nunc verò iam patet vniuersam terrā ab homine homini subiici, & quas inhabitabiles esse oras & terræ plagas olim veteres putarunt, eas populis refertas & salubres esse, atq; omnia vitæ commoda abundè præbere, qui illùc profecti sunt, & illìc hodie habitant, experiuntur.

Luc. 2.

Et creauit Deus hominem ad imaginem et similitudinē suā, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos. Quod ait, *Et creauit Deus*, excludit commentum illud Iudæorum, qui Angelos concreatores vocāt: hic autē dicit, *Et creauit Deus*. Est tamen quæstio, quid opus fuit ea sermonis repetitione, *Ad imaginem &c.* Quidā dicunt, vt rem quæ vehementer animaduertenda erat, efficacius exprimeret infigeretq; cordibus nostris, quæ alioq vix ad tā ingens beneficium moueri solent. Sed nota, obsecro, quo dicendi genere vtatur Moses, *Ad imaginem Dei creauit illum*: Quis creauit illū nisi Deus? At quis est iste loquendi modus, Deus creauit hominē ad imaginē Dei? quasi verò sit alius Deus ab ipso Deo qui condidit, ad cuius imaginem conditus est homo. Nō desunt quibus hic dicendi modus nō videtur absurdus, non alium inde sensum elicientes, nisi quòd Deus ad imaginē suam creauit hominem. Equidem miror illos à sermonis ineptia non fuisse offensos. Non enim rectè dicitur: Deus ad similitudinem Dei fecit illud, nisi illud, *Dei*, quod postremò adiectum est, ad aliam personam referatur. Quapropter B. Hilarius hunc locū eleganter ad Christū applicat, vt sit sensus, quòd Pater & tota Trinitas creauit hominē ad imaginem Dei, idest, Christi q Deus est, ad cuius imaginē specialiter homo creatus est. Scio nō placuisse eiusmodi sensum B. Augustino, & aliis qbusdā. At certè placuit Cyrillo, vt legiē in lib. 1. cōtra Iulianū, & vehemēter placuit. Probauit eum & Theodoritus. Legi ēt hanc Philonis fuisse interpretationē. Nam Deum, ad cuius imaginē hoc in loco factus homo diciē, Filiū Dei esse interꝑtatus est cōmodissimè atq; admirabiliter hō Iudæus. Quo magis miror hunc sensū ab omnibus christianis Doctoribus magno consensu nō fuisse acceptū. Nā cur non placuerit, nullam ꝑferunt idoneā rationem. Quin imò si hoc pacto intelligas, nō solùm tollitur absurditas in dicto, verumetiā illustris atq; ꝑfectus sensus de toto homine tā secūdū mentē, quàm secundū corpus exprimiē. Formauit .n. ipsum hominē Deus ad imaginē illius, quē Dñs iam ꝑdestinatione sua crearat, sicut scriptū est: Ab initio & ante secula creata sum. Nam ipse Christus archetypus fuit, ad quē primò nos debemus cū secundū corpus, tum secundū animā & mentem exprimi, sicut sumus ei configurandi in æterna beatitudine. Hoc clarè docuit Apostolus aiēs: Nam quos ꝑsciuit & ꝑdestinauit conformes fieri imagini

Notandum

B. Hilarius.

Homo ad imaginem Christi creatus.

Eccl. 24.

Rom. 8.

Filii eius. Et alibi: Sicut gestauimus imaginē terrestris, ita & gestabimus imaginē cęlestis. Qui ergo ad imaginem Christi creatus erat, verè ad imaginem Dei creatus inueniebatur: quoniam in Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Vnde & in Glossa ordinaria legitur hæc expositio: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ad eam scilicet formam, exēplar, spectrum, vel effigiem quæ prædestinata est Filio Dei ante omnium creaturarum formationem, qui primogenitus dicitur omnis creaturæ, in quo condita sunt omnia. Secundum eam speciem ab æterno in mente nostra præformatam assumendam à Verbo, hominem ipsum, nobilissimam mundi creaturam formemus & producamus. Ad hoc enim creati sumus ab initio, vt portaremus imaginem illius Adam, nempe cęlestis non terrestris, quemadmodum docet Apostolus.

Col. 1.

Non turbetur autē quisq̃ quòd in hebręo per eam vocem, *Elohim*, significetur hîc tam Pater q̃ Filius, ad quorum imaginem dicimur conditi. Potest enim hoc plurale nomen, *Elohim*, iure sibi Filius vendicare, cum & Pater & Spiritussanctus in ipso sit, quemadmodum ipse aiebat. Et non sum solus, Ego in Patre, & Pater in me est.

Ioan. 14.

Masculum et fœminam creauit eos. Modū hunc loquendi (quęso) considera. Nunc dixit: *Creauit illum*, & subindè tanq̃ exponens ait: *Creauit eos*, vt agnosceremus in Adam quoq; mulierem creatam, nō quòd iam re ipsa formata esset, sed quia iam decreta in mente Dei, mox condenda erat. Itaq; & fęmina ad imaginem Dei facta est secundum mentem, & in Christo similiter: quoniā in illo (vt Apostolus ait) non est mas neq; fęmina, hoc est, non est hæc distinctio ita vt mas accepteтur, fęmina autem repudietur. Nam & ipsa ad imaginem eius est, licet suus cuiq; ordo seruandus sit, cum in Christo considerantur. Vir enim ipse (vt idem Apostolus docet) prior est Christi imago & gloria Dei. Mulier autem gloria viri: quoniam vir non est ex muliere, sed mulier ex viro. Neq; creatus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum. At quoniam mulier in viro continetur, & vir ad imaginem Dei & Christi formatus est, ipsa etiam mulier ad eius imaginem esse intelligitur creata. In Christo enim Mulier clauditur, illa inter mulieres singularissime benedicta, vt sint vir & mulier quodam modo vnum. Vnde idem Apostolus ait: Veruntamen neq; vir sine muliere, neq; mulier sine viro in Domino. Nam sicut mulier de viro, ita & vir per mulierem, omnia autē ex Deo. Hæc ille, vt societas intelligeretur inseparabilis inter marem & fęminam.

Gal. 3.

1. Cor. 11.

Ibidem

Quemadmodum enim fuit in primis hominibus Adam & Heua, ita & in secundis Christo & beatissima Virgine MARIA. Vnde bene dixit: Sicut nō fuit ab initio primus ille vir Adam in Dei destinatione absq; socia muliere facta in adiutorium simile sibi: sic nec fuit mulier, id est, B. Virgo sine viro. Quantū ad carnē qdem prior fuit sine viro, sed secundum spiritū ab illo de carne eius et de ossibus eius: & ideò plena spiritu expectabat eum, & cruciabatur donec parturiens pateret. Quemadmodum ergo prima mulier de primo viro secundum carnem venit: ita vir secundus Christus venit per secundam mulierem Mariam quantum ad carnem, ex Deo tamen omnes, vt per tanta vincula arctasq; colligationes intelligatur ista maris & fęminæ copula inseparabiliter à Deo coniuncta, & secundum carnem & secundum spiritum.

Apoc. 12.

Illud omnino respuendum quorundam Hebræorum figmentum, qui putarunt marem & fęminam simul fuisse creatos ab initio, & copulatos quasi vnum, sed posteà ab inuicem diuisos. Fabulam enim sapit & ineptias, quam & Plato in Symposio turpiter describit. Quo fit vt plurimum mirer reperiri adhuc aliquos ex nostris, quorum mens in tenebris eousq; densis versatur, vt eis stultissimum hoc commentum arriserit, cum adeò dilucidè cap. sequenti explicatū sit fuisse iam conditum virum, qui non conspiciebat adiutorium sibi simile: cuius rei gratia fuit ei postmodo adiuncta mulier ex eius costa educta.

Hebræorum figmentum.

Plato.

Quamobrem vehementer cōuincitur aberrasse Caietanus, qui hoc sexto die eodemq; tempore creatos fuisse marem & fęminā docuit, & non sicut Moses inferius, mulierem ex costa viri. Nam totum illum sermonem metaphoricè accipit, hoc est (vt verū fateat) totam historiam miserabiliter lacerat atq; destruit, & contra Apostolum directò: imò & contra semetipsum super epistolas ad Corinth. ad Thimot. ad Heb. Est & testimoniū Ecclesiast. cap. 17. Vbi legis quòd Deus ex viro creauit adiutorium simile illi. Illud insuper imperitē, qui ex hoc loco probari putat sexta die creatam fuisse mulierem, quia hîc dicitur: *Masculum & fœminam creauit eos*. Non enim animaduertit quàm multa per anticipationē & recapitulationē in Scripturis narrati soleant, vt hîc specialiter notāt doctores oēs: imò ipsemet inferius verè ptestatur, eum q ad huiusmodi anticipationes & recapitulationes

diligenter

diligenter non attenderit, facilè in errores iri prolapsū. Quanq̄ & rectè dicere possumus, verè dici creatam ea die mulierem, teste B. Thoma, cum in viro iam creato quodā modo contineretur, de cuius carne & ossibus producenda erat. Illud hîc obiter annotādum Hermaphroditos, qui vtrunq; sexum præ se ferunt, eius sexus cēsendos esse in quo præualent, vt Iurisconsulti statuunt. Quòd si fortè id non pateat, sunt pro monstris in rerum natura prorsus habendi.

Hermaphroditi.

Benedixitq; illis Deus, & dixit: Crescite & multiplicamini & replete terram &c. In his verbis multa continetur doctrina, ad cuius explicationem necessarium puto diligenter esse animaduertendum, Dei benedicere longè distare à nostro benedicere. Dum enim nos alicui benedicimus, indicamus nos bene illi cupere: ad quod bonum etiā promoueremus eundem, si in nostra situm esset potestate. Cum igitur benedicimus & non præstamus, signum est clarissimum eam nostrā benedictionem aut fictam esse, si valeamus præstare & non præstamus: aut si vera sit, in nostra potestate non esse id re ipsa efficere quod cuperemus. Ideò plerūq; in solo corde manet nostra benedictio non expleta. Et ob eam causam quando beneficium facto ipso exhibetur, dicitur in Scripturis benedictio. Vnde Apostolus: Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Et paulò superius: Præparent repromissam benedictionem. De eleemosyna namq; loquebatur, quam in Sanctos conferre soliti erant. Nec sum nescius esse quandam laudis gratiarumq; actionis benedictionem, quæ à minoribus in maiores fertur. Sic Deo benedicimus, & benedictum illum confitemur, quemadmodū B. Paulus sæpe, aiens: Benedictus Deus. Ista autem benedictio de qua nunc habetur sermo, ea est quæ à maiore in minores proficiscitur: quia cum benedicere sit benefacere, proculdubio maioris est benedicere, idest, benefacere. Beatius est enim dare q̄ accipere. Quocirca appositè ad istam materiam Apostolus ait: Sine vlla cōtradictione quod minus est à maiore benedicitur, idest, bono afficitur. Quare proprissimè Dei est benedicere, vt in benedicto intelligamus etiā benefactum. Ipse enim solus est cuius dicere est facere. Ipse dixit & facta sunt: cuius voluntas cum semper adsit illi potestas, inanis esse non potest. Nos autem eatenus possumus benedicere, quatenus loco Dei sumus, vt nostrum dictum suo facto dignetur aspirando vestire. Sic benedicunt Episcopi & sacerdotes, iuxta illud. Benediximus vobis de domo Domini. Domus enim Domini Ecclesia est, in qua sunt illius dona, quę ab Episcopis & sacerdotibus dispensantur, & ita benedicunt de domo Domini spiritualibus referta diuitiis: quod Diabolus cernens summopere inuidet. Ob hanc rabiem formauit sibi derisores, qui hæc irrideāt cum suo ipsorum grandi dispendio, vt verè in eos conueniat illud Psalmistæ dictum: Noluerunt benedictionem, & elongabitur ab eis.

Pro benedictionibus Dei.

2. Cor. 9.

Act. 20.

Hebr. 7.

Psal. 117.

Hîc tamen notandū, benedictiones Dei, cum benedixerit & assiduè vniuersæ suę creaturæ benedicat, non esse eiusdem ponderis & valoris erga singulas creaturas, sed p capitu cuiusq; diuersas. Nam & paterfamilias qui filios habet, & seruos, & iumenta, nō parem benedictionem effundit in singula quæ ipsius curæ mācipantur, sed alia benedictione liberi, alia serui, & alia iumenta ab eo benedicuntur. Ita Deus Pater creaturas suas variis donorum gradibus beneficiisq; honorauit. Erat enim ei ante omnes Filius singularis, cui summa dona largitus est non ad mensuram: postmodo intellectualis creatura nos homines, qui post illum & propter illum, imò & per illum magnis ac pretiosis donis decorati sumus. Tertiò bruta animātia, & hæc etiam benedictionem suam acceperunt. Sed nunc particulariter de nobis est considerandum: quod quidem planè fieri nequit, nisi prius omnifariam naturā nostram, & consequenter indigentiam & capacitatem eius speculari fuerimus. Qua de re cum magna & perutilis homini scientia oriatur, audebo hîc admonere lectorem, vt diligenter attendat, nec grauetur sermonis nostri longitudine.

Benedictiones Dei variæ.

Igitur anteq̄ de benedictionibus Dei erga hominem disseramus, quædam de homine eiusq; natura constituēda sunt. Primò hominem ipsum non esse solùm corpus, nec solùm animam, sed vtrunq; simul. Ex anima enim & corpore fit hoc vnum, idest, homo, quod è symbolo Athanasii nos assiduè docet Ecclesia: quin & ab ipsa Scriptura inferius apertè elicitur. Postq̄ enim factum est corpus primi hominis, & in illud inspirauit Deus spiritum vitæ, subiicitur: Et factus est homo in animam viuentem. Secundo loco constituendum est, ex corpore & anima vnū fieri tanq̄ cōpositū ex materia & forma. Anima enim hominis forma est corporis organici in potentia vitam habentis, vt ait Philosophus. Quæ sententia iam ab Ecclesia firmata est, & in Conciliis decisa. Sed & ab

De natura hominis in prima omnium conditione.

eodem Scripturæ loco suadetur quando ait: Et factus est homo in animam viuentem, vbi satis declaratur, hominem esse quid vnum ex corpore & anima constans. Anima verò finis esse significatur illis verbis, inquam factus est homo: quoniam forma ipsa est finis materiæ, vt rectè docet Philosophus.

Duplex error circa animam hominis refellitur. Quare hoc iam constituto, animam esse formam corporis & hominis, duo per hoc magni reiiciuntur errores. Primus est eorū, qui corpus tanq̄ carcerem esse datum animæ falsò putarunt. Nō enim naturaliter diligeret corpus anima, nec ita ægrè ex eo egrederetur, si pro carcere illud haberet. Atqui ipso teste Apostolo, nollet anima expoliari, sed superuestiri. 2. Cor. 5. Nec vllus sanæ mentis homo reperitur qui amet permanere in carcere. Prætereà quid, rogo, est causæ cur datus esset animæ carcer? In carcerem enim non nisi sontes, & ex flagitio aliquo quisq̄ detruditur. Sed quis vllum potest animæ diuinare peccatum, ob quod coniiceretur in carcerem, maximè cum ante corpus non existat anima alicuius? Nam quod aliqui dogmatizarunt, animas olim peccasse, meritò ab Ecclesia iamdudum explosum est. Quare quicquid contra hoc asseritur, hominum apparet esse commentum male philosophantium.

Corpus nō esse dūtaxat animæ habitaculū. Alter verò error exploditur eorū qui dixerunt corpus esse tantùm velut animę habitaculum. Est quidem velut animæ habitaculum corpus. Nam & Apostolus quandoq̄ ita loquitur, vt cum ait: Si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluitur, scimus quòd ædificationem habemus ex Deo, domū non manufactam æternam in cęlis. Ibidem. Sed hoc nostrum habitaculum est velut materia quā forma inhabitat more coniuncti habitatoris continentis, & habitationem suam possidentis: non autem quasi separatus ab ea, sicut paterfamilias in domo. Alioqui nō cōstitueretur homo ex anima & corpore quasi vnum: quoniam ex habitatione & habitatore non fit vnum. Hoc enim est contra fidem quam profitemur in Symbolo. Sicut anima, inquit, rationalis & caro vnus est homo &c. Pugnat item contra id quod sentimus: quoniam talis habitator cuius habitatio non est pars, exit & intrat habitationem absq̄ vlla sui habitationisuè læsione. At istud non cōtingit homini & corpori, quod recedente anima corrūpitur. Vnde manifestè apparet animam esse ipsius corporis formam. Et hanc veritatem iam nefas est in disputationem reuocare, cum fuerit in sacrosancto Concilio Viennensi confirmata.

Admirari tamen hîc poterit vnusquisq̄ nō informatus cęlitus, & quærere ab omnium rerum opifice, Quodnam commercii genus & cōtubernii est istud? Notandum. Nō enim videtur materia ipsi formæ cōuenire. Nam quæ, rogo, conuentio incorruptibilis cum corruptibili, & eius quod cęlestem habet originem, cum eo quod è limosa terra & luto prodit? Hoc quippe certissimum est, corpus istud in putredinem redigi & corrumpi, & cōsequenter hominem (vtpotè de terra formatum) in terram, vt ait Scriptura, redigi & resolui, & id ipsa quotidiana experientia reddit plusq̄ manifestum. Anima ergo immortalis manet & incorruptibilis, quam esse incorruptibilem ex ipsa sui creatione cognoscimus: quia immediatè à Deo est non de terra. Id Scriptura diligenter ad instructionem nostrā expræssit: Deus, ait, inspirauit in faciem hominis, siue in nares hominis spiraculum vitæ, & sic homo perfectus est. Neq̄ verò dicimus Deum de sua substantia fecisse animā, & tanq̄ partē substantię à se decisam ad hoc animandi munus extra se emisisse. Hoc omnino à veritate scimus esse alienissimum: quoniam & impossibilissimum atq̄ absurdissimum. Sed dicimus illam non de terra creatam, nec vt esset terra & corpus, sed spiritus vitā ipsi corpori tribuens: quod ostenditur illo modo creandi qui narratur per insufflationem in faciem eius, vt per hoc intelligeremus Deum eius creatorem immediatè, & ipsam quasi diuino spiritui vnde venit assimilari. Deus .n. Spiritus est: ideò nullam aliam creaturam sic fuisse creatam ostendit nobis alia Scriptura: 1. Ioan. 4. Reuertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Eccl. c. vlt. Verbo Dei cęli firmati, seu facti sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum, seu exercitus eorum. Psal. 32. Et hîc significantur Angeli qui dicuntur exercitus & virtus, qui & ipsi à Spiritu oris Dei emanarunt.

Redeundo igitur ad propositam quęstionem, cur Deus hęc adeò natura distincta atq̄ diuersa coniunxerit, corpus scilicet & animā hominis (Nam circa reliqua quidem animalia nulla est quæstio, de qbus tamen paulò inferius tractabimus) Vt hominem totū, & naturam eius diligentius considerare possimus, interim statuendum est vnam esse tantùm re ipsa hominis animam nō plures, licet vna hæc sit virtute plures: Vna est hominis anima non plures. quoniam habet plurium animarum officia propter plures ac varias eius potentias. Vnde in ea continentur cęteræ inferiores animæ virtutes, quēadmodum (iuxta Philosophum) trigonum in tetra-

in tetragono. Cum ergo vna eademq; sit in homine anima, intellectualis & rationalis, nihilominus potentiis & officiis est vegetatiua, sensitiua, appetitiua, & secundum locũ motiua. Hoc forsan vt declararet Scriptura iuxta veritatem hebraicam dixit, Dominum Deum inspirauisse in faciem hominis spiritum vitarum. Habet enim potentias vegetatiuæ ad nutriendum, ad augendum, ad generandũ. Habet & potentias sensitiuæ tam secundum exteriores sensus, qui sunt visus, auditus, gustus, tactus, & olfactus: quàm secundũ interiores, qui sunt sensus communis, phantasia, æstimatiua seu cogitatiua, aut ratio particularis, vt quidam appellant, quæ tamen est in solo homine, item memoratiua. Habet & appetitiuum secundum sensum. Nec de appetitiuo naturali loquor, quo plãta dicitur appetere humorem, & animal somnũ. Hoc enim sine cognitione & apprehensione est, & (vt ita loquamur) indirigibile. Nos hîc loquimur de appetitiuo sensitiui, quod est animale & partis sensitiuæ: & ideò non sine apprehẽsione delectabilis in quod fertur, & ex se non fertur in contraria. Et nisi à ratione superiori quæ est in homine, corriperetur ac tanq̃ fręno quodã regeretur, nunq̃ sese ab eo quod appetit cohiberet, nisi quid forte ex opposito tristius ei opponeretur, quod fugiens, consequenter ab eo quod appetit auerteretur. Sic canis metu baculi non à carnibus quidem appetendis, sed ne eas attingat arcetur. Est ergo in solo homine inter reliqua animalia pars in anima superior, quæ ob suam dignitatem debuit esse innata imperare parti sensitiuæ inferiori, non quidẽ ne appetat quod est rationi aduersum (hoc enim fieri non potest) sed ne ea quæ irrationabiliter appetit, prosequatur.

De potẽtijs animæ intellectualis et rationalis

Ex positis autem aliquot suboriũtur quæstiones. Prima, An hoc imperiũ sit in parte superiore. Quod si fuerit, huicne imperio pareat inferior pars, an potius resistat: & vtra harum præualeat secundum potẽtias exequutiuas. Nam vigere in nobis pugnam hanc domesticam & intestinã assiduè experimur. Apostolus verò perspicuè dixit: Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur. Hoc autem appetitiuũ sensitiuæ partis in concupiscibile & irascibile, teste Philosopho, diuiditur. In superiore autẽ animæ parte sunt duæ potentiæ, videlicet intellectiua qua anima intelligit & apprehẽdit, & hæc vocatur intellectus. Itẽ appetitiua quæ vult & fertur in bonum, & hæc appellatur

Qua in parte sit rationis ĩperiũ in homine.

Galat. 5.

voluntas, cuius est velle finem naturaliter, & ea quæ sunt ad illum finem liberè eligere. Potest autem hæc in opposita, & non sicut appetitus sensitiuus qui coarctatur ad vnum.

Vt autem ad propositas quæstiones respondeamus, oportet ex effectibus conditionem hominis cõtẽplari. Nam varia admodum de illo & plurimum inuicem cõtraria & inconuenientia cognoscimus. Secundum partem animæ intellectiuæ, & secundũ substantiam eius quæ præstantissima est inter visibiles creaturas, nihil dignius homine: imò cuncta sunt illo inferiora, quæ & propter illum esse conspicimus, vt & ei seruiant, & ab eo regantur. Vnde & Philosophus id egregiè coniectans, dixit hominem esse finẽ omnium. Verùm si alia ex parte homo secundũ corpus consideretũ, nõne res quædã omninò infirma & vilis apparet? Et pter hanc partẽ ipsum totũ, quod est homo, multis de causis miserum atq; infelix animal inuenitur. Erat enim primus & conspicuus defectus in ipso corpore, quod quidem multiplicibus malis & corruptionibus, deniq; & morti subiectũ fuisset, si ita Deus esse in prima illius conditione permisisset, sicut erat in sua nuda natura, in qua omnes nascimur. Hæc meditatio vehementissimè induxit in animos hominum q ingenio polluerunt, maximas aporias & perplexitates, ita vt per has miserias quibus circundatum corpus perspiciebant, & quæ in animam redundant, non satis in ea firmarent sententia, quæ animam immortalem esse tradit. Nam & quidam paulò audaciores, vnà cum ipso corpore animã interire asseruerũt. Verùm iam non est Theologi disputare ex propriis in eos q negant Scripturas: quoniã animam esse immortalem Theologus in sua scientia supponit tanq̃ principium. Attamẽ Theologi munus est, cui reliquæ omnes artes & scientiæ deseruire debent, tantummodo respondere obiectis, quæ possunt à perfidis excogitari, ne infirmiores in fide vacillẽt: quod facturi fortè essent, si viderent fallacibus philosophorum argumentis à nostris satisfieri non posse.

De conditione hominis secundum corpus.

N O T A.

Primum igitur & maximum eorum quæ homini dubitationem afferre possunt, istud est. Quænam (inquiunt) ista societas? Si anima intellectiua est forma corporis, & ipsa incorruptibilis, vt quid sortita est materiam corruptibilem, quam nõ valeat perpetuò informare? Etenim quid postmodo ipsi animæ corrupto suo corpore eueniet? Nunquid extabit anima à corpore sine causa? Scio extitisse quosdã inter philosophos qui benigni-

Dubitationes quorũdam circa animam.

tate naturæ adducti non valentes huic tantæ impietati assentiri, videlicet animam hominis esse corruptibilem, negarunt animā esse formam corporis, sed ipsam animam esse hominem. Corpus autem quasi habitaculum dixerunt, à quo migrare ipsam animam, hoc est, ipsum hominem necesse esset, & beatum fore asserebant, modò rectè operatus esset in corpore, à quo veluti à carcere tandem aliquando liberaretur. Error profectò hic magnus fuit, sed dignus venia propter ignorātiam. Verùm nunc Deo gratias & Christo debemus ingentes, qui expeditissimam nobis aperuit veritatis viam, vt si eam velimus recipere, valeamus omni non proteruo aduersario abundè facere satis.

Primus diuinæ benedictionis effectus in homine. Dicimus itaq; Deum creatorem hominis ab initio in hoc primùm benedictionem dedisse: quoniā eum ita statuit, vt ab omni mortalitate & corruptione esset alienus, qui ab ipsa anima miris modis, & ab ipsa diuina protectione nunq̄ moriturus cōseruaretur, ita vt nulla esse posset de animę immortalitate quęstio. Quamobrem prouidit illis lignum vitæ, cuius vsu conseruarentur in perpetuum. Erat & protectio diuina semper assistens, ne quid detrimenti ab vllo extrinseco paterētur. Non ergo fecit mortem Deus. sed (Scriptura teste) inuidia Diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Et rursum scriptum est: Deus fecit hominem inexterminabilem. Vides enim in historia quomodo cum solus esset Adam, pergunt ad eum omnes bestiæ terræ, et volatilia cęli tanq̄ ad Dn̄m suum à quo nomen acciperēt: nec leo, nec tigris, nec serpēs, nec aliæ virulentæ ſçuçq; bestiæ quicq̄ in illū audent, quia Dominus adduxit omnes corā illo. Quid est, Adduxit? Nunquid fortè p capistrum aut per catenas? Ridiculum. Adduxit ergo, æstimationem quandam illis immittendo, idest, tremorem ac pauorem erga hominem, quem earum Dominum constituebat: & hic pauor & tremor in quibusdam animantibus adhuc hodie seruatus est. Nam & elephas ad eorum iussum qui illum tractāt, mirabilia facit: id quod ego propriis oculis vidi. Vnde & Scriptura sancta ait: Posuit tremorem illius super omnem carnē, & dominatus est bestiarum & volatilium.

Sap. 1.

Ibid. c. 2.

Eccle. 17.

Verùm opponunt se nobis aliqui ista minimè concedentes, sed ratione naturali euincere volentes, animā hominis esse mortalem. Fundantur in ratione Philosophi, quæ eiusmodi est: Cum quoduis sit propter operationem suam, impossibile est ponere aliquid in rerum natura, quod non valeat secundum suam naturam operari. Sed manifestè anima intellectiua indiget corpore vt intelligat, nec operabitur quicq̄ absq; corporis adminiculo. Non ergo est probandum, illam absq; corpore permanere, cum sic frustra esset nō valens operationem suam perficere. Nos autem respondemus, & primùm negamus id quod sumunt, esse absolutè ac simpliciter verum, animam videlicet ad intelligendum indigere corpore. Dicimus enim, etsi anima in isto statu misero indigeat corpore vt intelligat, quoniam à sensibus primùm ei aduenit cognitio rerum, nec intelligere potest nisi phantasma speculetur, tamen non est intellectus coniunctus organo sicut sunt sensus: nec indiget phantasmatibus per quæ, velut per organum, intelligat. Ipse enim intellectus virtute sua intelligit: indiget quidem vt ex phantasmatibus obiecta fiant intelligibilia, quod fit ab intellectu agente quo depurātur phantasmata, & in ea intellectus inspicit sua virtute, & sic non per organum intelligit, sed per seipsum. Indiget autem in hoc statu: quoniam sic naturaliter à Deo dispositū est. Non ob id tamen fit quin aliter valeat intelligere anima soluta à corpore, licet fuerit à Deo cōposita vt sēper sic intelligeret in hoc mundo, idest, non absq; adminiculo phantasiæ, cum esset hoc ei naturale. Verùm quia tractatio hæc merè est scholastica, & in summa quid sit concludendum, & quid à vero Christiano tenendum exposuimus, ad reliqua procedamus, omittentes quid circa hoc Philosophus ipse senserit.

Pro immortalitate animæ.

Erat secundò etiam naturaliter in homine atq; eius vita ingens minimèq; à tāto opifice ferendum absurdum ob istam diuersarū, imò oppositarum inuicem naturarum societatē: quoniam in superiore sui parte, quæ est mēs, innatus erat eorum quæ superna sunt, appetitus ac desiderium. Omnes enim res suapte natura ad illud vnde sunt, inclinantur atq; feruntur. Animus ergo noster nisi impediretur, cum de cęlis sit eius origo, cęlestia appeteret, & cogitatione atq; auiditate illūc tendere, & illīc esse, opus proprium haberet. Vnde nihil nisi quod decorum atq; honestū est ac decēs, homo naturaliter iuxta hanc partem, si eam (vt par est) coleret, probare posset ac prosequi, hoc est, sobriè atq; temperatè, circa seipsum, iustè ad proximum, erga Deū verò piè ac religiosè agere vitā. Quod re ipsa efficere ei licuisset, nisi à parte inferiore, cum qua ligata est superior, ingens, mōstrosum, atq; crudele haberet obiectum & impedimentū. Nam anima quæ in tale corpus

Defectus in homine à Domino correctus.

pus immergitur, & fit eius forma, erga illud tam vehementer afficitur, vt sui principii, quod est Deus vnde ipsa venit, oblita, iis potius quæ carni placent, quàm quæ sibi conueniūt adhærescat, eaq; probet, propter arctissimā illam quam cum corpore habet affinitatem.

Ephes. 5. Vnde illud verè dictum est: Nemo vnq; carnem suā odio habuit, sed fouet & nutrit eam. Vbi, quod homini naturale erat ꝓpter hanc partem quæ ad suam libidinē trahit superiorem, Apostolus ea sententia significauit.

Quamobrem si iuxta hanc partium naturā, ex quibus inuenitur cōpositus, homo permansisset, tametsi secundum superioris partis incorruptibilem naturam aptus natus esset ea respicere & quærere quę sūt incorruptionis, & quæ possent illum similem reddere suo Autori, nequaq; tamen ea sectatus fuisset, sed ea potius quæ illum similem brutis ac iumentis insipientibus effecissent, idq; propter inferioris partis appetitum, quem græci ὁρμὴν vocant, vnde erūpit illa improba petulansq; ac blanda lasciuia, à qua mirificè homo dementatur. Fuissent quidem in mente semina virtutū & appetitionis honesti. Verùm coalescere nunq; valuissent ob vehementes, atq; assiduè circunstantes titillantium libidinū illecebras, quibus obsidetur infelix homo. Itaq; facilè, imò & libenter superior pars cessisset inferiori, nec valuisset vel meditari meliora. Habuisset enim instantem quasi pellicē ipsam concupiscentiam, sua obiecta præsentia atq; delectabilia habētem, cui mens (vt diximus) ob innatum amorem erga suam carnem non secus prona voluntate succubuisset, atq; vir effœminatus lasciuo pellicis amori succumbit. Iccircò factum esset, vt magnam hominis curam, & totam penè vitam solicitudinemq; Ceres, & Bacchus, & Cupido, & Venus sibi vēdicassent, nulla decori aut indecori habita ratione. Nam sensus ipse in se sine lege erat: imò legem habuisset legi Dei contrariā. Et quamuis mens et ratio si ad se respicere valuisset, & secundum insita sibi semina ad virtutem aptare, nec probasset quæ sensus appeteret, sed ea potius quæ sibi conuenirent elegisset: ei tamen hac carnis mole oppressæ non licuisset in hoc venire consilium & sapientiam. Carnis enim concupiscentia veluti quædam blandidica pellex assiduè ei adhęsisset, quæ omnem salutatem interturbauisset cogitationem, sicq; obscurata minus apprehendisset vim decori, pulchritudinemq; eius quod græci πρέπον appellant. Vnde facilè omnes iudicium mentis sibi peruerti permisissent, vt more beluarum id demum æquum & decens ducerent, quod secundum carnem liberet, neq; iam haberent vllam boni & mali discretionem. Huiusce enim rei ignorantia necessariò consequebatur, quam & in multis gentibus licuit agnoscere, & adhuc videmus in plerisq; qui à Deo dimittuntur ingredi vias suas. Nam de huiusmodi virtutibus moralibus quantò videmus aliquem carni indulgētiorem esse, tantò illum obscuriorem sibi reddere oculum ad intelligendum prosequendumq; quid deceat, & vitandum turpe perspicimus.

Ecce igitur qualis fuisset homo ab initio propter hanc animi & carnis coniunctionē, ex qua intestinum ignorantiæ malum. Etenim quod erat in homine præstantius, caligine ac tenebris ita offundebatur, & subditum reddebatur inferiori atq; indigniori, vt ei summa cum indignitate seruiret etiam lubens. Huius igitur tanti mali turpitudinem planè videns optimus opifex Deus & Pater clemētissimus, alia benedictione homini succurrit. Dedit enim quemadmodum decebat, & ipsa rerum postulabat natura, libertatem parti superiori, quæ haberet imperium in partem inferiorem exercendum, cui ipsa quoq; libenter obtemperaret. Hoc autem donum fuit quædam qualitas, quam iustitiam originalē Theologi vocant, de qua nunc cum Dei auxilio habendus est sermo. *Alter diuinæ benedictionis effectus.* Et primò quidē videndum quis esset propriè huius iustitiæ ac doni effectus: quoniam sine huius intelligētia nihil profectò potest verè intelligi. *De iustitia originali.* Cōgruentius fortè anteponenda videtur hæc quæstio, Sit'ne reuera omnino statuendum in eo statu fuisse hoc donum, quo' possimus consequenter quærere quidnam illud esset, & quis eius effectus. Sed non ita res habet: quoniam id pro re certissima & constitutissima accipiendū est, cum scriptū sit: Dominus Deus creauit hominem rectum. Non autē fuisset rectus homo, si quæ sunt eius digniora natura seruirent inferioribus, sicut nunc apparet in nobis. Quemadmodum.n. Dominus prouidit circa corpus ne corrumperetur, ita etiam in parte sensitiua non est dubitandum ab eodem Domino fuisse prouisum, ne perturbaret superiorem sedem rationis. Hoc autem Deum fecisse vel in eo apparet, quod cum essent nudi non erubescebant. Non tamen me latet, esse quosdā vsq; duros vt hæc ægrè admodum credant, quibus cum non est disceptandum, corripiendi sunt potius ac deterrendi, vt captiuent intellectū in obsequium Scripturarum, & omnium Patrum catholicorum, qui vnanimi cōsensu in

hanc sententiam quasi vno spiritu inspirante conuenerunt, quorum recitare sentẽtias nimis longum esset.

Quid præstabat donum iustitiæ. Illud ergo in quæstionem venit, An dominium superioris partis animæ efficeret, ne vllę essent omninò passiones in anima secundum partem sensitiuam. Non hoc quidem asseuerandum est, sed efficiebat ne illæ aut insurgerent, aut contra rationem pugnarent. Nõ fuisset enim in illo statu ira & dolor, pudor & timor, & quęcunq; omninò afferunt afflictionem: quoniam Deo prohibente nõ adfuissent motiua (vt ita loquamur) & excitatiua huiusmodi passionum, nisi peccatum aliquod intercessisset, Fuissent tamen amor, odium, spes, desiderium, gaudium, & eiusmodi, sed sine afflictione per hoc iustitiæ donum, nec rationis fines transiissent.

Si nunc quęratur, At quidnam erat eiusmodi donum, & in qua animi potẽtia collocatum, in superiori'ne parte, an potius in inferiori, an verò in vtraq;? Ego quidem puto hoc donum fuisse in superiore parte. Nã *Iustitiæ donum in qua animæ parte.* vocatur iustitia, cuius est expers pars inferior. Iustitia enim reuera habet voluntatem pro subiecto. Voluntas ergo hominis per illam iustitiam habebat primò ordinem ad Deum, vt illi subiiceretur. Quamobrem dignũ erat vt inferiores partes voluntati per rationẽ illas regentem ac cohibentem, obedirẽt. Et hoc (fateor) fuisset ex habitibus virtutum, quæ ad inferiorem partem pertinent. Homo igitur naturaliter habuisset dispositionem & habitũ ad diligendum Deum, seq; illi subiiciendum: & hoc erat in parte superiore. Et ne partes inferiores hunc rectissimum ordinẽ perturbare possent, posita est temperantia in cõcupiscibili: in irascibili autem posita est mititas, siue mansuetudo & tranquillitas, ne homo præter rationis iudicium posset in vllam perturbationem incidere. Quoniã verò ignorarunt homines ista sic à Deo pcessisse, multæ inde philosophorum, idest, insipientium sectæ sunt exortę, qui tamen magnam ad suũ errorem habuere occasionem: quoniam hic

Stoicorum opinio. error sola fide tollitur. Stoici enim virtute hominis fieri posse putarunt, vt omninò ratio vinceret passiones, & ita domaret vel vt prorsus non essent, vel vt nullo modo præualerent, quandoquidem hanc decẽtiam ratio ipsa monstrabat. Non intelligebant autẽ ad eam decentiam per peccatum fuisse nobis perueniendi facultatem sublatam. Aristoteles hanc propterea Stoicorum non probauit opinionem, quoniã passiones insurgere cõtra rationem innaturale arbitrabantur, & cõtra virtutem. Satis quippe fuit Aristoteli ad virtutem statuendam, si passiones illæ ratione compescerentur & moderarentur, cuius *Aristoteles* rei efficiendæ potestatem natura nobis inesse arbitratus est: licet in plurimis animaduerterit effectus omninò contrarios. Pharisæi, Iudæi, & Pelagiani similiter arbitrati sunt, *Error Pharisæorum & Pelagianorum.* has vires esse in homine, quibus solis posset implere legem, & iustitiam facere naturaliter absq; vllo alio superueniẽte Dei dono: quod naturalis ratio suadere videbatur. Cũ enim habeamus natura impressam in cordibus nostris legẽ æqui & iniqui, iusti atq; iniusti, decori & indecori, pii atq; impii, ita vt natura monstrante homo hæc noscat, valdè absurdum (sicut reuera est) censebatur, minime in nobis etiam natura inesse facultatem implẽdi talem legem. Durum est enim ponere Deũ nobis imperasse lege naturali posita, quæ viribus naturalibus efficere non esset possibile. Ne ergo Deum taxarent quasi non prouidisset nobis integrè, icircò errarunt docentes nobis adesse hanc facultatem. Noluerunt aũt interim quod erat in promptu, quodq; ipsa experientia contrarium probabat, perspicere: quia nullus quãtalibet vi rationis vigeat, potest impetum partis inferioris appetitus superare, sicut & in Scripturis quàm latissimè patet, & nos assiduè in nobis re ipsa experimur. Adde quòd si hæc nobis facultas naturaliter præstò adesset, saltẽ in pluribus cerneretur eius effectus. At verò in paucissimis cernitur, vt vel ipse Philosophus confessus est. Non ergo è naturæ viribus venit cum aliqui passiones carnis superant, sed à Deo cęlitus & gratiosè, cui omnis vera victoria referenda est accepta. Quocirca christianus *Infirmitas hominis in statu corrupto.* homo & fidelis ab omni periculo per fidem eripitur. Ponit enim fides inesse hanc in nobis infirmitatẽ naturæ & imbecillitatem, imò & peruersitatem, quam etiam experiẽtia quasi manu contrectamus, et nihilominus pro re certissima tenemus, ea omnia non venire à Deo optimo & sapientissimo qui creauit hominem, & eum rectum per illam iustitiam cõ- *Sap.7.* stituit, qua inferiores animæ vires superioribus obtemperabant. Illius enim primi nostri parentis peccato nos omnes eius filii & sceleris participes in has ęrumnas & difficultates et calamitates incidimus.

At istud quoq; visum est hereticis Pelagianis durum admodum, videlicet ob vnius peccatum & nõ propriè nostrum, sed primi parentis, obuenire tanta in totam posteritatem incommoda & mala. Errarunt autem, quia *Cur errarunt Pelagiani.* voluerunt diuina consilia iudicare, & metiri

sua

sua ipsorum sapientia. An nõ, quæso, merito dânati sunt, qui ab errore vsq; ad perfidiã & obstinationẽ prolapsi sunt propter superbiã illam à patribus, idest, à Diabolo, & Adã iure quasi hereditario acceptam? Noluerũt enim subiici Deo, & credere se illo indigere: sed penitus iustitiæ propriæ ac virtuti inniti, addiderunt iniustitiam inexpiabilem. Alii verò qui sentiebant naturam ad cõcupiscentias sic ferri præcipitẽ, peruerso illo iudicio, quo bonum & malum nolentes volentes natura docente cognoscebant, in eam dementiam inciderunt, vt nihil certum statuerent homini, quod esset illi tanquam honestum & decens prosequendum, nisi quod eis luberet, & quod cuiusq; seruiret libidini. Hi fuerunt Aristones, Pyrrones, Herilli, quorum sententiam à melioribus philosophis iam suo tempore fuisse explosam testatur Cicero in officiis. At hoc proferre quidem verbo poterant, & per contentionem vtcunq; substinere: quoniam demonstratione mathematica non poterat homo pertinax confutari.

Qui enim in ipsis principiis tanq̃ in foribus offendit, cęcus est, nec disputator idoneus. *Principia moralia per se clara.* Etenim moralia principia huiusmodi sunt, vt nequeant ratione adiuuari, cum id quod ab eis negatur, sit omni ratione, quæ circa hoc potest excogitari, manifestius. Propterea intus in ipso animo (nisi fuerit animus omninò peruersus) ipsi qui talia tradunt, vim sentiunt veritatis. Quare fuerunt alii qui defectũ videntes, ignorãtes tamen delictum, nec ausi quicq̃ fingere, accusarũt naturam ipsam quæ tale animal produxit, vnde poetarũ atq; oratorum & nonnullorum etiam philosophorũ vetus querela & criminatio. At certè hæc incusatio naturæ in ipsum Deum naturæ autorem redundare videtur. Quapropter aliq tandem somniauerunt nescio quod animarũ peccatum anteq̃ in corpus (quod carceris loco in pęnam à Deo datum aiebant) truderẽtur per iustitiam Dei. Sed nos quos de veritate instruxit Scriptura, id dicimus quod est verissimum, hominem re uera habere suapte natura defectum & perturbationem pati in se ipso, propter istam naturarum inter se oppositarum coniunctionem. Negamus tamen hoc Deum ab initio permisisse, qui hac secũda benedictione prouidit homini ne pateretur hanc indignitatem, vt declaratum est.

Ob id legimus quod cum nudi essent nõ erubescebant, cuius contrarium omnes nunc vi- *In primo statu nulla fuisset erubescentia.* demus. Illa autem inerubescentia ex eo proficiscebatur, quoniã ab initio erat pax, idest, ordinis tranquillitas in homine: in quo spiritus Deo subdebatur, caro autem spiritui. Ideò nulla poterat oriri mala erubescentia, quæ ex turpitudine atq; indecoro consurgit, quod tunc nullum fuisset. Postq̃ verò subtracta illa iustitia virtutumq; habitibus amissis, quasi laxatis frçnis insurrexit rebellio, ecce subitò irrepsit pudor, & cepit infelix homo destitui bonis, ac sibiipsi, hoc est, suis naturalibus viribus detelinqui. Hoc malum erubescentiæ, quæ peccatum & turpitudinem supponit, natura ipsa per ipsum pudorem docẽte, & attestante homini corruptionem suã, sentimus cum primum viget in nobis sensus atq; agnitio turpitudinis à libidinis stimulo.

Quare protinus ciuilis felicitas exulauit: calamitates & miseriæ vndiq; in ipsum irruere hominem, & grassari cęperunt. Nemo .n. rectè agere poterat secundum virtutem, in quo actiua & ciuilis felicitas consistit. Propterea rectè dixit Apostolus ex Propheta: Dominus de cęlo prospexit super filios hominũ vt videat si est intelligens, aut requirens Deũ. Omnes declinauerũt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, nõ est vsq; ad vnũ. Et quæ sequuntur. *Rom. 3.*

Erat & alius defectus, iis qui patumper sapiunt apprimè cognitus. Cum enim homo secundum illam supremam sui partem, quæ est rationis & mentis particeps, capax esset contemplatiuæ felicitatis, vix tamen vllus ad eam peruenire potuisset. Quid dico, vix potuisset? Imò verò nullus vnq̃ peruenisset. *Defectus in homine ante acceptũ iustitiæ donum.* Nam reliqua animantia cum minime sint felicitatis capacia, infelicia dici non possunt. Neminem enim reperiri posse arbitror, modò ratione & iudicio aliquo sit prædítus, q dicere ausit beluas esse infelices, cum non sint felicitatis capaces. Homo autem cum sit felicitatis natura capax, ad eam tamen peruenire nequit, cum (vti ostendimus) tanto premattur inferioris partis onere & graui pondere, ac tam multis & variis ac miserabilibus modis impeditus, vt id agnominis tanq̃ sibi verè & maximè proprium cõtraxerit, vt dicat Miser & Infelix. Sic enim quodam loco exclamauit Apostolus: Infelix homo, quis me liberabit à corpore mortis huius? Hoc & doctus Psaltes regius in spiritu de filiis hominum expressit ad viuum dicens: Contritio & infelicitas in viis eorum &c. Et B. Iob: Homo natus de muliere breui viuens tẽpore, repletur multis miseriis. Quę vt magis intelligantur, veram nos ac perfectam felicitatem in intellectu & mente constituimus, idest, in parte animæ superiore. Nõ ergo in possessione diuitiarum, vt stulti putant, cum sint *Rom. 7.* *Ps. 13.* *Felicitas hominis in intellectu consistit.*

obnoxiæ ludibrio fortunæ, & malis perinde ac bonis communes: imò sæpius malis in maiori copia suppeditent, & multoties per scelus accumulentur, idest, per vim & fraudes & sacrilegia, & cum tandem nec vera sint bona, quoniam non propter se appetuntur, sed propter alia. Quocirca longè dignius erat ea felicitatis nomine donare, in quorum gratiam quæruntur istæ diuitiæ. Sed nec in robore aut prospera totius corporis valetudine atq; habitudine, neq; in pulchritudine consistit felicitas. Nec item in voluptatibus carnis, nec in dominatione aut potentia, nec in quouis habitu scientiarum ac virtutum. Alioqui fateri cogeremur, eos qui vitam in perpetuo somno traducerent, felices esse.

Ergo in operatione animę consistit felicitas: nec in qualicunq; operatione, sed supremæ digniorisq; partis, & circa obiectū nobilius, pstãtius, & perfectius, ita vt hominis felicitas, quæ naturaliter potest intelligi, cõsistat nō in Dei uisione aperta (nam hæc est supnaturalis operatio, & nobis naturaliter incognita) sed in cognitione & speculatione rerū & causarū altissimarum. Hic est vsus sapientiæ: & hoc vidit Philosophus, & ita docuit, sicut ipsa naturalis ratio dictabat.

Verùm quòd ad hunc sapientiæ vsum homo non possit peruenire, & propterea infelix constituatur, à multis circumstantibus impedimentis possumus considerare.

Homo sine gratiæ dono ad felicitatem peruenire nunquam potuisset. Et primò quidem consideretur natura nostri intellectus, qui vltimum locū inter intellectuales creaturas sortitus est, qui etiam (teste ipso Philosopho) est veluti tabula quędã in qua nihil depictum sit. Quamobrem necesse est eum acquirere rerum intelligentiã, quod fieri non potest nisi mediis sensibus & phantasia, qua recipiat species rerum, & medio intellectu agente, per quem fiunt intelligibiles species actu: opus est & memoria & memoratiua. Nam anteq̃ scientiæ & artes comparentur, oportet hominem multa vidisse, cõsideràuisse, collegisse, contulisse, & experientia deprehendisse. Verùm huic operi quo minus fieri & absolui possit, vide *Impedimenta acquirendæ felicitatis.* quot & quanta obstent. Primùm, ætas recens est inepta ad cogitationes, cognitiones, ratiocinationes, & intelligentias.

Tum succedens florida ætas, quæ etsi incipiat effici ad intelligendum apta, tamen ob impetum caloris & ebullientium concupiscẽtiarum, quæ tunc vigent & vrgent maximè, vix potest adolescens impelli ad studia.

Tertiò, est ætas ingrauescens, quæ simul imbecilla huic muneri obeundo redditũ: quoniam homo destituitur vigore sensuum, excidit rerum memoria, multisq; aliis incommodis hujusmodi ætas afficitur. Itaq; si totam hominis ætatem, quæ valdè breuis est, computes, & demas annos huic sapientiæ studio inutiles, infantium, puerorum, adolescentium, & senio confectorum, parum admodum supererit temporis, vt cõsequenter exiguus progressus expectari possit.

Quartò, nónne sunt penè innumeri illi q̃ ob plurimas causas dare operam literis non possunt? Quot enim videmus, quos ob vitæ necessitatem oportet artibus mechanicis incumbere, & ea sectari quæ conducunt ad vitam? Cuius generis sunt qui cibos parant, coqui, lanii, fartores, piscatores, aucupes, aratores, pastores, agricolæ, rustici, hortorum cultores. Quot sunt item qui indumẽta cõficiunt & curant, lanarii, pelliones, textores, fullones, sutores, sartores? Quot ẽt qui ædificationi dant operam, nonnulli fabri lignorum, carpentarii, æris, metallorum? Mitto baiulos & operas alias, qui variis præsunt laboribus & officiis, quæ nullam cõtẽplationem admittunt. Hi omnes ineptissimi sunt vel ad ingenua primæ philosophiæ studia, in qua est posita felicitas. Sunt præterea artes aliæ quæ vitæ hominum inseruiunt, vt medicina & militaris. Nec insuper paruus est eorum numerus, qui ab optimis auocantur studiis ob egestatem, ita vt etsi præstarẽt ingenio ac proficerẽt, inchoata tamen egregiè studia perficere nequeant, sed ea coguntur deserere. Vnde verè dixit quidam:

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Quot enim, rogo, reperiuntur inopes et egeni, qui victum mendicando quæritare coguntur? Et quot item sunt, quibus (vt ait Philosophus) potius expediret secundum mundi felicitatem ditari, q̃ philosophari?

Quintò detur quantum satis sit diuitiarum. Quantus est, obsecro, curarum domesticarum cumulus? Quàm multiplex anxietas? Prima & omnium grauissima est vxoris. O quantum distrahit hæc societas, vt prudenter responderit Cicero, se non posse simul vtriq;, idest, vxori, & philosophiæ operam dare. *Cice. dictum.* Apostolus illis qui matrimonio iungi volunt, passuros omninò tribulationem protestatur. *1 Cor. 7.* Apostoli audientes Christum de huiusmodi vinculo loquẽtem, & duram seruitutem perpendentes, dixerunt: Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere. *Matth. 19.* Et verè ita se res habet, quàuis noui hæretici aliud & verbo dogmatizẽt, & facto

& facto ipso probent cum ipsorum & vitæ huius & alterius detrimento. Adde curam liberorum, quæ longissimè abducit multos à studiis, & plurimas rei familiaris necessitates, quæ compellunt multos vel inuitos à contemplatione sapientiæ vacare. Præterea tēpus quod multis abit in parentum subsidium, propinquorum, amicorum, patriæ, aliisq; occurrentibus in vita negociis expendendū, vt sunt lites, rixæ, inimicitiæ, rumores, simultates, bella, & huiusmodi infinita, qbus aut per nosmetipsos, aut per aliorum ministeria implicamur, quæ quidem omnia nos vehementissimè auocant à speculatione rerum, & ab acquisitione & vsu sapientiæ, in quo felicitatem collocauimus.

Sextò, additur tempus quieti corporis necessarium, potissimum somno. O quantam ætatis partem sibi vendicat creditor iste & exactor assiduus & importunus. Quid autem distat à mortuo cū dormit homo, nisi quòd dormiens plerunq; somniat?

Septimò, animus etiam sua quiete eget & relaxatione. Non enim cum vtatur his organis, potest homo perpetuò contemplari aut meditari. Quare & refocillari vult tum ludo, tum iocis quibusdam ad sensuū oblectatione cōpositis, vt vires resumat alacriores.

Octauò, magnus est eorum numerus, q ob indispositionem corporis & organorum malè sunt ad bonas disciplinas apti, ita vt plerunq; neq; suo, neq; præceptorum suorum quantouis conatu queant ad aliquam literarum & eruditionis frugem peruenire. Quot enim nascuntur motiones, aut etiam efficiūtur amentes & furiosi? Item quot cæci, surdi, muti, quos vix licet à brutis discernere, & multi penitus omnis disciplinæ expertes? At demus mediocritatem ingenii, docilitatis, & acuminis. Quantum assequi tandem valebunt de præstantissima scientiarum, quæ est sapientia? Siquidem excellentissima ingenia vix sunt aliquid mediocri laude dignum assequuti. Et in tot seculis quot enumerabis qui ingenio excelluerint, & simul exercitatione profecerint?

Nono, accidunt etiam multi inopinati morbi, & varia infortunia penè sine numero, quibus à studio sapientiæ non pauci abducūtur, vt si quid sibi vel multo sudore eruditionis & scientiæ comparauerint, illud amittant & obliuione sepeliant.

Decimò, est ipsa vitæ breuitas quantumuis in senectam procedat. Missos facio eos qui anteq; illùc peruenerint, vel in ipso vitæ vestibulo eripiuntur, eam lucem prius relinquere coacti, quàm sentire potuerint. Multi in medio itineris cursu occidunt. Vnde permagna oritur difficultas ex seipso res inuestigandi rerumq; naturas. Nam ex nobis vix possumus, quia (Scriptura teste) cunctæ res difficiles, & præsertim quæ sunt à sensibus remotiores, quas aliquo modo attingere intellectu non solùm non est omnium, sed vix perpaucorum, idq; in longa serie seculorum. Præterea, quàm rarum est inuenire hominem, q viua voce vel sapientiam mediocriter docere possit? Quæ verò de sapiētia nobis sunt tradita ab iis quos mundus sapientes appellat, & scriptis ipsis in lucem prodiderūt, tam pauca sunt, ita manca & mutila, tanta difficultate tantaq; perplexitate inuoluta conspiciuntur, & sæpenumerò sic inter se pugnantia, vt ea discernere ac intelligere immensum sit opus, & labor propemodum infinitus.

Cogitationes suas literis mandauit Plato, sed quotusquisq; est qui eius sensum percipiat, quippe qui ita loquatur, vt nihil minus quàm docere velle videatur? Extant quoq; varia Aristotelis scripta: sed q̄ obscurus etiam ille nedum iis qui linguam, in qua scripsit, nō habent: sed & his qui callent, vel ob rerum quas ipse tractat obscuritatem, vel etiam, vt grauissimi autores testificantur, quia de industria loquutus est, vt non absq; studio & labore magno legentium possit intelligi. Nonne de maximis ac necessariis quæstionibus, qualis est de immortalitate animæ, à cuius rei notitia vel erectio pietatis vel destructio pendet, tam obscurè docuit, vt nonnulli eius sectatores de ipsius Philosophi sententia & opinione contraria docuerint? At si hoc dubium manet, quanta, rogo, nos obruit aporia? Et quid est quod velit vlterius nosse infelix homo, si hoc ignorat, quod scire maxime ad eum pertinet? De cæteris verò philosophis sermonem supprimo, cum vix vllus reperiatur qui cum iis duobus, Platone & Aristotele, sit conferendus.

Omitto errorem multorum, qui relictis melioribus autoribus, sese deterioribus totos dediderunt. Ex quo sunt variæ sectæ exortæ, adeòq; inuicem contrariæ, vt perpetuo conflictu se conficiant. Quin etiam rursum quælibet secta inter se scissa est, vt latissimè patent q̄ sit deploranda certè miseria hominum in veri inuestigatione laborantium. Ac priusq̄ nati essent hi præstantiores magistri (Platonem dico & Aristotelē) quot & quàm pudendis erroribus etiam circa rerum naturas tenebatur mūdus obnoxius? Tantis profectò, vt vel hoc ipsum sit narratu difficilimum.

Vndecimò, quàm difficile est ipsam huius primæ quæstionis tam necessariam veritatem inuestigare atq; apprehendere, qua certò cōstituatur in quo tandem sita sit nostra felicitas vel beatitudo: qua in re sola cōtinetur afflictio spiritus miserabilis. Iam enim secundum veritatem explicauimus, vbi debeat hominis felicitas consistere: quod etsi quis vidit, quotusquisq; tamen numerari potest qui vel leuiter apprehenderit?

Duodecimò, Vt demus omnia ad nutum fluere, suppetat ætas longior, accedat fortunę cum corporis valetudine prosperitas, sit animus à negociis curisq; vacuus, non desit præceptorum copia, & vt semel finiam, quicquid humanitus gratum homini euenire potest præstò adsit, quem tandem referet homo fructum de vniuersa sapientia sua? Nunquid interioris pacis sentiet iucunditatem? Non profectò, idq; multis & efficacissimis rationibus, quarum proferemus aliquot.

Cur homo humanam felicitatē assequi nequit.

Primò enim quæ intelliget, non intelliget ad exactum cūcta. Nam in quantis, quæso, ni fuerit penitus insipiens, hæsitare compelletur? Huiusmodi autem aporia nónne plurimum acerbitatis atq; molestiæ affert, ei potissimum qui perfectam rerum apprehensionem absolutamq; notitiam tenere desiderat? Cui dubium? Non enim satiatur intellectus intelligendo, cum videat iis quæ intelligit, longè plura esse ea quæ non intelligit.

Deinde, si sapientia est de altissimis, & in eorum cognitione sita est nostra felicitas, quis nobis ad ea patet aditus? Nam quantulum de summo Deo cognoscimus? De cęlestibus verò ac separatis substantiis, quàm pauca sunt nobis ad noscendum peruia? Ego enim puto beatos illos Spiritus (si fieri posset) interdū ridere stoliditatem nostram, aut verius miseri nostri, quoties de illis & eorū differimus naturis, cum noster oculus ad earum lucem sit velut oculus (vt aiunt) noctuæ ad Solis splendorem. Dixerunt quidam intelligētias nostras prouehi posse vsq; ad cōprehendēdas separatas substantias. Quod si verum est, nunquid ipsimet quorum fuit talis sententia, illuc vsq; attigerunt? Non sunt ausi ipsi quantūuis impudentes, hoc asserere. Nunquid igitur vllus alius? Nec eorum quidem qui eam possibilitatem asseruerunt, quisq̄ inuentus est vnq̄ qui istud ausus sit sibi arrogare. Cur non igitur infelix homo, si eum finem quem assequi expetit, & natura ipsa assequendi est capax, non valeat tamen ad eum peruenire, perturbationibus impedimentisq; tam multis retardatus atq; prohibitus?

Tertiò, quæcunq; sapientia siue scientia acquiratur ab homine, quantis vigiliis, quātis eam laboribus quicūq; fuerit ille, assequetur? Huic verè dici illud poterit: Chare frater, heu nimiū carè hoc parum mellis emisti.

Quartò, fuit'ne vllus, obsecro, ea ingenii felicitate prędirus, qui in quantacunq; scientia sua nō fuerit in aliquem prolapsus errorem? Ostendatur vnus, & laudabimus eum. Nulla enim est prorsus hominū doctrina, quæ omni mendacio aut errore vacet. Hoc autem quàm sit turpe ac molestum ii demum sciunt, qui nollent decipi, sed (vt par est) diligunt veritatem.

Quintò, si conferantur quæ sciri possunt, & nesciuntur vel à quouis hominum sapiētissimo, cum his quæ nouit, quàm erit pusillū illud totum quod nouit?

Sextò, quid prodest ei scientia qui seipsum ignorat, & quò tendat nesciat: aut quid de seipso paulopost futurum sit, nullam habeat notitiam? Non enim huc ducit quæuis sapientia, quæ hinc potest haberi. Nam finis noster in voluntate Dei est positus, cuius Spiritum quis vnq̄ perscrutatus fuit? Quis enim cognouit sensum Domini? A seculo non audierunt, neq; auribus perceperunt. Oculus non vidit Deus absq; te, quæ præparasti diligentibus, siue expectantibus te. *1. Cor. 2.*

Septimò, Vt vnus aut alter fortè fuerit sapiens quantum fas est, nunquid propterea ipsum genus hominum non manet in infelicitate & contritione, cum vix vnum sapientē multa secula potuerint obtinere? Verè ergo contritio & infelicitas fuisset in viis hominum, si permisisset Deus hominem talem esse, qualis fuisset si in puris naturalibus suis fuisset relictus. Audeo enim dicere, cunctis animantibus infelicius victurum fuisse hominem. Icircò non erat bonitatis & sapientiæ diuinę id permittere. Igitur benedicens Deus hominem, in hoc primò benedixit vt posset esse felix, & quantum per humani ingenii vim liceret, de causis altissimis cum mirifica delectatione scientiam apprehendere. Nam ante omnia, omnium scientiarum & artium habitus in animam ipsius Adæ ab initio infudit: vnde statim habuit sūmi Entis, hoceft, ipsius Dei cognitionem, & substantiarum separatarum, idest, Angelorum, quantum natura capax erat. Deus enim opera sua perfecit ab initio, sicut scriptum est: Dei perfecta sunt opera. Adam ergo in anima sua plenā Dei habuit cognitionem, & in illa tanq̄ in imagine Deum cognouit, & speculatus est eius virtutem ac speciem, pro conditione tamen *Vti diuinæ benedictionis erga hominem.*

suæ

suæ naturę. Vidit enim illum esse maximum intellectum, seu summam intelligentiam. Poterat etiam (nec me falli puto) mysterium Trinitatis aliquo modo vel suspicari in lumine illo naturali perfecto, cum in anima sit nonnulla Trinitatis imago. Hanc si nos plene possemus apprehendere (quod in hoc statu adeo perturbato non datur) sicut ille poterat in suo recto & tranquillo, profecto videremus nedum rationem naturalem non repugnare veritati huius sanctissimi mysterii, sed etiam ad intelligendum vtcunque & coniectandum plurimum adiuuare. Et hoc quidem necesse est christianum hominem, nisi plane desipiat, confiteri. Ideoque ad illud mysterium fide recipiendum aptissimi tunc fuissemus. Sic autem oportet nos dicere, quoniam lumen lumini non aduersatur, sed potius adiuuat. At nunc in tot ac tam densis tenebris captiuare oportet intellectum: & nihilominus non desunt rationes aliquæ ad manuducendum. Qua de re, si quando tempus liberum dabitur, particulari tractatu disseremus, ne impii homines putent fidei nostrę fundamenta cum nãli ratione pugnare.

De felicitate hominis in statu naturæ integræ.

Adfuisset igitur ea homini felicitas, quam naturaliter in hac vita expetere possumus, si primus parens in sua rectitudine perstitisset. Etenim hac in parte benedictus fuit, vt ab admirandis diuinis effectibus, quantum inde noscibilis erat, Deum facile agnosceret. Nam hucusque hominis natura extendebatur: & illud habuit gratiose a Deo, postulante tamen quodam modo ipsa hominis natura, aut secundum partem hominis excellentiorem deprecante. Et sic facile potuisset humanum genus ad suam naturalem felicitatem peruenire, ac contemplationibus altissimarum causarum refici ac recreari. Magna enim cum commoditate potuisset comparare sibi absque errore omnem scientiam & physicam, & metaphysicam, & mathematicas siue simplices, siue mistas, geometriam, arithmeticam, perspectiuam, musicam, astrologiam, & si quæ sunt aliæ. Item omnes artes calluisset cum mechanicas, tum etiam liberales, rhetoricam, poeticam, dialecticam, logicam. Exercuisset se pariter in ea cognitione quæ ex naturis animalium iucunditatem homini afferre poterat. Omnem agriculturæ rationem tenuisset: & omnibus rebus libero homine dignis, artibus, facultatibus ad vtilitatem delectationemque percipiendã abūdasset, ita vt felicitate quam natura exposcere poterat, nulla ex parte fraudatus fuisset. Sciuisset prompte opere egregio vestes concinnare, vbi alicui forte vsui futuræ essent: non dico ad contegendum pudenda, cum nulla fuisset pudoris causa, sed fortassis ad decorem. At mox post peccatum adeo est iners & ineptus redditus, vt ad operiendum sese, cogitare aliud nesciuerit quam folia ficus. O ineptiam merito omni risu & fletu dignam: quasi vero Dominus Deus nuditatem corporis, & non potius mentis & interioris hominis consideraret. Sed de his alias.

Porro hominem tali scientia fuisse ab initio præditum vel ex eo accipi potest, quod cum Deus cuncta animalia ad illum adduxisset, singula proprio nomine vocauit. Hoc autem a Deo est nobis indicatum, vt huius benedictionis vim magnitudinemque agnosceremus: quia ex inditis cuique animali secundum cuiusque naturam nominibus, ostenditur huiusmodi naturas perspectas Adæ & cognitas fuisse. Qui enim præstare id potuisset, nisi scientias habuisset infusas? Nam animalium notitia inter ea quę sunt speculationis physices, & corruptioni obnoxia, cognominatur præcipua. Adfuisset & cęlestium orbium peritia, quam ei fuisse donatam inde apparet, quod ad excolendum Paradisum fuit assumptus. Alioqui eiusmodi artem mox citra syderum notitiam nequaq̃ idonee exercere potuisset, nisi iam habitus artis infusus ei fuisset, cum ipsius terræ cultura requirat varietatis temporum qualitatumque vsum. Non ergo multo studio ad acquirendas omnes scientias indiguisset: nec adeo multis experientiis, etsi his proficere nonnihil potuisset, sed quam ocyssime. Nullus prętera error nec in mente, nec in ratione fuisset: quoniam nullum adfuisset vitium in inferioribus potentiis errori occasionem præbentibus. Nouisset autem rerum naturas, & perfectam absolutamque ratiocinandi peritiam: & circa ea quæ in opinione versantur, omni deceptione vacasset: quia semper probabiliter æstimasset, nec vnq̃ falso adhęsisset. Nam opinari falsum circa contingentia ex probabilibus, non est decipi. Imo magis interdum decipiuntur, qui dum improbabiliter aut temere potius coniectant, verum quidem possunt attingere: quoniam id fit casu, non solido indicio. Nulla item hominis ætas fuisset impedimento ad proficiendum in artibus & scientiis per infusos habitus. Non puerilis, quæ etsi futura erat, non tamen talis quæ organa impediuisset, vsumque eorum ad sapientiam, veluti nunc euenire videmus. Nec adolescentia ob fræ-tum quo a iustitia coercebatur, in vllas ob-

scere modo quodam mirifico & ineffabili, ita vt ipsam creaturam ad tantam dignitatem eleuaret, vt fieret Deus & Dei Filius, vt sic quodam modo cogeretur illius sui Filii habere prouidentiam. Si illius, ergo omnium: quoniam ipse cum omnibus consanguinitatem & affinitatem quandã contraxit. O factum omni admiratione & perpetua contemplatione dignum: quod si recipis prudens lector, protinus omnem excutis abs te ambiguitatem circa Dei prouidentiam. Inter reliquas omnes creaturas elegit hominem, vt humanam cum diuina natura in eadem persona coniungeret, & fieret Deus. Elegit autem summo suæ sapientiæ consilio hominem, vtpote in quo vidit omne genus creaturarum quodam modo contineri. Homo namq; est velut in meditullio participans naturam & superiorum & inferiorum substantiarum. Quocirca cum talis homo, Deus esset, dignissimus fuit qui confestim beatificaretur, & gloria ineffabili coronaretur: atq; ita quidem fuit in prædestinatione Dei Patris summi. Videns ergo Deus ob hoc commercium quod nobiscum contrahere dignatus est, nos esse non solum eleuabiles (vt ita dixerim) ad capacitatem beatitudinis æternæ, quæ consistit in eius visione facie ad faciem, verùm etiam hoc ipsum iam decere ac propè debitum esse in gratiam Filii sui, quem decreuerat fore hominem & Filium hominis, per quem honorificatum est vniuersum genus nostrum, decreuit ipsius prædestinationi hanc adiungere conditionem, vt scilicet prædestinaretur in gloriam nostram, sicut ait Apostolus. Itaq; alio dono, præter illud iustitiæ originalis donum, ornare ipsum hominem dignatus est. Hoc autem fuit donum gratiæ & charitatis suæ, positum in eorum cordibus, vt interim esset arrha quædam futuri doni promissi, quod est gloria & vita æterna. Imò vt etiam esset principium bonarum operationum, per quod homines ex aliquo merito vita æterna potirentur. Hoc donum gratiæ est quo constituitur homo in altiori gradu, & quodam modo particeps diuinitatis vt sit Filius Dei, & fiat quodam modo Deus. Ista non capit mundus neq; intelligit: sed illi solum modo qui exierunt ex hoc mundo exuti veterem hominem, & induti nouum Dominum nostrum IESVM Christum. Et in hoc verum fit & impletur quod scriptum est hoc in loco: *Et benedixit illis Deus*, in quo consistit summa ipsius hominis & creaturarum omnium vera & perfecta benedictio.

1. Cor. 2.

De dono gratiæ.

Ecce igitur primus homo tot à Deo benedictionibus refertus, & hac præcipua & summa, quæ dicitur gratia & charitas, arrhabo vitæ æternæ, quam primus parens cognouit in mysterio, quùm de sua illa costa sumpta fuit mulier. Hoc enim ipsemet, imò Deus in ipso loquens expressit. Hoc nunc, inquit, seu hac vice, os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quod suo loco exponetur. Commonefecit insuper illos, & notitiam aperuit de exilio atq; exitio multorum cęli ciuium, quomodo scilicet ob superbiæ tumorem, contumaciam, atq; inobedientiam, inde expulsi essent, & in tenebras sempiternas præcipitati. Credibile est enim Dominum Deum Adæ reuelasse, etsi fortè historia non ita explicatam veritatem aperuerit, quemadmodum in subiectis ostendemus. Quæ autem dicta sunt, Ecclesiasticus his verbis eleganter perstrinxit: quæ cũ mirificè huic loco seruiant, in gratiã lectoris non grauabimur exponere.

Creauit Deus de terra hominem, & secundũ imaginem suam fecit illum. Primum ostendit figmentum & principium ignobile, vnde factus est homo, nimirum de terra seu puluere, aut de limo terræ. Hoc autem secundum mareriam, vt intelligeremus per vilissimum elementorum, scilicet terram, naturaliter ipsum hominem esse terrenum & mundanum, qui secundum hanc partem terrena curare & cogitare deberet, iuxta illud: Qui de terra est, de terra est, & de terra loquitur. Verùm ne hanc solam nostri conditionem vilem consideraremus, quod tamen plurimi hominum faciunt, adiectum est.

Pulchra expositio loci apud Ecclesiasticum circa hominis creationem.

Ioan. 3.

Et secundum imaginem suam fecit illum. Vbi aliud indicauit principium vnde cõstat homo tanq̃ ex forma, quæ est anima & spiritus: quoniam ad imaginem Dei & ipsius Christi iam prædestinati in gloriam nostram factus est. Ipse enim est imago Dei, secundum quam conditi sumus, in qua relucet tota Trinitas, cùm in illo sit Pater & Spiritus amborum. Homo igitur conditus secundum hanc imaginem, meritò dictus est imago & gloria Dei, nimirum Christi, qui ob id caput viri dicitur ab Apostolo. Ad illius etiam imaginem postmodo transformandi sumus & transfigurandi in gloria, sicut ipse transfigurauit semetipsum, & venit ad nos quasi vnus ex nobis mutato pacto, ad acquirendam gloriam suam, cui propter nos ad tempus renunciauerat. Sic etiam nos cum gestauerimus imaginem terreni, idest, primi patris Adæ configurati illi in passionibus pec-

1. Cor. 11.

Ibidem. 15.

Creauit ex ipso adiutorium simile sibi. Ex ipso, scilicet Adam, ex cuius costa verè condita est mulier: quod & fusius suo loco contra meditantes extranea & peregrina explicabitur.

Consilium & linguam & oculos & aures & cor dedit illis excogitandi, & disciplina intellectus repleuit illum.

Quid per cōsilium intelligāt prophetæ. Prophetæ solent consiliū vocabulo, prudentiam ipsam intelligere, qua officia in omni vita iuxta id quod honestum est & vtile secundum veram rationem exquiruntur. Per linguam autem plerunq; intelligunt facultatem externam exprimendi conceptus animi non solùm ad vitæ necessitatem, sed & ad doctrinæ traditionem. Etenim homo ab homine ad conseruationem naturæ auxilium accipere simul & dare impellitur, non modò ad comparandas disciplinas, verumetiā ad percipiendos iucunditatis fructus, quæ ex mutuo sermone & commercio oriri solet. Nam dum ea quæ scimus & sapimus, inuicem conferimus & pertractamus, comprobando capimus inde lætitiam, idiotis & vulgo incredibilem. Quid per oculos. Porrò per oculos non istos carnales intelligimus, sed mentis & cordis, quibus dedit vt intelligere ac speculari possent sensibilium rerum naturas & causas, & ex illis se ad altiora & excellentiora transferre, perspicere, & assequi. Oculi autem isti carnales simul veniunt cum natura, & non ex dono. Valent tamen & adminiculantur ad rerum notitiam acquirendam, cum multas earum, teste Philosopho, manifestent differentias.

Quid per aures. Per aures similiter intelligūt cordis aures idest, quandam mentis pronitatem ad suscipienda disciplinæ verba, & accommodandam eis fidem. Hasce aures ad excipiendum suum sermonem poscebat Dominus, quando clamabat: Luc. 8. Qui habet aures audiendi audiat, sciens plerosq; huiuscemodi auribus carere. Illud verò quod adiecit: Et cor excogitandi, significat ipsam ingenii aciem ad inuestigandum rerum naturas, atq; ad inueniendum promptè media, quibus educuntur de principiis conclusiones. Vnde sequitur.

Et disciplina intellectus repleuit eos. Docuit enim illos Dominus vt ab intellectu, in quo sunt innata principia, & in principiis omnia quodam modo virtute continentur, disciplinam caperent. Eo quippe modo disciplina eos repleuit, multa mouens in cordibus eorum interna inspiratione, vt sic à fixis principiis viderent educi scientias conclusionum in semetipsis. Et intellige omnem omninò scientiam, siue speculatiuas, idest, physicam, & metaphysicam, & mathematicas puras, vel mistas, siue praticas vel prudentiæ, vel artis, & omnem dialecticam. Nam & harum omnium habitus ab initio infudit Deus homini.

Creauit illis scientiam spiritus, & sensu impleuit cor illorum. Hic enarrare incipit spiritualium scientiam, quæ ex reuelatione fuit per fidem. Inspirauit enim illis Deus prouidentiam hanc excellentem erga hominem, & mysterium Christi diu etiam absconditum (vt quidam tradiderunt) in cęlis, cum pariter laudaretur Deus ab astris cęli. Et verè tunc impletum est cor eorum sensu: quoniam perinde ac si rem contrectarent, fecit eos assentiri, & quodam modo gustando probare propensissimā & excellentissimam erga genus nostrum Dei bonitatem ac voluntatem, qui pro suis deliciis optauit esse cum Filiis hominum, & vestiri carne nostra vt illā deificaret. Igitur hoc mysteriū illis ostendens, charitate sua aspersit corda eorum, vt intelligerent quanta esset diuini erga nos amoris magnitudo, ad cuius notitiam nullis vnq; suis ingenii viribus, nec sapientiæ beneficio pertingere valuissent, quāuis natura his adiectis quæ enarrauimus, fuissent prudentissimi & sagacissimi.

Et mala & bona ostendit illis. Mala sunt culpæ & pęnæ. Bona verò virtutes & pręmia. Hæc specialiter ostendit eis, dando pręcepta & mandata charitatis, quæ ordinabant ad beatitudinem. Nam minus ea nouissent, nisi expressius eis ostendisset: quoniam naturalis prudentia non ea monstrabat, sicut peculiaris instructio ac doctrina Dei.

Posuit oculum suum super corda eorum, ostendere illis magnalia operum suorum. Oculum dicit singularis prouidentiæ & gratiæ. Aut melius, *oculum*, idest, sui luminis participationem, per quod certò videri possent magnalia operum Dei. Hæc sunt Christus, & quæ circa illum ordinata erāt à Deo de Muliere, & cęteris in eius gratiam prædestinatis, in quibus verè magna ostensa sunt mundo. Hæc sunt magnalia Dei, quæ olim Apostoli prædicasse legunt. Act. 2.

Vt nomen sanctificationis collaudent. Hic erat finis huius ostensionis, collaudari nomen sanctificationis, idest, ipsum nomen sanctificatum, quod est Christus. Et bene nomen sanctificationis, vnde reliquorum omnium sanctitas emanat: quia in eo reposita est omnis plenitudo sanctitatis. Quapropter Rex ille & Propheta: Sanctimonia, inquit, & magnificentia in sanctificatione eius. Ps. 95. Sub hoc enim nomine nobis per Ezechielem promittitur: Dabo sanctificationem meam in medio eorū Ezech. 37. in perpetuum, & erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus, & scient gentes quia ego Dominus

dictionem ad posteros esse peruenturam. Propagationis enim benedictio priores benedictiones sequuta est, vt intelligeres quod iam benedicti propagaturi erant, ac propterea earundem benedictionum futuri erant participes, qui ex eis nascerentur, cum nullū obstaret peccatum. Quo in loco notandū est, matrimonium fuisse factum sacramentū: quia benedictum à Deo, vt consequenter intelligamus etiam gratiam datam ad sobolem Deo procreandam decenter, vt qui inde venirent, sanctificati prodirent. Procedamus ergo nūc declaratis benedictionibus diuinis, & prosequamur historiam nostram.

Matrimonium esse sacramentum.

Et replete terram, & subiicite eam. Nō desunt qui hunc locum aptent ad carnem propriam ipsius hominis, quam deberet continere in officiis, & subiicere propter illud iustitiæ donum. At planus sensus est, vt subiiciant terram colendo eam, & exigendo ab ea fructus quasi debitos. Non negauerim & ad ipsam nostri corporis carnem posse similiter sensu mystico accommodari: prior tamen sēsus ex ipsa litera promptior est.

In hæreticos.

Cæterùm ex hoc loco vehementer exultāt hæretici in sui perditionem, qui contra vota sua Deo facta duxerunt sacrilegas vxores, & obiiciunt. Ecce præcepit Dominus omnibus vt crescerent, & multiplicarent sobolē Deo: & interim subtrahūt Deo semetipsos, & suarum operarum partem iam Deo obligatam tribuunt vxori, quam tamen spoponderant Deo, & propter regnum cęlorum se fecerāt eunuchos. Nec ex hoc loco adiuuantur: quoniam vel non est præceptum in his verbis, Crescite & multiplicamini, sed solùm cōcessio facultatis & benedictio in eo opere, vt quidam volunt: Aut si præceptum sit (quod malo confiteri) præceptum est pro tempore ab initio, cum esset terra hominibus vacua, quæ nunc plena est nimis. Addo non esse præceptum singulis, sed vniuersis: quod satis quidem perficitur cum à multis seruatur. Sic enim dicitur: *Et subiicite eam*, nimirum terram colendo eam: & tamen non obligantur ad hoc singuli. Quare miserrimum est omnino hoc perfugium ad excusanda tanta sacrilegia. Certum est enim huiusmodi dogma cum sanctorum omnium & ipsius Christi doctrina pugnare, qui commendauit eunuchos, quos prædixerat Isaias propheta.

Et dominamini piscibus maris &c. De dominatu iam superius dicto accipiendum est.

Ecce dedi uobis omnem herbam &c. Hoc in loco vides quomodo Deus à principio præstituit hominum generi, sicut & cæteris animātibus, certum cibum de fructibus terræ, de quibus ederent, & à cæteris abstinerent.

Quantùm autem ad literæ intelligentiā animaduertendum est (vt manifestius veritas hebraica tradit) non eosdem terræ fructus homini assignatos, qui & reliquis animantibus. Nam de nobilioribus prouisum est hōi qui haberent semen suū, & hominis cura nascerentur. Et de arboribus similiter nobilioribus, quæ tale semen in se haberent. Animalibus autem cęteris relictæ sunt herbæ viliores, quæ vel per seipsas nascuntur, aut illis ab homine procurantur tanq̄ ab eo neglectæ, quales sunt paleæ, fęnum, frondes, & cætera huiusmodi, quorum non decuit à Scriptura expressam mentionem fieri. Quò autē facilius ex hebraica veritate verè perspicias hanc distinctionem, sic legere debes. *Ecce dedi uobis omnem herbam seminificantē semen super faciem vniuersæ terræ: & omne lignum fructiferum seminificans semen erit vobis in escam. Omni autem bestiæ terræ, & omni volatili cæli, & omni reptili terræ, in quo est anima viuens, erit omnis uiriditas herbæ in escā.* Vide igitur q̄ plane distincta sint ciborū genera hominibus & bestiis, etiā iuxta propriā illorum naturam assignata. Hîc tamen aduertendum est, præter hos terræ fructus & herbas, quas primùm homini ad vescendum assignauit Dominus, adiecisse postmodo vt de quouis fructu arborū paradisi, vna excepta, possent comedere. Dixit enim: *Ex omni ligno paradisi comede: De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.*

Sed hîc oritur quæstio. Videtur enim quibusdam durum, imò nec verum, Deum ab initio prohibuisse homini esum carnium, & piscium, & lacticiniorum, cum multa animalia vix sint alium in vsum homini, quàm in cibum. Quocirca dixerunt quidam, Deum aliàs hæc animalia non fuisse creaturum, nisi hominem præuidisset peccaturum, vt ex his vestitus, & cætera quæ nunc in inopia constituti ex animalibus capimus cōmoda. Quod sanè ineptum est, & ab omni homine recto iudicio prædito prorsus explosione dignum. Multò enim plus commodi attulisset, acciperet ex eis solatium scientiæ & bonitatis Dei, quod faciebat ad perfectionem & pulchritudinem Vniuersi. Nam quantus est vel hodierno die eorum animalium numerus, quæ nec in vsum hominis, nec in cibum veniunt? — et tandem emolumentum victus & ve

Nota.

Caietanus negat fuisse à Domino Deo vetitum tunc vsum carnium in cibum. Si ita se veritas haberet, quid est igitur causæ cur homini Deus herbas & fructus terræ assignaue-

Caietanus.

sit? Frustra enim hoc totum, si & carnes, & pisces, & lacticinia volebat eos posse comedere. Aiunt id factū fuisse, quo Deus ostēderet non esse necessarium homini vesci carnibus, non autem quod non posset vesci, cū ab initio haberet dominium ab ipso Deo super cuncta animalia. Postmodo vero quando venit diluuium, concedendo Dominus carnes, voluit eis ostendere necessitatem vescendi carnibus. Si cui hoc commentū placet, videat primum diligenter ne superbum sit contra sanctos Doctores velle sapere. Nam B. Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, & cęteri clari Doctores aliter docent, quorum testimonia si velim afferre, volumen confecero. Omnes, inquā, in hanc sententiam conueniunt, Dominum Deum dum hîc certum ciborum genus assignarit, prohibuisse alia. Mitto qui sic exponit, eum non tam exponere, quàm literam destruere: quoniam non dicitur, Satis erūt vobis herbæ, & fructus arborum ad vescendum, nec indigebitis carnibus: sed dicitur. Hęc do vobis & erunt vobis in escam, ac si expressè dixisset: Alia in escam non do. Nec enim quia in dominium illa dederim, sequitur etiam data esse in escam, sed in aliud. Dominatus quippe in bestias non erat hoc fine solo cēsendus, in abusum scilicet ad escā. Nam id ob peccatum venit, & ęst nescio quo modo signū naturæ corruptæ, quòd in escā vti nos oporteat animalium carnibus. Patet autem de Noe, cum in arcam cibos detulisset, nullum in escam animal conclusisse. Item cū illi de arca egresso dixit: Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, & omne quod mouetur & viuit erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia, Non est perinde ac si dixerit: Nunc indigetis hoc cibi genere. Si enim illis anteà non fuisset interdictum, & consequenter soliti fuissent vesci carnibus, quid opus erat eos huius rei commonefacere? *Gen. 9.*

Si dixerit quis: Anteà quidem quàm esset diluuium carnibus non vescebantur, quāuis minimè fuisset prohibitū. Quis hoc credat? Et cur volumus nouas opiniones nulla penitus cogente ratione inducere, & contra communem omnium persuasionem & traditiones antiquas sapere? Quin etiam aduerte quàm conuenienter dixit, Omnia tradidi vobis, quasi olera virentia, vt innueret carnes loco olerum quodam modo substitutas.

Fructus terræ ad vitam hōis accommodati. Vidêtur enim fructus terræ (& reuera sunt) hominis uictui iuxta dignitatem naturæ accommodatiores. Quia tamen Dominus hominem effectum esse carnem perspexit, & pronum ad omnem lapsum, & peculiariter ad esum carnium, eas indulsit accensæ hominū cupiditati. Nam credibile est multos iam ante diluuium hoc Dei præceptum mirum in modum transgressos fuisse. Quidam historici memoriæ prodiderunt, eò atrocitatis processisse quosdam, vt & humanis carnibus vescerentur. Itaq; sedata quodam modo per diluuiū indignatione diuina, placuit Deo nō sic restringere hominum genus: qua de re fusius suo loco (Deo iuuante) dicemus. Sacratam igitur habemus ab ipso mundi exordio abstinentiam & ciborum delectum, contra hos voraces nouos hæreticos carnis libidini blandientes. Et istud certè fuit æquissimum, vt in eo statu pacis parceretur animalibus, ne ipsa ad seruandam vitam nostram vita sua priuarentur. *Notandum*

Verùm obiicitur de quibusdā animalibus, quæ suapte natura videmus vesci aliorū animalium carnibus, ad quarum esum naturalē habent impulsum: & tamen datę sunt illis similimodo herbæ in cibum, vt & eis æquè prohibitum videatur vesci carnibus. Huic obiectioni respondent quidam, Mosen nō fuisse ad explicanda omnia solicitum: aut fortè non habuissent tunc animalia eam feuam naturam, sed cum aliis contenta fuissent herbarum fructibus. Nā & in arca mutuò se pacificè habebant, nec sese deuorabant, sic Deo volente. Quid igitur mirum videri debet, si etiam sic fuisset ante peccatum in regno pacis, vt hæc omnia quæ inordinata vidêtur, profecta fuisse à peccato discamus? Et hoc mihi vehementer placet. Placuit etenim prius etiā magno Basilio. *Cur animalia quædam vescātur aliorū carnibus.*

Additur non prætermittenda quęstio, Quonam modo hîc dicatur: *Ecce dedi vobis omnem herbam*. Quid est illud in primis: *Ecce dedi?* Quando enim dedit? Respondetur: Ex hoc ipso quòd fecit terrā producere herbas in cibum hominis aptas, satis educitur illas tum fuisse datas.

Verùm aliud sese offert paulò obscurius. Cum in paradisum esset euehendus homo, & ibi mansurus, vbi suppeditabatur abundè ad comedendum de fructibus melioribus, quid oportuit hîc herbas terræ simul proponere ad comedendum? Respondebit fortè aliquis, dictum esse per anticipationem, & conuenire homini post peccatum eiecto de paradiso. Aut fortè ex Dei præscientia prouisum, qui illum peccaturum videbat. Mihi sanè neutrum istorum placet. Non enim putandum est cunctos homines nascituros

ita in

ita in vno solo Paradiso concludendos, vt omnis reliqua terra futura esset absq; incolis suis, cum tam exerte dictum sit: Replete terram, & subiicite eam &c. Ineptum autem valde est, accipere hæc fuisse dicta post peccatum, aut sola consideratione ad illud tempus. Adam enim ipse qui ista capiebat, non cogitabat tunc ad peccatum. Credibile est igitur ex propagatione hominũ repleri terrã debuisse, & nihilominus Paradisum illũ præsertim propter lignum vitæ, & propter alios fructus & pulchritudinem, futurũ fuisse certis & alternis temporibus cunctis habitaculũ atq; solatium: qualis fuit postmodo Iudæis Ierusalem & Sion, ad quam vndiq; ex omni parte terræ suis temporibus proficiscebãtur. Neq; vllam habet veri similitudinem, existimare quouis modo hũc vniuersæ terræ orbẽ vacuum & vanum fuisse remansurum. *Nota.*

Superest tamen & quæstio, Cur homine creato non dicitur specialiter sicut in aliis: Et vidit Deus quòd esset bonum. Sunt qui rationem à lapsu hominis afferant. Cum enim præuideret Deus hominem casurum, icircò non probauit eum distinctè vt rem bonam, sed cætera cuncta simul: quandoquidem etsi aliqua particulatim inueniantur deformia, simul tamen iuncta semper ex Dei ordinatione sunt bona. Verùm hæc ratio nequaquã placet. Nã deordinato homine, quod erat maximum in creaturis, etiam cætera reddita sunt non valdè bona. Quòd si ob eam causam valdè bona dicenda sunt, quia Deus erat reparaturus hominem, etiam de homine ipso iuxta hanc opinionem idem dici poterat, videlicet quòd bonum erat. Et re vera ipse Moses qui Dei opera commendabat, nõ debebat ob casum hominis futurum, eis cõmendationem suam detrahere, tanquã minus bona essent ex Deo, potissimum cum homo non à Deo, sed à seipso fuerit malus. Itaq; probabilius videtur, Dominum Deum cum in homine cuncta quodam modo contineretur, voluisse in omnium commendatione intelligi summè commendatum esse hominem, tanquã nõ quid particulare, sed quasi quid vniuersum: quoniam de vniuerso participat.
Vel quia die sexto fuit creatus homo solus, quem cum non esset bonum esse solum, non debuit eo tantùm creato adiici: Et vidit Deus quòd esset bonum. Licet enim dicat: Masculum & fœminam creauit eos, hoc tamen dicitur per anticipationem. Potest etiam rectè dici, cum creatus est homo ab initio, nõ habuisse tum perfectionis suæ dona, sed (sicut D. Augustinus testatur) in suis naturalibus creatus est: & cum euectus fuit in Paradisum, factus est spiritualis propter accepta dona. Icircò non conueniebat vt diceret esse bonum, quod nõdum erat perfectum. Et hoc mihi admodum placet, qua de re etiam dicemus inferius.

Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Hebraicè rectius dicitur: *Et ecce valde bonum,* vt vniuersitatem ipsorũ potius quã singula designaret, quæ simul erãt quodam modo vnũ, & valdè bonum. Et hoc in loco nascitur quæstio, Quomodo valdè bonum, cum deesset mulier, & dixerit Deus non esse bonum esse Adam solum? Respondeo, hoc per anticipationem dictum esse. Præsupponitur enim iam condita mulier, quæ etsi nondum fuisset condita, attamen in viro cõtinebatur, & iam decreta erat ex eo producẽda. Quare & omnis benedictio data, super eorum capita erat data, vt dictum est.

Iterum quæritur: Nunquid ita essent cuncta valdè bona, ut non possent fieri meliora, quasi Deus non posset alium mundũ isto iam facto meliorem facere? Si das potuisse, obiicitur: Cur ergo non fecit? Inuidus ne fuit? Si dicas, Sic ei placuit facere. Verè cum respicio ad eius uoluntatem quæ nulli legi alligata est, protinus quiesco. In eo enim solo tãtum est autoritatis, ut queat solus eam sentẽtiam suo iure dicere quam aliqui tyrannicè sibi summaq; iniuria arrogant: Sic uolo, sic iubeo. Sit pro ratione uoluntas. Cum ad eius bonitatem aspicio, uidetur equidem indignum si ualuit eam bonitatem magis exercere, non tamen exercuisse. Dices: Si meliores condidisset creaturas, eadem reuoluebatur quæstio: quoniam & adhuc meliores facere potuisset, & sic abiretur in infinitum. Quocirca longè melius est, vt in his quiescamus quæ facere dignatus est. At ego nõ valeo te sic respondente quietus abire, cum dicas potuisse quid melius, & adhuc in infinitũ, & tamen non fecisse. Tunc in iis quæ fecit libenter quiescerem, si nihil addi posse confiterere, quo vniuersum melius redderetur. Hoc enim mihi credibilius est, & hunc puto istius scripturæ sensum de Vniuerso. *Et erat valdè bonum,* hoc est, optimum, cui nihil addi ad bonitatem possit, sicut clarè B. Augustinus exponit. Neq; propterea Dei omnipotentiæ quicquã derogatur, quem non negamus potuisse facere aliquid melius: sed non posse cogitari factibile aliquid melius. Et certè quodcunq; creabile est, illud habere oportet suæ bonitatis terminum: quoniã omne creabile extra Deum esse posse, fateri necesse est,

An Deus facere possit mundum isto meliorem.

Nota.

& consequenter finitum actu, etiam in ipso Deo consideratum, quatenus est creabile. Quare nihil video quid prohibeat sic statui posse, non esse factibilem in mente Dei alium mundum isto, quem fecit, meliorem. Nec ob id (inquam) omnipotentia Dei extenuatur: quoniam dum dicimus Deum posse alia & meliora facere omnia, ac simul in Vniuerso respectu perfectionis & specierum comprehendi omnia factibilia concludimus, si postmodo admitteremus Deum posse alia & meliora facere, quid esset aliud quàm negare Vniuersũ esse omnia? quod tamen verè iam posuimus. Non enim verè diceretur Vniuersum, quod non omnia factibilia contineret. Dico secundum species, quæ (vt Porphyrius ex mente Philosophi docet) certo numero concluduntur. Infinitum nanque repugnat speciei, non autem materiæ. Et ideo dixerunt philosophi, species quidem numero finitas, sed non ipsa indiuidua.

Porphyrius

Adhæc, Inter rationes quæ vnum esse Deum persuadent, etiam illa ab Aristotele & B. Thoma affertur: quoniã vnus est mundus. Oportet igitur hoc esse necessarium, videlicet vnum esse mundum: alioqui quomodo ex eo quod non est necessarium, rectè concluderetur Deum esse vnum, quod est necessarium, sicut arguit & bene Philosophus in secundo Metaph. Hoc & B. Paulus habentibus oculos satis innuit, dum vnũ Mediatorem inter Deum & vniuersitatem rerum constituit, asserens Deum vnum esse. Vni autem vnum oportet opponere. Cum ergo Deum esse omnipotentem obiiciunt, concedendum est. Et cum adiicitur: Ergo plures ac digniores nobilioresque creaturas quàm fecerit, facere potest, fatendum est: si modo digniores & nobiliores creaturæ valeant excogitari. Non est autem admittendũ Vniuerso posse dari quid melius: quia non sunt plures nec meliores secundum species in mente Dei factibiles creaturæ. Neque concedendum (meo quidem iudicio) qualibet data creatura, dari adhuc posse digniorem, & nobiliorem, ac meliorem simpliciter. Dicò simpliciter respectu Vniuersi, cum nulla creatura dignior aut melior simpliciter Christo Domino excogitari possit.

Ad Gal. 3.

Si dixeris, Si persona illa, Verbũ, assumpsisset sibi Angelum, nónne fuisset melior respectu illius naturæ? Minime, quia non cõuenisset Vniuerso: & minus etiam conueniret, si Pater assumpsisset sibi naturam humanam. Itaque satius est dicere Vniuersum ita creatum, fuisse valdè bonum: ita vt quod solitariè sumptum non est valdè bonum, si cõponatur cum Vniuerso, non poterit quicquam eius bonitati rectè addi. Si quid enim adderetur respectu Vniuersi, non esset bonum: Omnia enim oportet esse in numero, pondere, & mẽsura. Verùm ista quæstio propter Scholasticos qui nec inter se conueniunt, & in ea discutienda sunt longissimi, fusiorem tractatum requireret. Hactenus tamen acutis ingeniis & sapientibus satis sit innuisse.

Sap. 11.

Et factum est vespere & mane dies sextus. De hoc die sexto & numero senario atque eius perfectione, nonnulla dicũtur ab eruditis quę neutiquam spernenda sunt, cum & numeri in sacra Scriptura sint magnopere obseruandi. Hoc vnum certum est, sex dies à Domino nobis ad operandum esse præscriptos, præsertim ipsũ sextum vltimum ac proximum statutæ quieti. Nam & hoc natura est institutum, vt vnumquodque tantò velocius ac fortius pcedat, quãtò vicinius suo loco appropinquat. Tales nos comparare deberemus, vt quantò magis instat illa dies æterni Sabbati, quando non licet vlterius operari, tantò auidius per bonorum operum merita comparare nobis æternæ gloriæ coronam eniteremur. Vnde per hos sex dies significatur totum tempus nobis præstitutũ ad operandum, & explẽdum cursum peregrinationis nostræ. Etenim Dominus noster quodam modo sese nobis in exẽplum exhibuit, qui sex diebus operatus est vt hominem proferret in mũdo, & septima die ab operibus suis quieuit. Hic sextus Domini dies verè fuit natalis hominis, ac totius generis humani, vt sabbato in paradisum transferretur. Sed in hoc die sexto corruit homo primus, & factus est mancipium Satanæ: & in eodem sexto die, quem Christiani sextam feriam vocant, Ethnici autem diem Veneris, restitutus est ac redemptus. Nam & in hac die conceptus est Christus, idest, xxv. Martii, sicut & xxv. eiusdem mensis crucifixus est, quemadmodum fideles testantur historiæ: & ego dedita opera (nec ab re id quidem) diligentissimè obseruaui. Hoc igitur est quod à nobis repetit Dominus, vt quemadmodum sex dies operatus est pro nobis, & septima quieuit: & nos iam à peccato restituti & in pacatum nouum ingressi, totam hanc vitam quæ mysticè sex diebus concluditur, operemur Deo, vt inueniamus optimum tandem sabbatismum seruatũ populo Dei. De qua re inferius suo loco dicturi sumus aduersus hæreticos, qui sola fide ad verum sabbatismum arbitrantur se posse peruenire errantes, & in errorem alios mittentes.

Igitur

CAPVT SECVNDVM.

IGITVR perfecti sunt cęli & terra, & omnis ornatus eorũ. Compleuitq́ Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum: quia in ipso cessauerat ab omni opere suo quod creauit Deus vt faceret.

IGITVR PERFECTI *sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum.* Hebraicè legitur, *Et perfecti sunt cœli*: quanquã illud, ET, rectè pro *Igitur* exponũt. Ornatus autem dicitur hebraicè Sabba, idest, exercitus, significatq́ plenitudinẽ & vniuersitatem quandam cum dispositione & ordine: ac proinde non male dicitur ornatus. Est autem hîc recapitulatio quædam & summa eorum quę sex diebus creata sunt. Nam primam rerum creationem, idest, cęli empyrei, & materiæ primæ siue chaos recensere, nihil ad rem pertinebat. Non enim (quod diligenter est considerandum) veniunt appellatione mundi huius. Vnde Scriptura solet has creaturas ab illis superioribus separare: icircò de illis nihil erat declarandũ amplius. Satis fuit nosse eas principium habuisse à Deo. At de cęteris operibus in tempore factis, quorum nos habere notitiã cõueniebat, ad pleniorem informationem facienda erat mẽtio. Cęli ergo & terra, & omnis ornatus eorum, hac sexta die completa dicuntur perfecti. Cęli enim & terra facta sunt prima die cum luce, & cum aliis elementis à primo mobili vsq; ad vltimam sphęram Lunæ, præter firmamentum, idest, octauã sphęram, quod factum est secunda die. Et tertia die cõgregatio aquarum facta est in locum vnum, vt appareret arida: quo die terra iussu Dei germinauit omne genus herbarum & arborum, quæ ad ornatum eius pertinuerunt. Quarta die facta sunt luminaria in cęlis, quę illos ornatu perfecto illustrarẽt. Et quinta die creata sunt animalia aquatica, & volucres cęli. Sexta, reliqua animalia terræ, inter quæ vltimus cõditus fuit Adã. Et hæc omnia quasi terræ exercitus dicta sũt. Terrena enim sunt, & ad vsum nostrum necessaria, qui secũdum corpus terreni sumus.

Notandum (margin)

Epilogus creationis rerum. (margin)

Compleuitq; Deus die septimo opus suũ quod fecerat, & requieuit die septimo ab omni opere suo quod patrarat. Hîc dubitationes aliquot moueri solẽt, quomodo verè dicatur ab omni opere requiescere Deus, cum adhuc assiduè operetur, vt ipse Christus testatus est: Pater meus, inquit, adhuc operatur & ego operor, dum conseruat creata & gubernat. Item dum nouas assiduè creat animas. Item quædam nouæ animalium species generari ex putrefactione creduntur. Item incarnatio Christi nónne qd nouum fuit? iuxta illud: Nouum faciet Dominus super terram. Item, Per Christũ gratia & veritas & adhuc miracula facta sunt, & noua quædam miraculorum genera, vt illuminatio cęci nati, qui dixit: A seculo non est auditum, vt quis aperuerit oculos cęci nati. Prætereà expectatur vltima resurrectio, & noua quædam omnium innouatio, quemadmodum scriptũ est: Ecce noua facio omnia. Deniq; si sic intelligitur hic locus, septimo die ita compleuisse Deum opera sua, vt aliquid in illa die operatus sit, certè nõ aliud fingi potest, nisi mulierem in illa die factam fuisse, vt rectè creditur. Sin autem iuxta aliã translationem legeris, Deum compleuisse opus suum vniuersum die sexto, hæc nascitur quæstio. Non enim completum fuisset opus die sexto, si & septimo ad complementũ etiam operatus fuerit, & in eo mulierem ex Adam condiderit.

Dubitationes quomodo dicatur Deus requiescere. (margin)

Ierem. 3. *Ioan. 1.* *Ibidem. c. 9.* *Apoc. 21.* (margin)

Respondetur ergo ad singula, supponẽdo primum legendum esse iuxta hebraicam veritatem, *Die septimo*, verè dici Deum ea die omne opus suum perfecisse, quoniam nihil prorsus noui posteà creauit, quod aliquo modo in operibus antè factis non præcessisset. Noua autem animarum creatio quantum ad speciem non dicitur noua, cum iam creatæ essent primæ animæ, & data multiplicationis benedictio. Vnde ab initio quodam modo factæ omnes animę dici possunt, quę iam decretæ erant vt fierent: & proptereà non potest dici omninò noua creatio. Si quæ autẽ species animalium ex putrefactione creentur, non est hæc propriè creatio à Deo, sed generatio ex vi naturæ per stellarum influxus, & alia quæ à principio in his diebus fuerunt à Deo creata & præparata, & ita in potentia

Solutio dubitationum. (margin)

materiæ inerant. Et similiter dicendū esset de nouis quibusdā speciebus quę exortę sunt ex semine, vt mulus ex asino & equa. Incarnationem etiam Christi decretam fuisse diximus, & iam erat in lumbis Adæ, quemadmodum & ipse Dominus per illum loquens reuelauit ei. Quod autem dicitur: Nouū faciet Dominus super terram, non ad opus refertur, sed ad modum, quem ibi declarat Propheta subiungens: Fęmina circundabit virum. Sed nec ibi legimus: Nouum faciet, sed: Creauit Dominus nouum super terrā, vt intelligeres iam prædestinatione & decreto Dei id factum fuisse ab initio. Et verè per Christum facta est gratia & veritas, sed nihil nouum quod non esset. Gratia enim & veritas quæ per illum facta est, iam ab initio per illum fuerat. Nam & Angeli fuerunt in gratia conditi, & primi homines: & sic veritas eius, idest, veritas de illo prædicta, quam ipse dicitur fecisse, nihil aliud fuit quàm adimpletio eorum quæ ab æterno de ipso & Ecclesia prædestinata fuerunt, & per eius aduentū gesta. Iccircò gratia non fuit aliqd nouum quod non iam præcessisset. Neq; veritas, idest, implementum prophetiarum & figurarum continebat quid nouum, sed quod ab initio decretum & ordinatum erat. Reparatio autem cęci nati, & resuscitatio mortuorum, & pleraq; eiusmodi, non pertinent ad nouam creationem, sed ad restaurationem. Per alia similiter miracula nihil vnquàm nouum creatum est, quod non fuerit prius. Nec in vltima quidem resurrectione erit quid nouum, sed id solummodo quod est conditum perficietur. Non autem dicitur hoc in loco Deum compleuisse, vel consummauisse omnia die septimo, idest, quòd singula quęq; omninò iam condita, vltima perfectione red diderit: sed quòd opera quæ fecit fuerunt satis ad perfectionem Vniuersi, vtpote cui non defuerit pars aliqua. Ista igitur cōsūmatio est hîc secundum numerum partium, nō aūt secundum quamlibet cōsūmationem intelligenda. Quanquàm etiam dici potest, secundum vtrumq; naturę & gratiæ statū qui concurrunt, omnia iam fuisse perfecta, vt declaratum est. Etenim hunc gratiæ statum præcedere oportebat, antequàm creatura p statum gloriæ cōsūmaretur. Atq; iccircò ipse gloriæ status aliquo modo, idest, ordinatione & prædestinatione continebatur in statu gratiæ. Primò verò si ad Angelos respexerimus, etiam gloriæ status iam præcesserat ante sex dierum cōsūmationem.

Gratia & veritas facta per Christum quō intelligatur.

Hoc igitur superest annotandum, cū hîc dicatur, completa esse cuncta opera quæ fecit Deus die septimo, & in Exodò dicatur sex diebus facta fuisse à Domino cęlum & terrā & mare, & omnia quæ in eis sunt, & quieuisse die septimo, nō videri hæc satis sibi constare, si intelligamus sic illa cōpleuisse die septimo, vt aliquid adhuc eadem die operatus fuerit, videlicet mulierem. Quomodo enim diceretur omnia sex diebus fecisse quæ in cęlis & in mari & in terra essent?

Dubitatio ex loco Exodi.

Tu verò prudens lector considera, ab isto proprio loco ipsam nobis expositionē porrigi. Nam quæro abs te, quomodo verum sit Deum illis diebus cuncta fecisse quæ sunt in terra, cum nihil quod est nunc in terra, tūc fuerit, aut ab eo factum sit, sed generatione postmodo ex his quæ iam fecerat, sit productum? Ideoq; facilè potest quilibet intelligere, rectè dici Deū sex illis diebus cuncta, etiam quę nunc sunt, fecisse: quoniam ex illis quę tunc fecit, facta sunt. Et cum ex viro sexto die iam cōdito produxerit postmodo mulierem illa vice die septimo, verè dicitur illam sexto die in viro condidisse. Vnde prudentissimè Scriptura quasi non esset noua creatura vel factio, vocauit ædificationem mulieris, non creationem.

Solutio

Concludendum igitur, omne opus secūdum statum naturæ, gratiæ, & gloriæ, sexta die fuisse creatum, licet nondum inueniretur completum. Nam in eo quod creatum erat, omnia quodam modo vel secundum speciē, vel alio modo creata inueniebantur: cuncta certè secundum materiam & prædestinationem. Item gratia & gloria saltem in Angelis inueniebatur. At re vera complementū operum quantum ad naturæ cōditionem & integritatem pertinet, fuit septima die: quia tunc mulier adiuncta est viro, quem nō erat bonum esse solum. Quapropter dicitur eo die compleuisse opus quod fecerat, scilicet pręcedentibus diebus, & sexta die. Non .n. compleuerat, sed fecerat aliquo modo. Hoc genere dicendi dici solet ille opus aliquod perfecisse, qui iam solidum principium constituit, & cui ad perficiendū præstò adest integra materia. Facta ergo fuit mulier & sexta die in Adam, & septima in seipsa: & tunc completus fuit verè Adam. Quantum verò ad gratiam spectat, complementum nostrum fuit secundū rem in resurrectione Domini nostri: quoniam ipsum oportuit esse autorem gratię, qui est IESVS. Ob eam causam dictum est: Nōdum erat Spiritus datus; quia nondum erat IESVS glorificatus. Quantum verò ad gloriam, hęc futura est in consūmatione

Notandum.

Quando absolutū fuit opus naturæ.

Quando fuit perfectū opus gratiæ & gloriæ.

cōſūmatione ſeculi. Expectandū eſt .n. iudicium, quod ꝓſupponit conſūmationē operū, iuxta quæ reddet vnicuiq; quod promeruit. Hic fortè rogaturus eſt aliquis, quomodo requieuiſſe dicitur Deus, quaſi laborauerit faciendo? Sed non eo rigore oportet verba accipere: imò verò & ſic aliquo modo, nō quaſi verè laborauerit ille qui nunq̄ laborat, nec noſtro more laborare poteſt, ſed ad modum laborantis ſe habuit. Nā quicunq; agit aliqd (præſertim nihil inde ſibi acquirens) ad modum laborantis ſe habet, & alteri ſeruiens, non ſibi. Talem ergo fuiſſe Dominum Deum exiſtimare debemus quando condidit creaturas, & perinde grati eſſe, ac ſi re vera à ſua requie ceſſare, & noſtri gratia laborare dignatus fuiſſet. Et ideò dicitur ſanctificaſſe illum diem quando perfecit omnia, & benedixiſſe illi, tanquam in illo ad ſemetipſum redierit ſibiipſi iam ſeruiens, & nō nobis vltrà, quibus fecit quod debuit. Dico debuit, quia nobis debere voluit quę erant & naturæ & gratiæ, quatenus ex iis quæ fecit, legē ſimul atq; exemplum nobis præberet ſimiliter laborandi, vt inde noſtram requiem caperemus. Quocirca nō placet expoſitio illa quæ dicit, Requieuit, id eſt, nos requieſcere fecit. Nā vel tunc maximè nobis fuerūt indictę operæ, & inde exortum eſt operandi pactum, quò & nos ſimiliter poſſemus quieſcere, quemadmodum docet Apoſtolus ad Hebræos ſcribens. Itaq; relinquitur ſabbatiſmus populo Dei: quanquàm alio modo laborauit, & alio modo quieuit Deus quàm nos. Ille abſq; ſudore laborauit, & omninò abſq; vlla ſui mutatione, nos verò non item. Sic & quies eius incomparabiliter diſtat à noſtra, etiam illa quā Deo ipſo iuuante ſperamus in patria. De numero autem ſenario, quòd ſit numerus perfectus, Mathematicus deprehendit. Nam vt B. Auguſtinus ait, Non ideò numerus ſenarius eſt perfectus, quia Dominus ſex diebus opera ſua perfecit: ſed quia hic numerus perfectus eſt, iccircò Dominus perfecit opera ſua, vt ſcilicet hoc ipſo perfecta eſſe intelligantur. Nec debet à Theologo ſperni hæc numerorū conſideratio (more Eraſmi & quorundam recentiorum magiſtrorum) quoniā magna in his continent myſteria. Sic .n. ſex diebus omnis vita noſtra videt finiri, quæ ſex ætatibus terminatur, & ipſe mundus pariter. Nam cū intelligimus Dn̄m Deum fuiſſe operatū vt poſtmodo quieſceret, tū & nos quoq; admonemur & inuitamur eſſe nobis pariter laborandū & operandū, ſi velimus ad vnum diem qui ſempiternus eſt, inuariabilis, & incōmutabilis peruenire, in quo erit requies ꝑpetua ab omni opere & labore: quandoquidē ſolùm erit tum receptio mercedis & præmii. Ob iſtam cauſam ſolus hic dies ſeptimus non deſcribitur per mane & veſpere, ſicut omnes reliqui dies: quoniā perfectā habet claritatē. Attende aūt in quo perfectio numeri ſenarii conſiſtat, nimirum cuius omnes partes ſimul ſumptæ integrū ipſum cōſtituant. Vnum.n. & duo & tria, quæ ſunt eius partes, faciūt ſex. Sic accidit in mundo iſto, cuius partes ſimul collectæ quoddā vniuerſum ac perfectum faciunt. Hoc igitur vniuerſo ſic ſex diebus, & eo quod adiecit die ſeptimo perfecto, dicitur Deus quieuiſſe ab operibus nouis faciendis.

Quomodo laboret Deus.

Hebr. 4.

Numerus ſenarius perfectus.

Numerorū cōſideratio non ſpernenda.

Et benedixit Deus diei ſeptimo, & ſanctificauit illū: quia in ipſo ceſſarat ab omni opere ſuo quod creauit vt faceret. Primùm inquirendū eſt quid ſibi velit hæc benedictio facta diei ſeptimo, & quid cōſequenter ſanctificatio. Et certè id habere momēti videtur benedictio circa tēpus, vt eo in tempore, id eſt, die ſeptima, quā vocant Sabbatum, Deus maximè coli voluerit & ſanctificari, quatenus colentibus concederet munera & dona ampliora. Quapropter ego quidem exiſtimo, ſeptimo die quando creata fuit mulier, Dominum impleuiſſe eos ſummis benedictionibus, & illam diem eis potiſſimū aſſignauiſſe ad agendas gratias, & cōſeruanda augendaq; in ſeipſis dona. Nihil enim æquè irritat Dominum Deum, nihil tam illū ceſſare facit à benefaciēdo quàm ingratitudo. Mulier ergo ad benedictionem pertinere videtur, quoniam illa die fuit ædificata ipſi Adę in auxilium & donum quoddam, & gaudiū, & benedictionem, & coronam eius, quibus nominibus mulier bona in Scripturis decoratur. Significat igitur Dominus debere diē hunc haberi ſanctum, & totum cultui diuino ſacratum, ab omnibus prophanis operibus ea ratione remotiſſimum, quòd tum demum compleuerit omne opus ſuum pro nobis, vt requieſceret in ſeipſo. Itaq; in hac huius diei ſanctificatione intelligitur præceptum Sabbati in Decalogo repertum, in quo præcepto implicitè continetur præceptum dilectionis Dei. Sic enim Deus colitur fide, ſpe, & charitate, B. Auguſtino teſte, vt ſit hoc mandatum vetus ab initio non nouum, quemadmodum teſtatur Dilectus.

Pro cultu feſtorum dierum ad ſuſcipienda dona cæleſtia.

At ſunt qui negant hanc Sabbati religionem tunc fuiſſe inſtitutam atq; præceptam à Deo. Primùm quidem, quoniam nulla id neceſſitas poſtulabat. Sabbatum enim continet præceptum requietis à laboribus, & iis operibus quę retrahunt hominē à cultu Dei.

An Sabbati obſeruatio fuerit ab initio inſtituta.

F

Sed tunc nō fuissent istæ necessitates vitæ, ob quas oportuisset laboribus victū q̄rere, & ita à diuino cultu abstrahi. Deinde, Si fuisset ab initio p̄ceptū primis hominibus, fuisset datū omnibus, & ita fuisset naturale p̄ceptū, & sic omnes fuissent eo obligari. Hoc aūt apparet falsum apud Gentes, quæ hunc diem Sabbati non seruabant. Denicq; hoc p̄ceptū Sabbati videt̄ fuisse per Mosen datū, non ergo anteà. Huius rei istud signum est, quoniā ante Mosen non seruabatur, vt apparet: & in Gentibus non agnoscebatur. Hebræi autem tunc obseruare cœperunt, quùm Moses ex dicto Domini mandauit obseruandum.

Responsio. Nos autem respondemus, hoc præceptū Sabbati ab initio fuisse à Deo traditū: qa tunc fuit sanctificatus ille dies, quemadmodum clarè testatur Scriptura. Ineptum autem est quod quidam commentus est, sanctificationem illius diei quam Moses commemorat, non esse veram pro illo tempore, sed referri debere ad tempus quo Moses scripsit, vt sit sensus, quòd tunc sanctificatus inuenietur, quando præceptum fuerit per Mosen. Hoc commentum, inquam, ineptum est, & contra literam ipsam, & contra ipsius Moseos declarationem reddentis rationem cur præceperit celebrari: Memento, inquit, vt diem Sabbati sanctifices, idest, sanctum agnoscas illum diem, & operibus bonis præcipuè dedicatum, & dignum in quo potissimum Deum colas, & ita quiescas ab aliis vel contrariis vel extraneis, qualia sunt cuncta opera quę in hominum fiunt aut voluptatem, aut commodum atq; seruitium. Vbi diligenter notandum est, præceptum Sabbati non tam esse quietis, quàm operis datum populo Dei.

Sabbatum piis operibus dicatum.

Eo quippe die maxime tenet̄ homo operari opera Dei, vt tandem aliquando vero Sabbato potiatur. Relinquitur namq; (teste Apostolo) sabbatismus populo Dei, ad quē si peruenire velimus, oportet nos operari in Sabbato Dei, hocest, Vbi cœpit Deus ipse quiescere ab operibus suis, ibi incipit debitum operarum nostrarum, quando scilicet perfecit quæ in gratiam hominis facere decreuit, prouidendo illi cuncta necessaria ad salutem. Hæc enim debuit, quoniā (vt iam diximus) ob suam immensam bonitatē debere voluit. Tunc incepit homo versa vice debere suas operas Deo, quibus persolutis posset legitimè quiescere. Et hoc est verum Sabbati præceptum antiquitus traditum & morale, quod tunc ad omnes gentes pertinuit: nec propterea necessariò colligitur illud esse ex lege naturali. Nihil enim prohibet diuinum ius ad

Heb.4.

omnes gentes extendi, cuiusmodi fuit lex matrimonii ab initio, vt Dominus ipse testatus est. Porrò licet non fuissent multę operis mechanici necessitates, non tamen redundabat hoc Sabbati præceptum: quin erat decētissimum certam ac peculiarem diem diuinis laudibus & gratiarum actionibus assignari. Non enim sine opere prorsus victurus erat homo, cui & Paradisus excolēdus datus erat, vt subiiceret terram, & liberalium studiorum amabilis occupatio, quorum in ea die præcipiebatur cessatio. Nam totus ille dies erat tribuendus Deo, & contemplationi diuinorum mysteriorum, & gratiarum actioni.

Matth.19.

Sabbati p̄ceptū in primæuo statu conueniens.

Nec illud item obstat quod obiiciunt, ante Mosen nullam fuisse Sabbati memoriam. Hoc enim quomodo probant, cum nesciamus quinam essent festi dies illis, quibus erāt nota mysteria? Certum nanq; est, iuxta B. Thomæ doctrinam, debere homines natura ipsa dictante habere status aliquos peculiares dies ad Dei cultū, pręcipuè assignatos. Est verò huius rei confirmandæ argumentū non inefficax, à consuetudine omniū gentiū, quæ id semper obseruarunt. Modò nescimus quem diem præcipuum obseruarēt prisci illi Dei cultores. Nam de retinendo Sabbato, iam non erat necessarium quicquàm pręcipi, cum pertineret ad primum pactum quod præuaricatus est Adam. Vnde non poterat homo vlterius obseruare illud adeptà sibi facultate per peccatum, quo inimicus Dei erat constitutus. Itaq; oportuit illum reconciliatione & nouo pacto ad cultum Dei restitui, & aliquem assignari iterum diem, vt ex ipsius volūtate & præscripto posset ab homine coli: de qua re nihil habemus in historia proditum. Tantùm scimus, Mosen Sabbatum præcipisse, non quasi satis esset illius diei cultus qui ad solam creationem respiciebat. At nos creationem, idest, primam nostram conditionem per peccatū destruximus: vnde et præceptū euanuit, quod factu redditū est impossibile. Sic & p̄ceptū fuit vt comederent ex omni ligno Paradisi, & de ligno vitæ. Quū verò fuerunt inde eiecti, inane reddītū est p̄ceptū illud. Renouauit aūt Moses illud Sabbati p̄ceptū ad instructionē Israelitici populi, vt intelligerēt aliquando primā cōditionē suā à qua exciderant, & ita p̄pararenē ad aliā diē instaurationis octauā, in qua cōgruēs per bona & pia opa Sabbatū celebrarent, nō otio & q̄ete, nisi tantū ab operibus malis, quē sanctificationis ritū nunq̄ intelligere voluerūt carnales Iudæi. Ideò Christus Dn̄s noster plerunq; ac dedita opera edebat eo die miracula, & cu-

Nota.

& curationibus vacabat, vt doceret eam cęrimoniã quę pro tẽpore ad instructionẽ erat, aliquando cessaturã: & ꝙ ipsi spirituale Sabbatum nõ poterãt obseruare secundũ intentionem legis, tametsi secundũ literã obseruarẽt, & non transgrederentur legem Moseos, quã strictius obseruabant quàm legem Dei.

Et cessauit ab omni opere quod creauit ut faceret, idest, quod creauit ad faciendum, siue ad operandum, volens vt opus suũ quod fecit, idest, homo similiter faceret & operaretur sex diebus, quatenus & ipse posset exemplo Domini Dei sui quiescere & sabbatizare sua die.
Hæc expositio multis placet, quæ & iuuatur ab hebraica veritate, quæ sic habet: *Quòd creauit ad faciendum*, vt opus sit finis creaturæ. In hoc enim creata est non vt sit otiosa, sed
Pro bonis operibus cõtra hæreticos. vt operetur. Et hoc debent hæretici perpẽdere, qui tanta impudentia negant opera, cõtra manifestam rerum naturam & rationem, quam & Philosophi agnouerunt. Asserunt enim omne quod est, propter suam operationem esse. Operatio autem cuiusqꝫ rei, finis eius est, sine qua operatione res manet inutilis, otiosa, & vana, vtpote quę suũ finem non assequitur. Quare vehementer metuẽs B. Paulus ne in tam graue periculum Corinthii otio & torpori dediti præcipitarentur sola fide nitentes, ad eos scripsit.
2. Cor. 6. Hortor vos ne in vacuum gratiam Dei receperitis. Et
Ps. 23 Psalmista laudat eum qui non accipit in vanũ animam suam. Quòd si verba illa, *Vt faceret*, ad ipsum Deum referas, videtur liberam quandam Dei voluntatem creandi significare, vt si quis roget eum, cur fecisti? satisfaciat hoc solum respondens: Ideò feci vt facerem, Ac si dixerit, quia libuit facere: seu, quia mihi complacui in ipso facto. Vel si magis hoc
Duo præcipua Dei opera. placet, accipe. Cũ sint Dei duo opera pręcipua, alterũ opus creationis & factionis hominũ, & cæterorũ quæ gratia hominis vidẽtur condita: Alterũ verò opus recreationis & refectionis, postquàm homo destruxit opus Dei, idest, seipsũ, ideò dicit: *Quod creauit ut faceret*, idest, quod creauit faciens, nõ aũt reficiẽs. Quẽ sensũ videnť verba hęc porrigere, quòd scilicet Deus cessauit ab omni opere quod creauit vt faceret, idest, quod erat creationis & factionis, vt seruaret opus recreationis, seu restaurationis & refectionis, si fortè oportuisset, quẽadmodũ et oportuit. Propterea dicit Dñs:
Ioan. 5. Pater meus vsqꝫ modo operať, et ego operor, tanq̃ dixerit nobis. Vos nõ permisistis Patrẽ neqꝫ me in qete nostra, vt dignũ erat, ꝑmanere. Corrupistis .n. primã creationẽ vestrã, vnde me adegistis ad opus recreationis et instaurationis. Quãobrẽ dictũ est hîc, quòd requieuit Deus ab omni operẽ quod patrarat vt faceret ipsum, nõ aũt ab opere illo, quod ꝑtinet nõ tam ad factionẽ, quàm ad refectionẽ & instaurationẽ. Venit .n. instaurare Dñs collapsa omnia per peccatum nostrũ. Ideò etiam dictum est: Faciet Dominus nouum in terra. Fęmina circundabit virũ: quod factũ est postmodo. Verè hic sensus est egregius & verus: quanq̃ superiores etiam veri sunt.

Istæ sunt generationes cęli & terræ, quando creatæ sunt, in die quo fecit Dominus Deus cęlum & terrã, & omne virgultum agri antequàm oriretur in terra, omnemqꝫ herbam regionis priusquàm germinaret. Non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat qui operaretur terram. Sed fons ascendebat è terra, irrigans vniuersam superficiem terræ. Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciẽ eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.

Primũ quod ait, *Istæ sunt generationes* &c. nõ pertinet ad opus illud creationis ante omnẽ diẽ. Loquitur .n. de cęlis qui primo die creati sunt, & sic de terra. Ideò generationes vocat, quoniam ex illa prima materia facta sunt omnia, & nõ distincta solũ: alioq nõ propriè generatio dici põt ipsius materię & primi cęli, quæ ex nihilo facta sunt. Quod verò dicit, *In die*, põt de prima die intelligi, in qua facta sunt cęlũ & terra, siue cęli iuxta veritatẽ hebraicã. Et licet addať, *Omne virgultũ agri*, quod constat esse factũ tertia die, potes sic accõmodare vt satis prima die verè dicanť creata omnia, qm̃ illa die locus omniũ, & elemẽta vnde omnia generata sunt, fuerunt condita. Aut (quod magis placet) diei appellatione nõ vna dies, sed certũ tẽpus significatũ accipiatur: ut illi sex dies ꝑ una die accipianť. Nã frequẽtissime ita Scripturæ loquunť, vt vbi legimus: Secũdũ diẽ tentationis in deserto. Itẽ: Abraham exultauit vt videret diẽ meũ. Itẽ: In hac *Luc. 19.*
die quæ ad pacẽ tibi. Itẽ: Dies festus scenopegia, ꝑ toto tpe illius festi. Vnde & subiũxit: *Ioan. 1.*
Iam aũt die festo mediãte, seu in medio diei festi. Et alibi: In die belli. Et sicut in die Madiã. Itẽ: In die bona fruere bonis. Et: In die iuuẽ-

tutis memēto Creatoris tui. et : Nox pcessit, dies aūt appropinquauit. Iterū: Ecce nunc dies salutis. Imò & totū hoc seculū nō secus ac vna dies diei vocabulo significatur. Vnde
Ioan. 9. Dominus: Me oportet operari donec dies est. Sed hęc nimis nota sunt etiam pueris, dicta tamen propter eos qui hinc volūt probare vna die fuisse cuncta creata, & sic subuertere superiora, & hunc ipsum Scripturæ locum, vbi planè ad literam exprimitur benedictio diei septimi, qa in illo cessauerat Deus ab operibus. Et quomodo septimus vocatus fuisset dies (nam hîc de certo die loquitur) nisi sex præcessissent?

Notandum Annotandum verò est Prophetā hîc primùm dicere cępisse, *Dominus Deus*, Additur enim huic nomini Elohim, Tetragrāmaton IEHOVA. Et vt mihi videtur, vox ista Tetragrammaton, significat Deum ipsum cum relatione ad creaturas, quatenus ipse est summum ens & principium omnibus et causa essendi: & quatenus illa sua summa prouidētia, hominibus huius seculi qui pereūt incognita, regit cuncta & gubernat. Ex quo factum est vt illud nomē sit ineffabile, atq; adeò apud Iudæos honorabile ac venerandum, vt ob supremam illius maiestatem nō audeant illud effari. Vnde per illud intelligi arbitror immēsam bonitatem, qua se Deus creaturis suis
Quando primū nominari cœpit nomen IEHOVA. communicauit in Christo. Iccircò non est hactenus hoc nomen auditū exprimi à Propheta, nisi post rerum omnium perfectam creationem ac benedictionem, & statutam legem sanctificationis, in qua cultus Dei præcipuè circa hoc ipsum mandatus fuit hominibus, videlicet vt quilibet sibi in eo cultu & gratiarum actione operaretur Christum ipsum ad propriam quietem. Dominus enim Deus hoc solum à nobis exigit ne ingrati simus. Et hoc constitutum est pactum, & mā-
1. Ioan. datum vetus dilectionis quod fuit ab initio.
Quòd verò hebraicè prius legitur *Terra*, quā *Cœlum*, non caret ratione, nimirum ad manifestius significandum non de eo cęlo et terra haberi sermonē, quę fuerunt ante sex dies.
Nota. Tūc enim prius cōmemoratur cęlum quàm terra, & meritò vt omninò dignius. Nō sic autem de hac vera terra, & cęlis inferioribus. Nam etsi prima die creata fuerint, primò tamen intelligitur terra stabilita super quam luceret lux, quæ apertè prima die facta dicit. Ob eam causam per Psalmistam primùm cōmemoratur: Initio tu Domine, inquit, ter-
Ps. 101. ram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cęli. Ipsi peribunt &c. Non hoc dicit de cęlo empyrio quod nunq̄ peribit, sed de inferioribus qui dissoluentur. Ne mireris autem si dixi terram prius vt digniorem commemorari debuisse: quoniam propter illam cęli sunt, non quidem ipsius terræ gratia, sed hominis qui dignitate cęlos istos superabat. Quāquàm & iuxta exigentiam ædificii prius erat fundāda terra, & super ea postmodo digniora constituenda. Terram enim non propter seipsam, sed propter hominem constituimus istis cęlis digniorem. Quòd si esset homo secundum animam mortalis, indignissimum iudicaretur si illi inseruirent cęlestia. Sed hæc ceruicosi philosophastri nō considerant, quos verè excęcat propria superbia. Non omnes quidem damnoi Scio de quibus loquor, & quorum me miseret.

Illud magna cum attentione annotandū, iuxta hebraicam veritatem siue phrasim sic legi ad literam: *Et omne uirgultū agri ante erit in terra, & omnem herbam agri ante florebit*, quod significat Dominum Deum fecisse virgultum ante erit eius, idest, ante causas quibus potuisset naturaliter verè dici quòd erit. Et sic fecit omnē herbā agri anteq̄ ex causis naturalibus aptatę essent ad fore, vt similiter dici nō posset, Florebit, secundū naturales causas. Deus. n. perfectè res ab initio fecit sua omnipotētia absq; secundis causis. Et ob eam causam subdit.

Nō enim pluerat, seu pluere fecerat, Dominus Deus super terram: & homo non erat qui operaretur terram, sed fons ascendebat è terra irrigans vniuersam superficiē terræ. Vt enim omne virgultum & herba nasceretur, necessarium erat naturaliter vt è cęlo venirent pluuiæ, quodq; etiā homo operaretur & coleret terram. Cum igitur nec pluuias hactenus fuisse ostendit Propheta, hinc accipere debemus productionem illam supernaturalem fuisse per omnipotentiā Dei, quæ secundis causis non eget. Quod verò addidit: Sed fons ascendebat &c. significat nec ex terræ humore id processisse, cum humor ille adhuc esset in terra, à qua recēs erat remota aqua & segregata in vnum locum. Ideò terra in tanta humiditate & tam paucorum dierum spacio, nimio adhuc humore aquarum oppressa, quas Scriptura fuisse testat super faciē abyssi, non potuisset ex se herbas & virgulta producere. Quare hebraicè dicitur: Et vapor, seu nubes, ascensurus erat de terra, & adaquaturus vniuersam superficiem terræ: aut, saliet & adaquabit, quibus verbis clarè ostenditur, hæc nondum fuisse quando productum fuit virgultum & omnis herba in terra, idq; ne intelligeres ex illo vapore venisse iam exsiccata terra. Etenim dum illo humore replet terra, germinare nō potest

test. Itaq; Dominus creditur vna & eadem opera vtrumq; fecisse, productionem plantarum simul cũ ipsius terrę exsiccatione à tãto aquarum humore, vt postmodum cultu hominis indigeret, & pluuiis opportunis quas Deus ordinauit ad fructus terræ temporibus suis producendos, queadmodũ passim Scripturæ indicant. Ne quis verò hæc temerè fieri arbitretur, Deus interdum cęlo inhibet ne pluat, vel contrà vt nimium pluat, quatenus nos ab illo pluuias opportunas postulemus, vel importunas amouendas deprecemur.

Pluuias & siccitates Dei prouidētia euenire

Id autem sæpe facit quò planè recognoscamus & credamus in prouidentia Dei & manu arbitrii illius esse cuncta posita. Vnde Iob: Quis est pluuiæ pater, vel quis genuit stillas roris? Et Psalmus: Et parat terræ pluuiam. Et Ieremias: Metuamus Dominum qui dat nobis pluuiam temporaneam et serotinam in tempore suo. Et Zacharias: Petite à Domino pluuiam in tempore serotino, & Deus faciet nubes: quanquàm hic Zachariæ locus magis spiritualiter intelligendus est de cęlesti doctrina, quam postmodo pluit per se & per Apostolos suos in tẽporibus nouissimis, idq; propter similitudinem. Talia verò reliquit nobis Deus veluti signa quædam prouidentiæ suæ, per quæ posset homo etiam ex hoc ipso mundo tanquàm ex libro colligere Dei bonitatem & prouidentiam. Quocirca B. Paulus apud paganos prædicans, istud ipsũ commemorauit dicens: Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit Deus benefaciens de cęlo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lętitia corda eorum.

Iob. 38. Ps. 146. Ierem. 5. Zach. 10. Act. 14.

Vnde & Aristoteles ipse non casu pluuias euenire, vt putarunt quidam insipientium, sed certo fine, vt frumenta & fruges incrementa susciperent opportuna, à Dei sapientia & prouidentia determinauit.

Aristo. lib. 2. physicorum.

Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem, seu in nares *eius, spiraculum vitæ*, seu vitarum. *Et factus est homo in animã viuentem.* Ecce hîc audis Dominum Deum, idest, Tetragrãmaton. Rogabit quis: Cur non condidit Dominus ab initio hominem in ea integritate compositum in qua nũc est, sed primò formare corpus voluit de limo, scilicet ipsum hominem quatenus est puluis & corpus? Respõdeo: Ob eam causam Dominus Deus formauit primò hominẽ de humo secundum illam partem qua homo est puluis, idest, secundum corpus, vt suam naturam ex hac elementorum distinctione, ex quibus est homo secundum corpus, perspectam semper haberet: & quòd secundum hãc primam partem quæ est subiectum & materia, ipse terra est & puluis, vnde dicimur terra & puluis, seu cinis & terreni, teste sanctiss. Ioanne: Qui de terra est, terra est, & de terra loquitur. Sapientissime ergo voluit nos naturam nostram & conditionem non ignorare, ne nimium gloriaremur, quanquàm in hoc non sit finitus homo: quod vt plenius cognosceres addidit.

Cur Deus non condiderit statim perfectum. *Ioan. 3.*

Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Vbi considerare licet non more cæterorum animantium animam hominis eductam esse de potentia materiæ. Nam solus homo inter animalia tãquàm princeps omnium futurus, præcipuè ac meritò præcipui cuiusdam honoris causa animam de cęlis venientẽ accepit, & icircò incorruptibilem & sempiternam. Quapropter uigilanter adiectum est: Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitarum (sic enim habet hebraica veritas) tanquàm à Dei flatu immediatè sit condita, non ex flatu ipso, quasi Dei flatus sit ipsa anima, aut aliquid flatus eius, idest, substantiæ eius, sicut quidam insipientissime hac parte, & Tertullianus, putarunt, asserentes animam esse de substantia Dei: sed à flatu & inspiratione Dei profecta est anima, vt intelligeres eam accepisse quandam similitudinem per quam esset spiritus ex amore Dei procedens: sicut ipse Dei flatus, idest, spiritus Dei, spiritus est & ex amore, vnde & ipsa fluxit. Per hunc igitur Dei flatum significatur bona & benignior erga nos Dei voluntas, de qua citra vllius materię opẽ spiraculum hoc vitarum emanauit immortale atq; incorruptibile. Eius enim sapientia & bonitas post primam materiæ creationẽ melioribus creaturis suis etiam meliora è suis thesauris dona largiri dignata est, vt quorũ substantia esset merè spiritualis, nõ à materia dependerent, sed immediatè à spiritu eius procederent: quæ verò erant corporis, mediante materia producerentur. Nam lux & firmamentum, & quæcunq; prima & secunda die creata fuerunt, de prima materia effluxerunt, quæ iam creata inueniebatur antequã tempus esset. Ideò dictũ est: Fiat lux, Fiat firmamentũ, sue sit lux, sit firmamentũ, nimirũ ex aliquo: apparet .n. ibi iussũ Dei. Si Deus iubet, certè alicui creaturæ iubet. Cætera aũt quæ facta sunt post elementa & cęlos iam de prima materia eductos, vel à terra vel ab aqs & cęteris elementis manare iussa sunt. Vnde audis: Germinet terra, Producãt aquæ. De anima nostra sola sine terrę vel aquæ, vel alicuius elementi adminiculo audis: Inspirauit Deus, siue insufflauit Deus, vt eius diuinã ori-

ginē possis intelligere. Nā rerū naturę ex primis principiis vnde sunt, noscunt. Insup circa corpus ēt hanc ꝓrogatiuā hominis accipe, quomodo ēt dignatus est ipse Dominus formare illud, tametsi de humo. Considerandū est ergo accurate istud quoq; singulare & nobile hominis figmentum etiam secundum corpus. De nulla enim alia creatura corporea habetur expressum, eius formationi Deū ipsum astitisse. In aliis creaturis quodam modo despicienter dictum est, Producat, seu producet terra. Producant aquæ &c: quo sermone vsus est Dominus vt secernendam disceremus illius prouidentiam, quæ singulariter fertur super ea opera quæ singulariter de manu atq; arte eius composita fuerunt.

1. Cor. 6. Propterea dixit Apostolus: Nunquid de bobus cura est Deo? Nónne hîc debet merito exclamare omnis homo, sed potissimum Christianus & vere gratus: O' nimiam Dei erga hominem bonitatem. O' magnam hominis erga Deum ingratitudinem. Etiā vile corpus nostrū honorauit circa illud operās manu propria, vt ab aliis operibus tanto honore segregaret.

An per seipsū Deus corpus hominis formauerit. Istud quęstionis superest, An omnino per seipsum Deus nulla alia causa prorsus media ante corpus hominis formauerit. Non est enim in hac sententia, & recte, D. Thomas. Nam quid prohibet aliqua suo ministerio operatos esse Angelos, videlicet quæ poterat eorum virtus & ars? Quod autem ipsi non valuerunt, Deus hoc ipsum suppleuit. Idē efficietur in nouissima resurrectione, quoniā ipsorum erit colligere cineres & formare corpora, eorum tamen duntaxat qui boni & iusti probati fuerint. Malorum autem cadauera à malis spiritibus recolligentur. Ob eam causam scriptum esse existimo: Vocauit cęlos de sursum, & terram discernere populum suum. Non est quippe apud me dubium qn & ipsi Angeli plurimum desiderauerint hominis creationem adiuuare, quò maiori nos amore prosequerentur, & vigilātius tanquam opus suum ex parte custodiret. In ipso enim hominis corpore prę cæteris aliorum animalium corporibus pulchrum atq; admirandum apparet artificium.

Hîc etiam oriri potest quæstio, fuerit'ne ita corpus illud compositum vt aliquo modo viueret, sicut embrio, antequam coniuncta illi esset anima. Huiusmodi nodum libenter aliis soluendum relinquo: quādoquidem ad neutram partem vel sustinendam vel repudiandam mihi rationes vrgentes occurrunt.

Quid præterea & quatenus Angeli in formando hominis corpore præbuerint, & qd immediate suppleuerit Deus, fateor me ignorare, quod etiam rescire parum referre arbitror. Illud potius discutiamus quid sibi velit istud: *Et insufflauit Dominus Deus in faciem*, siue, *in nares eius*. Dicimus faciem hominis vultum & superiorem partem, vnde signa vitæ maxime prodeunt. Ibi enim anima exercet sensuum potentias, cum insint omnium sensuū organa, licet tactus per totum corpus spargatur. Dixit autem, *Nares*, quia respiratio & inspiratio per eas exercentur. in quibus vis animæ viuentis est assidue. Vnde & Iob dixit: Donec superest halitus in me, & spiritus Iob. c. 27.
Dei in naribus meis. Dixit autem inspirasse spiritum vitarum, vt intelligeres animam hominis (vt iam diximus) cum sit vnica, plura tamen habere officia ad omnia vitæ munera exercenda, vegetatiuæ scilicet, sensitiuæ, & secundum locum motiuæ, & deniq; intellectiuæ, quanquàm quidam sophistæ contra doceant.

Et factus est homo in animam viuentem. Exprimit egregie atq; eleganter finem hominis, qui est vita per animam, ac si dixerit: Factus est homo vt viuat, & operationes vitæ exerceat. Forma enim hominis finis est eius, & operatio est formæ finis, non omnis quidem operatio, sed excellens illa quæ est secūdum potentiam intellectiuam. Vnde recte legitur hebraice, *In animam vitæ*. Non dixit vitarum, vt illa solùm vita quæ est ab intelligentia rerū significaretur. Sunt qui disputant, sit'ne homo in hac oratione subiectum vel prædicatum, & concludunt esse pręd icatum, quod vehemēter admiror: quorum ratio cum sophistica sit, consultò eam præteribo. De homine enim pręd icatur hoc totū, quòd factus est in animam viuentem. Hoc potius cōsideratione dignum est, à Domino Deo primi hominis vltimum finem, in quantum erat homo, hunc fuisse designatum, vt viueret, nimirum per animam, quod potissimū præstat dum intelligit, ad quod indiget adminiculo corporis ab anima pariter quantum licet substentato ad hoc opus vt viuat homo. Quapropter sensus ipsos amat, qbus mediis ad rerum intelligentias peruenit, inter quos (teste Philosopho) oculorum sensum maxime diligit. Hi namq; sūmopere ad notitias rerum adminiculantur. B. Paulus hunc locum diligenter ponderauit, vnde & distinctionem hanc inter primum Adam & secundū accepit: quoniam primus Adam factus est in 1. Cor. 15.
animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem, in hunc sensum, quòd primus

primus Adam hoc habuit solum in creatione sua quasi sibi debitum, vt haberet animã quę viueret ex ipso scilicet corpore, à quo ministeria ad vitam naturaliter sibi conuenientem acciperet, vt posset inuestigare atq; intelligere rerum causas & naturas. Primum enim Dei studium in hoc apparuit pro anima, nõ pro corpore, & adhuc pro anima, quatenus caperet seruitium à corpore. Non fuit autem hactenus prouisum de corpore vt perpetuum maneret. Solummodo corpus hominis ad huius vitæ finem, idest, ad subministrandum organa, & ad comparandam rerũ intelligentiam fuit aptatum commodissime. Quòd si qui defectus in corpore conspiciuntur, ex vitio sunt materiæ: quia non est debita compositio eius ad animam naturaliter, nec esse potest, ipsa materiæ natura repugnãte. Satis fuit componi corpus complexionis temperatissimæ, quò posset animæ in opus iã dictum inseruire, & ideò excelleret in sensu tactus. Hac enim in parte præstat cęteris animantibus, licet in nonnullis officiis, vt velocitate, fortitudine, visu, olfactu, armis & robore corporis, superetur à plerisq; animantium. Nec enim poterat aliter fieri: quoniã si huic parti prouisũ fuisset, multa eũ alia defecissent, quæ ad finem hominis plus conferunt. Vice quidem armorum corporis habet rationem & artem, quibus idoneè atq; abundè prospicere sibi potest. Hoc verò præstat cęteris animantibus, quòd habet staturam rectam, vt respiciat sursum, & intelligat datum sibi à Deo ingenium & oculum ad perquirẽda & contemplanda cuncta quæ videntur, & nõ ritu & more brutorũ ad solũ emolumentum de terra capiendum, vitamq; porcorum in cęno obscęnarum voluptatum traducendam. Habet & os ad proferendum sermonem & conceptum cordis, cum sit animal ad societatẽ atq; cõiunctionẽ procreatũ, & disciplinę ac sciẽtiarũ capax. Ob eam causam subministranda fuerunt illi organa, cũ ob cõmunicationem in omni genere vitæ, tum etiam propter necessitatem: quoniam homo homine in multis indiget & ad vsum vitæ & doctrinæ. Iccircò caldaica litera habet: Et factus est homo in spiritum loquẽtem. Sermo enim & eloquium propriè ad rationalem & intellectualem creaturam pertinet propter communicationem & commercia. Ex quo intelligit quàm sit à recta hominis natura alienum ac turpe mentiri & simulare, & hypocritam agere, & fidem datam fallere ac infringere, & quæ sunt istius generis.

Notandum

Ecce igitur primus homo in animam viuentem: At secundus homo factus est in spiritum non quidem viuentem per corpus, sed per Deum & ipsius gratiam: nec id solum, sed etiam viuificantem, idest, reddentem perfectè animam ipsam viuam vita beata, & consequenter per animam ipsum corpus. Spiritus enim est qui viuificat, qui insuper sua die tribuet spiritualem corpori vitam incorruptibilem & immortalem. Talis igitur in his verbis describitur homo iuxta perspicuam Apostoli doctrinam, secundum statũ naturæ suę, vt quis eius finis naturalis futurus erat manifestetur, si eum Dominus illo in statu permanere permisisset. Non permisit autem sapiẽtissimus & piissimus Pater: quoniam suo fine (vt iam anteà ostẽdimus) frustratus fuisset homo, cui & multi defectus ex necessitate materiæ accidissent. Adiecit ergo benedictiones quibus & naturæ status perfectus fuit, & adiectus est status gratiæ ad cęlestem gloriam, ex quo poterat dici alius homo, vel nouus homo, siue secundus Adam non iam terrenus, sed cęlestis in spiritũ viuificantẽ factus. Induit enim Christum qui de cęlo venit.

Plantauerat autẽ Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat. Produxitq; Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue: Lignũ etiam vitæ in medium Paradisi, lignumq; scientiæ boni & mali. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomẽ vni Phison: ipse est qui circumit omnem terram Euilath, vbi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est, ibiq; inuenitur bdelium, & lapis onychinus. Et nomen fluuii secũdi Geon: ipse est qui circumit omnem terrã Aethyopiæ. Nomen verò fluminis tertii, Tigris: ipse vadit contra Assyrios. Fluuius autem quartus, ipse est Eufrates.

Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis ab initio, in quo posuit hominem quem formauerat. Dominus Deus prouisor hominis & perfector, considerans defectus quos iam commemo-

rauimus, & iis omninò volens occurrere, primùm præparauit locum homini quē perfectum facere decreuerat, illius primariæ perfectioni conuenientem. Locus enim (vt Philosophi docent) locati conseruatiuus est. Vocatur autē græca voce Paradisus, eius tamen originem, persicam esse volunt quidam, alii hebraicam à Pardes. Latinè dicitur Hortus. Hebraicè GHAN. Nec enim sunt ita de Paradiso spiritualiter intelligenda vt pereat sensus historiæ, quemadmodum rectè admonet B. Augustinus his verbis: Quæ commodè dici possunt de Paradiso intelligendo spiritualiter, nemine prohibente dicantur, dum tamen & illius historiæ fidelissima veritas rerū gestarum narratione credatur. Epiphanius quoq; tanquàm hęresim damnans oppositā opinionem, dixit: Si Paradisus non est sensibilis & corporeus, non est etiam fons. Si nō est fons, non est flumen. Si non est flumen, non sunt quatuor principia, non Phison, nō Geon, non Tigris, nec Euphrates. Non est ficus, non sunt folia, non comedit Heua ex arbore, non est Adam, idest, terrigena, nō sunt homines: sed veritas iam fabula est, & omnia ad allegorias reuocantur: hæc ille, & rectè. Offendit verò quosdam hic narrandi modus, nimirum quòd plantauerit Deus Paradisum illum, quibus indignū videtur si cōstituamus Deum quasi agricolam & hortulanum pro hominibus. Sed iis occurrit egregiè B. Chrysostomus vt ueritas historiæ seruetur, his verbis: Et plātauerat, inqt, Deus hortum secundum Orientem. Considera & hîc dilecte, quòd nisi (vt dignum est) de Deo verba hæc recipiantur, necesse est vt in profunda errorū detrudamur. Quid enim dicere poterunt & de his verbis, qui omnia quę de Deo dicūtur, humano more accipere audent? Et plantauit Deus hortum. Quid? Dic, oro, fossorio'ne opus habuit & agricultura, & alia cura vt Paradisi hortū excoleret? &c. Hæc ille. Vbi paulò inferius refellit opinionem quę putat nullum esse re ipsa locum delitiarum in terra: & id quidem opportunè, contra illos qui historiam absq; causa in allegoriam torquent, in quem errorem periculosè Caietanus incurrit circa mulieris creationem, vt suo loco dicemus. Illud ergo primùm firmiter statuendum est, fuisse locum specialem Paradisum in terris homini præparatum à Deo. Credo autem ea ratione Paradisum vocatum, quoniam huiusmo di voce fortè magis exprimitur loci conditio, qui esset consitus viridibus herbis, atq; arboribus spectabilibus & frugiferis, & esset septus

Esse re uera Paradisum terrestrem.

B. Augu. de ciuit. lib. 13.

Epiphanius.

Quō Deus plātauit Paradisū

B. Chrysosto. in Gen.

conclusis ibi animalibus ad iucunditatē & solatium gratis. Hæc omnia potes facile coniectare & intelligere, cū dicat propheta Dominum Deum plantasse Paradisum illum. Etenim ex tanti agricolæ pręstantia satis potes qualis fuerit ille hortus conijcere. O' miram ipsius Dei dignationem. Hortulanus pro nobis factus est & plātans & colens hortum. Et Dominus IESVS veri restitutor Paradisi, in facie hortulani Magdalenæ, hoc mysterium non obscurè innuens, apparere dignatus est.

Vocat itē Scriptura Paradisum voluptatis, iuxta nostram literam, quo genere dicendi hæc quæ dico vera esse perspiciuntur, vt intelligeremus locum illum fuisse amenissimū, saluberrimum, speciosissimum, delectabilissimum, vbi purificata essent elementa & terra quantum cogitari potest, nec quicquàm posset in loco terreno amplius desiderari vel ad aspectum, vel ad cibum, vel ad quietem, vel ad contemplationem. Verum est tamen hebraicè legi EDEN, quæ vox & voluptatem manifestè significat, & locū certū in quo ipse Paradisus erat constitutus. Vnde paulò post: *Et fluuius egrediebatur de Eden*, quod interpres videns significare locum, interpretatus est locum voluptatis. Vox enim vtrunq; significat, & voluptatem, & voluptatis locum, vt dicitur inferius cap. 4. Egressus Cain habitauit profugus ad orientalē plagam Eden: quanuis sit ambiguus sensus, an idem locus explicetur qui hoc in loco. Nullo autē modo placet cuiusdam opinio, qui ait locum istū esse illum de quo apud Ezechielem cap. 27. Quî enim, rogo, fieri potest vt ille locus sit idem cum eo Paradiso de quo hîc agitur, cū ibi eius loci mercatores memorentur? An fortè Paradisus est locus mercatorum, cum sit non solùm inhabitatus, sed etiam inaccessus & incognitus hominibus? Equidem de hoc loco consentio ferè cum B. Augustino ad Orosium in hunc modum scribente: Paradisus in Oriente situs est interiecto Oceano, & à nostro orbe longè remotus, in altissimo loco constitutus, pertingens vsq; ad lunarē circulum. Vnde illuc aquas diluuii peruenisse minime dicitur. Hic locus à primi hominis reatu interclusus est, nec vlli animantium datur ad eum aditus. Hæc illius sanctissimi Doctoris sententia, quam libenter sequor. Hoc vnum non fit mihi verisimile, tantæ esse altitudinis vt vsq; ad lunarem circulum pertingat. Scio hanc de Paradiso sententiam à B. Thoma & recentioribus ascribi venerabili Bedę, & reprehēdi. At Beda ex B. Augustino

Paradisus terrestris qualis.

stino habuit. Verisimile autem est, illud B. Augustinum nō somniasse, nec ex seipso finxisse, sed à vetustioribus accepisse.

Vbi situs Paradisus. Adiicitur & quæstio, vbinam sit locus ille Paradisi. Creditur verò communi cōsensu, esse in ea plaga quā primò Sol oriēs illustrat, nec sine ratione: quoniam & ipsa vox hebraica, *Eden*, siue *Gheden*, hoc significat. Vnde et quidam quod in nostra trāslatione legitur, *A principio*, transtulerunt, *In oriente*. Oriens autem quasi dextera cęli habetur, teste Aristotele. Et antiqua quidem fuit, imò Apostolica traditio, versus Orientem fieri debere altaria, & orationes ac supplicationes ad Deū porrigendas, quanquàm non sit vbiq; obseruatum. Dominus enim dixit: Venit hora quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Nec tñ illam apostolicā illam & cęrimonialem traditionem dānamus, qua verus noster Oriens significabatur.

Porrò cum Oriens terra spaciosissima sit, inquiritur in quanam Orientis parte situs sit. Variè à Doctoribus respondetur: multi autē (& hæc est celebris opinio) dixerunt esse sub circulo ęquinoctiali: quoniam ibi putant esse regionem temperatissimam. Aristoteles verò, cui B. Thomas pro more magis assentit, definiuit eam inhabitabilem propter nimium ęstum. Alii contrà respondentes, negant diu motari æstum in hac dispositione. Sed planè nunc compertum est omnes terrę plagas esse habitabiles, & quæ olim creditę sunt inhabitabiles, nostra tempestate commodissime & numerosis populis habitari perspicuū est, vbi etiam longam vitam viuunt homines. Rectè igitur in hac quæstione B. Thomas & alii sapientiores concludunt, Paradisi locum nedum non esse hominibus peruium, sed incompertū, & talem nūc vt vbinam sit, nemo absq; reuelatione scire possit. Arbitratur tamen B. Chrysostomus ante diluuium nota fuisse hominibus loca & viam, per quam illùc pateret aditus. Posteà verò neq; Noe, neq; vllum alium nouisse mortaliū. Illud certò concludendum, esse re ipsa locum illū in terra, vbi positus & inde eiectus fuit Adam, iuxta omnium sententiam, & peculiariter B. Ioan-*Damascenus.* nis Damasceni, qui eleganter dixit: Deus cōditurus hominem ex visibili inuisibiliq; natura secundum propriam imaginem & similitudinem, tanquàm quendam regem & principem omnis terræ & eorum quæ sunt in ea, constituit ante eum quasi regiam quandam, hoc est, locum regalem, in qua conuersans beatam & opulentam duceret vitam. Et hic est diuinus Paradisus à Deo plātatus in Eden, promptuarium vniuersę exultationis & gaudii, qui est positus in Oriente excelsior omni terra residua, temperatissimo atq; purissimo aere circumfluens, plantis ac floribus semper comatus, bono odore ac lumine plenus, excedens intelligentiam pulchritudinis vniuersæ terræ & auræ sensibilis, diuina regio, & digna conuersatione eius qui secundum imaginem Dei factus est &c.

Dederunt quidam occasionem etiam quærendi, an nunc itidem maneat ille Paradisus cum suo ornatu: quod non videtur esse trahendum in dubium, cum omnes Doctores quos hactenus legi, existimarint eum adhuc manere, & ibi esse Enoch & Eliam, & vt quidam non absq; ratione & autoritate Scripturarum existimant, etiam Ioannem discipulū Christi dilectum. *An maneat Paradisus cū suo ornatu post peccatū Adæ.* Verùm quidam nouus nostri tēporis tractator hac de re ita scripsit: Quòd autē Enoch & Elias & Ioannes Apostolus in eum locum transferri feruntur, id eadem facilitate refellitur qua asseritur. Quo, quæso, ex loco Scripturarum id colligitur? Elias (fateor) assumptus est: sed num in Paradisum? Quis tam audax est vt id audeat asserere, cum id nusq; memoriæ proditum inuenitur? Enoch assumptus est: sed quem in locum? Scriptura non refert. Eadem de Ioanne dici possunt. Quòd si hi cū corpore assumpti sunt, arbitror eos ibi positos, vbi & IESVS cū corpore versatur. *Refellitur opinio cuiusdā circa Paradisum Enoch & Eliā.* Neque verò propter corpus in hunc Paradisū erant trāsferendi, cum glorificata corpora aliam recipiant naturam: quod & in IESV Christi corpore accidisse dicimus, qui ianuis clausis ad Apostolos penetrauit: hæc ille. Et posthac vt hanc opinionem corroboraret, Psellum quendam Caldaicum citat. Ego verò miratus sum primùm ac vehementer huius viri sermonem tantæ fiduciæ plenum. Ait.n. tam celebrem & cōstantem (dicam audacter) clarissimorum virorum sententiam eadem facilitate refelli, qua asseritur. Refellitur, inquit. At quo pacto refellit ipse? Si dixisset eadem facilitate negatur, dignum se fortasse venia reddidisset: Licet magnorum virorum autoritatem non recipere nulla cogente ratione, male tutum sit. Verùm illud insuper addere, *Refellitur*, nimium fuit. Nec enim satis est vt quid refellatur, hoc solùm afferre quòd fortè nō inueniatur in Scripturis assertum. Quàm multa enim antiquorum gestorum sine scripto per manus tradita sunt, quę persanctè seruat & colit Ecclesia? Debuerat ergo ipse ad refellendum habere in promptu vel Scripturas, quæ aliud nobis declararent:

vel vrgentem aliquam proferre rationem, aut Doctorũ autoritate niti, eorum qui in Ecclesia illustres haberentur. Nunc autem cum Scripturæ nobis apertè dicant hos viros non fuisse mortuos sed assumptos, aut aliò de hac vita translatos, & non negent Paradisum illũ esse locum translationis eorum, quo ipse argumento eos illic non esse demonstrat? Et qua facilitate dicit locũ in quem translati sunt, potius esse cœlestem patriã, vbi est Dominus IESVS, quàm Paradisum hunc de quo loquimur? Nam quibus, rogo, Scripturis fulciet ipse quod ait homo requirẽs Scripturas? Qua etiam ratione? Tantùm quẽdam Psellum producit Chaldæũ autorem, in Ecclesia Christi non satis notum, nec admodum quidem id quod ipse putat asserẽtem. Verùm quoniam petit Scripturas, ac fortè rationes huius fidei nostræ, & Patrum certas traditiones, non grauabimur circa hoc aliquantulum immorari. Et primùm ad refellendũ eos fuisse ad corporis & animæ gloriã in Paradisum cœlestem assumptos, ratio est efficacissima, quam miror minime illi in mentem venisse. Etenim huiusmodi opinio derogat omninò dignitati Christi: & erroris est plenum prorsus & inopinabile, quenquàm obtinuisse corporis & animę gloriam ante ipsũ gloriæ autorem Dominum nostrum, quod tamen hæc opinio cogitur omninò admittere, cum Enoch & Elias multis seculis ante Christum translati sint, & non apparuerint.

Fuisse igitur in Paradisum terrestrem trãslatos iam ratio facit. Si enim (vt ait Scriptura, & creditur) translati sunt cum corpore & viuunt, & non sunt trãslati in Paradisum cœli, ergo in Paradisum terræ: quoniam non in loca inferna. Alioqui assignetur aliquis alius idoneus locus sine fictione, vbi possint tanto tempore durare corpora. Adhæc, Si eorum corpora gloriã absq; morte adepta essent, falsa esset re vera vniuersalis enunciatio B. Pauli & Scripturarum, mortẽ in omnes homines pertransituram esse asseuerantium, quódq; omnes moriẽtur, & quòd nullus hominum sit euasurus quin gustet mortẽ. Rom.5. Qui verò dicunt illos esse in Paradiso terrestri, dicunt etiam illos esse morituros, & iccircò à regula mortis non excipiendos. Nam & Apocalypsis de eorum morte & martyrio, vt nonnulli ecclesiastici Interpretes cõmenti sunt, vaticinatur. Adhæc, Non est verisimile, tantum adeptæ iam perfectæ gloriæ priuilegium datũ illis fuisse, quod vix sanctissimæ Matri Dei datum conceditur. Certè nulli Apostolorum, nec magno Pręcursori Ioanni Baptistæ, quo maior inter natos mulierum non surrexit, concessum est. Denique Christus non fuisset primus qui ascendisset in cęlos, quod est absurdissimum.

Verùm quia desiderat à nobis alterius opinionis testimonium, Ecce scriptura Ecclesiastici hoc testatᷓ manifestè, vbi legitur: Enoch placuit Deo & translatus est in Paradisum, vt det gentibus pęnitentiam. Eccl.44. Quid clarius? Nec fas est intelligere cęlestem Paradisũ Dei: quoniam non conuenit vt quis inde descendat ad prædicandum pęnitentiam. Idem ẽt de Elia habetur ibidem c.48. Nam ibi propheta conuertens sermonem, dicit de illo: Qui inscriptus est in iudiciis temporũ lenire iracundiam Dei, conciliare cor patris ad filiũ, & restituere tribus Iacob. Quod & apud Malachiam expressè dicitur: Ecce ego mittã vobis Eliam prophetã antequàm veniat dies Domini magnus & horribilis, & conuertet corda patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne fortè veniam & percutiam terram anathemate. Malach.4. Licet enim & hæc prophetia pertineat ad B. Ioannem Baptistam, in primis tamen ad Eliam, vt ipsemet Dominus exposuit aiens: Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Matth.17. Dicere autem viros istos cũ corpore glorioso esse venturos, & incredibile est, & rationem habet in contrarium manifestam. Indignum quippe esset si habentes iam cęlestia & gloriosa corpora, iterum deberent in terris cum cæteris habere commerciũ, & exercere opera viatorũ. Dominus quoque satis clarè dixit B. Ioannem Euãgelistam esse venturũ. Si volo eum manere, inquit, donec veniam, quid ad te? Ioan. ultimo. Et idem B. Ioannes in sua Apocalypsi cap. 10. perspicuè reuelationem sibi factam exponit, quomodo iterũ oporteat eum venire ad prophetandum gẽtibus, & populis, & linguis, & regibus multis. Sunt & veteres nonnulli Gręcorum qui hoc affirmant, quemadmodum Theophylactus testatur. Et eorum quidam non modo quasi hoc interpretantes de Scripturis, sed quasi historiam suæ recessionis narrantes, hoc affirmarunt. Videat qui vult hac de re Simeonem Metaphrasten in oratione de laudibus B. Ioannis. Et pręterea Nonni paraphrasim. Idem tenuit Hyppolitus Martyr in sermone de Antichristo. Idem autor Cathenæ græcę in Apocalypsim. Probauit & hanc sententiam Gregorius Turonẽsis lib. 1. ca. 24. B. Ioannes Dominicus ordinis nostri Florentinus Cardinalis mordicus hoc tenuit & defendit, vt B. Antoninus eiusdẽ ordinis testatur. Hęc produxi propter quosdam indoctos

indoctos & garrulos, qui tam leuiter & arrogãter reprehendunt & explodunt quodlibet illis nouum videatur. Nec tamen propterea dicendum est eos nequaquàm morituros. Omnino enim morientur, cum necessarium sit vt omnis homo hoc debitũ soluat. Nam & ipsemet B. Ioãnes etiam de Henoch & Elia, vt communiter exponitur, prophetat eos occisum iri vt sint testes veritatis. De se autem non tam expressè, quoniam nec cõueniebat vt de seipso clariorem mentionem faceret. Et tamen illud ipsum non obscurè innuit, quùm ait se volumen accepisse quod fecit amaricare ventrem. Hoc non aliud significare videtur quàm amaritudinem calicis sibi à Christo testificatam, qui calicem suum, videlicet passionis, bibiturum prædixit. Nam bibisse illum animo tantùm & voluntate (vt quidã volunt) non impleret ea veritate Scripturam, quã exigit. De Henoch verò & Elia, postquàm de seipso testificatus est B. Ioãnes, quomodo debebat prophetare post tempus consummationis mysterii, reuelauit historicè illos esse venturos, & testificaturos, & occisione bestiæ morituros, & ascensuros manifestè in cęlum: vbi leguntur quædam ad hos duos viros aptissime pertinentia, sicut exposuere nonnulli. Ego verò rem totam peculiari quæstione alibi tractaui.

Matth. 10

Hactenus satis est ostẽdisse non absq; testimonio etiam Scripturarum nos existimare Henoch & Eliam esse in Paradiso, & sic illũ locum manere adhuc, & non (vt hic autor putat) esse hortum deletum. Nos enim illũ cogitamus manu Domini factũ, & proinde indignum esse si deleretur in sempiternum. Nec quæ ex D. Crysostomo adducit, habẽtur pro testimonio ad comprobandum Paradisum illum in innundatione aquarum fuisse euersum, cum legatur contraria circa hoc eiusdem D. Chrysostomi opinio. Neq; dicimus (vt iste falsò sibi persuasit) viros istos habere corpora glorificata: ingenuè quippe fatemur corporibus glorificatis locũ alium assignari. Verùm non est nobis animus cuncta quę vir iste, etiam contra alios improbabiliter dixit, excutiendi. Vnum tamen istud nõ omittendum neq; ferẽdum arbitror, vtpote reprobatum claris & expressis verbis ab Ecclesia aduersus Pelagium. Neq; enim, inquit, delictum Adæ corporis mortem intulit, sed animi. Nam cur IESVS Christus generis humani reparator, cum nos à peccato Adæ eripuisset, ex illo tempore corpora nostra immortalia non reddidit? Hæc dico non ignorans, grauissimos & sanctissimos viros aliter sentire. Hęc ille non solùm contra grauissimos & sanctissimos viros, vt fatetur, verumetiam aduersus Ecclesiæ sanctæ decisionem, & apertissimas Scripturas ex B. Paulo, & ex libro Sapientiæ, & ex testimonio capitis sequentis manifestè, vt dicemus inferius suo loco. Quod autem iste adiecit: Quæ si parũ christiana sunt, retracto sponteq; refello, nõ admodum excusat profitentem doctrinam sanam, qui simul confitetur se aliis catholicis grauissimis & sanctissimis viris aduersari, B. Augustino præsertim & vniuersæ Ecclesiæ. Vnde ipsemet parũ christiana esse quæ scripsit, verè poterat arbitrari & definire. Siquidẽ plura etiam Pontificum decreta & Concilia eam positionem aduersus Pelagium eius hæresis autorem damnarunt, quę Concilia vniuersa recepit Ecclesia. Non sequitur autem, si Christus eripuit nos ab omni peccato, etiã à morte debuisse eripere. Alioqui & similis ratio esset de aliis illius peccati pęnis. Cur. n. non restituit originalem iustitiam? Cur non Paradisum illum, & alia plura quæ ex peccato illo amisimus? Sed de his inferius agemus commodius.

Interim alia occurrunt circa hunc Paradisum tractanda. Primò quidem, Num si solus fuisset omnis homo Adam stetisset, habitaturi fuissent omnes homines illum duntaxat Paradisum, & non vniuersam terram? Sed istud iam superius resolutum est. Scriptura enim palàm in verbo Dei pronunciat, conditum fuisse hominem vt repleret terram, & subigeret eam sibi, & cuncta animalia. Absurdum enim esset si terra, quę propter hominem facta est, habitatore suo caruisset. Si quis dixerit, ideò sic à Deo fuisse ordinatum, quia pręsciebat Deus hominẽ casurum, & sic à Paradiso iri expulsum, & proinde tradendam illi terram colendã, minime probo. Mihi enim prorsus præter omnem rationem dictum videtur, & multa inde absurda consequuntur, tametsi multis qui ea non perspiciunt, nullum fortè facessant negocium. Præterea non hoc mandatum fuisset illis ante peccatum, Crescite & replete terram. Itaq; propter hęc & pleraq; alia ad præscientiam Dei pertinentia (cuius rei cum sit tractatus dificillimus, eum nunc prudens omitto) existimo hominibus ob multiplicationem etiam in eo statu relictam fuisse necessitatem colendi & habitandi terram. Nullus tamen pro eo tempore, iuxta diuinam dispẽsationem, fuisset illius Paradisi expers, & de ligno vitę quilibet participasset, & eo in loco fuisset expectatus Christus, vt homines de Paradiso in Paradisum per corporis gloriam

An Paradisus solus fuisset omniũ hõ habitatio.

B. Ambro. in li. de Paradiso transferret. Vnde & B. Ambrosius ait: Posuit Deus hominem in Paradiso sicut Solem in cęlo, expectantem regnum cęlorũ, quēadmodum creatura expectat reuelationem filiorum Dei.

Sit ne Paradisus absq; incolis. Alia quæstio est econuersò, Si non colitur nunc Paradisus ille, nónne supuacuè manet? Respõdetur: Sicut ab aliquibus habitari eum locum iam diximus, & fortè à pluribus quàm putemus, ita & illum ab eis coli cõsequentissimum arbitramur. Quid enim scimus si & Moses in corpore ibi fuit, & est vnà cum Elia? Nam ambo cum Christo apparuerunt in monte sancto. Quid etiã si multa corpora Sanctorum qui, teste Scriptura, resurrexerunt post Christi mortem & apparuerunt multis, adhuc ibi concludantur aliquando transferendi in gloriam? Et tamen si nesciremus hæc soluere, & horum rationẽ reddere, non propterea ab eo discedendum esset quod iam est famosum & celebre: Alioqui nouam aliam induceremus opinionem, quæ tantum abest vt paucioribus implicetur quæstionibus, vt omninò contrà (si rectè consideretur) longè plures & difficiliores porrigat. Ad rem autem redeundo.

Non improbamus communem trãslationem nostram quę habet, *In principio*. Nam eadem vox quæ significat Orientem, etiam principium significat, videlicet temporis. *Quando plantatus fuit Paradisus.* Et verissimum credimus ab initio, idest, prima die non tertia (quia tertia dies non fuit verè initium) fuisse plantatum Paradisum illũ. Nec tamen eam sequimur opinionem, quam falsò quidam B. Hieronymo imponit, Dominum Deum plantauisse hunc Paradisum anteq̃ cęlum & terram conderet, quod est ridiculum. Nam vbi substentatus fuisset? Neq; enim vel Aquila, vel Theodotion hoc vsquàm innuit. Nec sequitur, si ab initio, idest, prima die plantatus fuerit, iccircò antequàm conditum esset cęlum & terra, fuisse plantatum Paradisum. Equidem miror nõ parum plerosq; homines (cum bona omniũ pace sit dictum) esse ad pronunciandum tam faciles. Non obstat autem aquas tertia die à superficie terrę fuisse remotas, ex quo videtur Paradisi ornatum non potuisse consistere. Aquarum enim regio locum Paradisi non attingebat, vel quia ipse erat loco eminentiore, vt traditũ est: vel quia Deus remouit eas ab initio, vt huiusmodi locum iam à se ornatum custodiret & seruaret. Nec placet quorundam expositio dicentium locum illum dispositum quidem fuisse prima die, sed tertia die ornatum fuisse plantis & arboribus. Repugnãt enim verba hæc, quibus dilucidè exprimitur, Deũ plantauisse Paradisum ab initio. Nam plantare Paradisum non est solũmodo disponere locum. Si ergo possumus simpliciter cũ plenitudine sensus intelligere, iuxta verborum significationem, & nihil inde absurdi consequitur, qd causæ est cur nõ id potius eligere debeamus? Etenim fuisse à Domino iussum tertia die vt terra germinaret, hoc non attinet ad Paradisum, qui iam ab initio plantatus erat, quemadmodum hîc planè manifestatum est ne erraremus. Indignum quippe erat vt tãtus locus cum reliqua terra componeretur. Nam & hac nota voluit Moses distinguere Paradisum & ligna ibi plantata, à cæteris lignis & plãtis terræ: quoniam de Paradiso singulariter dicitur. Plãtauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio. De cæteris autẽ nihil tale audis, sed solum Domini iussum factũ terræ vt germinaret. Quod ergo plantauit Deus ipse, tam facile putabimus exterminatũ? Et certè arborum & fructuum speciositas & virtus id suo iure quodam modo poscebat, vt indicaret hoc esse speciale & peculiare opus Dei, sicut in hominis formatione specialiter dicitur quòd formauit eum Deus: etsi re vera cuncta sint opera manuum eius, quęcunq; extra illum sunt. Quamobrem egregiè Damascenus de hoc Paradiso scripsit. *Io. Damasce.* Diuina regio, inquit, & digna conuersatione eius q̃ ad imaginem Dei factus est. O' hominis dignitatem. O' incredibilem Dei erga hominem dignationem planè immensam, sed veram. O' ingratum hominem, qui tanta leuitate postposito Dei mãdato, aures antiquo serpenti præbuit. Quid autem diceremus si ad altiores mysticas interpretationes venire, & quid in illo Paradiso spiritualiter intelligere daretur, possemus contemplari? Verùm hęc sunt eorum qui possunt dicere. Conuersatio nostra est in cęlis.

Produxitq; Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum uisu, & ad uescendum suaue. Lignum etiã vitæ in medio Paradisi, lignumq; scientiæ boni & mali.

Hîc Moses incipit describere Paradisum, Primò declarans quòmodo erat cõsitus omni genere arborũ quę visu spectabiles, & gustu suaues essent, quas tamen arbores produxit Dominus Deus de humo. Hebraicè, ADAMA, quę vox significat terram. Non tamen est eadem vox qua solet vti Scriptura ad significandam terram, nimirum ARETZ. Et ideò interpres rectè vertit, *Humum*, quia humanẽ terrã significare videtur. ARETZ autem ariditatem potius sonat, quod & alibi

est

eſt obſeruandum. Deinde deſcribit Paradiſū à ligno vitæ, quod ibi plantauerat Deus. Ex ipſo autem nomine intelligere licet, Dominū per illud vitæ hominis, ne moreretur, prouidiſſe cum dicatur lignum vitæ, ſeu (iuxta hebraicam veritatem) vitarum.

De ligno vitæ contra quoſdā

Quidam tamen nouitatum amantes, contra hiſtoriam & veritatem nitentes, putant nihil fuiſſe virtutis in hac arbore ad producēdam diutius hominum vitam, quantumuis nouerint nobiliſſimos Theologorum aliter docuiſſe, contra quos nō uerentur etiam ſine ratione opinari. Non negant quidem certam fuiſſe arborem, ſed ſic à Deo vocatam, vt intelligeret homo perinde immortalitatem ſibi à Deo ſeruari, atq; in ſerpente animali ſerpens Diabolus declaratus eſt ob ſymbolum. Sed explodenda ſunt hæc omninò & contemnenda. Sunt.n. non ſolùm contra doctiſſimorum & ſanctiſſimorum virorum communem ſententiam ignobilia cōmenta, verumetiam cōtra Scripturam ipſam inferius apertiſſimā. Nam eiecto Adam de Paradiſo præfigitur Cherub cuſtos, ne forte illûc reuerteretur Adam, & ex illo ligno comederet, viueretq; in ęternum. Ex quo loco apertè conuincuntur hi homines ad pauca reſpicientes, & tam facilè opinātes: ni verò etiam hunc locum ſuis nouis cōmentis ac pręſtigiis fortè velint nobis eripere. Non eſt tamen negādum, allegoricè per arborem illam Chriſtum cum beatiſſima Virgine fuiſſe ſignificatum, vt veriſſimum reddatur fuiſſe lignum vitarum, quò facilè vitā ęternam ſe adepturos ſperare poſſent, cum viderent ſe ad priorem immortalitatem ſecūdum corpus iam eſſe prouectos. Sed hoc alterius eſt ſpeculationis.

Quō lignum vitæ dabat immortalitatem

Cōtentiones tamen phyſicæ hinc oriunt, quonam modo cibus ille poterat homini immortalitatem præſtare, cū in ea arbore eſſet virtus finita, cumq; eſſet ipſa arbor corruptibile quoddam corpus. Reſpondetur autem, aſſidua eius ſumptione hoc peragendū fuiſſe. Nam illa arbor quę modo ſumpta ad certum tempus ſeruaſſet, poſteà iterum atq; iterum ſumpta ad aliud certum tempus ſeruare poterat: quanquàm non erat opus vt in ęternū ſic homines ſeruarentur, cum poſt præfinita tempora eſſent inde transferendi in cęlum. Nec tamen eſt contendendum cum eo q tantam vim negaret eſſe in re corporea, vt ſemp poſſet vim attractiuam alimenti & conuerſiuā ſeruare in ęternum, ſed ad hoc oportuiſſe aliquid virtutis latenter ſuppleri à Deo. Nihil enim hinc abſurdi conſequitur. Illud certū, quòd non opus fuiſſet ibi perpetuò viuere. Et illud æquè, imò magis verum, omnipotenti Deo nihil eſſe impoſſibile aut difficile. Itaq; niſi peccatū interueniſſet, certiſſime tenendum eſt, hominē etſi ex ſe mortalis eſſet, attamen non fuiſſe moriturum. Deus enim (vt teſtatur Sapiens) mortem non fecit, ſed inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum. *Sap. 1.* Et B. Paulus: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors. *Rom. 5.*

Obiiciunt quidam: Deus illi homini dimiſit peccatum. Hoc enim habet pia mortaliū fides, teſte B. Auguſtino, imò Scriptura ſacta. De primo enim homine ſcriptum eſt: Eduxit illum à delicto ſuo. *Sap. 9.* Hoc ergo ſtante quòd primus homo reſtitutus eſt in gratiam priſtinam, cur non ſimul in Paradiſum repoſitus eſt vt viueret in ęternum. Alioqui quomodo liberatus eſt à delicto, ſi non à morte, quæ eſt magna pars pęnę delicti, & pęna eſt illius peccati effectus? Cur igitur ſublato peccato, quod erat cauſa mortis, non etiā effectus ipſe, ideſt, mors ipſa ſuffertur?

Cur primus homo non fuerit reſtitutus in Paradiſo terreſtri

Reſponſio.

Reſpondetur, ſublatum quidem omninò fuiſſe peccatum, non tamen omnes peccati illius effectus, qui ſeruati ſunt non iam vt pęnæ peccati, ſed in quibus (vt eleganter dixit B. Auguſtinus) exerceremur ad meritum. Itaq; interim ſolùm in gratiā & in ſpem gloriæ reſtitutus eſt homo, à ſeruitute Diaboli et peccati liberatus, vt cæteris pęnis manētibus, & duriore eius conditione ad aſſequendum regnum cęlorū conſtituta, diſceret poſt peccatum humilitatē & timorē ſibi eſſe ſeruandā, & hoc propter Chriſtum. Non enim congruū erat, ſi Chriſtus innocentiſſimus propter nos mortē & alias pęnas immeritò aſſūpſit, quò ſibi per eas mereretur dominium cęli naturaliter ſibi debitum, vt nos præuaricatores ab eiſdē pęnis eriperet, ac nō potius in illis dimitteret, quatenus & nos q nocentes eramus, illius exemplo per has pęnas mereremur. Re.n. vera magis tētationes q pęnę dici debēt, nunc relictæ nobis pbationis cā ad adipiſcendum quod nō erat noſtrū, & quod ēt amiſeramus donatū. Et hęc ſatis de ligno vitæ.

Cur arbor fuerit appellata lignum vitæ

Adiicitur aūt, lignū illud ſcientiæ boni & mali fuiſſe in medio Paradiſi. Quæritur cur ſic illud lignū appellatū fuerit. Ioſephus rationē reddere conatus eſt: quoniā in eo, inqt, latebat virtus quædā accelerandi vſū rationis. At hoc dictū quidā tanq̄ impoſſibile repbāt: quia vſus rationis conſiſtit in potentia ſuperioris partis animæ. Quod aūt corporeum eſt, nō agit in animā. Alii ecōtrariò, illud diſpoſitiuè fieri poſſe defendunt. Anima enim

per organa corporis sumit rerum scientias & notitias. Certè cum Serpens hunc scientiæ effectum inde prouenire dixerit, non est inopinabile Deum in illam arborem aliquid virtutis ad hoc immittere potuisse, sicut ad diuturnitatem vitæ immisit in aliud lignum. Attamen nullo pacto putandum est id à Deo factũ fuisse, cum satis hac in re fuisset aliis viis homini prospectum. Habuit enim statim homo vsum liberi arbitrii, quia creatus fuit in statu perfecto. Vnde illud lignum non erat eius gratia, quia prohibebatur: nec tẽtationis causa propter illam virtutem proponendum homini. Nõ enim allici poterat ad appetendum illud quod ipse iam habebat, idest, vsum liberi arbitrii: nisi forte dicatur maiorẽ in eo fuisse virtutem ad præbendas scientias, quàm ad accelerandum liberum arbitrium. At oppositum huius rei postmodo patuit: quoniam vbi primùm ex eo comederũt, potius obtusi fuerunt, & in errorem prolapsi. Quod .n. vsum habuerint liberi arbitrii absq; illius ligni præsidio, patet: nam capaces fuerunt præcepti illius, ne comederent de illo. Non est autem pręcepti capax, qui vsum liberi arbitrii non habet.

Restat igitur declarare, cur sic vocatũ fuerit illud lignum. Dicunt aliqui, non propterea quòd in ea arbore vlla vis inesset inducẽdi huiusmodi notitias, nisi per accidens. Nã qui de illa comederent, experientia cognituri essent quid bonum & quid malum, idest, quid bonum amitterent non abstinendo ab hoc esu, & quid mali rursum incurrerent. Etenim cũ anteà boni & mali speculatiuè haberent notitiam, postmodo (quod miserrimum fuit) eandem practicè ex pęnis consequutis acquisierunt. Adde quòd & bonũ, vt dici solet, tum demum verè noscitur, quũm re ipsa amittitur.

Quando arbor vocata fuerit lignum scientiæ &c.

Sed quęritur, An arbor illa posteaquàm hic effectus patuit, sic vocata fuerit: an verò etiam anteà? Quidam dicunt anteà: alii autẽ putant ab illo euentu sic fuisse vocatam. Nã quũm Dominus Deus præcepit ne de fructu illius ligni comederent, non vsus ẽ iisdẽ verbis pręcipiendo, quibus ipse propheta rem gestam narrando. Nõ enim dixit: De ligno scientiæ boni & mali ne comedas, sed aliqua alia nota illud lignum signauit. Propheta verò re iam confecta, declaraturus quodnam esset illud lignum, istam notam de suo interposuit. Hæc ratio longè probabilior mihi videtur: quanuis istud non magni esset momenti. Absurdum solummodo videretur, Deum hac nota tentationẽ Serpentis ac mẽdacium adiuuasse, si tali nota eam arborem signasset.

Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandũ Paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen vni Phison: Ipse est qui circumit omnem terram Euilath, vbi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est, ibiq; inuenitur Bdellium & lapis Onychinus. Sẽsus est, Vnus solus fluuius, non autem quatuor, qui oriebatur in Eden, hocest, in loco voluptatis, irrigabat Paradisum, qui tamen inde egressus diuidebatur in quatuor capita quæ quatuor fluuios efficerent, quorũ vnius nomen Phison, quem Gangem esse plurimi dicũt, quorum sententiæ repugnare non ausim, licet quidam contrà arguant: nihil tamen afferunt quod mouere quenquam à sententia debeat. Terram autem Chauilath, terram Indię esse dicunt. Nec id vertendum in dubiũ, propter eosdem malè ratiocinantes, quod ostẽdere non arbitror operæpretium. Et fortè dicta est Chauilath terra illa, vt hebræa vox innuit, quoniã aurum optimũ profert. Quidã putãt ab Heuila filio Iectę filii Heber patriarchę Hebræorũ. Bdelliũ verò si Plinio credimus, est arbor atomatica, magnitudine oleagina, visu lucida, et gustu amara, odoris boni vino pſertim in eam infuso. Alii crystalliũ esse volunt: Iosephus lapidẽ sardonicũ. Onyx aũt lapis est colore vngui similis, & ob hoc ita vocatus. Hebræi harũ vocũ quas habent in Scripturis significãtiũ loca, & lapides, & aues, fatenẽ se nõ habere certã notitiã, quam aiunt antiquitate periisse. Huius fluminis qualitates qdam pſerẽtes, aiunt primò esse maximũ omnium fluuiorũ, q & facilè mutaẽ modo in clarum, modo in turbidũ, modo in largũ, modo in arctũ, modo in calidũ, modo in frigidum. Alicubi aiunt esse latitudinis quinquaginta stadiorum, altitudinis viginti.

Et nomen secũdi fluuũ Gihon, Hebraicè GHIGCON. *Ipse est qui circumit omnem terram Aethiopiæ.* Hunc fluuiũ Nilũ esse dicunt, quo certissimũ est totã terrã Aetiopię circundari, tametsi in controuersiã à qbusdã adducatur: sed nihil afferunt quod quicq̃ ponderis habeat. Huius fluminis ignota est origo: siquidẽ Nero, teste Seneca, misit duos Centuriones ad inquirẽdũ huius fluminis caput, qui reuersi sunt frustrati & desperãtes. Nota est aũt fluuii huius inũdatio: quãquã de eius inũdationis causa fuerit magna sẽper dubitatio, nec cõstans sententia.

Nomen verò fluuij tertij Tigris: Hebraicè, Chiddeel, De hoc nulla videtur esse cõtrouersia. Sic autem dictus est, vt quidam declarãt, quoniã eius aquæ sunt clarę ac leues. *Ipse vadit contra Assyrios.* Hebraicè, *Ipse vadit ante Assyrios*, idest,

idest, vadit contra anteriorem partem Assyriæ, seu ad orientalem plagam Assyriæ. *Fluuius autem quartus ipse est Euphrates.* Neque de hoc vlla est contentio, qui cum notus esset Israelitis, non curauit Moses explicare quò pergeret. Causa verò totius dubitationis circa hæc flumina fuit, quoniam nō videbatur fieri posse, ex eodem principio oriri flumina quæ in loca distantissima fluerent. Adde etiā quæstionem de Tigri & Euphrate, quos scitum est à monte Tauro egredi, à diuersis tamen fontibus ac seiunctis. Priores verò licet non habeāt certam originem, apparet tamen (vt aiunt) alterum à meridie fluere, alterum ab aquilone. Verùm quantum ad hos priores pertinet, D. Augustinus & alii post eum responderunt, non esse magnopere mirandū, eandem originem ita interfecari, ac ita per diuersos meatus ac riuos diuidi atque incedere, vt rursum quilibet (vt ita dicam) ramus è terra erumpens aliam videatur habere originem. Nec id est impossibile, vt quidam arbitrātur, cum non sit visum impossibile sapientibus: imò sit etiam experientia compertum verum. Nam ex Seneca habemus de Alphæo flumine & Arethusa, quæ cum videantur originē habere in Sicilia, patet tamen eorum origo in Græcia. Et hoc ad mysterium admodū congruē seruit. Cum enim per hæc flumina significentur Euangelia, quæ ex vno fluuio Paradisi, idest, Christo manantes, vniuersum terrarum orbem & quatuor eius partes penetrantes irrigarunt, conuenienter sic diuidunē, ita vt (teste Origene) diuersissimas videantur habere origines meridiei & aquilonis, propter diuersas Christi naturas, videlicet carnis & diuinitatis. Nam illa per aquilonem, hæc per meridiem significari potest. Item orientis & occidentis, quod duo vltima flumina suo cursu videntur significare. Nam Tigris ad orientem ab occidēte, vt textus ait. Euphrates contrà, ab oriente ad occidentalem plagam influēs respicere videtur. Quicquid sit tamen, siue sint hi, siue alii fluuii, parum refert, nisi quatenus ad mysterium facit, quod non ignorat ex incertitudine aut ignoratione locorū. Et satis nobis est quum possumus à perfidis tueri nostra, quando nobis obiectant falsitatem, aut impossibilitatem narrationis Scripturarum. Nec enim tenemur illis persuadere in sua duritia perstantibus. Satis est quòd Scriptura in omnibus oppugnantem retundat, etsi in huiusmodi repugnantem non vincat, cum meritò tantæ sit autoritatis, vt captiuari velit omniū intellectum in obsequium sui.

Seneca lib. 5. de quæst. natu.

Tulit ergo Dñs Deus hominem & posuit eum in Paradisū voluptatis vt operaretē, & custodiret illū, pcepitque ei dicēs: Ex omni ligno Paradisi comede: de ligno aūt scientiæ boni & mali ne comedas. In quacunque.n. die comederis ex eo, morte morieris.

Tulit ergo Dominus Deus hominem &c. Primū hinc elicitur, Adam non fuisse creatū in Paradiso, vt cognosceret se ex dono habere locum illum, & consequenter cętera omnia dona ac munera, non autem ex debito naturæ. Sciret insuper locum illum sibi tantisper cōcessum, quoad maneret in obedientia præceptæ abstinentiæ. Posuit autem ibidem hominem vt operaretur, & ipsum Paradisum coleret, non autem vt ipse Deus operaretur, iuxta quorundam expositionem satis coactā. Paradisus enim apud Hebræos, est fęminini generis, & de illo dicitur, vt homo operaretur eam, seu coleret, aut inseruiret ei, videlicet vt ex ea conuenientes fructus sua industria reciperet. Nam prima omnium cura quam dedit homini Deus & natura ipsa, vt Philosophus ait, est agricultura, quam tunc exercuisset citra vllum sudorem, cum alacritate & facilitate quantum opus fuisset, & absque lassitudine. Et hìc aduerte, non esse dubitandum quin Adam ab initio præditus fuerit astrorum scientia, postquàm ad colendam terram destinatus est, ita vt iam perspectam haberet terræ potentiam & temporum varietates ad procurandos suis tēporibus fructus. Et quod dicit, *Et custodiret eum*, intellige Paradisū. Custodiret aūt sibi, ne à Dæmone rabie & inuidia ac dolis pleno deceptus mereretur inde extrudi. Et hinc colligo homini fuisse dictū vt sibi caueret ab iniquo, sicut habet Scritura. Decebat.n. pmoneri hominē de hoste, quò sibi posset ab eo cauere. Custodiebat ergo sibi Paradisū non peccādo, & nō consentiēdo Serpēti, q subdolè ad extrudēdū eū vēturus erat. Ob eā causā parentes nostri ambo à principio peccauerūt, quoniā cū cognouissent serpēte Dęmonē, nedū statim nō exhorruerunt, sed sermoni eius curiosè intēderūt, & paulatim locū patefecerunt, per quē posset caudā suā venenosus serpēs immittere, ac subinde totū caput intromittere ad vulnerādas lętaliter animas, & in suā possessionē rapiendas. Inseruiendo aūt homo Paradiso, sibiipsi inseruiebat, cū Paradisus ille ppter hominē, non homo propter Paradisū esset ordinatus.

Nota.

econuersó, ea est peccati natura vt qui peccauit in corpore, et in ipso corpore puniri debeat. Propterea futura est hominũ peccatorũ resurrectio, vt quæ gesserunt in corpore, luant cum corpore. Nec ob id tamen putãdum mulierem comedendo nõ peccauisse: quia illi mandatum fuit à Deo ne comederet, licet non Dei voce, sed per ipsum Adam, vt rectè notat B. Chrysostomus. Erat quippe Adam constitutus à Deo caput mulieris loco sui, postquàm ex illo mulier prodierat. Ob eam causam debebat ei obedientiam & fidem, sicut corpus capiti, & sicut ouis pastori. Fuit .n. ab initio cõstituta Ecclesia in Adã & Heua.

Adã fuisse creatum libero arbitrio pditum. Ex hoc autem Domini mandato clarè accipimus, creatum fuisse primum hominem libero arbitrio præditũ, quatenus mereri posset ac demereri. Poterat ergo non comedere, ac sic parere mandato. Quare stulta omninò essent & impia commenta de fato aut dispositione syderum, si inde fingeretur impulsus Adam, aut inclinatus ad non obediendum. Nam si ita res se haberet, equidem non fuisset iustus Deus, qui hominem aliter facere non valentem puniisset. Ne quis autẽ in hanc impiam cogitationem veniat, satis est considerare Dei mandatum, & pœnas delinquenti constitutas. Vnde in Ecclesiastico verè dicitur: *Eccl. 15.* Deus ab initio constituit hominẽ, & reliquit illum in manu consilii sui, adiecit mandata & præcepta sua: Si volueris mandata seruare conseruabunt te, & in perpetuũ fidem placitam seruare. Apposuit tibi aquã & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit dabitur illi: quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione. Oculi Domini ad timentes eum, & ipse cognoscit omnem operam hominis. Nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi. Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium & inutilium &c. hæc ibi. Qui locus potest obstruere os loquentium stulta. Scio esse qui respondeant hoc fuisse ab initio ante peccatum, sed post peccatum perdidisse hominem liberum arbitrium simul ac seipsum, vt quodam in loco ait B. Augustinus. De qua re opportunè disseretur inferius.

Hic verò potest acutus lector inquirere, quonam modo Dominus Deus hoc præceptum Adæ insinuauerit, an solùm inspirando in intellectum: an verò etiam sensibilibus signis & voce formata per Angelos, quod mihi est longè credibilius. Hoc profectò tenendum omninò, ipsum Adam de præcepto & ipsius præcepti autore ita fuisse certum, vt dubitare non posset fuisse ipsum met Dominum Deum.

Dixit quoq; Dominus Deus: Nõ est bonum hominem esse solum, Faciamus ei adiutorium simile sibi. Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adã animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitq; Adam nominibus suis cuncta animãtia, & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ. Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumq; obdormisset, tulit vnam dè costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitq; Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quam ob rem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Erat autem vterq; nudus, Adam scilicet & vxor eius, & non erubescebant.

Dixit quoq; Dominus Deus: Non est bonum hominẽ esse solum. Quòd ergo sexta die facto statim homine non est dictum, Et vidit Deus quòd esset bonum, magna est ratio: quoniam illa die solus inueniebatur. Non enim erat bonum esse ipsum solum, cum bonum absolutè censendum nõ sit, quod aliqua perfectione naturam ornante caret. Licet autem hîc de primo viro loquatur, tamen in hoc dicto est etiam intelligendum non esse bonum solos esse masculos in terris, sed ad productionem naturaliter etiam fœminas requiri. Nec propterea sequitur cuilibet suam esse oportere, nisi necessitas quæ in principio ad replendam terram id exigebat, ita postularet: aliàs

cogeremur fateri Apostolum Scripturæ cõtrarium, qui dicit: Bonum est homini mulierem non tangere. Etenim iccircò dictum fuit in ipso mundi exordio: Crescite & multiplicamini & replete terram, vt intelligeremus iam repleta terra non vlterius exigi illud opus ab omnibus hominibus propagandorum hominum causa, qui iam satis ac plus quàm satis fortè creuerunt. Finis enim est regula legis & intellectus illius, à quo quia hęretici auertuntur, & superstitiosè verbis insistunt carentes Spiritu, & obligati carni & literæ, quid mirum si grauiter longè(que) absunt à veritate? Ita(que) cum non esset bonum tunc esse hominem solum, sed vt conseruarentur species desiderabatur mulier viro socia ad propagandum (Volebat enim Deus naturaliter res procedere, & nõ semper extra ordinem) ideò subditur: *Faciamus ei adiutorium simile sibi*.

1. Cor. 7.

Hebraicè: *Faciam illi adiutorium quod sit coram illo*, aut erga seu contra illum, quasi è regione & in conspectu eius, idest, simile illi, quoniã eiusdem speciei. Non enim vlla beluarum erat quæ stare posset coram viro. Adiutoriũ tamen dixit, vt principalem eius societatis virum esse significaret, cui adiutorium mulier parabatur à Deo. Adiutorium autem dicit ad propagandum, & ad nutriendum ac seruandum propagata. Ideò mulier in re familiari & domestica habet propria sua post virũ officia, quæ Iconomici appositè nouerunt distinguere, & vnicui(que) propriũ munus tribuere. Id ipsum & B. Paulus sæpe docet, q insuper hæc omnia in finem vltimum, scilicet in Deum ipsum dirigit, in quem re vera sunt cuncta quæ agimus dirigenda, & non vt philosophi huius seculi, qui solum humanum huius vitæ finem considerant.

Cur dictum est faciamus, potius q̃ faciam.

At quæstio est, cur non dicitur, *Faciamus*, sed potius *Faciam*. Cui quæstioni responderi potest, ita dictum esse vt Pater ipse specialiter indicaretur, ad cuius prouidentiã id pertinebat. Nam quæ sunt prouidentiæ, Patri summo attribuũtur: & item vt seruaretur intelligentia mysterii, quoniam Adam in hoc Christum significabat, cui singularis sponsa paranda erat à Patre. Sponsa inquam illa dignissima & sanctissima, quę singulariter ex ipso viro manu Dei formaretur, vt meritò diceretur Virago, idest, ex ipso viro sumpta. Hęc est Virgo Maria semper immaculata, quæ secundum spiritum fabricata est à Deo vt esset inter alias prima Filia educta de Christo ex carne eius & ex ossibus eius, sicut ait Apostolus de Ecclesia. Ipsa enim est quæ continet nos omnes, de qua scriptum est: Sicut lætantium omnium habitatio est in te.

Eph. 5.
Ps. 86

Formatis igitur Dominus Deus cunctis animantibus terræ, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Mirificè ostẽdit Propheta quomodo Adam citra experientiam habuerit notitiam physicã, quæ maxime versatur in notitia animalium. Nam hæc sunt inter naturalia quæ pręstò & ante oculos adsunt digniores creaturæ habentes in se naturam aliarũ. Dicit ergo iuxta hebraicam literam: *Et formauit Dominus Deus de humo omnem bestiam agri, & omne volatile cæli*. Quo in loco manifestè apparet formata fuisse volatilia ex humo, si quod dictum est de humo etiam ad volatilia referri debeat. Quod verò adiecit, *Adduxit ea ad Adã*, intelligendum est secũdum veritatem, vt cõmuniter creditur, non autem secundum fantasiam solùm. Ne(que) tamen dicendum est, à Domino quasi ab homine manu & per capistrum aut funes illa fuisse adducta, aut (vt quidam volũt) Angelorum ministerio: sed hãc illis bestiis immisisse extimationem, vt irent ad illum quasi agnoscentes dominum suum, & vt ab ipso agnoscerentur, & inderet nomen singulis speciebus iuxta vniuscuius(que) proprietates. Ideò ait, *Vt videret ipse*, scilicet Deus, *Quomodo vocaret ea*: non quasi Deus ipse nesciret, sed vsitato dicendi more apud Scripturas, quo significatur, vt hoc apparere faceret, vel vt videret ipse homo. Nam ex ipso animalium aspectu adiuuabatur ad cognoscendas earum naturas, specierum(que) diuersitates ac proprietates, Deo interim interius illustrãte intellectum eius, vt quod ex aspectu conii cere non poterat, latenter doceretur. Est.n. Physionomia quidẽ scientia non improbanda, quæ ad inspectionem vultus ac membrorum naturas animãtium miro modo cognoscit. Falsum est autem & contra vim literę & communem aliorum interpretationem, animalia nõ venisse locali motu ad Adam: quia etiã falsum est, ex corporali visu ad notitiam propietatum eorum non fuisse adiutum. Possemus nihilominus sic exponere, Deum adduxisse illa ad Adam, vt ipse Adam videret quid vocaret ea, idest, haberet ex obiecto causam speculandi eorum naturas. Tunc.n. (vt sanctus Doctor ait) non erant homini in alium vsum animalia, nisi ad scientiæ physicę exercitium, quæ in notitia animalium potissimum consistit.

Physionomia

Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Significat conuenientia eis ab ipso Adam fuisse nomina imposita, non quæ haberent significationem animalium proprietatibus

prietatibus

prietatibus naturaliter conuenientẽ, sed Adã imponẽs tales nominibus significationes, per ea docuit congruas proprietates animalibus singulis conuenientes. Hoc autem summæ esse sapientiæ Pythagoras, Marco Tullio te- *Cicero Tusc. quæst. 1.* ste, dicere solebat. Creditur autem probabilissime linguam hebræam fuisse tunc ab ipso Adam inuentam, atq; vsu in omnem posteritatem vsq; ad linguarum diuisionem peruenisse, & inde in progenie Heber mansisse, & vsq; ad hæc nostra tempora in eius posteris secundum carnem durasse. Probabiliter itẽ videtur à B. Augustino dictum, nos hac ipsa lingua in cęlis vsuros. *Appellauitq; Adam nominibus suis cuncta animantia*, seu cuncta iumenta, *& vniuersa volatilia cœli, & omnes bestias terræ*, siue agri. Omittit pisces qui non sunt adducti ad illum. Facile enim eorum naturam ex aliis terrestribus poterat accipere.

Adæ verò non inueniebatur adiutor: similis eius, vel *coram eo*. Significatur hîc (quemadmodum superius lectorem commonefecimus) post creata iam omnia animalia, & ipso etiam homine iam creato, nondum fuisse inuentum à Domino Deo adiutorium homini simile illi, cum tamen hoc in cæteris inueniretur, & vidisset Deus non esse bonum relinqui homi- *Cur homo sine muliere creatus.* nem solum. Hoc fortè singulari quodam diuinæ prouidentiæ consilio ita factum est, vt homo animaduertens cæteris animantibus adiutorium ad propagationem non deesse, quod sibi deerat, quodq; sibi charissimum futurũ erat, illud appeteret, & oratione à Deo obtineret. Nam etsi videret se ea lege conditum vt perpetuò esset mansurus, non proptereà fiebat quin non stimularetur ad propagationem, vt plurificarentur supposita. Nõ enim ob eum solum finem homo liberos desiderat, quia velit saltem in ipsis (vt quidam existimant) perpetuari: sed propter bonum propagationis. Homo nanque in illo statu etiam secundum naturam erat animal sociabile. Vnde etsi homo non perpetuaretur, optaret tamen ex se progeniẽ, cum qua vellet agere immortalem vitam. Ob istam igitur causam existimo Adam mirum in modũ concupiuisse sociam, & oratione obtinuisse, dũ consideraret cætera animantia, quorum ipse erat dominus constitutus, minime hoc bono tamq; dulci solatio carere.

Immisitq; Dominus Deus soporem in Adam: cumq; obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Profundum illum somnum quem Dominus immisit in Adam, ecstasim vocarũt Septuaginta. Probabile est autem in eo optatæ sociæ desiderio, & petitione quam fecit Adam, exauditum fuisse à Domino, qui rem tam mirabilem effecit immittens soporem in illum, idest, somnum grauem ne sentiret, quo dormiente tulit vnam de costis eius, & inde ædificauit fœminam, & illius costæ loco reddidit ac reposuit carnem. Eiusmodi factum & mirificum fuit, & magna continet sacramenta: licet Caietanus quorundam Rabbinorum (vt puto) suggestione ludificatus, totum hoc factum contra apertissimã Scripturam, & communem omnium Doctorum sententiam negauerit. Quid enim est aliud quàm vniuersam hanc historiam penitus destruere, & negocium nobis gratis facessere? Et tamen hanc ingratam prouinciam vel inuiti necessariò propter eos cogimur suscipere, qui facile omni vento flante mouentur, & se debilibus argumentis persuaderi patiũtur. Verùm nolo hoc in loco nimium remorari lectorem. Sepositam hanc quæstionem faciam, & confutationem huius hæresis intolerabilis. Satis hîc fuerit eius prima fundamenta euertere, quibus innixus, se fuisse coactum fatetur hęc, quę certè sunt noua somnia, comminisci.

Primùm est. Vndiq;, inquit, Moses insi- *Confutatur Caietani error circa formationem mulieris ex costa.* nuat sermonem suum metaphoricè esse intelligendum. At istud miserabile est prorsus, vndiq; hoc Mosen insinuasse, neminem tamen vno (Caietano excepto) Catholicorum hactenus hanc insinuationem tam manifestã aduertisse. Nunc audi reliquum. Vt enim hoc ipsum probet, accipit Deum die sexto mulierem creauisse. Non potest ergo septimo die intelligi eiusdẽ mulieris vera creatio: Ergo metaphorica erit. Sumptum verò putat probari clarè ex litera primi capitis, vbi dicitur: Et creauit Deus hominem ad imaginẽ &c. Masculum & fœminam creauit eos. Et nos respondemus, hunc virum vt immemorem moris Scripturarum, grauiter esse deceptum. Scripturis enim est frequentissimũ multa per anticipationem & per recapitulationem narrare. Quod ergo dictum est superiore capite, Masculum & fœminam creauit eos, per anticipationem dictum esse non est dubitandum. Quanquàm illud ẽt more Scripturarum vigilanter obseruandum est, quod B. Thomas docet, satis dici posse cre- *B. Thomas.* atam fuisse mulierem sexto die, cum tunc creatus fuerit homo ex quo illa erat educenda. Vnde & D. Chrysostomus eleganter super illis verbis, Masculum & fœminam creauit il- *D. Chrysosto.* los, sic ait: Vidisti quomodo quod nondum factum, quasi factum narrauit? Tantum valent oculi spirituales &c. Et paulò post: An-

tequàm mulierem producat, participem facit imperii, & benedictionis honore dignatur: hæc ille. B. Hieronymus quoq; in Iudæos idem asserit, Mulierem fuisse conditã die septimo. Hos sequitur B. Thomas & communiter expositores, quoniam & ad mysterium pertinet. Quòd si proteruire quis vellet, & mordicus defendere creatam fuisse simul cum viro sexto die mulierem, non tamen propterea sequeretur nequaquàm fuisse ex viro eductam, sicut hîc narrat historia. Nam quæ memorantur facta sexto die, hîc quo modo facta fuerint explicatur. Nihil quippe prohibet post narrationem sex dierum, in quibus cũcta condita memorãtur, declarari modũ productionis mulieris. Nam declaratur etiam modus productionis viri, q tamen extra controuersiã sexta die conditus est. Quanquàm re vera ex ipso literæ contextu expressius apparet eductam de costa viri mulierẽ septimo die Sabbati: cuius rei causa verius dicunt opera Dei in illo die fuisse completa. Ecce vides prudens lector quàm citò corruat ædificium huius hominis, vtpote super fundamẽto falsissimo constitutum.

B. Hierony. · Notandum

De somno item ac sopore quem Scriptura testatur immisisse Dominũ in Adam, quo argumento ostendat non fuisse verum somnum, rogo te lector attende, ait enim: Non poterat esse verus somnus, cum nihil comedisset Adam. Somnus autem solet ex euaporatione ciborum generari. Et ideò inquit Adam dormisse, non tamen expergefactum fuisse siue euigilasse describit: hęc ille. Vbi nõ attendit quomodo somnus ille fuit à Domino immissus, vt minime fuerit necesse illum à causa naturali venisse. Mitto autem nõ à solo cibo somnum excitari solitum, vt physici norunt. Porrò inepta est probatio quã adhibet, ideò coniectari non fuisse verum somnum, quia non adiicitur quòd euigilauerit. Nam si hoc valet, nec Dauid nec Abner, in quos legimus immissum fuisse somnum à Domino, verè dormierunt. Nusquàm enim scribitur an post talem somnũ euigilauerint. Et similiter nõ verè dormierunt discipuli Domini apud B. Matthæum, quùm Dominus orabat, quos è somno expergefactos non legimus. Si dicat satis elici de Scriptura postmodo eos euigilasse, cum narrentur posteà eorum opera, quę non sunt nisi vigilãtium. Ego itidem dico, etiam apertè legi adductam fuisse ad Adam mulierem, & quomodo ipse verba illa mysterii ptulerit, ex quo facto clarè elicitur eum euigilasse, cum tale opus esse non possit nisi hominis vigilantis. Sed quis me coegit in eiusmodi tam futilibus ineptiis tantopere immorari? Quis non sentit nimiã esse quorundam affectionem atq; admodum intemperatam, qua huius viri doctrinam defendere nimis obstinatè conantur? Et si quęritur autoritas, plus illi tribuunt quàm priscis & longè firmioris gloriæ viris, ita vt nostri quidam miseri iuuenes non solùm reliquorũ Sanctorum autoritatem in huius vnius noui magistri gratiam despiciant, verumetiam ipsius B. Thomæ, non cogitantes periculum in nouitate dogmatum. Saltem valerent iudicio, vt cernere possent quàm inanibus & ridiculis interdum ille moueatur rationibus, quas vel referre & refellere tædium mihi certè est incredibile. Ideò missa nunc facio reliqua, & ad propriam quęstionem reseruo.

De somno & sopore in Adã immisso.

Superest tamen vnum amouere scrupulũ, quo maxime hic nouus autor coactũ se fuisse asseuerat ad has nouas, destructa historia, nobis proferendas allegorias. Si enim, inquit, de costa illa Adæ ædificata est mulier, profectò sequitur quòd vel Adam conditus fuit ab initio vna superabundante costa, vel si nõ abundabat, illa postmodo à se abscisa ipse mutilus manserit vna costa carens, quæ humano corpori vt esset perfectum debebatur. Hoc est argumentum quo se fuisse coactum dicit à sensu illo recedere, quẽ aperta verborum significatio porrigebat. Quasi verò hoc nouum esset argumentum & non detritum plusquàm satis in scholis: nec ob id tamen p̃motum quenquàm audiuimus ad corrumpẽdam historiæ veritatem. Nõ prosequar eius ad hunc locum expositionẽ. Est enim adeò phantastica, vt facile in confusionem pertrahere valeat, qui in iis quę huiusmodi sunt nimium studii & cogitationis contulerit. Respondere dumtaxat oportet ad argumentum commune, quo de costa illa Adę concluditur aut eam fuisse superfluam, & ita monstruosus fuisset: aut si non erat superflua, sequitur illa abiecta mutilum & mancum redditum fuisse primum illum hominem manu Dei conditum: quorum vtrunq; est inconueniens. Verùm vt hoc argumentum est cõmune Theologorum omnium, ita responsum est communiter ab omnibus Theologis, oportere primum illum hominem iuxta dupliceem respectum considerari. Prior respectus est secũdum quem erat certum quoddam indiuiduum: & secundum hoc, fatemur eam costam illi fuisse superfluam. Posterior respectus erat, secundum quem erat principium humani generis. Et secundum hunc non erat ei superflua hęc costa, de qua mulier

Dubiũ ex Caietano de costa · Solatio. · Primus homo duplici modo cõsiderandus.

erat

erat educenda. Erat itaq; superflua illi, non autem absolutè superflua, quemadmodum accidit in semine.

Argumentum Caietani. Verùm instat Caietanus dicens: Satis est mihi in eo primo homine quatenus homo erat, costam hanc fuisse superfluam, vt censeatur absurdum. Ex hoc enim sequitur monstrosum fuisse illum hominem, quod de nulla re est dicendum in prima rerum creatione à Deo. *Responsio.* Et nos dicimus non sufficere aliis ad concipiendum absurdum, id quod ei sufficit. Sicut enim non habet pro absurdo (quoniam nec verè absurdum est) mulierem à Deo esse intentã, licet ipsa sit vir læsus, quã ipse adeò extenuauit vt quodammodo verè monstrum fecerit, reddens nobis illam quasi vnam costam respectu viri tot costas habentis, idq; excusat factum ob propagationis necessitatem: ita minime censendum est absurdum pro tam paruo tempore Adam vna costa abundauisse, qua vti volebat Dominus ad propagationem. Nec tamen adeò mõstrosus esset homo per abundantiam vnius costę, quæ tecta erat, sicut ipse facit monstrosam fœminam tot costis carentem. Et tamen in viro illud potuisset ad tempus propter melius bonum tolerari. Adhæc cum monstrum propriè significet quod est quouis modo cõtra naturam, præualeat autem vniuersalis natura particulari, vt aiunt Theologi, non est censendum simpliciter esse contra naturam, quod intentioni vniuersalis naturæ seruiuit. Voco naturæ vniuersalis intentionem quæ prospicit Vniuerso, non autem particulari. *Notandum.* Nam propter vniuersale bonum quędã aliqui defectiones tolerantur, imò & procurãtur à natura: ita vt non dicatũ illud simpliciter innaturale, quod ab vniuersali natura dispositum est & intentum, ac per hoc neq; simpliciter monstrum. Addo tam paruum fluxisse temporis spacium in quo sic inuentus est homo, vt certè non potuerit dici verè hactenus creatus, donec inde mulier sumpta fuit: & ita nõ erat desideranda in homine perfectio prius quàm esset perfectè conditus. Etenim cum homo ille de limo terræ prius conditus fuisset secundum corpus, si quis ante inspiratum in eum spiritum vitæ, increpare voluisset autorem illius Deum quasi imperfectũ hominem condidisset, iure illi respõderetur: Patientiam tantisper habe, donec cernas perfectum absolutumq; opus. Tum demum artifici, si potes, insulta. Sic fecit Deus secunda die firmamentum, & non perfecit, sed ornauit illud quarta die. Similiter nõ die sexto, sed septimo (teste Scriptura) perfecit opera sua & quieuit, vt anteà imperfecta diceretur absq; reprehensione tamen Autoris, qui res corporales de imperfecto ad perfectum adducit. Iccircò neq; facto firmamento, neq; condito viro dicitur: Vidit Dominus quod esset bonum. Itaq; iam vides quàm facile corruat iste huius hominis Achilles.

Verùm ne quid dissimulem, supersunt & alia fortiora ex ipsa historiæ narratione contra hæc quæ de costa ducũtur, à Theologis excogitata, quæ miror illum hominem alioqui acutum minime cogitauisse. Nondum enim animus in eorum expositione conquiescit, cum posset quis obiicere. *Dubitationes animaduertendæ.* Si ea costa nõ pertinebat ad virum illum secundum veritatẽ naturæ etiam particularis, non propriè dici posset mulier ex viro illo orta, nec ex ossibus eius: nam illud os in viro redũdabat. Ob eã causam non admodum propriè os illius dici poterat, & consequenter non propriè ex illo viro sumpta diceretur mulier. At istud contra ipsam Scripturam est, quæ expressè vnã de costis eius sumptam fuisse affirmat. Non fuisset autem propriè vna de costis eius, si superflua illi erat. Nec item rectè dictũ fuisset: Os ex ossibus meis, simili ratione. Nec enim costa superflua erat, sicut est semẽ quod deciditur ad generandum. Id enim est viri generantis, ex cuius sanguine & medullis naturaliter deciditur. Non autem sic dici potest, costam semper & omninò fuisse superfluam. Non enim naturaliter erat insita homini ad generationem fœminæ. Adde insuper (& *Nota.* istud apud me plurimũ semper momenti habuit) Dominum Deum reposuisse, siue restituisse, aut clausisse, vt volunt nonnulli, carnem pro ea. At si superflua erat, quid oportuit restitui siue reddi loco illius costæ carnẽ? Quod enim loco alterius reponitur, indicat illud nullo modo fuisse superfluum.

Hęc sunt quæ me vehementer mouent: Nec tamen propterea discedendum censeo ab historiæ veritate ob quoduis quantumuis apparens argumentum. Cogitandũ est potius si quid cum literæ integritate afferri probabilius possit, vel ferendam cuiq; æquo animo hanc ignorantiam. Legi apud quendã satis commodè hanc rem meo iudicio cõpositam, ex quo omnia prorsus mihi cessare absurda videntur: qua expositione benignum lectorem non fraudabo. Fatetur ergo primùm ille Doctor, costã illam quã tulit Deus ex ipso Adam, fuisse de veritate naturæ illius hominis & indiuidui Adæ. *Quo sensu Heua dici debeat de costa viri formata.* Occurrit verò argumento, quo asseueraret quis, fuisse postea mutilũ hominẽ vtpote vna costa carẽtẽ:

quoniam Dominus, ait, reposuit ac restituit eius loco carnem. Ridebit forsan quispiam argutus, obijciens carnem nō esse os, & ppterea neq; esse costam. Sed qui hanc obiectionem prænouit responsurus est: Amice parumper, quæso, expecta, & simul attende vt mihi valeas respondere. Si quis te roget, quando Dominus Deus tulit costam de latere Adæ, existimas ne costam illam quā tulit, prorsus nudum os fuisse absq; carne? Vide ne hoc admiseris: alioqui te Scriptura conuincet, quæ ait. Hac vice os ex ossibus meis, & caro de carne mea, vt nō solūm os de ossibus, sed etiam carnem de carne acceptā fuisse declaret: quia illa costa non fuit sine carne. Quid ergo mirum postea, quando Scriptura tradit Deum pro ea carnem reposuisse, ita esse intelligendum vt & carnem nō absq; osse reposuerit, cum caro sola sine osse non esset idoneè subrogata p osse? quod tamen Scriptura dixit Deum fecisse. Hoc igitur dicimus, Si Appellatione ossis venit & caro cum osse, nihil mirum ecōuerso carnis appellatione os pariter cum carne comphēdi, potissimum cū sub nomine carnis totum hominem sæpenumerò vocet Scriptura. Nihil ergo iam superest, nisi quæras cur non apertè dictum sit, aliam à Deo repositam fuisse costam pro ablata, ne ex eo loquendi modo daretur errori locus. Verùm responderi potest, huiusmodi loquutionem mirum in modum fauere mysterio quod ibi cōtinetur, de quo nos alibi opportunè sumus dicturi. Dominus enim interdum gaudet relictam esse materiā in qua ingenia nostra exerceantur, accēdātur q; studiosi viri ad veritatis inquisitionem, vt videat conatum diligentiamq; nostram ad perscrutandas Scripturas. Tentat etiā nos hoc pacto consideraturus an cum timore debito atq; fide suscipiamus eius dicta, tametsi nobis non ita quadrare videantur. Decet enim vt nos captiuemus intellectum in obsequium Scripturarum, ne euadamus in inuentores nouitatum de capite proprio ad ostentationem. Si ita nos gesserimus, dignatur Spiritussanctus plenam creare intelligentiam, vt quiescat intellectus, & videat mirabilia mysteria, & gaudeat, & gratias agat.

Notandum.

Itaq; stāte hac expositione, iam vides omnia argumenta atq; dubitationes euanescere. Neq; enim est, aut fuit vnq superflua costa aut diminuta secundum hunc intellectum. Nec potest dici mulier nō sumpta de viro, nec variis textus glossis & peregrinis indiget, quibus componamus quod dicitur restitutam carnē loco ablati ossis. Ex vario enim dicendi modo factum esse locum intelligentiæ mysterij dicimus, idq; incolumi literæ veritate, si eo modo quo expositum est recipiatur. Ad literam ergo illud diligenter notabis, Deum sic mulierem condere ex viro disposuisse, vt ea in re intelligeretur viri ad mulierem principalitas, qui in hoc esset ad similitudinem Dei & Christi perfectam, ex quo omnia prodirent, & ipse esset caput omnium. Vnde B. Paulus testatur Dominum fecisse ex vno omne genus hominum. Porrò ex hac productione è costa viri, significata est mulieris cum viro societas, vtpote de latere eius: non autē seruitus, quasi de pedibus eius educta quæ debeat conculcari. De latere autem vt in æquali fœdere (vt ita dixerim) coniuncta videatur. Et ita natum est ius vxorium multò pulchrius quàm considerauerit in suis Iconomicis Philosophus. Item vt intelligeretur vnum os & vna caro, ne valerent se amplius dissoluere. Nam hoc specialiter de viro & muliere est, vt ex masculo fœmina sit, & in origine eadē vtriusq; caro fuerit. Nō enim in cæteris animātibus (& id notandum est) ita factum fuit, vt cognoscatur non esse secūdum communem naturam hominibus & brutis, naturalem hāc societatem maris & fœminæ. Vnde viri tenentur vehementer diligere vxores suas non secus ac carnem propriam. Præterea, cum postmodum adduxit Dominus mulierem ad Adam, significare voluit factam à se institutionem, probationem, & cōciliationem matrimonij. In hoc enim coniunxit illos Deus, quia præcepit matrimonium vt consentirent inuicem. Hoc Adam expressè fecit. Mulieris autem consensus non ita clarè exprimitur: Sed satis habetur ex eo quòd vertit se ad virū admonita à Deo: vt sic etiam interpretemur consensum fœminarum, etiam si non disertis verbis respondeant, quemadmodum Theologi practici docēt. In hoc primo matrimonio consecratum est omne posterorum matrimonium, legitimum tamen eorum qui fideles sunt, vt sit ratum & perfectum. Nam de aliis cum sint immundi, non curat Deus, sed dimittit cōmuni naturæ, iuxta tamen rationis lucem atq; decentiam, quæ quidē lux rationis non ascendit ad perfectionem ordinis gratiæ & peculiaris prouidentiæ ac protectionis Dei: nec vltimum coniugii finem qui est ipse Deus, satis cernit, ad quem ordinatur filiorum propagatio. Aptatur & mirificè huic facto (quod ex prædictis caussis conuenietissime sic fuit) significatio magni sacramenti, de quo paulò post loquemur.

Cur mulierem Deus ex costa viri condiderit

Et ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam

Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixit, AEdificauit, vt ostenderet non fuisse satis illam costam sumptam ex Adam ad formandum integrum mulieris corpus. Quare alia materia fuit illi costæ adiuncta, & sic formatum est corpus illius. Vel si mauis, ex nihilo creata iussu Dei, quod B. Thomæ videtur probabilius. Vel ex alia constante materia in eius corpus transformata, quod (ni fallor) B. Augustino magis placuit, quemadmodũ in multiplicandis panibus fecit Dominus. Et verè hic modus magis conuenit illi verbo, *Aedificare*. Qui enim super aliquid ædificat, de præexistente materia super illud apponẽs ædificat. Vsus est etiam verbo, *Aedificauit*, vt intelligeremus non per modum naturæ, sed artis Dei productam fuisse mulierem. Ideò non fuit propriè Adę filia, sed dei creatura immediatè ab illo facta. Angelos verò in hac compositione aliquid suæ operæ contulisse, est maxime probabile.

Et adduxit eam ad Adam, idest, hoc ipsum in eius mentem inspirauit, vt ad illum ex quo sumpta erat accederet, vt ad virum suum & coniugem inseparabilem. Quamobrem & ipse quoq; agnouit eam ex seipso esse, & iccirco diligendam, quæ ad se veniebat tanquàm suam recognoscens originem. Et deniq; cõplectenda erat, consũmandumq; matrimoniũ quod ipse Deus (O rem mirabilem) tanquã conciliator & paranymphus miris modis instituit & firmauit, & nihilominus tanq̃ pater ac Dominus illud iussit, quatenus exemplum acciperent posteri, matrimonia liberorum nullo modo esse à turpibus personis conciliãda, sed à parentibus propriis. Sic.n. Deus illos coniunxit, cuius illi intellexerunt voluntatem: & ex tunc fuit inter illos copula matrimonii omninò indissolubilis, quæ non talis est in aliis antequàm carnaliter copulẽtur: quia non sunt vna caro, sicut illi erant. Quare nõ debet, nec potest homo separare quauis autoritate in terris polleat, quos ipse Dominus Deus coniunxit.

Dixitq; Adam: Hoc nunc, idest, hac vice, *os ex ossibus meis & caro de carne mea*. Hac vice, inquit, tanq̃ si dixerit: Nunc sic erit vt ex solo viro mulier ædificetur potius q̃ nascatur. At posthac alii coniuges ex naturali semine propagati copulabuntur. Hac ergo vice tantum os ex ossibus meis &c. Agnouit ergo id esse verum quod & ipsa litera palàm explicat, videlicet ex eius osse mulierem fuisse productam. Quoniam verò costa illa non fuit nudè sumpta absq; carne, adiunxit: *Et caro de carne mea*. *Hæc uocabitur Virago*. Hebraicè: *Huic uocabitur &c*. Si ad literam velimus interpretari, necessarium est fingere nomen. Quidam dicunt Vira. Græcè eleganter dixerunt Septuaginta *Andris*. Theodotion nõ male traduxit: Hæc vocabitur assumptio, quia de viro sumpta est, quod alio accentu significat *Iscba*. Vbi vides rationem nominis ab ipsa rei veritate esse deductam. Hinc enim nomen deducendum erat, & denominatio facienda, non à commentis Caietani adeò ridiculis & insulsis prorsusq; nullius doctrinę, nisi forte vt intelligas mulierem esse virum læsum. Egregium sanè doctrinę specimen: quasi hoc nõ magis accipiatur à veritate historiæ, quàm à metaphoris. Si autem legis: *Huic uocabitur Virago*, idẽ sensus colligitur, ac si dixerit: Huic erit nomen Virago, siue Vira.

Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ. Primùm quæritur cuius sint ista verba, Adę'ne, an verò Prophetæ narrantis. Christus enim testificatus est Deum hæc verba dixisse. Num legistis, *Matth. 19.* inquit, quòd qui fecit ab initio masculum & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem &c. Itaq; Deum dixisse hæc verba haud dubium, sed an ex seipso aliquo modo, an verò per os Adę promulgantis hanc legem ex parte Dei, an tandem per Mosen historiam narrantem, non satis constat. Est tamen verisimilius, iuxta B. Augustini & Thomæ opinionem, per Adam fuisse ea verba prolata. Quæritur ergo horum verborum sensus, quæ sunt ipsius Dei quocunq; sint ore prolata. Erat enim loco Dei in terris Adam respectu propagationis, cui tenebant obedire non solùm vt patri, verumetiam vt Pontifici summo, de cuius ore loquebatur Christus. Hoc tamen diligenter notabis, non à Deo per Adam sic factum vt dici posset præceptum Adæ quasi legislatoris, sed purum Dei præceptum ab Adam quasi à promulgatore prolatum.

Propter hoc, inquit, seu *propterea*. Non enim verus est quorundam sensus, quem & Caietanus improuidè sequutus est, colligentium *Caietanus in Matthæum.* ex his verbis prohibitionem coniugii inter patrem & filiam, matrem & filium. Nam si verba subtiliter atq; attentè ponderentur, minime huic intelligentiæ seruiunt. Nam si illa vox, HOMO, significat marem, vt certè significat in hebræo, quę est, ISC, idest, vir, quo pacto dicitur quòd vir relinquet patrem, hoc est, non copulabitur matrimonio cũ patre? Quis, rogo, tam ridiculam ferre valeat ineptiam? Quòd si etiam dederimus, eam vocem, HOMO, capi pro mare & fœmina,

certè prior ac potior significatio accipiēda est vt significet marem, & redit eadem ineptia. Præterea, si eadem vox aptaretur ad fœminā, quo modo congruè de ea dici posset? Et adhærebit vxori suæ? Falsa est igitur penitus hæc intelligentia, quam verba non ferunt.

Exponitur illud, Relinquet homo patrē & matrem &c. Mihi ergo videtur hic sensus verus, perinde ac si Deus in hunc modum loquatur. Quia primùm feci vt ex ossibus & carne viri procederet mulier, & in ipso principio vnū erat quodam modo, idest, vna caro: & iterū illos animis mutuis coniunxi adducens mulierem ad virum vt hoc vinculū cognosceret & confirmaret, in quo facto ego indicaui totā cōiugii legem & sanctionem, quam nunc profero, Ideò ego dico de aliis matrimoniis ad hunc exemplum, vt ostendam legem vinculi indissolubilis, quòd relinquet homo patrē suum & matrē suam, & adhærebit vxori suæ, idest, Hoc vinculum tam validum tāq; arctum erit, vt si sit opus omne aliud vinculum soluat, etiam illud tam magnum inter parentes & liberos. Nam officia quæ vxori debentur, hocest, debitum carnis, præponentur officiis patri matriq; debitis, si simul expleri reddiq; non possint. Nec tamen more quorundam intelligas, in copulandis siue ineundis matrimoniis non esse necesse vllam de cōsensu patris & matris haberi rationem, quasi homo in copulando se matrimonio ita relinquat patrem & matrem vt non requirat eorū consensum. *In matrimoniis consensum parentum requirendum.* Nam hic sensus absonus nimiū est, nec vllo pacto ferendus. Pugnat enim contra bonos mores, & contra naturale officium parentibus à liberis debitum. Præterea, hunc sensum verba huius loci non recipiunt, quæ manifestè quid fieri oporteat iam matrimonio contracto significant, non autem qd seruandum sit dum contrahitur. Alioqui cōtra rationem & contra bonos mores (vt diximus) instruerentur liberi adolescentes, quibus nulla patris & paternæ autoritatis et consensus ratione habita, daretur licentia clandestina matrimonia contrahendi. quod certè nullo hinc pacto potest educi, sed diuersum potius. Dominus enim Deus huic primo matrimonio interfuit, imò illud conciliauit quasi primi hominis, imò quasi amborum pater, vt inde cæteri formam sumerent & doctrinā, inconsultis parentibus non deberi iungi cōiugio. Hoc enim absq; culpa fieri non posse præter rationes euidentes, est B. Ambrosii autoritas, cuius rei quæstionem particulari tractatione absolui. Non parum est argumenti hoc in loco, Deum ipsum patris exercuisse partes, qui per se primas hasce nuptias tanquàm pater conciliare dignatus est, vt à posteris inde caperetur doctrina & exemplū. Sed non omnes capiunt hæc rationū & mysteriorum momenta.

Et erunt duo in carne una, siue in carnem vnā. Licet autem hebraicè desideretur, DVO, Dominus tamen noster in Euangelio adiecit, quoniam hoc subintelligebatur: & significat eos qui matrimoniali copula coniunguntur secundum carnem, effici secundum debitum vnam carnem, sicut vna caro fuerunt ab initio Adam & Heua. Est verò vnius carnis maxime proprium vt partes se inuicē fouere debeant, nutrire, adiuuare, nec ab inuicem seiungi, & alteri carni copulari. Nam quæ sūt indiuidui partes, incommunicabiles alieri indiuiduo esse debent. Quocirca manifestè patet pluralitatem vxorum verbo Domini prohiberi, & diuortia: licet Caietanus eam vxorum pluralitatem concesserit, contra Euangeliū Christi, & iuxta Mahumetis spurcitias. *Pluralitas vxorum prohibitus.* Dixit autem, *Erunt*, vt tum demum hoc fieri intelligas, quando carnalis copula fuerit Dei iussu subsequuta, ait enim: *Adhærebit uxori suæ, et erunt* &c. Ac si apertè dixerit, Ex illa adhæsione hoc fiet, vt duo sint in carnē vnā. Ex his verò habetur diuortium debuisse semper esse illicitum, quanuis permissum fuerit per Mosen duritiei Iudæorum, vt declarat Dominus. Matth. 19

Sunt verò tria matrimoniorum genera. Vnum & primum quo Heua coniuncta est Adæ: & de hoc dicēdum, nullo modo fuisse dissolubile etiam ante carnalem copulam, quoniam expressè Dei iussum præcessit, cum adduxit mulierem ad Adam vt essent coniuges. Et specialis ratio fuit, quoniam iam erat illa os ex ossibus eius, & caro de carne eius. Itaq; completa erat omnis ratio indissolubilitatis, quæ tum completur, quando iam sunt facti vna caro. Illi ergo cum in sua origine iam essent vna caro, quia mulier de viro sūpta erat, habuerunt postea mandatū coniugū.

Secundum autem matrimonium fuit Beatissimę Virginis Marię cum B. Ioseph. Et hoc matrimonium fuit similiter conciliatum à Deo: iccircò fuit indissolubile, & nullo modo expectauit copulam qua fieret indissolubile. Quinimò matrimoniū illud debuit omni carere carnali copula in gratiam sacramēti, in quo non fuit vir maior, sed mulier, vt declarabimus. Indissolubilitatem verò habuit à mandato Domini, quo per nuncium Angelum conciliatum fuit, & eodem itē nūcio confirmatum dum ait: Ioseph fili Dauid noli timere accipere mariam coniugem tuā. Matth. 1.

Alia

Alia autem sunt matrimonia quæ non habuerunt particularem à Deo expressam conciliationem: tum verò fiunt indissolubilia, quando coniuges sunt facti vna caro. Tunc enim Deus ea firmat qui perpetuò per Scripturam loquitur, modò ea sint legitimè contracta. Nam cum ante copulam carnalem non sint vna caro, tum demum meritò fiunt indissolubilia quum vna caro efficiuntur, quod fit per carnalem copulam. Etenim hoc ex sui natura habet illa cõiunctio, propter consensũ cui Deus assistit, vt duorũ carnẽ reddat vnã. Si.n.fiat legitimè, assistit Deus, & reddit vinculum illud indissolubile. Sic dixit Deus: *Adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unam*, idest, efficientur Dei voluntate vna caro, vbi iam sic adhæserint, vt vnusquisq; habeat ius super carnem illam, quemadmodum ab initio mulier & vir verè fuerunt vna caro. Postmodo autem per illam demum copulam maritus & vxor assimilantur primis coniugibus, qui verè vnam carnem habuerunt, & confestim iubente Domino, acceperunt ius in eam. Et ideò dixit: *Et erunt duo in carnem unam*, idest, socii ad vnam carnem, & similes illis qui ab initio vna caro fuerunt, & consequenter indissolubile etiam inuenietur matrimonium horum, tanquàm tunc tandem, idest, subsequente copula, ratum firmatumq; à Deo. Itaq; verba illa Dei: Propter hoc relinquet homo, non pertinent ad primum coniugem, qui nec patrem nec matrem habuit, quos posset relinquere, sed adfutura posterorum coniugia. Et hæc sunt verba præcepti viro, qui tenetur cum iam sponsata vxore copulam carnalem exercere, postquàm ad eum finem contrahitur matrimonium. Non tamen sic sunt intelligenda, vt ex causa non valeat vir ex mulieris cõsensu abstinere, si castitatem seruare velint quò magis Deo placeant, modò possint, nec temerè faciant. Aut si vir cupiat statum perfectionis amplecti, cum ante copulam nondum sit vna caro, & proinde non sit perfecta ratio indissolubilitatis. Quocirca existimaui semper, & nunc quoq; existimo, à summo Pontifice (ex aliqua tamen magna causa) dissolui posse matrimonium non consummatum: quoniam, vt hîc manifeste patet, non habet perfectã inter eos indissolubilitatis causam q nõdum sunt effecti vna caro. Nec me latet aliquos Theologos in alia esse opinione, sed ratione quæ cõcludat nõ innituntur, & habẽt Pont. canones sibi refragãtes.

Quõ fiat una caro cum meretrice. Dubitari verò & quæri solet, quonam modo commistio adultera & meretricia hoc habeat, vt qui sic commiscentur etiam vna caro, teste Apostolo, efficiantur. Vnde & lex canonica vult ex hoc concubitu perpetuas contrahi affinitates, cum tamen constet Deum tales nullo pacto coniunxisse. Caietanus hanc dubitationem soluere conatus, dixit copula meretricia fieri vnam carnem ad horam, ad tempus. Sed non ita loquitur Apostolus, ad horam & ad tempus. Dixit enim simpliciter: Qui adhæret meretrici vnũ corpus efficitur, & quia sic est ex rei natura. *1. Cor. 6.* Non enim ob id quòd Deus eos coniunxerit, propterea accidit vt eorum corpora sic affinciantur vt sint vnum, sed quoniam illa copula id ex se & sui natura meretur. Ex ipso quippe facto alter alteri se obligat, vnam faciendo quodam modo carnem, tametsi animo illud non agant. Nam aut ad hoc animum appellere & consentire deberent, aut ab ipsa copula abstinere, quæ ex natura sui id iure postulat. Quamobrem qui sic contra Dei legem coniungitur, meritò duo contra seipsum incurrit. Primum vt vna caro fiant, & sic contrahatur affinitas perpetua, qua prohibeatur *Nota.* quiuis eorum à complexu cum propinquis alterius, ne incestum committant. Alterum verò, cum Deus isti copulæ non assistat, tantum abest, vt inuicem contrahatur debitum, idest, ius aliquod alteri in carne alterius, ac p hoc teneantur sibi inuicem in opere carnis inseruire, vt contrà toties peccẽt, quoties sese vlterius commiscuerint, nisi vero consensu iungant se matrimonii vinculo. Alioqui quantum ad hanc considerationem spectat, nõ sunt vna caro iure & legitimè, sed de facto furtim & inuito Domino. Iccircò nõ ius vllũ ex hoc acquirunt, sed meritò potius perdunt (vt dictum est) ne valeant licitè copulari. Quoniam verò contrahitur affinitas perpetua, quantum ad hoc tantùm vna caro iure censentur. Et re vera deberent etiam propterea amittere facultatem coniugii vniuersaliter, idest, copulandi se etiam cum extraneis ex vi huius criminis, & ex vi ac natura ipsius rei. Fauor tamen matrimoniorum præualuit, ne huiusmodi rigor attendatur. Digamus etiam nõ censebitur qui pluribus nephariis copulis (nisi p modũ coniũgii) fuerit cõtaminatus: quoniã ad digamiã reqritur maritalis affectus, vt volunt iura canonica. Nam licet ãte baptisma matrimoniũ fuerit, digamiã tñ constituit: De qua re nõ hic tractãdi ac explicãdi rationẽ locus. B.Hieronymus in hoc articulo lapsus est. Melius aũt D.Augustinus cogitauit. Erat.n. res mysterii,& nõ erat attẽdẽdũ crimen. Nã bigamia ob crimẽ nõ cõtra-

H

hitur, sed ob eam præcipuè rationem, quod qui in carne pluribus ictus fuit & obligatus, affectam quodam modo suam fecit personã, vt non existimetur fieri posse idoneus spiritualis sponsus, quem prima cum sua coniuge carnalis coniunctio non reddidit exaturatum.

De magno mysterio in Christo et Ecclesia Superest nunc vt mysterium quod B. Paulus vocat magnum in Christo & Ecclesia diligenter expendamus. Attende studiose lector. Licet in quolibet matrimonio valeat istud mysterium cõsiderarii, in primo tamen illo maxime consideratur. Primum namque cogitare debes in illo primo Adam significari Christum: quia sicut ex terræ limo virgine nunquam maledicto (nondum enim maledicta erat terra) Dei opere non opere viri, primus ille Adam processit, qui fuit caput generis humani secundum carnem: sic noster hic secundus Adam futurus caput omnium secundum spiritum, ex illa semper benedicta VIRGINE, & ab omni labe peccati seruata, Spiritussancti opa eductus est. Post hoc autem sicut non erat bonum primum hominem Adam esse solum absque auxilio simili sibi ad propagationẽ carnalem, curamque domesticam puerorum, ita nec erat bonum esse secundum hominem Christum absque adiutorio simili sibi ad propagationem spiritualem, & curam domus & Filiorum Dei. Ideò cogitata est mulier quæ congruè ad hæc ipsa officia obeunda aptaretur. Verùm quoniam non erat bonum duo esse principia, nisi vnũ subalterno constitueretur, penderetque illud quod erat indignius & accessorium sub digniore & sub principali, iccircò & hoc à Domino effectum est, vt mulier esset sub viro & penderet ab eo: imò esset ab illo, vt ad illum semper respiceret, & cuncta ad illum referret. Quemadmodum ergo mulier secundũ carnem processit ac venit à viro, & de ossibus eius & de carne eius, ita & debuit illa mulier, illa purissima Virago secundum spiritum similiter à viro procedere, vt omnia quę haberet recognosceret se ab illo habere, semperque ei omnia referret accepta. Vnde vox illa: Quoniam fecit mihi magna qui potens est. Porrò quoniam magnum erat homini beneficium vt ex se tale auxiliũ veniret, & quędam modo desideraretur ab eo, ob eam causam prouidentissime prouisum fuit vt ipsemet homo id optaret, & aliquo modo promeretur. Coniectus est itaque à Deo in soporem, quod fuit quasi obliuisci eminentiæ suę, quatenus sic parturiret sibi illa sui quadam demissione ac dignatione optabile illud auxilium. Nam viro dormire ad defectum pertinere videtur. Sicut igitur de homine carnali hoc modo mulier educta est, videlicet ipso in soporem cõiecto: ita & in viro spirituali fieri oportuit, vt & ipse in suum soporem induceretur, & sic mereretur patiendo minui sibi de fortitudine dignitateque sua, cõmunicando & participando illã sociæ suæ, vt cognosceret tandem euigilans non absque fructu id cessisse illi. Inde enim subsequuta est charissimorũ liberorũ propagatio. Quod autem decisum fuit ab eo de ossibus, fuit etiam ei restitutũ in carne. Et hoc Dauid in spiritu cogitãs, expressit in psalmo: Ego dormiui & soporatus sũ, & exurrexi quia Dominus suscepit me. *Ps. 3*

Hoc etiam Isaias dixit: Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longęuũ. *Isa 53.* Quemadmodum ergo in carnali primo homine dicitur, loco illius costæ vnde formata est mulier, fuisse ibi carnem restitutam quæ in costam redigeretur, vt perfectus esset vir (quod allegoricè significat, per mulierem venisse illi fructum carnis, vt consummaretur & quasi vnus vir perfectum esset totum nostrũ humanum genus procedens ab illo) ita similiter fieret in spirituali vno viro Christo, vt omnia tandem ad illum redirent, & vnum efficerentur cum illo. Nam loco eius costæ per mulierem diminutæ, caro illi restituta est: quia Mulier illa multos carnales homines ad eum adduxit & adducet in illum compaginãdos, qui in eo manentes fortes redditi sunt & potẽtes in illo, facti os ex ossibus eius, & perfectum reddidere Christum, sicut erit tandẽ quùm venerit vltima temporis plenitudo. Quùm enim venerit plenitudo ętatis Christi, etiam perfectus ille vir resultabit in laudem & gloriam viui, omnipotentis, & sapientis Dei. Nam omnis exaltatio nostra quæ hîc est, & quæ erit in cęlis, in gloriam Dei cedit, & domini nostri IESV Christi. Ille igitur Adæ sopor etiam eleganter extensus est ad significandam Christi mortem, quandoquidẽ tũc ex eius costa producta est hæc Virgo mulier, quæ & parturiit ac peperit illi carnem compassione sua, & lætificata est, & adducta postmodo à Deo ad ipsum Adam Christum, vt videret eam formosam & immaculatam absque vlla ruga: denique illam in qua sibi complaceret, & qua perpetuò frueretur, & agnosceret mulierem fortem, diceretque: *Hæc nunc os ex ossibus meis*. Nulli enim alteri coniunctus est Christus immediatè, nisi soli matri Virgini, qua vsus est quasi adiutorio sibi simili ad alios parturiendos ac pariendos. *Et caro de carne mea*. Mulier enim secundum spiritum debet

habere

habere carnem carni viri similem. Sicut enim si peccatum non fuisset, perstitisset vir in sua carnis integritate per accepta dona: ita & Christus venisset in sua integritate & gloria etiam secundum carnem. Propterea namq; data est homini carnis integritas, vt similis esset Christo suo quantum fas erat. Quoniã vero peccauit homo, & cuncti cecidimus, meruimusq; cadere ab integritate carnis nostræ, necessariũ fuit hac via succurreret nobis Christus, vt ipse suam ad tempus exutus carnem, idest, illam gloriosam ac sibi prædestinatam, nostram acciperet ignobilem absq; peccato tamen, imò in qua prorsus damnaret peccatum, & nos purgaret ab illo. Sicut ergo excidit Christus à gloria sua secundum carnem, ita oportuit omnes per Christum reparatos talem habere in via carnem quoad dolores & passiones, qualem habuit ille. Iccirco Mulier Virgo purissima à Christo viro suo secundum præseruationem Dei redempta, carnem carni Christi similem accepit, idest, mortalem atq; passibilem (vt decebat) sine peccato tamen, vtpote quæ immediatè venit à Christo. Quod autem in ea superędificatum fuit, non oportuit esse carnẽ talem, idest, absq; peccato, quoniam omnes in Adam peccatores eramus: sed fieri talem postea decuit in illa quæ fuit, coniunctissima Christo, & ab eo semper seruata pro singularissima Filia, pro Matre charissima, p Spõsa immaculatissima. Vnde bene dictum est: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*. Et istud est mysterium magnum in Christo & Ecclesia, quæ est corpus ipsius, cuius corporis primum principalissimumq; membrum est ipsa sanctissima Virgo, & alii sub illa. Sic enim omnes facti sumus os de ossibus, & caro de carne Christi, quicunq; nati sumus ex illo secundum spiritũ, & manemus in eo. Etenim eodem spiritu viuimus qui est ab ipso, & ipsũ corpus Ecclesiæ regit, vt idẽ Apostolus declarat. Quamobrem verè additum est: *Hæc vocabitur Virago*, seu Vira: *Quoniam de viro sumpta est*. Hoc quidẽ etsi de toto corpore Christi verum sit, primùm tamen & principaliter de ipsa gloriosissima Virgine verissimum est; quæ ipsi viro vocata est vira, cum ipsa fuerit de ipso viro sumpta.

Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ. Et hoc verè impletum est in Christo, qui reliquit Patrem Adã, & matrem Heuam, hærens mulieri suæ ne ipsa caderet. Vel dimisit Patrem Deum veniens inglorius in hunc mundum, vt ipsemet testatur: Exiui à Patre. Item Iudæorum illam synagogam matrem secundum carnem reliquit, vt hæreret coniugi suæ Ecclesiæ, donec introduceret eam in cęlestem Patris æterni thalamum. Vel dimisit Patrem suum Deum (quemadmodum diximus) & matrem suam illam beatissimam Virginem, cui quatenus mater erat minime pepercit, sed permisit in eius animam pertransire gladium, vt ei non iam vt matri, sed vt dilectissimæ sponsæ hæreret. Ipsa enim vera est Heua, vera mater cunctorum verè viuentium. *Et erunt duo in carnem vnam*. Et hoc itẽ mirificè verum est in Christo & Virgine: quoniam duo fuerunt, idest, duæ personæ, sed in vnam carnem communicantes, vt sic quodam modo vnum redderetur. Queadmodam enim caro Virginis fuit caro Christi spiritualiter, vtpote ex illius costa educta secundum diuinam præuisionem & acceptationem meritorum Christi: ita & caro Christi fuit caro Virginis carnaliter, ex qua Christus venit. Et propterea B. Paulus dixit: Neq; vir sine muliere, neq; mulier sine viro in Domino. Nam sicut mulier de viro, ita & vir per mulierem. Ideò iam non sunt duo, sed vnum ob vnam vnius spiritus, vtriusq; carnis participationem. Omnes enim vnum corpus sumus, qui iam geniti in illo per baptismum de vno pane participamus.

Ioan. 16. | Luc. 2. | 1. Cor. 12. | Ibidem, c. 10.

Erat autem vterq; nudus, & non erubescebant. Quærunt nonnulli, vndenam ex narratione istius libri Geneseos per Mosen facta, elici possit datum homini donum illud originalis iustitiæ, quod omnes Theologi admittunt & statuunt. Nusquam enim huius doni videtur fieri mentio: quod multos trahit in maximam admirationem. Nos verò ex hoc loco, vbi duo quasi incompatibilia ponuntur, videlicet nuditas & inerubescentia, manifestari illud originalis iustitiæ donum asserimus, quo illa nuditas miro modo contegebatur. Nam nuditas naturaliter parit ruborem in homine, quemadmodum & nũc nobis illa iustitia destitutis accidere sentimus. Etenim in illis membris maxime apparet inordinatio & dissolutio freni illius, quo reprimebatur caro ipsa & coercebatur ne aduersus spiritum insolesceret. Homo autem etsi non edoctus ab homine, nescio tamen quã vi instinctu rationis hanc indignitatẽ in se agnoscens cogitur erubescere, si fortè ostendantur illa quæ meritissimè pudenda vocantur. Videtur namq; patefacere turpitudinem & peccatũ in eis latens. Scit.n. homo ita esse, tametsi nesciat quãobrem ita sit: quę quidẽ non ia hominẽ ab aliis actionibus retrahit, quæ

Vnde eliciatur donum iustitiæ originalis.

alioqui licitæ essent, & absque peccato fierent. Exerceri enim palam nisi impudentissime nõ potest nuptiarum officium, sed secretò ob pudorem ab ipsa rei turpitudine innatum. Nec vllus dari potest eousque flagitiosus & impudens, qui valeat hunc naturæ instinctum declinare. Quamobrem egregiè conuincũtur aduersus naturalis verecũdiæ instinctum dogmatizauisse Cynici, qui ritu canum exercere pudenda conati sunt. Siquidem & meretrices quanquàm impudentissimæ & sine fronte, suum tamen habẽt fornicem, in quo ea operentur quæ ipso nigro fornice digna sunt. Porrò vox ipsa hebręa (vt aiunt qdã) ex iis est quę significationem habent reciprocam, significans tales in eo statu fuisse primos parentes, vt nullam in illa nuditate agnoscerent in seipsis erubescendi causam. Hoc verò non poterat ab vlla inscitia & ignorantia accidere, cum essent sapientissimi: sed à tranquillitate carnis, quæ per illam iustitiam rationi consentiens, nullo pacto rationi aduersabatur. Quod ergo ait Scriptura: *Erat vterque nudus*, illa nuditatis appellatio non significat carentiam aut priuationem vestium, in quem sensum nunc acciperemus: sed tantùm negatiuè significat eos non fuisse vestitos, nec ob id erubescebant, cum non indigerent vestibus. Vestiti enim erant splendidissime decore illo iustitiæ, quam magno suo & nostro malo amiserunt miseri. At quoniam vestibus indiget homo non solùm vt cõtegat verecunda, verùm etiam vt defendatur à frigore & aeris intẽperie, colligere inde licet, etsi victuri fuissent eo in statu homines nudi, nihil propterea detrimenti & lęsionis fuisse passuros. O nos infelices, in quantam homo miseriam ob peccatum præcipitatus est. Verùm commodè etiam inferius hac de re sermo habebitur. Hactenus de primo hominis statu secundum gratiam & primęua dona.

Ex his autẽ facilè colliget lector benignus, Christum fuisse iam prædestinatum ab initio venturum, etiam si Adam non peccasset. Nam & ipsi Adę fuisse hoc mysterium patefactum in eis verbis: Hoc nunc os ex ossibus meis &c, nec ipse B. Thomas inficiatur. Nõ enim tum cogitabat se peccaturum. Quęrunt autem, Ad quid venisset? O absurdissimam interrogationem, quæ maximum in se continet vituperium aduersus Christum: quasi verò superfluum fuisset esse Christum, nisi hoc opus redemptionis efficeret. Putãt igitur Christi substantiam et gloriam esse ppter nos, cum econuersò sit verissimum, nos propter illum esse & in eis gloriam. Siquidẽ

Christum Adã non peccante venturum.

in ipso & propter ipsum condita sint vniuersa, vt perspicuè testatur Apostolus. Quòd si etiam velint scire, nobis opus fuisse Christo etiam sine peccato existentibus, audiant eundem Apostolum qui tam expressè docet illũ fuisse prædestinatum in gloriam nostram. Indiguissemus enim nos omnes gloria, quæ naturaliter nobis non debetur. Quomodo enim decenter terra poterat in cęlum ascendere, nisi prius cęlum communicasset natura cũ terra? Indiguissemus ergo ẽt mediatore ad illam gloriam, tametsi non ad redemptionem, si non interuenisset peccatum.

Col. 1.

Eph. 1.

Christum ergo venturum fuisse ẽt si Adã non peccasset, multæ sunt atque inuictissimæ rationes, quæ partim quidem ex proprietatibus Dei accipiuntur, partim ex conditione Christi, partim ex cõditione Vniuersi, & denique ex cõditione nostri. Quæ igitur ex Deo capiuntur proprietates, hæ sunt, omnipotẽtia, sapientia, bonitas ipsius Dei, quæ maximè in hoc opere manifestantur. Nunquid, obsecro, noluisset hæc manifestare Deus optimus maximus, nisi præcederet aliquod flagitium creaturæ? Imò verò peccatum magis magisque obstare debebat.

Rationes pro incarnatione Christi.

Ex conditione aũt Christi colligitur ratio, quoniã decebat vnam esse summã creaturam in qua omnia colligarentur, & starent velut in capite & fundamento. At verò indecentissimũ erat tantam creaturã esse adeò indignè occasionatã, vt propter solũ peccatum venire deberet. Nõne perinde esset ac si quis habere filiũ dilectissimũ nolit, nisi peccet seruus, qui tamen ẽt non peccans nunq̃ possit esse domino ęquè charus ac verus filius? Adam.n. cũ tota sua posteritate nõ poterat supplere dignitatẽ filii Christi corã Deo. Nõ sumus qdẽ nescii ad maximã Dei omnipotẽtiã pertinere, ex malis magna bona elicere: non ita tamen vt nolit esse maxima bona, nisi prius admittat peccatum. Quid aũt maius excogitari potest, quàm existentia & gloria Christi, qui nulla cõmutatio æquare potest? Itaque nonne indignissimum Christo, si ob solam hominum à peccato liberationem esset, aliàs non futurus? Fateri ergo cogeremur chariorem esse Deo salutem nostram, quàm filii sui Christi dilectissimi essentiam & vitam. Si quis prudẽs istud admiserit, & quid loquatur norit, meo iudicio non leuiter blasphemat. Non enim redemptio nostra adęquatur bono essentiæ & gloriæ Christi. Quòd si in prima rerum conditione mulier propter virum cõdita est, cur non & ipsa Ecclesia propter Christum, & non econuersò ac tam præposterè?

Præterea

Præterea, Ex conditione Vniuersi idem ratio suadet. Vniuerso enim defuisset sua pfectio, & omnium debita colligatio, & combinatio ista summa, Deus Homo. Nec verũ redderetur, cũcta quæ fecerat Deus esse valdè bona: quoniam sublato Christo nõ secus relinqueretur Vniuersum, quàm si cęlum ipsum Sole destitueretur. Quocirca Paradisus ille altissimus vero suo principe & habitatore caruisset, & domus illa nõ habuisset herum suum. Deus enim ipse vt Deus, non indigebat eo loco, cum illius maiestas & gloria sit omni loco sublimior. Non autem sic de Christo propter carnem, cui locus conueniens prouideri debuit.

Deniq; ex conditione nostri, qui omninò indigebamus eleuari per Mediatorem. Non enim congruè terra, idest, homo qui de terra erat, ascendebat in cęlum, nisi cęlo ipso ad terram inclinato contractum fuisset quodam modo commercium & affinitas inter cęlum & teram, vt genus nostrum velut sponsa posset decẽter transferri in domum viri sui. Etenim licet diuina Sapientia attingat à fine ad finem fortiter, non propterea prætermittit disponere omnia suauiter. Insuper homo ipse non perfectè fuisset beatus absq; Christo, cum vita nostra æterna non in Patris tantum cognitione consistat, sed etiã in IESV Christo, quemadmodum ipse testatus est. Hæc est vita, inquit, æterna vt cognoscant te Deũ Patrem, & quem misisti IESVM Christum. In illo enim beatificatur pars nostri inferior, vt sic totus homo beatus efficiatur. Adhæc, Si ita se res haberet, Christus solũmodo fuisset nobis redemptor, non autem glorificator nisi per accidens remouẽdo peccatum: quod & falsum est, & derogat gloriæ Christi. Deniq; in hanc anxietatem & angustiã absq; sua vlla culpa coniectus fuisset homo ille Christus, scilicet vel sui existentiam, quatenus erat homo, odisse, si odio habendum est peccatũ: vel ipsum peccatum maluisse & vehementer expetiuisse, si sui existentiã habere debuit chariorem. Qui autem hæc absurda non sentit, valeat. Ego enim sectas odi, quas noui noxias, & excæcare multorum oculos ne videant pulcherrimas veritates. Si quis in oppositum autoritates Sactorum, & Scripturæ sententias proferat, quę videntur illius aduentus causam solum commemorare peccatum, cõsideret eas vno verbo resolui. Verissimum est enim illum Christi aduẽtũ, hocest, quòd venerit exinanitus, humiliatus, mortalis, passibilis ad redimendum &c. propter peccatum fuisse. At longè aliud est non fuisse venturũ nisi fuisset peccatum, nec id sequitur ex præmissis: sed hoc tantùm sequitur, quòd non venisset exinanitus, humiliatus ad redimendum &c. Hoc & nos prædicamus. Sed venisset ad transferendum nos in cęlum, & glorificandum. Porrò si quis vberiorem hac de re tractationem desideret, cousulat ea quæ iam diffusè scripsimus in libello de eximia prędestinatione Christi.

Ioan. 17.

CAPVT III.

SED ET SERpens erat callidior cũctis animantibus terrę, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno Paradisi? Cui respondit mulier: De fructu lignorum quæ sunt in Paradiso vescimur: de fructu verò ligni quod est in medio Paradisi præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Dixit autem Serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quòd in quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii scientes bonum & malum.

SERPENS VERO etc. Postquàm tam bene à Deo composita sunt omnia, & pro hominis quidẽ felicitate egregiè ac sapientissime ordinata, nunc annectitur seqnens historia de inuidia Diaboli, qua ille exagitatus cępit magno molimine conari, vt cuncta vno conatu atq; impetu (si fortè non in cassum tentaret) destrueret, vt euenit.

Verùm antequàm narrationis huius interpretationem aggrediamur, prius à nobis tractandum est de ipsius Diaboli natura & casu, quatenus ad rem propositam pertinere videtur. Primùm ergo constanter retinendum est, Dęmones creatos fuisse in cęlo illo sum- De lapsu Angelorum.

mo, & ibi peccasse peccatum grande, & inde merito suo in hæc loca illis tenebricosa fuisse expulsos. Nam cum anteà lux essent, vtpote creati in luce, ex luce facti sunt tenebræ.

Inuidia Diaboli in hominem. Peccatum autem illorum fuit inuidia in hominem, qua obscurari cœperunt, vt habet antiquorum traditio, & nos indicabimus. Hãc inuidiam hostiliter retinentes miseri, cum vidissent hominem conditum, quem condendum esse Deo reuelante præsciuerant, eidem protinus inuiderunt cernẽtes illum esse plurimis & egregiis decoratum donis, & illo pręsertim gratiæ diuinæ charismate, quod ipsi suo scelere perdiderant. Quare animati sunt aduersus ipsum hominem, vt tentando viderent an fortè dolis ac persuasione possent illũ ad pręuaricandum allicere, vt illa dona meritò amitteret, quæ sciebant ea lege in primo homine collata, vt si staret, in omnes essent posteros transmittenda. Hoc intertubare vehementer ipse Dęmonum princeps meditabatur & satagebat. Ait igitur.

Sed et Serpẽs erat callidior cunctis animantibus terræ.

Hoc in loco primùm se offert dubium, quidnam dicamus hac voce, *Serpens*, significari. Si animal tantùm, nullus recipit, & meritò. Non enim conuenit vt animal esset tentator, & ea loqueretur quæ hîc habentur. Si autẽ Diabolus ille cæterorum princeps Dęmonũ Lucifer qui mane oriebatur, cur hoc simpliciter non fuit & clarè expressum? Et cur sẽper ea voce Serpentis vtitur Scriptura? *Isa.4.* Dicendum ergo, quæ de Serpente dicuntur, hæc de Diabolo principaliter esse intelligenda. Quoniam verò Dominus Deus permisit illum ingredi in vnum de serpentibus terræ, & in illo suas exercere insidias, ideò ipse Diabolus iure optimo serpentis nomine nũcupatus est. Deinde ob nonnullam conuenientiam & analogiam quam habet cum illo animali serpente, iccircò quæ eidem animali conueniebant, de ipso Diabolo dicta intelligenda sunt.

Præterea quæritur, cur de hoc serpente Diabolo nõ fuit anteà aliquid nobis per Mosen traditum, nimirum quomodo factus sit Diabolus, & quõ ceciderit de cęlo. Nam sic repentè illum introducere sub figura serpentis, & vt tentator hominis, nescio quid admirationis porrigere videtur.

Respondeo, primis quidem hominibus reuelatum fuisse (vt superius ex verbis Ecclesiastici explicauimus) sed non scriptum, nec per traditionem insinuatum. Pręter id quòd magna mysteria non erant tum inuulganda, cum homines essent redditi incapaces, & indigni qui ea scirent propter incredulitatem. In eo enim continebatur integrum incarnationis Christi mysterium, quod (vt ait Apostolus) fuit absconditum à seculis. *Col.1.* Satis fuit Moysi reuelare in similitudine Serpẽtis, Diabolum callidum esse & nequàm, & homini inimicum, totiusq; nostri generis corruptorem, prostratorem ac spoliatorem, qui primos nostros patentes vulnerauit, prostrauit, atq; spoliauit.

Quòd autem fuerit creatus à Deo Diabolus, insinuauit hoc Moses quùm dixit: In principio creauit Deus cęlum & terram. Quemadmodum enim iam diximus, cęli appellatione omnes Angeli sunt intelligendi, qui in cęlo empyrio sunt creati cum illo cęlo. Et hinc patere poterat Porphyrii intolerabilis error dicentis esse aliquod genus Dęmoniorum natura fallax, simulans Deos & animas defunctorum. Nullum est enim genus Dęmoniorum natura malum, cum sint creaturæ Dei, cuius omnis creatura bona est. Nam ipse vi- *Tim.4.* derat cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Quòd ergo omnes Dęmones praui sint, ex ipsorum culpa processit, qui suam sibi malitiam ingenerarunt.

Magna fuit etiam Manichæorum insania, *Manichæorũ heresis.* qui posuerunt duo principia, & vnum esse Dęmonem natura malum, maliq; autorem: quæ hęresis planè diabolica iam dudum explosa est ab Ecclesia Dei. Neq; tamen omninò tacitum fuit de casu eius. Nam (B. Augustino teste, & id quidam ex reuelatione pbauit) tunc Lucifer cum suis complicibus de cęlo cecidit, quãdo dixit Dominus: Fiat lux, & quùm ab ipsa luce diuisit tenebras, p quas B. Augustinus Dęmones malos intelligit, & per lucem bonos Angelos qui beatificati sunt videntes gloriam Dei. Tunc ergo, idest, primo die Dominico quando factus est mũdus, tenebrę, idest, præuaricatores Angeli præcipitati sunt in has tenebras, atq; in hunc aerem caliginosum ac tenebrosum respectu immensę lucis Empyrii cęli, vbi erant ipsi anteq̃ caderent. Boni verò Angeli potiti sunt luce & gloria æterna. Hæc enim benignè de Angelis & Dęmonibus sũt suscipiẽda, quę omninò verisimiliter dicuntur, & Patrũ traditionibus mirificè adiuuantur.

Hoc ergo primùm de Angelis recipiendũ *Angelos cum dono gratiæ creatos.* videtur, videlicet fuisse creatos omnes cum dono gratiæ, non ita quidẽ vt viderent Deũ facie ad faciem. Nam si ita fuisset, nunq̃ corruissent. Habebant tamen dona supernaturalia, charitatem Dei, nec absq; limpidissima fide: quoniam illis etiam repromissum fuit regnum

gnum cœlorum, si in iustitia & veritate stabiles persisterent. Itaq; & spes erat in eis, vt contenderent ad promissa fidelia & beata. Non igitur erant beati à principio: quanquam nõnulli Patrum beatos eos vocarunt, nõ quòd crederent eos perfectos, sed quia erant quodammodo (vt ita loquamur) cãdidati ad beatitudinem, quæ consistit in visione Dei facie ad faciem, vnde est fruitio. Hanc autem visionem necdum habebant, sed sperabant & expectabant, atq; ad eam contendebant. Erant verò beati beatitudine naturali, & aliis insuper magnis supernaturalibus donis decorati ad sciẽdum & intelligendũ cuncta pmptè ac dilucidè variis modis, quos ignoramus. Significãtur autem nobis eiusmodi dona per ea quæ habentur in Scripturis vel de ipso Satana, de quo dicitur in persona Regis Tyri:

Isa. 14. Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore. in delitiis Paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, Sardius, Topazius, Iaspis, Chrysolitus, & Onyx, & Beryllus, Saphyrus, & Carbunculus, & Smaragdus, aurum opus decoris tui, & foramina tua in die qua conditus es præparata sunt. Tu Cherub extensus &c. Ex his verbis, quæ minime conueniebant Regi Tiri, sed Angelo apostatæ, possunt elici dona quibus erat perfectus, & in decore eximio corã Deo, & quod ab initio erat Deo gratus, & gradiens in iustitia & veritate laudans & glorificãs Deum anteq̃ hic noster

Iob. 38. mundus esset. Vnde scriptum est: Vbi eras quando me laudabãt astra matutina? Quod enim fuerint creati Angeli ante hunc visibilẽ mundũ, iam superius abundè probauimus.

Angelis datũ fuisse mãdatũ ad probationẽ. Alterum quod de illis omnino persuasum esse velim est, aliquod eos mandatũ accepisse, vt eam beatitudinem aliquo modo mererentur. Non enim conueniens videtur absq; lege aliqua & pacto beatitudinem, quæ erat merces, fuisse illis propositam. Deniq; credibile est eos habuisse aliquod mandatum excedens legis naturalis limites, idest, quod cõsisteret in beneplacito Dei, vt supernaturalẽ felicitatem congruo modo acquirerent, quæ similiter ex Dei beneplacito habetur. Sic & ipsi homini mandatum fuit ex beneplacito, ne comederet ex fructu illius certæ arboris: quod aliàs ex se non erat malum, nisi fuisset vetitũ. Hoc autem homo nisi audiuisset, coniectare nunq̃ potuisset. Huic dicto astipulatur & Caietanus proferens hãc pulchram rationẽ. Sicut homo, inquit, habuit mandatum positiuum ad insinuandum quòd erat subiectus Deo nõ solùm in iis quæ dictabat natura, sed etiam super hæc, quia ordinatus fuit ad felicitatem supra vires naturæ suæ: Ita simile aliquid cogitandum est de Angelis. Bona pfectò ratio, & digna prorsus quæ recipiatur ac probetur ab aliis qui sano iudicio sunt præditi, & acutè penetrant. Si igitur aliquod mãdatum receperunt, cuius occasione exciderunt plurimi, qm̃ per illud inuenta fuit in eis iniquitas, videndum esset quodnam mandatum illud fuerit. Verùm quis hominum posset illud sua prudentia indagare & cõprehendere, nisi aliquis reuelaret? Quæ enim supra naturam sunt, & in Dei voluntate consistunt, nullus valet coniectare. Quocirca nos quod audiuimus & credidimus, ac multis modis explorantes (penè dixerim) verum esse probauimus, explicare conabimur. Nam confidimus eos quoq; qui spiritum non repellunt veritatis, facilè admissuros ac probaturos. Sed non oportet hominem veritatis pernoscendæ cupidũ pettinacius esse addictum Magistris, quæ res pessundat ingenia adolescentum, & est origo sectarum variarũ, & æmulationum, & contentionũ, quæ omnia vehementer Deo displicent. Nedum .n. vniunt, quod est proprium amicitiæ & charitatis: sed dispergunt potius, quod est liuoris & odii, de quo maximè lætatur Satan omnis liuoris autor & parens. Quæ igitur audiuimus & credidimus, vnde & vehementer lætati sumus, & iccircò vellemus omnes idipsum accipere & credere, vt vnà nobiscum lætarẽtur, tale est.

Dominus Deus postq̃ hanc tam nobilem condidit Angelicam creaturam sibi valdè similem, legem eis dedit charitatis, in qua omnes facilè proficiebant, cum nullum prorsus adesset eis obstaculum. Nam cur, obsecro, non amarent tam magnificum, tamq; munificum Dominum, & promissorem felicitatis æternæ? Non enim erat quicq̃ eis aduersum, quo minus omnes agnoscerent & obseruarent Deum creatorem, Deum donatorem, Deum deniq; promissorem sui ipsius. Non erat igitur æquum vt citra vllam tentationem tanta facilitate obtinerent cœleste regnũ absq; vlla difficultate & pugna. Quapropter volens Deus quemlibet eorum probare, patefecit omnibus & singulis in Paradiso arcanum ingens quod in pectore suo cõtinuerat, & ait. Audite me Angeli mei, & percipite quod in æternitate mea decreui anteq̃ quicq̃ conderẽ. Hoc est consilium meum: Volo immenso modo secundum omnipotentiam meam cõmunicare me ipsum creaturæ meæ, vt sublimeẽ illa in me, & quasi instrione quadã vobis

Nota omnino de lapsu Angelorum.

admirabili, in Verbo meo subsistens fiat illa Deus. Hæc autem creatura quam elegi, nō est inter vos, nec dum est creata: creabo illā, & nunc vobis eam ostendo. Et sic in specie & figura hominis reuelauit Angelis Filium suum IESVM Christum. Hunc, inquit, hominem in quo mihi super omnes creaturas bene complacui, adorabitis: huic reddetis obsequia vestra & honores tāq̄ Deo vestro. Etsi enim homo futurus sit, nihilominus pp-ter hypostasin illam Verbi diuinam etiā Deus erit, duas obtinens perfectas atq; impermistas naturas. Si huic meo mandato obtemperaueritis, ipse erit Deus vester, felicitas vestra, & beatitudo sempiterna. Hunc vobis promitto beatificatorem vestrum, & me simul, cum simus vnum cum Spiritu sancto nostro. In hoc igitur vita vestra consistit. Hæc Dominus Deus suis cęlestibus illis Spiritibus.

Quód veró ea quæ nunc narrauimus, nō careant Scripturæ sacræ testimonio, Apostolus ipse attestatur, qui Christum, vitam æternam, promissum fuisse ait ante tempora secularia. Nam cui, rogo, intelligetur promissum ante tempora secularia, nisi promissum fuerit Angelis? Audiuerūt igitur hoc decretum ipsi Angeli, qui ante tempora secularia soli inueniebantur promissionis capaces, & acceptatores. Ipsis .n. per hominem Christum erat etiam destinata salus, si eum vellent libenter & obsequiosé recipere. Audierunt inq̄ & obstupuerunt omnes, admirantes hoc nouum quod se facturum spopondit Deus. Et sanctissimus Michael nihil penitus disquirens, recepit subitó (vt par erat) mandatum Dei. Similiter Gabriel, Raphael, & Vriel, & plurimi maiorum, quos sequuti sunt multi Angelorum exercitus. Lucifer autem cępit super mandato illo secum cogitare & disceptare. Obiiciebatur enim illi non solùm vt mirum, sed etiam vt valdé durū, nec satis ęquū. Cępit itaq; (vt B. Bernardus bono aliquo Angelo sibi, vt existimo, reuelāte declarauit) liuidus ille intra se sic cogitare. Quid sibi vult Deus, & qua æquitate id cōmercii facere decreuit cum homine, cuius natura (nam probé eam intelligebant) inferior est nostra? Cur non hanc dignitatem potius tribuit Angelo, qui natura etiam in tota sui generis latitudine est multó sublimior homine? Quātó igitur excellentior prima species Angelorum? Credibile enim mihi videtur, nō omnes Angelos esse eiusdem speciei, nec tamen quemlibet Angelorum facere speciem, sed sub vna specie multos contineri. Porró Luciferum fuisse vnum primæ speciei existimo, non tamen absoluté primum. Ipse igitur rē admiratus, cępit arbitrari esse indignum atq; iniquum hoc Dei consilium, idq; prę sui superbia & arrogantia, & aiebat. Quid istud est noui? Quid fecimus? Quid peccauimus nos, vt hoc dono priuari debeamus? Si vult dare, nonne magis debetur nobis quàm homini? Tum ex hac ratiocinatione ad seipsum respiciens, & contemplans sui pulchritudinē & dona excelsa, cępit illud sibi appetere, quod minus digné homini conuenire censebat. Noluit autem amore suiipsius prçoccupatus intelligere, ad pium parentem pertinere minorem filium habere in delitiis, & abūdantiore honore prosequi & ornare: quemadmodum in corpore humano obseruari solet, vt ea membra quæ sunt ignobiliora, honore abundantiore (vt ait Apostolus) circundentur. 1. Cor. 12.

Ad Tit. 1.

Ea igitur cogitāte Lucifero, sensim obscurabatur intellectus eius: & voluntas simul ira atq; indignatione deprauabatur, & cępit hāc dignitatem inuidere homini, & vehementer odisse Christum, quē omninó voluisset occidere & perdere. Vnde & Dominus dixit: Vos ex patre Diabolo estis, & voluntatem patris vestri vultis facere. Ille erat homicida ab initio, & in veritate non stetit. Vos quæritis me interficere &c. Inuidens igitur tantā Christo dignitatem, impensé illam sibi appetebat pessimus æmulator. Nam hoc pacto videbat esse possibile vt fieret Deus, si natura diuina suæ vniret in hypostasi Verbi. Hinc nimirum illa Satanæ verba hanc impiam cogitationem prodentia. In cęlum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. &c. Hinc ortum magnū illud ac memorabile prælium factum in cęlo inter ipsum & sanctissimum Michaelem, & amborum exercitū, de quo Dilectus in Apocalypsi. Et huiusmodi quidem prælium factū est disceptatione & prędicatione vi quadam spiritus, quemadmodum fit in terris contra hæreticos. Michael enim & Angeli eius defendebant Dei dispositionem vt irreprehensibilem cum magna bonorum Spirituū multitudine. Lucifer autem & blasphematores blasphemabant, & impingebant Deo iniquitatem, nec recipere vnq̄ voluerunt Dei mandatum, neq; vt rectum cōprobare. Et hinc insequutum est, vt ille nimium Dei patientia abusus eiiceretur de Paradiso Dei cum omnibus sociis & perduellionis reis, atq; truderentur in has tenebras comparatione supremæ lucis,

Ioan. 8.

Isa. 14.

Apoc. 12.

lucis, expectantes etiam densiores ac profundiores in die Domini, cum proiicientur in intima inferni in sempiternum. Hæc autem expulsio iuxta B. Augustinum, fuit illa prima die qua creatus est mundus, qua tria digna admiratione simul facta sunt. Primum beatificati sunt boni & obedientes Angeli. Mali autem & contumaces eiecti de summo cęlo: Et initium factū est humanæ creaturæ, omnium videlicet orbium præter firmamentum. Hunc igitur diem qui Dominicus dicitur, maxime oderunt illi maligni Spiritus. Addo hāc diem iuxta hebdomadæ obseruantiam, esse in qua nata est vera lux vero mundo, sicut corporea istius mūdi lux ab initio, ita & spiritualis ipse Christus lux hominum. Dies enim Dominicus fuit eius Natale, quando prodiit in hunc mundum, & illuxit sāctissimæ Matri Mariæ: & hac die resurrexit, & apparuit itidem illi, & sanctis mulieribus, & discipulis. Et hac die misit Spiritum suum in discipulos in linguis igneis. Hac igitur die optima ratione ceciderūt tenebræ de cęlo, Angeli cōtumaces & blasphemi cū principe Lucifero, & facta est ibi pax & desiderium nostri. Ipse autem pacis osor inuentus est perpetuus exul Paradisi, summo conatu nunc contendens ne quis nostrum ad eum dignitatis locum cōscēdat, vnde expulsus est foras. Et verè nostra multum interest hæc scire, vt perspectū illius antiquum odium in genus nostrum habeamus, sempiternāq; eius rabiem qua rumpitur contra nos. Est enim illi iam quodammodo naturalis, vt tantò magis gloriemur in Domino qui elegit Ierusalem, & nusq̄ Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ, caueamusq; nobis diligentissimè ab illo Neq̄. Quapropter mandatum primi homines acceperant à Deo (sicut scriptum est) vt sibi cauerent ab omni iniquo: Sed ipsi segnes & inexperti non considerarunt.

De die dominica.

Ad Heb. 2.

Eccl. 17.

De hoc igitur neq̄ potissimū dicitur, quòd erat serpens, qui se ipsum talem fecit postq̄ vidit hominem. Plenus namq; inuidia parauit se in hac facie serpentis ad insidias. Non .n. permisit optimus Dominus vt lateret hominem, qualis esset iste neq̄ & malignus. Ideò non permisit hominem ab eo tentari, nisi indueret serpentem, genus animalis ad respiciendum horridum, ac solo aspectu abominandum. Cuius in primis naturalis astutia celebris est, vt deceptionem timerent, cuius & lingua liuida est ac venenosa, vt coniicere possent quæ per eam proferrentur, liuida venenosaq; fore, & secum habentia perditionē vitæ, & iaculum mortis. Huius autem animalis astutia in pluribus deprehenditur, dum caput suum semper protegit. Caput autem Diaboli superbia est ac præsumptio, quam semper tueri conatur. Est & astutiæ serpentinæ hoc proprium, adoriri ex insidiis repētè ac de improuisò, & seruare caput suum: sic est callidior omni bestia agri. Sed hoc appositissimè & plenè conuenit Diabolo vero serpenti, qui longè in hoc pręstabat homini q̄ tunc erat simplex, nondum expertus quicq̄ malitiæ & technarum, quem tamen oportebat esse prudentem, non quidem more serpentis in exercendo, sed in cognoscendo insidias & cauendo: sicut & opportunè pręmonitus fuerat.

De astutia serpentis.

Nō me latet ipsum Dæmonem in Alchorano insignis illius pseudoprophetæ Mahumetis, hanc historiam (sicut & alias multas) mutilasse & inuertisse, vt sēper est mēdax. Nam ibi scriptum est quomodo Deus mandauit ipsi Dęmoni vt adoraret Adam, cū cæteris omnibus Angelis. Hoc autem mandatum omnes acceperunt. At quoniam ipse noluit, ideò factus est perduellionis reus. O mendacem, qui tamen non valuit ita esse mendax, vt in verbis eius nequeat veritas exaudiri. Verum est enim illis mandatum fuisse vt adorarent Adam, sed non illum primum carnalem Adam, sed secundum spiritualem Christū. Itaq; malitiosè pro more loquutus est & ambiguè non omnem exprimens veritatem, sed vt occasionem hæresi recipiendæ præberet, & veritas obscuraretur. Illa q̄ppe peruersa huius serpētis mens sic protulit mādatum, sicut liuore perfusus accepit. Ipse .n. illud in Christo primum, qui erat Adam, cępit appræhendere, hoc est, hominem & humanitatem, atq; simul odisse non diuinitatē, quæ odio directè haberi nō poterat, sed per accidens. Sed suo intellectu impio studuit cogitatione separare humanitatem à diuinitate, sicut quosdam etiam hæreticorum aliquando docuit. Propterea diuinitatem quidem paratus erat latria adorare: humanitatē verò illam, quæ ex Adam veniebat, despexit, nec venerari voluit. Noluit enim illam copulam cogitare, quam inflatus mirificè oderat, propter quam illa humanitas consistebat in Verbo, ita vt homo ille esset Dei fūmi verbum, verus Dei filius, verus Deus, ac propterea meritò talis ab omnibus considerandus & adorandus vt Deus, sēpiterno Patri ęqualis. Ex parte ergo veritatem dixit, fucatam tamen nō explicatam: imò eo artificio prolatam vt possit aduersus clementissimum iustissimumq; Deum inuidiam concitare. Nam

Notandum

ſimpliciter dicere, illi fuiſſe mandatū vt adoraret Adam, quid eſt aliud quàm incuſare Deum iniquitatis? Quæ enim ratio erat, vt ſummi Angeli deberent purum hominem adorare, cum ipſi omnes eſſent homine prçſtantiores natura, & nonnulli (vt pium eſt credere) etiam gratia? Itaq; hoc facile tanq̄ mendacium poteſt explodi, & hinc Mahumetem vt pſeudoprophetam conuinci.

An lucifer fuerit omniū Angelorū primus

Supereſt vt de hoc ſerpente, per quem intelligo inſignem illum Luciferum principem omnium Dçmoniorum, conſideremus diligentius, vtrum reuera ſicut ipſe fuit primus omnium qui ceciderunt, ita etiam ſimpliciter fuerit ſummus omnium Angelorum. Non enim deſunt qui id exiſtimarūt, quorum ego opinioni hærere non poſſum: quoniam minus veriſimilis mihi videtur, nec vllo Scripturæ loco fulciri. Nā quis facilè credat ſummam omnium creaturam Deum permiſiſſe ſibi eſſe rebellem, vt ſuper Paradiſum gloriæ, ri poſſet infernus, idq; præcipuè ſi verum ſit quòd quilibet Angelus ſpeciem perficiat? Sic enim ſumma omnium natura et creatura poſt Deum, deſtinata eſſet inferno, eaq; infernus potiretur, qua cçlū ipſum poterat honorari. Fateor itaq; me adduci non poſſe vt vllo aſſenſu iſta recipiam, quç Dei prouidentiæ derogare videntur. Non enim pulchrum eſſet in Vniuerſo, ſi tanta taliſq; creatura periiſſet, & non eſſet ſaltem alia loco illius inſtaurata. Sed in hoc ſibi blanditur & lçtatur ille ſuperbus, cum exiſtimatur fuiſſe omniū maximus, qui tumens ſuperbia etiam falſa laude exultat, tametſi in eius ſummū dedecus & durius ſupplicium tandem omnia recidant. Ipſa Scriptura notans illum, dixit: Vos ſicut vnus de principibus cadetis. Non dixit primum omnium principum, ſed vnum de principibus. *Ps. 18* Cur igitur tā facilè arbitrio noſtro facimus eum primum? Nam & eò minus veriſimile eſt, primum omnium in tantam veniſſe amētiam & contumaciam, quò magis abundare debuit in eo gratia, & ſic minus erat ad peccādum pronus. Sed erat (inquiunt) maius motiuum, cum maior eſſet creatura, magiſq; poterat excitari ad ſuperbiam. Hoc quidem verum eſt, ſi conſideretur natura tantum. At ſi cogitatur quòd quātò maior erat natura, tantò etiam excedebat gratia, ipſum maius motiuum illi reddebatur minus propter limpidiorem veritatis notitiam, & ampliorem in Deum charitatis affectum. Quocirca fortè B. Thomas, licet alteram B. Gregorii opinionem probabiliorem dixerit ob tāti viri autoritatem (vt ſolebat) noluit tamen ob id ſieri alteri opinioni præiudicium. Sic faciunt viri ſancti qui veritatem amant non contentionem, neque de contentione victoriam. Hoc dixerim propter quoſdam ſectatores, q vbi vident tantillum ab eo quod vel Scotus, vel B. Thomas dixerint declinare quemq̄, cōtinuò indignabundi deſpiciunt & obtrectant. Quam rem puto eò minus apud B. Thomā probari, quò certò ſcit hæc fieri magis affectu carnali quàm ipſius veritatis amore & ſyncero iudicio. Eiuſmodi humanum affectum Doctor gentium & vas electionis magnopere reprobat, ac deteſtatur aduerſus quoſdā qui ſectas fouebāt aientes. Ego ſum Cçphç, Ego ſum Pauli &c.

Satan quid propriè.

Ad Serpentem igitur iſtum Diabolum redeamus, qui & Satan ꝓpterea dictus eſt, q̄m aduerſatus eſt Deo. Id enim Satan ſignificat, nimirum aduerſarium abſolutè, dignū profectò nomen illi qui ſe ſe perpetuò opponit Deo. Nam hoc eſt verè & eminenter aduerſari, in Deum intendere. Vnde & Dominus Petro ſemel dixit: Vade retrò Satana. Dictus eſt & Diabolus, ideſt, accuſator calumnioſus fratrum ſuorum. *Marc. 8.* Ipſe enim genus noſtrū accuſabat vilifaciens coram Deo. Dictus eſt & Dçmon propter ſapientiam, ideſt, aſtutiā: & ob hoc ipſum cōgruentius à Scriptura vocatur Serpens. Hebraicè autem Serpens dicitur, *Nachaſc*, ideſt, tētator & augurator, ſeu inquiſitor ſecretorum. De hoc dicitur quod erat, *Gharum*, hoceſt, callidus. Significat etiā nudum: & verè nudus erat ipſe omnibuſq; donis cçleſtibus ſpoliatus. Conſidera nūc, quæſo, lector ſtatum illum, vt iuſtificemus Deum, ac ſimul tantò magis culpam patris noſtri Adam agnoſcamus. Non erat datū in eo ſtatu ſerpenti vt poſſet tangere hominē quouis pacto, aut lædere ſiue interius in anima, ſiue exterius in corpore, niſi prius ipſe homo ſeipſum à ſua rectitudine auerteret. Cohibebatur enim Diabolus ne poteſtatem illam quam habebat aduerſus illos exerceret. Alioqui potuiſſet vehementer eum lçdere ac torquere, propter altiorem multoq; potentiorem naturam, cuius potentiæ corpus noſtrum minime poteſt reſiſtere: ſicut nunc apparet in his quos opprimit, & miris miſerabilibuſq; modis cruciat & vexat, etiam non permittente Deo, vt maceret pro arbitrio ſuo ac rabie. At vide nunc qua via cçpit aſtutus inſidiari.

Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno Paradiſi? Loquutus eſt ad mulierem ſomno articulato, ac verbis hæbraicis mouens linguam ſerpentis illius animalis

animalis. Creditur n. Heua fuisse tunc iuxta vetitam arborem absens à viro, quãdo adorsus est illam serpens. Et fortè cogitabat secũ tacitè de illo Dei mandato disquirens rationẽ præcepti, cur nam Deus vetuerit ne de ligni illius fructibus vescerentur, quod non est ho minis verè obedientis. Non quòd hæc cogitatio & disquisitio sit peccatum in se, nisi quatenus res est periculosa, quæ & facilè trahit ad peccatum. Nam animus suapte natura libertatis cupidus, considerans se præcepto astrictum esse, repugnat: & sic mãdati rationem inquirens, eamq; persæpe inuenire nesciens, incipit præcipientem iudicare, cogitans neq; iure neq; ratione sic præceptũ esse, præsertim cum mandatum eius generis est, cuius non appareat vlla ratio vel vtilitas, sed nudum mandãtis beneplacitum, quale erat istud. Vnde & multi hodie adhuc mirantur & obiiciunt. Quare mandauit Deus primis illis hominibus ne de illius arboris fructibus comederent? Quid enim mali erat etiam ex illis comedere? An non omnis creatura Dei bona? Et si cum gratiarum actione percipiatur, quid erat peccati in comedendo, quod in eum vsum creatum erat? Nam quis alius est arboris vsus, nisi vt de fructibus arboris edatur? Nunquid frustrà condita fuit, aut ad hoc ipsum condita, vt per illam præuaricarentur parentes nostri, & nos omnes simul in ea præuaricatione corrueremus? Profectò hoc videtur fuisse captantis ac præbentis occasionem ad scandalum & ruinam, quod non videtur esse Dei, Patrisq; optimi, & clementissimi.

De æquitate mandati circa primos parẽtes Hæ sunt cogitationes perfidi ac superbi spiritus, & non acquiescentis consiliis diuinis. Huic igitur nos respondemus. Tu in primis qs es, qui iudicas factũ Dei? Præterea, Quis Dominus, cui non liceat rebus suis quam velit legem indicere? Deinde, vt iustificemus Dei sapientiam, oppono ea dona tanta ac tam pretiosa, quæ ipse ab initio nostro generi copiosissime donauit, quæ nobis certè nõ debebantur. Dignum autem erat, vt qui hæc fecerat tanq̃ clementissimus Pater, recognosceretur etiam vt verus & supremus Dominus in aliquo subiectionis signo. Et ideò æquissimum fuit vt eius generis mandatũ acciperet homo, quod vt præciperetur, nullã haberet aliam rationem præter meram Domini voluntatem, quatenus ipsa subiectio debitè redderetur, & subiectionis præmium pariter referretur. Nã cætera quæ mandauit, cuncta erant alioqui debita; quæ si fecissent, iam ipso iure debita fecissent, siquidem omitti absq; scelere non poterant. Itaq; quid meriti poterat esse in illis? Decuit igit̃ vt in aliquo mandato Deus ostẽderet dominationem suã, exigeretq; subiectionem nostram: qui si interrogaretur, cur hoc mandati quod ex se nõ est malum, iniunxisti nobis? optimè respõderet. Quia mihi ita placuit: Nam & ego Dominus sum, & in potestate mea est facere licitum & illicitum vt liber. Ideo enim comedere de hoc ligno illicitum est: qa vobis mea mera voluntate prohibitum est. At me non colere, & proximum vestrum non diligere, non propterea illicitum, quia tantum prohibitum: sed in se illicitum est, & suapte natura prohibitum. Non ergo erat malum comedere de ligno, nisi malum fecisset prohibitio: & ideò malum fuit contra mandatum comedere. Mandatum autem rectè factum fuisse, vt in eo scilicet recognosceretur dominatus excelsi Domini, iam declaratũ est. Erat ergo bona illa Dei creatura, nec nocuisset nullo stante pcepto, si pcepta fuisset cum gratiarũ actione. Sed quia intercessit præceptum, & cum præuaricatione & ingratitudine percepta fuit, effecta est eius perceptio mala. Negatur autem fructum illius arboris fuisse ad id conditum, videlicet ad comedendum, quin ad abstinendum potius.

Verùm (dicet aliquis) quis vsus est fructuũ arborum, nisi comestio? Ita sanè naturaliter: sed Deus qui naturæ Dominus est, vsum illũ ab ea sola arbore excepit, vt pareret multò meliores fructus qui futuri erant ex obedientia. Si enim primi parentes nostri abstinuissent, profectò pulcherrimos sempiternosq; iustitiæ & vitæ fructus & sibi, & nobis per arborem illam comparauissent. At hoc non contigit. Sed cuius, obsecro, culpa? Nunquid mandantis & legislatoris? an potius inobedientis mandato, & præuaricatoris? Cur nos miseri culpam nostram in Deum cum tãta blasphemia reiicere non perhorrescimus? Si rem aliquam difficilem imperasset, factu tamen possibilem, quis potuisset vlla ratione reprehendere? Cum verò rem factu plusq̃ facillimam præceperit, quis iam nisi temerarius & prorsus insanus potest aduersus Deum conqueri? Nunquid eorum vita ex illa demũ arbore pendebat, cum tot, imò omnes aliæ tam pulchræ ac tam suaues in Paradiso manu (vt ita dicam) ipsius Dei propria exculto illis paratæ essent? Nõne lignum vitæ prouidit eis, cuius ea erat vis, vt ab iniuria mortis eos vendicare posset?

At inquies tandem, graue esse & intolerabile amittere libertatem, idq; homini prædito

excellenti atq; ingenuo animo. Non imus inficias id graue esse naturæ, verumtamen si Dominum ea iudicii rectitudine qua decet, respiceremus, non videretur quicquã graue quod ab eo mandatum esset. Nam iugum quodcunq;, à quo abhorret natura, si adue= nit gratia, nullam tam duram ceruicem com= perit, quam sibi non supponat, efficitq; vt iugum Domini sit suaue, & onus leue. Hæc sola cogitatio, Deus ita dixit, compescere & comprimere debuit omnem animi celsitu= dinem.

Ergo si nihil asperi nihil duri erat pceptũ homini cũ gratia Dei, & ea intelligentia qua plenus erat: quid (rogo) pro excusatione afferri potest non dignum mox omni explo= sione? Adde propositum fuisse ei pro præ= mio obedientiæ gaudium tam immensum, vt longè excederet ipsum obedientiæ onus, & modicam illam demissionem tantopere debi= tam. Sed ad rem.

Non negatur naturalis ille libertatis amor, cui tale mandatum opponebatur: sed vt cõ= sequeretur quæ supra naturam erant, opor= tuit vt ei aliquid auferretur quod conueniret naturæ. Cum igitur omni creaturæ quæ ad seipsam respexerit, non ad Deum, sua carere libertate ęgrum esse atq; odiosum conspexis= set Serpens ille maledictus, ansam istam, quã solam ad tentandum habuit, accepit. Titil= lauit enim animum naturaliter iugi impatien= tem, isto sermone.

De astutia Dæmonis in tentatione hominis. *Cur præcepit uobis Deus* &c. Et quò facilius persuaderet, elegit prius solam mulierem quã peruertere aggrederetur. Elegit autem illam veluti de qua certius sperabat victoriam, tãq minus firmam & robustam, posteà vsurus ea victa ad virum commodius superandum. Animaduertebat enim eam ab illo plurimum amari, vt quę erat ex ossibus eius et carne eius. Putauit etiam fortasse eam posse facilius deci= pi: quoniam illi non fuit imperatum à Deo immediatè, sed per virum. Et fortè confir= matus est in isto consilio, quia inuenit eam (vt quidam aiunt) super illo præcepto cogi= tabundam. O quantam hîc doctrinam ac= cipere possemus ad tentationes protinus reii= ciendas. Sola erat Heua: necdum enim cõ= iunctus erat illi Adam secundum carnem. Credo enim (vt apud quẽdam me legisse re= cordor) seiunctos tantisper mutuo con= sensu fuisse, nolentes copulari inuicem car= nalibus nuptiis, priusquã gratias Deo age= rent pro tantis acceptis beneficiis, vt copula= rentur Deo secundũ mentem nuptiis spiritu= alibus, sicut dignum erat. Ea quippe via pri=mò quærendum erat regnum Dei. Propo= suerant autem saltem triduò abstinere, vitãq; à cõtemplatione inchoare: quod mihi valdè credibile videtur. Nam ita esse faciendum, in libro Thobiæ diuina scriptura cõmonefacit. Non enim decebat fructus spiritus postponi carnis exercitio. Hoc ipsa ratio dictabat, & status illius integritas ita esse faciẽdum postu= labat. Quo factum est vt vehementius ad tentandum accingeretur Diabolus inueniens mulierem solam auersam ab oratione, quo magis expositam se prębuit tentationi. Vt enim solitudo est orationi potissimum accõ= moda, ita sine meditatione ac serio aliquo bono studio est tentationi, propter ociũ quo abundat, maximè peruia. Qui autem orat & meditatur, nõ est solus. Nacta igitur op= portunitate, videns charam homini & cuiuis libertatem, quod & ipse Serpens callidus ex= pertus erat, considerans insuper intellectua= lis naturæ salutem & beatitudinem in obe= dientia Dei sitam esse: vt ab hac subiectione salutis parente, ac subinde ab ipsa salute pri= mos parentes auerteret, eisq; auersis etiam to= tum genus nostrum vnà cũ illis labefactaret, quod probè nouerat ille versutus, dixit.

Cur præcepit uobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi? Ioan. 8. Sermo mendacis a mendacio sumpsit exordium. Ipse ab initio mẽdax fuit, & mendacii pater odio habens veritatem. In hebræo tamen non sic legitur, sed quasi anteà aliquid prælocutus esset cũ illa, adiecit: *Etiã quia dixit Deus: Non comedetis de omni ligno horti*, ac si diceret: Certè deprehendo verum esse quod iam tibi dixi, parum amat vos Deus, q potuisset multò maiora vobis, si voluisset, do= nare. Sed inuidit vobis sicut & mihi, ne ea sciretis quæ tamen sunt scitu dignissima, eo modo quo nouit ipse, nec voluit vobis com= mnicare quæ nihil illius intererat reticere penitus. Et ecce prohibuit ne de omni lignó vesceremini, eripiens vobis libertatem vestrã natura uobis debitam. Et sic cępit irritare fę= minę animum, & illo mendacio dare ansam ad respondendum. Extenuauit etiã subdolè uim mandati. Non enim dixit: *Etiam, quia præcepit Deus*, sed: *Etiam, quia dixit Deus*. Dixisse illũ Nota. inquit, non præcepisse. Item dicit Deum, non Dominum Deum. Abstinuit enim à tre= mendo illo nomine Tetragrammaton, ne cogitationem debiti timoris iniiceret. Sic ab initio cępit peruertere sermonem diuinum. Huius uerbis atq; astutiæ simplex & minus instructa mulier nõ attendens, etiam impru= denter respondit, dicens.

De fructu lignorum quæ sunt in Paradiso uescimur.

de fructu verò ligni quod est in medio Paradisi praecepit nobis Deus ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Dico imprudenter respondisse mulierem. Primùm quia nec debuit attendere, nec respondere quicq̃. Quapropter meritò reprehenditur curiositas & temeritas, non in dicto quidem ipso quod respõdit, sed in facto. Nam ei respondit, quem mox cõtemnere debuerat: & tamen in eo quod respondendo dixit, nonnihil adiecit de suo.

Porrò in verbis ipsis est aliquid discrepantiae inter hebręam literam & nostram. Hebraicè dicitur: *De fructu verò ligni quod est in medio Paradisi, minime comedetis ex eo, neq; contingetis, ne fortè moriamini*. Quibus verbis significatur nõ soli Adae praeceptum fuisse, sed Heuae quoq;, & posteris ēt: tametsi non sit necesse hoc pręceptum factum fuisse mulieri voce Dei, sed per Adã q loco Christi erat in terra, cui debebat mulier habere fidem. Tunc.n. verè cępit esse Ecclesia Christi: & ideò opus fuit vt loco eius aliqs esset Hierarcha, hic fuit Adam. Illud verò, *Neq; contingetis*, addidit mulier de suo. Non.n. hoc erat in praecepto Dei, nisi quòd prohibendo ne ederet, propter periculum aliquo modo videri poterat prohibuisse ne tãgeret. Et fortè potuit sic praeceptum accepisse à viro suo. Vbi vigilanter notandum est, habito praecepto aliquo à Deo, ipsius hominis esse ea etiam praetendere quasi vel praecepta, vel prohibita, quae vel ad obseruantiam eius pręcepti attineant, vel ad praeuaricationẽ instigent & conducant. Nam homini cui praecipitur ne fornicetur, potest intelligi subtacitè mandatum matrimonium, si non eligit vitam cęlibem: & similiter vt occasiones omnes fugiat quae ad illud peccatum illiciant. Propterea bene faciunt sacerdotes qui nolunt hominem absoluere retinentem concubinã, ēt si dicat & polliceatur se velle abstinere. Quod autem dixit ipsa, *Ne fortè*, de suo addidit. Nõ enim Deus dixit, *Fortè*, sed absolutè. Illa verò perinde locuta est, ac si non esset certa illa mortis comminatio, aut ignorãs de qua morte locutus esset Dominus, aut quo casu deberet intelligi, si etiam sola ipsa peccaret, aut si requireretur quòd ambo peccarent. Hoc fortè non satis constabat mulieri, quae fortè cõfidebat de Deo, qui ex commiseratione non esset facturus quod minabatur. Eiusmodi periculosa confidentia multi decepti sunt, & assiduè decipiuntur, qui intra se dicere solent. Deus est pius & misericors, excusabit me facilè & parcet imbecillitati. Ex hoc aũt dicto mulieris subdubitantis accepit ansam Diabolus respondendi audacter.

Documentum obseruandorũ praeceptorum Dei.

Nequaq; moriemini. Non est aũt putandum mulierem tam citò Serpentis tentationi succubuisse, neq; vna tantum vice tentatam fuisse, sed pluries. Nam extat cuiusdã non leue testimonium, aientis Diabolũ pluribus repetitis subinde tentationibus adorsum fuisse mulierem: & item quomodo Adam illam admonuerat ne daret aures Serpenti. Ait pręterea, tribus diebus Heuam à viro ita instructam, ab eodem separatam vacasse orationi & gratiarum actioni. Et postmodo cępit tentatio, ita vt à die Sabbati qua condita fuit mulier, feriati fuerint in orationibus vsq; ad quartam sabbati, quam nos appellaremus diem Mercurii. Durauit autem tentatio vsq; ad sextã Sabbati, quae dicitur Veneris, & ea die peccauerunt, & eiecti fuerunt de Paradiso, non videntes ibi aliud Sabbatum. Haec ego apud autorẽ quendam legi, & vt valdè similia vero credidi, pręsertim quòd ex reuelatione accepta dicuntur. Nihil tamen pro re certa asserrum volo. Sed audiamus Serpentis responsum.

Nequaq; morte moriemini. Mendacem ergo Deum facit qui clarè dixit: Morte morieris in quacunq; die comederis. Pergit per arma mendacii, sicut & cępit: & addidit blasphemus & peierator. *Scit enim Deus quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi uestri, & eritis sicut Dii scientes bonum & malum*. Haec verba non sunt leuiter praetereunda, ne fortè parum astuta videantur, & minus idonea ad subuertendum sapientis mulieris animum, vt prima facie videri possunt. Quid est, rogo, illud quod ait, *Si comederitis aperientur oculi uestri?* Nunquid, quaeso, clausos habebant oculos? At non de corporis oculis hoc aiebat veterator, qui absq; dubio erant aperti cum vigilarent. Sed de oculis cordis, quos non fuisse apertos ad intelligentiam, siue ad modum intelligendi quem suadebat, illis verbis indicauit.

Verùm dubitatio est, quidnam intellexerit mulier, & quid voluerit intelligi Serpens illis verbis: *Eritis sicut Dii scientes bonum & malum*, cum edocti fuissent ab initio à summo Deo. Nam Dominus Deus Scriptura teste, creauit illis sapientiam spiritus, & sensu impleuit cor illorũ, & mala & bona ostendit illis. Ad hoc dissoluendũ, nõ est dubiũ qn ipsi docti & sapientes scirent bonũ & malũ, quod & à lege naturae, & à lege gratiae erant edocti. Et tñ absolutè bonum & malum vt erat scibile, fortè non sciebant, aut non sciebant eo modo quo sciri poterat, & quomodo sciebant Angeli, & potissimum ipse Deus. Et certè bonum & malum non potest quis perfectè Eccl. 1.

nosse nisi Deus solus, qui est summum ens, & summum verum. Et præter hoc Diabolus in primis curauit excitare illis appetitũ scientiæ inordinatum ex propositione eorum q altius scirent, vt non quiescerent in acceptis donis & in sorte sua. Qui.n. habet, etiam amplius habere desiderat. Siquidem inest homini cupiditas ita spiritualium sicut & tẽporalium quæ crescit semper, vt quantò qs magis acquisiuerit, tantò magis concupiscat, nisi ratione suo desiderio modum adhibeat. Vnde non pollicitus est simpliciter: *Eritis sciẽtes bonum et malum*, sed *Eritis sicut Dii*. Vocabulo quoq; ambiguo vsus est veterator dicẽs, *Sicut Elohim*, quod vel ad ipsum Deum, vel ad Angelos accõmodari potest. Hoc igitur sublimiori scientiæ genere mulieri proposito, illa statim cępit appetere, & confestim potuit errare. Non cogitauit aũt hanc fuisse Diaboli astutiam, vt primò appetitũ deprauaret, quo facto duci poterat in errorem.

Sed hîc alia surgit quæstio. Videtur enim quòd omne peccatum aliquis error pręcedat sicut dicitur: Omnis peccans errat. Hoc qdem est verum in particulari, in eo q retineat tñ scientiam vniuersalis. Prętereà intelligẽdũ puto de peccante per electionem. Est verò

De initijs peccati. peccatum pręoccupãs deliberationem, dum quis nequãq aduertens concupiscit supra quã fas sit: & hoc peccatũ nõ præcedit error aliqs, sed consequitur, & huius generis fuit peccatũ mulieris & Adæ. Concupierunt.n. priusq̃ errarent: & tñ de muliere testatur Apostolus, illam deceptam fuisse, non Adam: quandoquidem illa iam elata credidit Serpenti, cui Adam non credidit, quod ex ipsorum verbis fit manifestum.

Illud quoq; ex hac Diaboli tentatione notandum, omnes ferè illius tentationes huiusmodi esse. Primò Dei mandatum & supplicium quod præuaricantes incurrũt extenuat, aut negat omnino. Deinde falsum aliquod

Quibus vijs vti soleat Dæmon tentando. bonum proponit & pollicetur. Quin ẽt si subtiliter hæc perpendantur, nihil ferè est ab hoc mẽdace Serpente dictũ quod nõ habeat sophisticam veritatem, vt se potuisset vel cum risu defendere, si quid in illum miseri pũaricatores expostulassent. Primum quod ait, *Ne quaq; moriemini*, potuisset excusare, Ego de morte corporis intelligebam, non animę. Nec dixi vos omnino aliquãdo nõ morituros, aut nõ statim fore morti obnoxios: sed non ilicò morituros corpore, quod verũ fuit. Deinde quod dixi: *Scit Deus quòd in quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi uestri*, Nunquid & hoc nõ est verum? Nonne aperti sunt nunc oculi vestri, qui nunc agnoscitis quid eratis, postq̃ tãta dona perdidistis, quæ dum haberetis nõ ponderabatis, vt ea diligentius custodiretis? In hunc modum aperiuntur oculi delinquẽtiũ, dum pũaricatione mulctati eò se deuenisse noscunt, quò non putabãt. Pręterea, prius nõ ita noscebatis quis ego essem, nunc aperti sunt oculi vestri vt me noscatis. Quod itẽ dixi: *Et eritis sicut Dii scientes bonum et malũ*. Hoc ego intellexi de Dęmonibus sociis qui p uobis meritò vocandi sunt Elohim, qbus vos similes futuros illa pũaricatione pdixi, quod & verum est. Sic.n. illi sciunt bonũ & malum, nempè experientia: quoniã nouerunt tandẽ qd erant ante peccatũ, & q postmodo euaserunt. Tãles fuerunt Adã & Heua, sicut dicet Scriptura. *Et aperti sunt oculi amborum, et cognouerunt se nudos.* Vide ergo vafritiem Dęmonis, & q̃ eleganter potuit deceptor irridere deceptis.

Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditq; viro suo qui comedit. Et aperti sunt oculi amborũ. Cumq; cognouissent se esse nudos, consuerũt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Et cum audissent vocẽ Domini Dei perambulantis in Paradiso ad auram post meridiẽ, abscondit se Adã & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni Paradisi.

Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum. At quomodo vidit mulier bonum esse lignum ad vescendum, cum re uera malum esset? Certè bonum erat quatenus gustui ad præsentem delectationem conueniebat, & hoc bonum vidit mulier. Vnde non simpliciter dicitur bonũ fuisse ad vescendum, sed quòd vidit hoc mulier ẽt inexperta. Vidit aũt nõ solis corporeis oculis, sed naturali quodã instinctu quo cõie ?tamus cibos è terra prodeuntes qui conueniunt nobis, sicut datum est etiam cæteris animalibus. Quo in loco poterat stultè paralogizare & dicere. Si bonum ad vescendum, vnde veniet nobis mors? Additur. *Et pulchrum oculis*: Siquidem in cibo & potu delectatur homo nedum suauitate propter gustum, verum etiam pulchritudine

pulchritudine propter aspectum. Sic vino dediti nedum sapore, verũ et colore recreãt.

De specie fructus vetiti. Plerique inquirunt de specie illius fructus quæ nam ea esset. Sunt aũt qui dicant, idque plurimis persuasum videtur, fuisse ficũ. Hoc.n. quasi à maioribus acceptum cẽsuerunt, quẽadmodũ Isidorus Pelosiota in epistola quadam scribit. A senioribus atque maioribus nostris nobis traditum est, arborem trãsgressionis Adam ficũ fuisse, ex cuius et foliis sese texerunt. Gennadius & Theodoretus idẽ existimarunt. Istis tñ obstat, quòd ficus fructus non videtur oculis pulcher. Fortassis talis erat ab initio in Paradiso, cum minime incredibile sit id genus fructus esse certis in locis multò pulchrius, quàm sit in istis nostris regionibus: quod & de animalibus, & multis plantis notissimum est. Quapropter nõnullæ me rationes adducunt vt putem fuisse ficũ, De qua re paulò post: quãuis non multum intersit nosse qualis fructus fuerit.

Quod aũt adiungitur, *Aspectuque delectabile*. In hebraicis eo sensu legitur, quòd fructus illius arboris erat concupiscibilis ad rerũ intelligentiam. Sed quomodo id videre potuit mulier, quod re uera non erat? Dicenda est illud vidisse, quod ipsa decepta animo sibi ipsi formabat vt verum. Nõ.n. propriè capitur hic, *Videre*, sed more somniantium qui quæ apparent, apprehẽdunt & tanquã vera iudicãt. Tantæ est energiæ cupiditas, quæ vanas sibi confingit species, & sibi ipsi prædicat & credit. Ad eum modum errare dicitur omnis qui peccat deliberans.

Et tulit de fructu eius, et comedit. Quæ aiebat interdictum sibi esse ne tangeret, etiam tulit, idest, excerpsit ab arbore. Neque solum tulit, verum et comedit, nondum tñ præsente viro, vt videtur accipi ex litera, quæ hactenus de viri præsentia verbum nullum fecit.

Hîc debet homo attentè considerare quãta in eo peccato contigerunt digna reprehensione in matre nostra: & simul vnde poterat habere aliquos excusationis prætextus, vt discamus obedienter, & simpliciter nos habere ac summissè cum Deo, & coram illo qui scrutatur profunda cordium, nec nos ipsos fallere falsis prætextibus. Primò erat præceptum Dei ne comederet, imò (vt ipsa dixit) ne tãgeret: poterat fortè dicere intra se. Hoc ego pceptũ nõ accepi à Domino immediatè: tñ vir meus mihi dixit esse Dei pceptum. At minus idonea est hæc excusatio: quoniã debuit credere cõstanter viro suo vt patri, & vt capiti Ecclesiæ ac prophetæ. Nam & ipsa lumine fidei illustrata hoc habebat persuasissi-

Quàm multiplex mulieris reprehensio.

mum. Quapropter minime excusantur qui Ecclesiæ non credunt, vel non obediunt: & qui item Apostolicis pceptis quæ ipsi acceperunt immediatè, aut etiam quæ Spiritu Dei suggerente ad ædificationem, nõ ad destructionem pceperunt, non obtemperant. Dominus.n. aperte dixit: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Hęc sñia hæreticos iugulat, qui nihil aliud obseruari quasi Dei mandatũ volunt, nisi quod in scripturis habetur expressũ, & dicitur diuini iuris. Quod aũt à Põtificum decretis & canonibus pcipitur aut decernitur, omnino contẽnunt. Qua in re passim p Scripturas ipsas cõfutanẽ. *Luc. 10.*

Secundò reprehenditur mulier, quæ curiosè primùm cępit super arbore illa cogitare & spectare, ac disquirere super mandato Dei, & de causa eius mãdati. Poterat hîc se excusare mulier, & dicere. Nihil hactenus facio contra mandatum. Pręcepit.n. nobis ne comederemus, nõ aũt ne spectaremus, aut ne cogitaremus, vel cõsideraremus de causa mãdati. Sed hęc excusatio ẽt manca est & inanis. Respondetur.n. tametsi non sis per hæc pręuaricatrix, disponis te tamen ad puaricationẽ. Nam quod iussa eras non comedere, ẽt neque tãgere, neque respicere illa curiositate debuisti, neque de causa mandati disquirere: sed simpliciter obtẽperare, & ad vtiliora cõuertere cogitatũ tuum. Illud aũt considerare & respicere, ac tecũ disquirere, curiosũ erat, & locũ pbebat tentationi. Certũ.n. erat illud pceptũ fuisse à Deo, q potest quodcũque vult pcipere. Fugiendę igitur sunt occasiones, & amputandę Dęmoni (quantũ fieri põt) omnes ansę ad tentandũ. Et in hoc summopere laudatur Abrahã obedientiæ nomine, q nõ hæsitauit neque disquisiuit de ratione mãdati, & quo pacto iuberet. Dñs eum occidi, in quo erãt repromissiones de semine. De quo exemplo vtilissima pfertur Monachis doctrina vt nisi manifestè impetretur eis peccatum, nihil hęsitãtes, nihil disqrẽtes subitò prõpti sint ad obediẽdũ. *Documentum pro Monachis*

Tertiò meritissimè reprehenditur mulier. Nam vbi primùm apparuit ei Serpens & locutus est eum debuit protinus auersari & aufugere, & nullum penitus habere cũ illo sermonẽ, pręsertim cum pmonita esset, illum ob suum scelus eiectum fuisse de cęlo, & exulem & hostem Dei esse, & cęlicolarũ: quare nullũ prorsus cũ illo debuit comunicare sermonẽ. Quod similiter valet ad nostrã doctrinam, & contra illos qui cum eis habent cõmercium & paciscuntur. Nec valet excusatio si proferat mulier, hoc non fuisse eis à Domino interdictum, sed solùm vt sibi cauerent ab illo.

At ex hoc ipso quòd erat perduellionis reus, factus erat anathema & execrabilis. Prętereà, cum illo habere sermonem, quid aliud erat q̃ non sibi cauere ab illo? Est enim ipse mirificè calumniator, & cauillosus sophista. Poterat & hoc coniectare mulier vel ex ea facie Serpentis, in qua venit ad colluctandum. Serpens autem est callidissimum animalium, & ex insidiis de improuiso adoriens. Est & omnino animal execrandum, cui nullo pacto erat habenda fides. Sed curiositas hoc efficit, qua propemodum innumeri mares & fęminę decipiuntur, qui cum Dęmonibus habere commercium non formidant, quorum lucrũ tandem est perditio, quæ sola à tanto hoste expectari potest.

Quartò, eò grauius in hoc reprehenditur mulier, quoniam facile potuit illũ vel in primo verbo deprehendere esse Diabolum, qui à mẽdacio & à calumnia cępit texere sermonem, proponens factum eis à Domino pręceptum ne de vllo ligno Paradisi comederent, quò ardentius irritaret liberum animũ, & nimium propriæ libertatis amantem, cum nullus corã Deo sit verè liber. Debuit ergo confestim mulier auertere aures à mendace, nec vllum eius verbum vlterius audire, nedũ respondere. Nec enim erat opus instruere illum de veritate, qui probè eam nouerat: nec venerat vt instrueretur de veritate, quę ad illũ non attinebat qui mendax est, & mẽdacii pater, sed vt ipsam destrueret veritatem. Nam de industria, & eam ob causam cępit à mendacio exordiri, vt ansam præberet mulieri ad respondendum, vt sic necteretur colloquiũ. O vafrum nimis ac veteratorem, à quo liberari petit Christianus cotidie dicens: Sed libera nos à malo.

Quintò, cępit mulier labascere, dũ respondens Serpẽti visa est quasi subdubitare de pęna, *Ne fortè*, inquit, *moriamur*. Dixerat.n. Deus: *In quacunq; die comederis, morieris*. Ipsa verò addidit: *Ne fortè moriamini*. Cur enim sic mutauit, nisi quia cępit dubitare de verbo Dei ne fortè potius esset comminatio, q̃ lex deliberata statuens pęnam? Vnde & credibile est ipsam fuisse circa huiusmodi præceptum philosophatã, & illud odisse. Qui enim ad pęnã cogitat, alioqui non seruaturus præceptum, in eorum numero est qui & præceptum, & præcipientem oderunt. Quapropter pęnã esse nollent, & quantum valent extenuant interpretatione sua. Tales ferè natura omnes sumus: ideoq; aut securè in actum procedimus, qui secus de pęnis interpretamur, quã veritas se se habeat, seueritatẽq; maiestate Dei dignam vel omninò perfidè inficiamur, vel à cogitatione auertimus insipiẽtissime. Quòd si timore pęnarum nos cõtinemus à delicto, ostendimus nos nõ diligere pcipientem neq; præceptum. Istud autem non est implere mandatum (vt decet) coram Deo, qui non tã factum, quàm quo animo fiat respicit. Et illud obseruauit Ethnicus quidam, qui verè dixit. Oderunt peccare boni, virtutis amore. Oderunt peccare mali, formidine pęnæ.

Sexto, meruit mulier reprehensionem, quę respondenti Diabolo, *Nequaq; moriemini*, illum magis veracem existimauit quàm Deũ. Nam ipsamet fatetur se à Serpente seductam fuisse, & de morte corporis non animæ, quæ prior debuit esse consideratio, cogitauisse. Qua in parte etiam à plurimis hodie erratur, qui solùm pęnas corporis præsentes formidant: animæ verò ipsius miseranda mors ab eis contemnitur, & futurorum bonorum pmissiones spernuntur, & fit magna Deo iniuria, cuius pretiosiora dona contemnimus.

Nec valet si quis in fauorẽ mulieris obiiciat, Deum non declarasse semetipsum, de quo scilicet genere mortis intelligeret. In promptu enim erat ratio ex ipsius merito pæuaricationis, vt cogitaret æternam animæ mortem, pro pęna tanto scelere digna, cum tantus rerum omnium author Deus à nobis mandatum illius transgredientibus offenditur. Quocirca de morte animæ interpretari potius debuit quàm de morte corporis, si peccati pondus perpendere (vt par erat) voluisset. Satius quidem fuisset de vtraq; morte simul existimare: qm̃ verba ipsa Dei manifestè ad mortem corporis referebantur, sicut rectè ambo intellexerunt. Sed etsi verba ipsa Dei erant attendẽda, non pptereà de morte animæ non erat cogitandũ, quam multò magis poterat ratio persuadere. Siquidem omnis præuaricatio in Deum illam mortem iure optimo promeretur.

Septimo, errauit perniciosissime cum nõ solùm patienter audiuit Serpẽtis blasphemiã quam ille subiecit, verùm etiam fidem accõmodauit dicenti, *Scit Deus quòd in quacunq; die comederitis, aperientur oculi uestri, et eritis sicut Dii*. Quo in loco ingentia cogitari queunt mulieris errata, quæ erant Satanę calũniatoris propria. Primũ existimauit Deũ esse & mendacem & inuidũ, qui prohibuerit sub tanta interminatione eos vesci de fructu illo, ne adipiscerent scientiã Deorũ. Nõne fuit istud ascribere Deo malignitatẽ? Et hinc ẽt fędior processit error, quo ducta sic Deũ ęstimauit socordẽ, ac si arbor illa, & oĩs virtus eius non pẽderet à nutu Errata Heuæ

Dei

Dei, quasi eo inuito potuissent fieri sapiẽtes.

Tertiò errauit, quæ in eo fructu tantam latere virtutem sibi persuasit, eamq; per esum sibi communicari posse, vt similis fieret Deo altissimo per intelligentiã boni ac mali: quod erat prorsus inopinabile. Sed nunq̃ in tantum errorem incidisset mulier, nisi prius appetiuisset illam Dei sapientiam: & hoc fuit rapere, quod postmodo Dominus noster exoluit, & Beatissima Virgo cum illo. Quem locum plurimi non attendunt, cum tamen magna in eo versetur intelligentiæ ac mysterii ratio. Quemadmodum enim illi concupierunt Deorum similitudinem & diuinitatẽ quandam, quæ non erat illorum: ita exactũ est vt Dominus noster qui erat verè similis Deo & æqualis (quoniam verè erat Deus) se se adeò dimitteret, vt forma Dei abiecta, formam serui acciperet, & in ea lueret pęnas tãtæ rapinæ, ad parandum congruens huic rei antidotum. Falsò autem & ridiculè putarũt quidam, in eo ligno inesse virtutem ad intelligentiam, aut vim ad reddendum hominem immortalem. Dominus enim Deus non idcirco iussit eos ab esu illius fructus sub comminatione mortis abstinere, quia in eo ligno esset vel vlla virtus ad erudiendam mentem, aut quicq̃ noxii ad corporis internecionem. Sed mors quam interminatus est Dominus Deus vt pęna sceleris, subsequebatur ex donorum illorum subtractione, per quæ efficiebatur ne qui alioqui natura mortales essent, morerentur.

De abstinentia contra hæreticos. Octauò, peccauit mulier cupiditate gulæ, quæ cum non indigeret, de fructu illo ausa est excerpere & comedere, visu & gustu delectata. Ecce peccatum gulæ, quod nouissimi filii Satanæ multis modis extenuare, & quasi nihil sit flagitiũ omninò excusare conãtur, obiicientes illas iam uulgo notas sententias: Omnis creatura Dei bona est. & Nihil reiiciendum quod cum gratiarũ actione percipitur. item: Omnia munda mundis. & Nõ quod intrat in os coinqnat hominẽ, sed quod exit ex ore. Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto: & alia quædam similia.

Verùm nihil horum omnium ad rem, vt aliis in locis abundè scripsimus. Nemo enim qui de Euangelio sapit, abstinet spernens cibos quasi creaturam malam, qua superstitione Manichæi abstinebant. Neq; putamus eos immundos, instar Iudæorum: quoniam Christianis omnia facta sunt munda, iuxta verbum Christi ad Petrum: Quod Deus mũdauit, tu ne commune dixeris. Nec existimamus posse per illotarum manuum cõtactum contaminari cibum, & deinceps per cibum animam: quod cogitare erat sanè stultissimũ, sicut Dominus declarat. Neq; superstitiosè credimus, in esca & potu consistere regnum Dei, sed in iustitia & charitate, vnde gaudiũ & pax. Sed hoc dicimus, Deo nos debere omnium quæ ab eo in nos profecta sunt, religiosè quasi decimam offerre, & confiteri illum autorem corporis & animę, vt in omni bonorum genere interius atq; exterius agamus gratias & confessionem. Istud autem præstamus primùm animi deuotione tũ corporis abstinentia, & eleemosynarum largitione. Nonne abstinentiam ab initio cernimus ante peccatum fuisse in Paradiso præceptam? Quantò ergo magis esse debuit post peccatũ & in nouo testamẽto, in quo habemus Spõsum à nobis ablatum, & viduam manentem Ecclesiam donec occurrat illi, & viuificatum recuperet ipsa pariter renouata ad vitam, cũ apparuerit Christus vita nostra? O quanta hîc addi meritò possent contra peccatũ gulę, ne in illud incurramus. Hoc interim signũ habemus, non ab re in præcipuis tentationibus cibi vsum à Diabolo velut instrumentum ad lapsum solere obiici. Sic enim primũ hominem tentauit. Sic & Christũ omnium Dominũ. Sic deniq; per talẽ occasionem illum Dei populũ in deserto sępenumerò superauit, & murmuratorẽ contra Deũ effecit. Ego quidẽ existimo non aliud vitium acerbius regulariũ obseruantiam labefactare, quàm hoc gulæ vitiũ. Et cõtrà, nihil aliud firmius Religionẽ statuere q̃ abstinentia, vt & Ioannes Cassianus egregiè testatur, nõ q illud ex se sit maximũ vitiũ, sed quòd secũ multa alia grauia trahat. Quã rem sancti Patres sapientissimè, experientia id abundè monstrante, nobis pertractatam & decisam reliquerunt.

Nonò, peccauit mulier ipsa operis transgressione per inobedientiã, quia excerpsit, & de fructu interdicto gustauit omni timore Dñi à se abiecto, & contẽpta pęna nitens cõtra vetitũ, quod est grauissimũ ppter inclusã superbiæ labẽ, qua noluit subdi Deo: qua in re nulla põt esse iusta excusatio. Nã illa quã inferius attulit, dicens: Serpens decepit me & comedi, nihil habet prorsus uirium, vt eo in loco explicabimus, & nihilominus id vitii multorum est.

Decimò, tandem crudeliter peccauit mulier, quæ non contenta suæ vnius præuaricationis reatu, solicitè induxit virum, & quodam modo coegit ad comedendum. Inde tanta totius posteritatis ruina, quæ

certè non fuisset, si illa dumtaxat comedisset. Quo fit vt in eum redundet vniuersi delicti culpa, & damni reatus. Vbi etiam considerandum, delinquentium esse hoc proprium, cupere scilicet habere socios in delictis, vt duplo praeuaricatores fiant. At non fuerat ad eum finē adiuncta mulier Adae socia vt adiuuaret ad delinquendum, sed ad seruiendū Deo, & propagandos filios gratiae, nō filios irae. Ipsa igitur mulierum stultissima inuertit rectissimum Dei ordinem.

Deditq; viro suo, qui comedit, & aperti sunt oculi amborum. Hebraice legitur: *Deditq; viro suo secum.* Quidam id exponunt, volentes illam dedisse viro suo qui tum erat secum, videlicet quando tulit fructum ex arbore, & comedit. Alii negant fuisse virum praesentem (id quod multò est verisimilius) & ita hunc locum exponunt, aiētes mulierem postquàm comedit, adiisse virum suum, & dedisse illi secum, idest, vt secum ederet. Ostendit enim iam se comedisse, & tamen nullum inde subsequutum detrimentum vel mortis, vel cuiusuis alterius rei incommodum. Hinc etiam accipitur quantum valeat exemplum perniciosum, & illud in primis hominum quorūdam peccatorum dicentium: Peccaui, & quid mihi accidit triste? Comedebat ergo mulier, & comedens instigauit virum, & porrexit vt ipse quoq; comederet.

Fertur insuper (& à traditionibus maiorū profectum existimo) ipsam mulierem magna improbitate & petulantia, & acri instantia interpellasse virum vt ederet. Illum verò solū modo eius gratia, ne eam conturbaret ac tristitia afficeret, comedisse ob ingētem amorem quo illam prosequebatur, non autem quòd ipse seductus à Dęmone aut deceptus fuerit fidē habens Serpenti: sed penè coactus prae nimio (vt diximus) suae coniugis amore, ferre non potuit eam à se abire non voti compotem tam incessanter atq; importunè orantem.

Illud tamen non est prętereundum quòd etsi audiens futuros se, si comederent, veluti Deos, hoc ipsum non crederet, elatus est tamen in corde suo, & appetiuit quod in sua sorte non erat. Et in hac animi elatione vehementer Deo displicuit, quae fuit excellens deordinatio in tanta praeuaricatione, quae dicitur originale peccatū ex plurimis admissis conflatum. Et ecce eius effectus.

Quō aperti sūt oculi primorū parentum. *Et aperti sunt oculi amborum.* Quomodo, quęso, aperti sunt oculi amborum? Nunquid, rogo, erant clausi prius? Quidam dicunt Mosen ironicè loquutum: quod nō probo. Non enim erat historici ironicè loqui. Alii melius, non de corporis oculis, sed mentis hoc esse intelligendum. Erant quippe oculi mentis eorum clausi, non ponderantes propria dona, & statum illum felicem in quo collocauerat eos Deus, vt eum diligenter custodirent. Non considerabant seueritatem Dei in praeuaricantes, & in eos praesertim in quos contulerat tanta beneficia, ac dona tam pretiosa. Nam ii demum sunt quos eò maiori odio prę caeteris Deus prosequitur, quātò prae caeteris charius dilexit. Sic aperti sunt oculi eorum, vt tunc demum viderent acceptorum donorum magnitudinem, postquàm ea perdiderunt. Sic verè experiendo malum in quod se pręcipitauerant, pernouerunt etiā ipsum bonum in qnod Dei munere erant euecti. Pari modo solet plerumq; nobis accidere, qui bona accepta & dona non ponderamus, nisi cum amiserimus. Et hęc est peccati conditio, vt dum in actu peccati sumus, perturbati cōcupiscentia cęcutiamus. Postq̄ verò peccauerimus, apertis oculis damnum perspiciamus, in quod peccādo incurrimus, & pudore offundamur. Ecce quid profecerunt apertis oculis.

Cumq; cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus. Aperti sunt ergo oculi eorū vt cognoscerent se esse nudos. Nonne prius erāt nudi, cum dicat Scriptura: Erat autem vterq; eorum nudus? Quòd si erat vterq; eorum nudus, quomodo non cognoscebant se nudos? Verum subiunxit Scriptura: Et non erubescebant, quod est non nosse se esse nudos. Qui enim est nudus, & nudum se esse nouit, erubescit. Cum igitur non erubescerent, nudi quidem erant, sed hoc non cognoscebant.

Mirabile hoc prorsus, imò verò non mirabile si sapienter intellexerimus. Erant nudi corpore, sed non ad erubescentiam: quia illa nuditas propter illam iustitiam non operabatur effectum suum, prębēs spectaculum indecorum ad erubescentiam, cum per illam iustitiam petulantia carnis cohiberetur. Hoc autem iustitiae dono sublato, ipsa petulantia postmodo reuixit, ac per hoc effectus nuditatis apparuit ipsis indecorus, vnde illa erubescentia suborta est. Igitur cum rubore ac pudore confunderentur, mox consuerunt folia ficus. Nudi itaq; erant prius absq; confusione propter animę ornatum & iustitiam illam, quae erat quasi frēnum libidini, ne indecorè concitaretur. Si ita se res habuit in terris, quantò magis erit in Paradiso, cum nō solummodo vestiti erimus gloria in anima,

sed etiam ipsum corpus mutatum erit ineffabili modo, & vestibus gloriosis non manufactis speciosissime ornatum, ita vt fulgorem incredibilem sit emissurum cum magna oculorum delectatione spectandum?

De verecũdia nobis insita. Sed ad nos ipsos iam redeamus. Patet nuditas nostra in hoc statu corrupto, quia effrenis libido viget in membris, & naturalis adest verecundia. Quo in loco multifariam oberrarunt. *In Cynicos.* Fuerunt Cynici qui omnẽ prorsus verecundiam tollebant é medio. *In Pelagianos.* Venerunt & Pelagiani qui hunc pudorem nõ habebant pro vitio & vituperio. Etenim priscam hominis naturam non considerarũt, & ideó eam collapsam confiteri noluerunt.

Tertius error fuit eorum qui ludificationibus Diaboli seducti, putarunt homines sua industria ac virtute peruenire posse in illum primum Paradisi statum, ita vt possent in nuditate & opere illo venereo sic se habere trãquillos, vt nullo libidinis æstu & ardore incensi, etiam valerẽt non erubescere. Et nostra quoq; ętate conflata est secta quędam his non dissimilis, quæ mares & fœminas simul conuersantes & domi & in conclauibus patitur, vt sic superent tentationes suas. O veré impudentem arrogantiam, & seductionem meré serpentinam: Sic Heuam seduxit ille pessimus Spiritus.

Notandum diligenter. Illud maxime hîc adnotandum, effectum illius esus, ipsam videlicet spoliationem doni iustitiæ, & consequentem erubescentiam, nõ fuisse ex vi & natura illius cibi siue comestionis. Alioqui ipsa mulier quę prius comedit, sensisset erubescentiam illam. Non sensit autem, nisi post comestionem Adæ. Ergo nõ ex natura fructus illud cõtigit, sed ex ui pacti: quia ita statuit Dominus Deus, ad quod plurimi non aduertunt. Ob eam causam gaudeo id esse etiam á Caietano animaduersum, propter quosdam nouitios doctores qui negant inter Deum & Adam intercessisse pactũ: quod profectó qui non admittit, nihil prorsus intelliget. Ex hoc autem sequitur, pactũ ita in Adam fuisse stabilitum, vt si Heua sola comedisset, non fuissent illi, nec naturæ humanæ subtracta dona collata, sed solùm ipsa gratiam amisisset, videlicet illud cęleste donũ, quod cum crimine conuenire non potest. E conuersó autem, si solus Adam comedisset, illa præuaricatio etiam Heuæ cõiugi & vniuersis posteris obfuisset: quoniam cũcta dona amisisset, sicut veré amisimus propter solum Adæ peccatum, non quodcunq; sed propter illam solam comestionem. Peccauit enim anteq̃ comederet elationis peccato & superbiæ, & nihilominus nondum cognouit se nudum esse. Non enim fuit spoliatus iustitia illa originali, nisi postq̃ comedit, iuxta verbum Dei: In quacunq; die comederis, morte morieris.

De conditione peccati originalis. Neq; miretur quisq̃, hoc solum peccatum in primo homine ad ruinam omnium valuisse: quoniam nullum peccatum ex se eius erat meriti vt pareret mortem corporis, quod valdé est ponderandum. Id fuit ergo ob cõditionem legis & pacti appositam, quæ rigorosé consideranda est, & iuxta tenorem verborum, cum eiusmodi pacta & statuta suapté natura sint stricti iuris, quẽadmodum docerent Iurisconsulti. Non enim frustrá dixit Dominus: In quacunq; die comederis. Et non dixit: In quacunque die peccaueris, morte morieris.

Sunt veró multi qui non secus hodierno die queruntur de Deo atq; prisci illi quibus erat illud in prouerbio: Parentes nostri comederunt vnam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Videtur enim illis admodum absurdum, peccato primorum parentum labefactari vniuersum mundum debuisse. At *Nota.* si diligenter & quieto animo ac patienti cũcta considerarentur, nemo perturbaretur, nemo Dei sapientiam etiam cum admiratione multa non probaret. Primó enim (vt paucis rem perstringam) consideranda est humani generis conditio, quoniam omnes ab vno deriuamus. Deinde, quód ille vnus homo formatus sit á Deo: quapropter primogenitus ac dilectus meritó post Christum fuit. Tertió, quód illa dona quibus fuit honoratus (gratiam excipio) secundum quandam rationem debebantur naturæ. Itaq; ex his colligitur, cum naturam omnes posteri per eum accepturi essent, congruum fuisse, vt & illa dona quæ naturam quodã modo ad reddendam illam bonam & integram consequebantur, per illum posteri acciperent. Nã propter illum, tanq̃ primam & eximiã in genere nostro creaturam suis manibus formatam, habuit Dominus rationem nostri, sicut par erat, vt pater ille gloriaretur in filiis. Cũ veró non esset bonum dona illa naturæ nostræ cõuenientia sine aliquo gratitudinis merito nobis conferri, statuit cum eo pactum vt ea seruaret sibi ac nobis per obedientiam alicuius mandati positiui, quod subiectionem recognoscendæ dominationis ac maiestatis exposceret. Ideó facta est fructus illius inhibitio, qua disceret subiectionem, & nos similiter & verbo & exemplo eam doceret. Debebatur enim hoc Adæ, vt per illum ea do-

na acciperemus, tanq̃ à quo naturam ipsam trahebamus: quoniam naturale est parentes filiis thesaurizare. Et illam gratiam per illum præstari nobis æquum erat, vt hoc ei debere mus ob nobilitatem suam & dignitatem, q primus manu Dei compositus omnium pater futurus erat. Quemadmodum ergo cõueniens fuit propter eum nos accipere dona quodam modo naturæ, quam ab eo accipiebamus, debita: ita non fuit absurdum eadem per illum amittere. Si enim stetisset ille, ac per eum omnes locupletes facti essemus, nõne quilibet nostrum summè laudasset Deum de benignitate pacti? Cur igitur per illius transgressionem conquerimur de pacti austeritate, quod homini propositum, factu fuit facillimum? Cur nos miseri culpam aut iniquitatem quę Adæ summa fuit, transferimus in Deum omnipotentem? quod horrẽdum est vel cogitare. Impii autem Manichęi Deum veteris testamenti ausi sunt asserere malum Deum, & à bono Deo segregare: quæ blasphemia tanta est, vt profectò non sit digna contra quam verba fiant.

Obiiciet quis. Quę debebãtur naturę, cur mihi naturam accipienti propter peccatum alienum depereunt? Deus ipse est autor naturæ, & ab illo naturam accipio: cur igitur non eam integram modò accipio, sed corruptam?

Cur spoliati sumus donis naturæ ob peccatũ Adæ. Respondeo: Debebantur illa dona naturæ non absolutè, sed naturæ in illo primo parente, aut potius ipsi principaliter, qui primus erat huius naturę susceptor & propagator: nobis verò secundariò in ipso, ac per ipsum. Et reuera illa dona non ita erant naturæ conuenientia, vt non essent ex parte dona. Quãobrem illa non merebatur nostra natura absq; aliquo merito nostro, saltẽ in patre. Neq; enim poterant dici naturalia, cum non venirent ex principiis naturæ, sed ex prouisione Dei externa: & aliquo modo erant supernaturalia respectu corporis, quãq̃ respectu animę quodam modo deposcebantur aut illa, aut talia quæ hanc iniquam corporis copulam cum tali anima bene componerent, ne eousq; miseranda contritio & infelicitas in tanta creatura ob istas duas naturas sibi inuicem aduersantes inueniretur, videlicet mortalis corporis, & animæ immortalis.

Posuit & ipsum donum gratiæ Dominus Deus in illo, per quem similiter in nos obueniret. Ex quo rectè concluditur, nullã superesse querelę rationem, si ille nobis perdidit quod non erat nostrum, & nullo modo nobis debitum. Et vide, quæso, æquitatem Dei maximam ac benignitatem. Cum enim hoc gratiæ donum naturam nostram excedens, & in diuinum consortium euehens, admodum sublime esset, nec ex solo patre nostro penderet, sed principaliter à Christo, super quo Adam ipse ædificatus erat & consistebat, noluit clementissimus Deus vt irrecuperabiliter illo tanto dono per illius peccatum careremus. Cogitauit enim confestim remedium, vt in solo Christo illud recuperaremus & potiremur, qui omnibus nobis mereretur. Cætera verò dona quæ aliquo modo natura sibi poscebat, & per Adam in nos obuentura erant, noluit Deus vnq̃ nobis ea restituere, postq̃ ille amisit qui recuperare non valuit. Per Christum verò nõ decuit *Nota.* nostra naturalia nobis restitui, cũ ipse propter nos sua naturalia abiecerit. Nam cũ esset natura Filius Dei, & in Dei forma debuisset venire, formam tamen accepit serui. Et sic ad modicum tẽpus diminutus fuit à Deo Patre, & à se ipso, & ab Angelis suis. Quapropter decuit & nos quoq; pro tempore à nobisipsis manere diminutos, & ad modicũ pati hoc detrimentum. Etenim restituentur nobis omnia cum fęnore tempore suo, cum summis & eternis donis, modo maneamus in Christo, per fidem & charitatem ambulantes sicut ille hanc viam ambulauit. Sic namq; eiusmodi donis potiemur in illo in futura & beata vita.

Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi Perizomata. O miram hominum peccatorum cęcitatem. Considera q̃ ineptum remediũ sibi adhibuerunt miseri. Consuerunt folia ficus. Qua, rogo, acu? Quo filo? Fortè iunco aliquo, aut si quid ad hoc erat paratum. Sed illud mera necessitate fecerunt pro tempore, cum tunc aliud in promptu non se offerret quo contegere verecunda possent, donec cogitarent aliquid aptius. O verè miseros. Cuius arboris fructu nudi facti sunt, eiusdem foliis contegi se procurant. Eos imitantur nunc qui postq̃ peccatũ aliquod admiserunt, nolunt peccasse, sed mox se ineptis verbis excusant. At quid aliud est quàm foliis ficus facere sibi perizomata? Hoc autem est magis se prodere. Et hoc vitium nobis omnibus est natura insitum tanquàm hereditarium. Beatus qui hoc vitio caret. Ego adhunc diem q caruerit, noui neminem.

Et cum audissent uocem Domini Dei deambulantis in Paradiso &c. Multa sunt hoc in loco seriam meditationem postulantia. Primũ audimus Dominum Deum ambulare. Sed qui sunt pedes eius, quibus ambulet? Si ambulare est

corpus é loco in locum perducere, vt ibi sis vbi prius non eras, quî potest hoc conuenire Deo, qui neq; habet corpus, nec continetur loco, sed ita omnem locum continet atq; implet vt nusq; non adsit illius præsentia?

Adhęc addidit Scriptura, audisse illos vocem Domini. Quænam erat illa vox Domini, & vnde veniebat? Deus enim corpus nō habet, vt inde sonum vocis emittat, sicut putarunt quidam insipienter sapientes. Præterea, locus vbi deambulabat describitur: *In Paradiso*. Designatur & tempus: *Post meridiem*. Nam circa meridiem volunt quidam cōmissū fuisse ab Adam peccatum, quo etiam tempore vt illud auferret, sublatus est Christus in Crucem. Adiicitur & circumstantia temporis: *Ad auram*, flante scilicet vento placido. Quæ omnia subtiliter examinăda sunt: quoniam ea quæ in Scripturis de Deo dicuntur modo nostro & iuxta captum nostrum, mul tò secus accipienda sunt quàm nos accipimus, cum eadem de nobis dicuntur.

Quō dicatur ābulare Deus. Itaq; ambulare Dei non est sicut ambulare nostrum, sed iuxta analogiam quandam. Nec Paradisus locus ille corporeus erat locus inhabitantis Dei, aut deambulantis: sed in Paradisi siue horti nomine, animā potius nostram intellige, vbi ipse deambulat, & quā alloquitur per Spiritum suum quando vult, propter quod dicitur: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Est tamen omninò credibile, Dominū Deum p Angelos sensibiliter & externè in illo Paradiso alloquutum fuisse Adam, licet eius vera locutio fuerit interna, quæ propria Dei est in mentibus nostris. Nam per externam solam non possumus agnoscere Deum esse qui loquitur. Rectè igitur cogitarunt, qui ministerio Angeli in facie hominis apparētis, Deū visitauisse primum parentem dixerunt, & per sēsibilia aliqua signa, & per voces aliquas externas declarauisse quis esset, & quid vellet: non tamen absq; inspiratione interna, quæ vera erat alloquutio Dei. Spiritus enim vbi vult spirat, & vocē eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat: quia non sensibiliter apparet nobis ipse qui loquitur. Huius diuinę ad primos parentes alloquutionis Ecclesiasticus meminit aiens: Honorem vocis audierunt aures eorū. Loquitur ergo Deus ad cor, vbi est, verus Paradisus Dei in quo ambulat. Ad eum sensum legimus, Dominū inhabitare & inambulare in nobis & nobiscum, dum corda nostra visitat & mouet, & varias inducit affectiones, & facit nos ratione discurrere, & quasi pedibus gradi ex vna in

Eccl. 17.

aliam cogitationem & ratiocinationem.

Sic apparuit illis Deus ad aurā, & post meridiem. Ad auram, inquit, quod lenem vētum significat, qui inclinato Sole consueuit dulciter spirare ad recreandum ab ęstu. Qua in re mirificè declaratur illorum ac Dei simul dispositio, quo pacto se haberet. Illorum, inquam, quibus iam Sol occubuerat, cum in tenebris essent. Dei verò qui placidè veniebat ad eos nō in furore & vindicta, sed cogitās cogitationes pacis. Mitto hîc qd tū agebat Serpens. Qui enim Dęmonum mores nouit, facilè ei venit in memoriam quid tum agebat ille liuidus, qui proculdubio tacitus subridebat, & oblectebatur tanto insipientis hominis casu, qui etiam quoties ei in mentem redit qua nos calliditate in campo obtinuerit, nō potest nō cachinnare diabolica irrisione & odiosissima. Cōtrà verò furiosè indignātur & contremiscunt, cum reminiscuntur victoriæ Crucifixi. Sic enim cōsueuerunt miseri, quod mihi datum est ex parte etiam experientia sensibili de illis nosse.

Quocirca meditemur nunc ad vtilitatem nostram super illis nostris primis parentibus cum primum cognouerunt se nudos, qs dolor, quis æstus, quàm amara lamentatio, qui tumultus, quantum pęnitentiæ assiduis suspiriis excitatæ eorum mentem implebat, q̄ amarus deniq; totam vitā cruciatus comitatus est. Sed misertus ipsorum Dominus noster post meridiem, postq̄ aperti sunt eorum oculi, id est, postq̄ clara luca pernouerunt miserias & ærumnas in quas deuenerunt, Tunc, inquā, Dominus Deus & clementissimus Pater non in ira & furore indignationis suæ, sed in spiritu leni ac placido, qui in aura diei significatus est, se adesse per solitæ vocis emissionem & deambulationem significauit, in ea hominis forma apparens, in qua erat venturus, vt veteres Doctores putarunt, & quidem conuenienter. Ipse enim erat qui loquebatur ab initio per Spiritū suum, quod & mirè significauit Ecclesiasticus cum dixit: Et honorem vocis audierunt aures eorum, sicut iam superius exposuimus. Sentiebant ergo Deum in ipsorum conscientia reprehendentem, & ob oculos ostendentem merita supplicia, & ad salutarem pęnitentiam prouocantem, vt misericordiam implorarent. Porrò quid de illis dicat Scriptura, audiamus.

Abscondit se Adam, & uxor eius à facie Domini Dei in medio ligni Paradisi. Quid faciunt isti occęcati? Absconderunt se (inquit) à facie Domini. Hoc eorum primum est ac proprinm q amāt peccatum, quemadmodnm testatur summa

Veritas omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Attende tamen acute lector, istud quod ait Scriptura, *Abscondit se à facie Domini*, debere non de vera Dei facie intelligi, à qua nemo se potest abscondere, sed de illius Angeli facie qui diuinam personam agens, se illis consueuerat ostendere. Ab eo enim cuius sentiebant aduentum, se abscõdebant fugiẽtes, & abdentes seipsos in medio ligni, hoc est, in medio illius arboris de cuius fructu excerpserant, quę patulos ramos habebat & folia. Aut in medio ligni, id est, in medio arborum Paradisi. Significauit quippe Scriptura eos primos præuaricatores fecisse corporaliter, quæ mente agitabant. Nam dum stimulis conscientiæ vrgerentur, eam cogitationem pungentem abiicere nitebantur: quod erat velle se abscondere à facie Dei, cuius facies in conscientia apparet. Eo igitur modo se abscondere à vera Dei facie & intuitu cupiebãt, quo se abscondebant & subterfugiebant eum, qui sensibiliter ad eos veniebat. Sed quare fugiebant cum veniret in aura placidus, nisi rubore suffusi, ac timore perculsi? Homo enim pernoscens confusionem suam, nollet spectari à quoq̃: & eatenus abscondit se etiam à Deo, quatenus detrectat confiteri peccatum, perinde ac si Deus non videret.

Ioan. 3.

Sed quò se proripit stolidus, obsecro, vt se se abscõdat? nempe in medio ligni seu lignorum Paradisi. At istud est inuoluere se peccato strictius atq; calamitosius: quoniam se ab eo loco debebat subducere vbi peccauit, & illùc nihilominus reuertitur, vt in peccato facilius deprehendatur. Hæc hominis peccatoris conditio, vt quò longius fugere Dei præsentiam nititur, tantò grauius peccata peccatis cumulet. Et tamẽ clemẽtissimus Deus nõ cessat etiam eo in loco existẽtẽ vocare & excitare, vt agnoscat miserias suas, & confiteatur, & hinc ad salutare remedium accedat.

Vocauitq; Dominus Deus Adam, & dixit ei, Vbi es? Qui ait: Vocem tuam audiui in Paradiso, & timui eò quòd nudus essem, & abscondi me. Cui dixit: Quis enim indicauit tibi quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno de quo preceperam tibi ne comederes, comedisti? Dixitq; Adam: Mulier quam dedisti mihi sociã, dedit mihi de ligno, & comedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quæ respondit: Serpens decepit me, & comedi.

Vocauitq; Dominus Deus Adam, et dixit ei: Adam ubi es? Quid superius dixerit illi Deus, non scribitur apertius: hoc tm̃, quòd illi audierũt vocem Domini, & absconderunt se. Quid autem illa voce Deus expresserit, nõ indicat.

Dicunt quidam, idem prorsus dixisse Deũ, quod modo dixit, videlicet: Adam vbi es? Ego potius dicendum putarem citationem fuisse vt pñs compareret, & redderet rationẽ facti, quod præstare non valens, summouit se & abscondit: vt in hoc facto notetur iudicii ratio, quæ est vt in criminosum nõ proferatur sententia, nisi fuerit prius legitimè citatus, interrogatus, & conuictus. Notetur item mos omnium delinquentium, qui est cõtumacia, & incredibilis ac summa insipientia, qui cum Deo agentes existimant se & sua facta posse illum latere, quasi Deus more hominum decipi possit, aut euitari.

Igitur immẽsa benignitate Dominus Deus vocauit iterum Adam ostendens se illi in eodem medio Paradisi, & dixit ei. *Adam ubi es?* Non quærit Deus quasi nesciat, cui sunt cũcta præsentia, vtpote æternum Patris Verbum, vnde cuncta manarunt: sed vt Adam ipse consideraret vbi esset, non quidem locũ, sed statum miserum in quem se præcipitem cum tota familia & posteritate sua dediderat, & ita ad pęnitentiam & confessionem prouocaretur. Alloquitur ergo illam personã primi parentis, & singulos ex illa tandem alii quando prodituros, & ait.

Vbi es ? nunc patrato peccato? In quam te coniecisti conditionem? Eras non ita dudũ honoratus illo insigni gratiæ dono, cuius lumine illustratus tam limpidè, tam clarè, tam firmiter me noscebas & Patrem meum, vt nec vlla dubitatione posses nec formidine vlla à fide deturbari. Nunc autẽ vbi es? cuius mẽs obscurari, & ad errorem facile adduci potest? Eras amicus meus, filius meus, frater meus. Nunc autem iam non amicus, sed inimicus: non filius meus, sed Serpentis soboles atq; semen: non frater meus, sed extraneus prorsus & hostis. Vide igitur quantum mutatus ab illo. O stulti & amentes prorsus homines qui non agnoscunt tantum donum, & dignitatem adeò excelsam, in quam per donum illud euehimur, vt filii Dei nominemur & simus. Et tamen necdum apparuit quid erimus in illa vita beata, quando similes ei erimus,

In qu erumnas inciderit homo ob peccatum.

1. Io. 3.

mus, quatenus fas fuerit excogitare & desiderare. Magnum profectò & valdè magnum hoc donum (nec satis pro merito vlla hominis voce commendatum, quo carere maxima est calamitas, maximum damnum ac detrimentum. Et icciricò Diabolus (vt sæpe dicere solemus) multis ac mirificis modis satagit, quò huius doni fidem à nobis auferat, aut si fidem nequeat, saltem eius considerationem ab oculis mentis nostræ eripiat, ne per ipsum proficiamus. Quis mihi tantam ad persuadendum vim præstare possit, vt hanc veritatem in multorum cordibus figam, & saluos faciam plures? O me miserū qui nec id mereor, cum ea quæ loquor & ipsis oculis fidei intueor, non tamen dignis, vt deberem, factis comprobo. Me sola hęc cogitatio recreat & reficit, qm̄ alios saltem perfectius ista nosse vellem (ea nimirum notitia quæ plurimum ad salutem conducit) ac multò magis proficere, q̄ ego ob meam negligentiam & socordiam fecerim.

De dono gratiæ.

Vbi es igitur ò Adam considera, qui tam pulchrum tamq; excellens donum tua vnius culpa amisisti, quo eras amicus meus, & filius meus & frater, inquit Dominus. Adam, in quam, vbi es? qui hoc dono perdito etiam æternæ vitæ, quam per illud assequi poteras & obtinere, tam turpiter fecisti iacturam tuis viribus irrecuperabilem.

Quòd si id infelix Adam parum tibi videtur, non tibi soli tantum detrimenti accidit, sed insuper simul factus es reus æternæ & secundæ mortis, socius Dæmonum, tradendus in tenebras exteriores ibi cruciandus in sempiternum, & illo igne qui paratus est Serpenti & Angelis eius. Nam libera tua voluntate & ex certa scientia præuaricator factus es pacti. Et ideò hoc propriè tuam personā tangit infelix.

Adam rursum vbi es, qui ita valebas mente & ratione, vt posses in statu illo de me, & de Angelis meis magna & admirabilia sine numero contemplari, & præter ea quæ tibi reuelanda erant mysteria, quanta tibi cogitatione tua & mentis acumine intelligere datū esset, quæ nunc & curis multis implicatus, & erroribus obnoxius, & infirmitatibus circumuallatus vix potes: & insuper eo in loco es, vt & naturalem felicitatem simul cum supernaturali amiseris?

Adam vbi es, qui donum illud iustitiæ amisisti, quo mens Deo subdebatur, quo te perfacile in eius amicitia seruare poteras & obedientia, quæ sola te incolumem conseruasset. Vt enim salus ouium ductu pastoris & sibilo si eidem pareāt, securè procuratur: sic & nos velut oues hac vna re certissime seruamur, si Deo subdamur, & eius nutibus obtemperemus. Aliàs nos velut oues errantes expositi sæuis luporum ac bestiarum dentibus atq; morsibus miserabiliter dilaniamur.

O infelicem illum & prorsus amentem hominem, qui à patre petit partem substantiæ quam ad se pertinere existimat, hoceit, qui à patris prouidentia, & subiectione, & cura se eximens, vti vult ad libidinem propriam facultate arbitrii. Hic est ille filius prodigus, quem citò videbis omnium suarum prodigatorem facultatum per omnem luxum, & alia turpia facinora ac scelera.

Disseruerunt Scholastici de homine sibi ipsi relicto absq; speciali auxilio Dei, An bonum aliquod operari valeat quod dici verè morale bonum possit, licet hanc quæstionē ad hominem infidelem restringāt. Ego hac de re alibi diffusius tracto: solummodo hoc in loco pro intelligentia lectorem ipsum admoneo (ne sit vel deceptio vel contentio in verbis) vt prius rectè cōstituat, quid est quod ipsi bonum morale appellant, An vt sit bonum morale satis esse existimant, si sit bonū ex genere, vel ex officio, quale est dare eleemosynam, reddere depositum, & quædam huiusmodi. Nam si hoc satis esse putant vt sit opus morale, facile poterimus fateri, posse hominem sibi suisq; viribus relictū facere bonum huiuscemodi morale. Quòd si vt sit bonum morale, non satis est bonum esse ex genere, sicut verè non est satis: sed oportet debitis circumuallatum esse circumstantiis (Nam hoc sermo proprius videtur exquirere) omninò negamus ab homine sibi ipsi derelicto posse absq; speciali Dei auxilio vllum verè morale bonum fieri, cuius sententiæ ratio est manifesta.

An possit homo in natura lapsa aliquod bonum morale facere.

Duæ enim sunt præcipuę circunstantiæ quæ reddunt actum moralem bonū. Prima est, si elicitur à virtute: alioqui si nō à virtute eliciatur, puta iustitia, fortitudine, temperantia, talis actus non videtur absolutè bonus &, vt ita dixerim, virtuosus. Secunda circumstantia est ipse finis, cuius gratia tenemur ad officia & præcepta, qui si præscindatur, aut non consideratur, profectò bonus actus moraliter dici absolutè nō potest. Hāc rationem quàm sæpissime in Pelagianos obiectat B. Augustinus.

Notandum diligenter.

Obiiciet fortasse aliquis ad primum: Fateor quidem non esse actum virtuosum qui à virtute non proficiscitur, non tamen sequitur non esse bonum & moraliter bonum.

Cui nos respondemus: Imò sequitur, si hoc etiam ponitur, quòd ex virtute quis teneatur operari. Dicet, Nemo tenetur operari ex virtute naturaliter, quia nemo nascitur cum virtute. Ego verò cum id audio, iam videor mihi audire Philosophum, non amplius Theologum, vel non Theologũ purum, sed philosophia, hoc est, humana scientia coinquinatum. Nam secundum pacta quæ pepigit nobiscum Deus, omnis homo tenetur habere virtutem, & consequenter operari ex virtute: quoniã sic ab initio conditus fuit. Alioqui in quo dicimur nasci peccatores (vel ipsismet Theologis confitentibus) nisi in eo quòd inuenimur carere iustitia, habentes tamen debitum habendi eam? Et cur data erat nobis ea iustitia, nisi vt secundum illã operaremur? Si tenemur habere illam, & non nisi ad operandum, non operantes ergo secundum illã, delinquimus etiam illam nõ habentes, postquã habere tenemur: quod plerique non cõsiderant. Et ob hoc tamen verum fit, omnes iustitias nostras esse sicut pannum menstruatæ, qui nedum bonus non est, sed fœdus & immundus. Si ergo panno menstruatæ verè comparãtur omnes iustitiæ nostræ, quo pacto bonæ appellari queant, quas adeò Scriptura vituperat, equidem ignoro.

Adhæc, Si arbor mala iuxta Domini sententiam, non potest bonos fructus facere: & (vt B. Augustinus exponit) volũtas nostra est huiusmodi arbor mala quæ vulnerata est & deprauata, quomodo bona opera quæ sunt boni fructus, facere poterit?

Præterea, Si præcepta Dei ordinata sunt, vt etiam secundum legem naturalem homo teneatur omnia operari in gloriam Dei, & propter Deum, quem etiam tenetur diligere super omnia: quî fieri potest vt homo in statu peccati quidpiam boni operis possit facere, quod sit moraliter bonũ, cum quoduis suum opus nequeat in Deum dignè referre, quem non diligit super omnia? Si quidem in amore anteponit illi creaturam. Quo igitur pacto erit bonũ opus, cui deest quod præcipuè facit ad bonitatem, & quod potissimum requiritur etiam lege naturali?

At isti fortè putant legem naturalem non exigere vt super omnia diligatur Deus, & cõsequenter vt lex illa requirat cuncta opera in Deum referri, qui sit finis omnium actionum nostrarum. Sed qui ita existimant, falluntur vehementer. Sicut enim non est scientia vera quæ non ex primis principiis cõflatur, sed sophistica: sic non est opus verè bonum morale, quod vltimo fine non decoratur, sed bonum secundum quid, idest, ex genere, siue (vt B. Augustinus loquitur) ex officio. Nã quod sunt principia ad conclusiones in speculatiuis, idem est finis ad officia in practicis & agibilibus.

Nunc igitur paucis accipe amice lector, in quo isti grauiter meo quidem iudicio offendant ac prolabantur. Aiunt ex illis quidam qui nuper scripsere: Inest naturæ hominis posse quæ honesta sunt nosse, & quæ rationabiliter agenda. Cognitio autem agibilium est propter opus. Natura ergo etiam datũ esse credibile est, vt quod noscitur esse agendum, id re ipsa agi possit, ne quid frustrà esse à natura dicamus. Et addunt, miraculo quasi ascribendum, reliquis omnibus natura constantibus præstitũ esse à natura vt possit suos quodlibet eorum assequi fines, homini autẽ hoc esse negatum, idest, non esse præscriptum à natura scopum ac finem, nec potestatem datam qua possit naturaliter rationis vsu ac libertate implere sua officia quæ debet, quæque consentanea essent rationi. Adiungunt impossibile esse persuasu, vires inesse sensualitati ad expugnandum rationem, quod est contra naturam, nullam tamen vim inesse vicissim in ratione ad expugnandam sensualitatem, quod est naturale. Et cum hæc ita esse constituant, fatentur tamen hominem sic suæ naturæ derelictum non posse perficere totum naturæ bonum quod natura noscitur, nec ita moraliter agere, vt nõ multò frequẽtius offendat, & sensualitati succũbat, & Dæmonum tentationibus superetur. Quàm autẽ istud congruat cum iis quæ conantur argumento euincere, ipsimet viderint.

Quid aduertendum circa vires hominis in natura corrupta.

Ergo quoniam hæc manifestè nõ de sciẽtia dicuntur, & inconstantem sese que destruẽtem doctrinam continent, aduerte quæso candide lector. Ad primum enim cũ supponunt naturaliter ad intellectus cognitionem in agendis quæ recta sunt, consequi etiã potestatem agendi, longè falluntur & errore proculdubiò Pelagiano. Alioqui etiam totũ bonum morale posset homo perficere, cum totum noscat natura, vt ipsi volunt: quod est falsum iuxta ipsorummet confessionem quam præscripsimus. Præterea, Lex naturalis cuilibet homini rationis compoti præcipit vt diligat Dominum Deum super omnia. Hoc autem re uera præstare homo non potest naturalibus viribus, vt B. Thomas fatetur, & ipsi concedunt. Quomodo igitur non vident, nequaquã ex naturali agendorum cognitione consequi ipsorum naturalem possibilitatem, vt effici possint? In hoc igitur

Refelluntur argumenta eorũ qui nimium tribuunt naturæ.

allucinantur

allucinantur, dum imaginantur in homine absq; gratia existente naturam esse integram, & non deprauatam peccato. Ideò miraculo ascribenda esse ea absurda putant, quæ non miraculo, sed ipsi peccato debent ascribi. Nunq̃ enim talem Deus noster condidisset nostram naturam, qualem nos illā nunc cōtrahimus. Dei namq; perfecta sunt opera, cuius sapientia & bonitas in hominis formatione singulariter relucere debuit, potissimū cum ad suam imaginem & similitudinem creare illum dignatus sit, quem certè creari imperfectum nulla ex parte decuit. Sed qui de philosophia, & propriis speculationibus addiscunt, non facilè in hos theologicos cōceptus veniunt, quos corrupta natura non nouit, sed syncera fides.

Adhæc, absurdum arbitrantur ita natura esse comparatum, vt perpetuò sensualitas superet rationem, & nunq̃ ratio sensualitatem. Verùm cur nō & illud absurdum potius esse ducunt, quod ipsi tamen concedunt, videlicet à sēsualitate in grauibus tētationibus multò frequentius superari rationem, q̃ à ratione sensualitatem, cum & hoc sit contra rerū naturam, qua comparatum est vt superiora inferioribus dominentur. Ecce quomodo ipsi absurda coguntur admittere. Miror equidem hos non legisse, aut si legerunt, nō animaduertisse, haberi in decretis summorū Pōtificum, nos absq; Dei gratia & auxilio non posse resistere Diaboli tentationibus, idq; esse dogma fidei. Quid igitur tantopere naturā frustrà extollunt ob quædam apparentia eis absurda? An, quęso, mirum cuiq̃ videri debet, si ex peccato sequantur absurda? Cur non potius nobiscum dicunt, imò cū B. Augustino & Ecclesię Doctoribus, ipsam naturam ex se ita prauam, ita mancam, hæc nobis parere absurda? Et tamen non inest nobis à Deo, sed à peccato: aut si à Deo, in pęnam est & propter peccatum, nō suum, sed nostrum. Ab initio enim non erat sic. Hæc si verè cogitent & admittant (quæ nullus nisi hæreticus inficiari potest) non videbitur eis durum concedere, nullum prorsus veræ virtutis opus & morale bonum posse ab homine in hoc naturæ deprauatæ statu perfici. Intelligent enim quid habeat virium illa Domini sententia: Ioan. 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati. Et illud Apostoli. Peccatum nobis natura dominari, cum natura simus filii iræ. Et iccircò non esse mirum, nedum miraculū, dominum nunquàm vinci à seruo: quia seruus non est supra dominum suum. Intelligent etiam in hoc statu, rationem non contendere cum sensualitate, cui subditur: quia lubens eam sequitur nec resistit. At cum mens spiritu eleuatur, tunc oritur illa pugna de qua B. Paulus, carnis videlicet aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.

Verùm vt iterum de principiis argumentemur, & de ipsis contradicentium verbis: aiunt. Vt opus quodlibet sit bonum morale, satis est ipsum esse rationi consonum ad ius exactum naturale, etiam si nulla super naturam perornetur circumstante qualitate. Nam profectò non aliter dignoscere videor (ait quidam) inter res horum nominum, Opus morale, & Opus meritorium, quàm quòd illud soli sit congruens naturali fini, hoc autem in eum qui supra naturam est referatur. Illud autem totum potest homo à natura præstare: sanè qui cum sit animal rationale, naturalis sit ei scopus à natura pręstitutus, vt quæ rationi sint consentanea, & cogitatione prehendat, & affectu appetat, atq; adeò effectu exequatur: hæc illi. At vide, obsecro, vt falluntur, si sermo rectè exprimit quod sentiunt. Videntur quippe sentire operum moralium finem non esse Deum secundum legem & ius naturale: & consequenter non esse debitum naturaliter vt omnia in eum dirigantur & eius amore fiant: in quo etiam plurimum discrepamus. Non enim sola charitas dictat vt super omnia Deum diligamus, & propter eum operemur cuncta, sed ratio quoq; & naturalis lex.

Quòd si quis dixerit: Quid ergo interest inter eum qui ex lege charitatis tenetur diligere Deum super omnia, & illum qui etiam ad hoc tenetur ex lege naturali? Respondeo, plurimum interesse. Ille enim qui ex lege charitatis tenetur, ex spiritu quem in se habet & à quo mouetur, ad hoc tenetur: & ipsum Deum diligere debet non vt conditorem tantum & gubernatorem, sed vt patrem secundum spiritum, & beatificatorem. Qui verò ex lege naturali tenetur, non tenetur moueri spiritu quem non habet, sed naturali ratione dictante, quæ dilectio Deū dumtaxat conditorem respicit, & gubernatorem suum quasi terreni animalis, non beatificatorem quasi cęlestis creaturę & filii Dei. Quod ergo aiunt isti: Potest homo in eo statu existens manducare, & bibere, ædificare domum, plantare vineas, educare liberos, habere amicum, honorare parentes, depositum reddere, & huiusmodi quæ bona sunt per se ipsum agere, nihil facit. Nam horum operum pleraque etiam cęterorum animantium sunt communia, non tamen

moralia dicuntur. Comedunt enim illa quoque & bibunt, & ædificant sibi nidos, & plura admiranda efficiunt ad tutandum suum corpus, & pullos suos, & socialiter viuunt: & alia plurima quæ conducunt ad vitam, admirabiliter faciunt. Quin etiam ipsi Dæmones multa vera sciunt, & multa bona faciunt ex genere, cum Deo parent, cum credunt & confitentur, dum contremiscunt: & nihilominus dicit S. Doctor, quòd nõ potest Dæmon facere quicquam boni moraliter, eo quòd malum finem sibi præscripsit, ad quem omnia quæ agit virtualiter tendunt. Nonne istud idem est in eo qui sic affectus est vt præferat creaturã Creatori, qualis est omnis in hoc statu naturæ? Id solum interest, quòd Diabolus immobiliter hęret in eo fine. Homo autẽ viator non sic, cum adhuc subdatur potestati Dei, qui potest & vult conuertere peccatorem, & multa facit vt conuertatur, sed non Dæmonem.

Dicent, In homine moralia sunt & bona, quæ ab eo ratione aguntur, & rationi sunt consona: Beluæ autem aguntur potius quã agant. Et nos dicimus vt sint verè bona moralia, oportere vt in finem vltimum qui est Deus, dirigantur ac perficiantur: quod fieri non potest ab eo cuius mens elongata est à Deo, & totus immersus est carni, vt meritò dicatur caro, vtpote natus ex carne, iuxta verbum Domini. Iccircò scopum habet & finẽ alium in quem intendit, qui & si bonus finis sit ex se, non tamen bonus est, cum in vltimum non referatur. Sed addunt: Satis est quòd sui natura (vt eorum more loquamur) sit referibilis. Ridiculum. Quis hoc satis esse asseueret? Lex enim naturæ quæ à nobis cũcta fieri in gloriam Dei præscribit, nõ quiescit in hoc quòd actus sit ex se referibilis, nisi saltẽ virtualiter aut habitualiter id quod facimus, referamus in Deum: quod legitimè facere perfectò non est eius qui Deum non diligit ex toto corde.

Verùm iterum mirantur hi viri, & aiunt: Si potest quis erga parentem & filium supra modum habere dilectionis affectum, cur nõ item erga Deum, cum naturalis inclinatio sit homini diligere Deum super seipsum? Considera acute lector quàm aberrent isti qui malignitatem peccati non planè sentiunt, non considerant, non noscunt, qui sic falsò magnificant naturam, dicentes hominem inclinari natura ad diligendum Deum super omnia etiam super se ipsum, quod est merè Pelagianum, & ab ea malignitate descendit, quam natura contrahimus. Si enim natura inclinamur ad hanc Dei dilectionem, quid est impedimenti ne quilibet faciat? Et cur, rogo, nullus facit? Et quid est quod Sancti ex catholica fide (vt testantur sacra Concilia) dicunt naturam nostram esse collapsam, corruptam, ægrotam: & liberum arbitrium ad omne bonum infirmum, & ad omne malum pronum? sicut ait Scriptura: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Si caro est, qui sint fructus & opera carnis, enarret nobis B. Paulus. Manifesta sunt, inquit, opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & quę sunt his similia. Ecce fructus quos potest nobis proferre caro. Qui autem sperat ex se prodire posse his meliora, cum caro sit, præsumit, ignorantia simul & arrogantia inflatus ac tumens, quæ similiter sunt opera carnis. Incircumcisi enim sumus natura corde & auribus, idest, obtusi mente, atque elati superbia.

Gen. 6.

Gal. 5.

Quod si fortè hæc quispiam legens conturbetur, & in iram, & rixam, & contentionem excitetur propter sectam, permittatque à spiritu malo se in illam duci amaram bilem, cogitet si potest, hos pariter esse carnis fructus, & se huic testimonio succumbere & contra se ipsum attestari. O verè infelicem hominem, non in eo solum quòd tot ac tantis circumuallетur miseriis, sed in ea parte potissimum qua non agnoscit, nec si id audit & admonetur, vult tamen agnoscere, quamuis compertissimum sit non solum à Scriptura, sed ab huiusmodi pessimis fructibus, prauum esse cor hominis & inscrutabile, & omnẽ hominem esse mendacem, aut mendaciũ potius, vt ait Psaltes, nec esse inter filios hominũ qui faciat bonũ, nec vnum quidemquique sit intelligens aut requirens Deum, sed omnes illo peccato labefactatos declinasse, & inutiles factos esse: quorũ os plenũ amaritudine & dolo, & venenum aspidum sub labiis eorum, & veloces pedes eorum ad effundẽdum sanguinẽ. Contritio itẽ & infelicitas in viis eorum, & viã pacis nõ cognouerũt, nec est timor Dei ante oculos eorum: Imò lętantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Considera vniuersum mundum cum est auersus à Deo, de quo ait Scriptura, quòd cuncta cogitatio cordis intenta erat ad malum omni tempore. Hæbraicè legitur (vt aiunt eruditi) & cuncta formatio, seu omne figmentũ cogitationum

Scripturarum varia loca de infelicitates hominis.

cogitationum cordis eius solummodo ad malum omni die. Et iterum: Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Quid aūt vlterius Scripturis innitor, cum ethnici ipsi hos nostros dānent, qui hoc naturæ virium ob sui ipsius malitiam coacti sunt agnoscere? Inde est cuiusdā poetæ vera sententia. Vt est, inquit, ingenium omnium hominum à labore procliue ad libidinem. Et alius: O curas hominum, ò quantum est in rebus inane. & alius: Sine vitiis nemo nascitur. Plinius admirabile dixit verbum, non tamen quid ipse diceret intelligens. Nam cum deplorasset multas & insignes hominis miserias, & cum cæteris illum animantibus contulisset, concludens illū imbecillissimum esse omnium ac miserrimum, adiecit. Infeliciter natum iacet, manibus pedibusq; deuinctis, flēs animal cæteris imperaturum, & à suppliciis vitam auspicatur vnā tantum ob culpam, quia natum est. Hęc ille, quibus nescio ad enunciandum christianum dogma & culpam illam originalem quid addi possit. Manifestè enim acceptum refert ipsi naturæ omnem nostram infirmitatem quam experimur. Vnde & plerīq; ethnicorū ignorantes & admirantes miserum hominis & infelicem statum, vehementer conquesti sunt. Vnde & Tullius lib. 3. de rep. (vt refert B. Augustinus contra Iulianum) vocauit naturam non hominis matrem sed nouercā, quæ illum edit in lucem ac vitam corpore nudo & fragili ac infirmo, animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines, in quo tñ esset tanquàm obrutus quidam diuinus ignis ingenii & mētis: hæc ex Cicerone.

Et cum hæc ita sint, nequeo satis mirari quosdam ex nostris ex aduerso differētes, qui obiiciunt nobis experientiam. Vidimus enim (inquiunt) multos veterum ethnicos absq; fidei luce multas nosse veritates, & multa pręclara fecisse pro patria, pro parentibus, pro liberis, vt historiæ produnt. Nos autem respondemus, Primùm multa esse in historiis peregrinis quæ suspectæ sunt fidei. Deinde nescimus quæ visa sunt pclara facinora, quo fine peracta sint. Quod si fortè ad verum finem respexerint, vnde norunt ipsi id nō esse factum speciali gratia Dei? Aiunt, habemus ex Apostolo qui non mentitur, de Philosophis qui cognouerunt Deum naturaliter, & non sicut Deum glorificauerunt, & propterea inexcusabiles redditi sunt: quod non esset, si non valuissent etiam illum glorificare. Respondemus: Verè potuissent illum glorificare, & quia nō fecerunt, inexcusabiles facti sunt. At non sequitur, eos sine speciali auxilio id valuisse: nec item sequitur, si illud non poterant ex seipsis, propterea fuisse excusabiles. Etenim Deus cunctis paratus est semper ferre auxilium, quem cum illi non implorarunt, sed contempserunt, & dicentes se sapere, stulti facti sunt, ideò inexcusabiles fuere. Nec verò putandum est eos nouisse Deum, sicut ait ibi Apostolus, absq; aliquo interno & gratuito luminis auxilio. Nam nosse Deum in Scripturis, non significat solummodo & nudè id nosse quod est, sed quod prouidentiam rerū habeat, & erga hominem peculiarē. De hac enim notitia loquitur ibi Apostolus, quæ licet ratione ex effectibus quibusdam cōiectari valeat, nō ita tamen vt firmetur animus in hac fide, vt fiat hoc illi manifestum, nisi interno Dei auxilio corroboretur. Quapter postq̄ dixit Apostolus: Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis, ne solum naturale lumē & hominis industriā cogitares sufficisse, adiecit: Deus enim illis manifestauit, nimirū particulari auxilio. Alioqui quid oportuisset verba illa adiicere, si volebat generalē influxū significare? Quis enim de illo dubitaret? Nec enim Apostolus generales Dei influxus venit nos docere, quod ratio ipsa edocet plusq̄ manifestè: sed latentem Dei cooperationem, quam sola fide & à Theologo magistro addiscimus, voluit declarare. Quamobrem non absq; diuino spiritu dixisse Platonem existimo, Philosophiam donum esse Deorum: quod certè condemnabit hos, vt vocat Cicero, plebeios Philosophos, qui tantū tribuūt naturę ac viribus nostris, vt vel in hoc dogmate abundè suæ naturæ vitium prodāt. Illa verò eiusdē Apostoli sententia: Cū gentes quæ legem nō habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, quam isti noui pro sua opinione afferunt, cū bona eorum pace, nō sanè ab eis intelligitur. Non .n. nisi Pelagianus dixerit, solis viribus naturæ posse fieri quæ sunt legis. Igitur quæ monstrante Deo docet natura, etiam natura cui adiuncta est gratia perficiūtur: & hic est verus Apostoli sensus. Verùm hactenus satis sit hac de re disseruisse, nec id quidem citra magnam vtilitatem efficitur. Multum enim nostra interest nosse nos naturæ nostræ miseriam ne insolenter efferamur, vt & quid ex gratia adepti sumus cognoscamus, ne in nobis, sed in Domino gloriemur, & cum timore ac tremore & gratiarum actione operemur nobis salutem nostram, non spernentes sanguinem testamenti. Ad rem nostram.

De operibus gentilium

Adam miser vbi es, qui in hoc ipso tantæ superbiæ malo versaris, vt cum in profundū decideris, te decidisse non fatearis: & quantó magis tuam fœdam occultare niteris nuditatē, tantó te turpius prodis, & ipso errore & peccato inexplicabiliter inuolueris: quod indicat factum tuum. Nam cum voce diuina proderis ac manifestaris, tute teipsum in medio ligni abscondis, idest, excusas excusatione impia: & in Deum referens peccatum quod est tuum, te magis re vera detegis.

Adam infelix vbi es? Venio nunc ad ea quæ nec tu, nec vllus filius tuus negare potest. Quot iam malis subditum est corpus tuū, quot vallatum miseriis & multiplicibus ærūnis? Nunc incœpisti mori, nec vllum habes huic malo remedium: quod est summū omnium terribilium. In eo enim exhalandi animam articulo si quis relinquatur vsus mentis, qui timores futuri? quot pauores? quanti æstus? quales sudores? quā periculosus agon subeūdus erit? Est enim tam arctum tantæq; necessitudinis fœdus animæ cum corpore, vt nihil illi tristius, nihil calamitosius queat accidere, quàm separatio illa: cui rei attestatur miserabilis ille agon cum instat hora recessus, & sola tanti mali formido miserabiliter conturbat. Inde fit vt quantum potest, hāc tam tristem cogitationem pellat homo & excutere curet ab anima sua. Sed quanta sunt quæ plurimis in vita contingunt calamitosa, ipsa etiam morte amariora? Quot morbi, quàm varii & validi, quàm diuturni & incurabiles, quàm horribiles? vnde ipsa vita fit homini mors acerbissima. Quot enim etiam natura cæci, quot surdi, quot muti, quot māci, claudi, lusci, strabi, gibbosi, podagrosi, leprosi, vlcerosi, monstrosi? præter ea quæ in cursu vitæ surrepunt & oriuntur vitia, & infandi morbi, quorum sola recordatio & horrorem incutit, & stomachū mouet, dum grauitas pensatur, dū numerositas obiicitur, dum diuturnitas cogitatur, dum putor atq; deformitas ingeritur. Verùm nō est hîc locus eiusmodi recensere per singula. Malim lectorem ipsum secum animo retractare, & cogitatione supplere quod à calamo non est designatum. Etenim si nihil aliud incommodi ex eo peccato nobis euenisset, quàm quæ circa corpus versantur mala, nonne meritó, & maxima ratione à Domino processisse illam vocem, Adam vbi es, perfacile posset quisq; cogitans agnoscere?

Et iterum atq; iterum, Adam vbi es? cui prius subiecta erant omnia & prompté seruiebant. Nunc veró contrà subiectus es omnibus, & omnia tibi aduersantur, idq; iure optimo. Quid enim cōgruentius quàm vt aduersus rebellem in Deum, cuncta similiter rebellarent? Quod vt singillatim ostendam, seruiebant tibi cœli, & sydera cœlorum omnia quæ lætitiam excitabant é corde, gratam tibi lucem tum nocte, tum die præstantia & fouentia vitam. Nunc (heu) vel ipse Sol, quo nihil præstantius, & ad vitam nihil magis cōducens, insalubris tamen est & interdum tibi noxius. A motu autem Lunæ, & aliorum inclementium syderum atq; eclipsibus, nōne tempora sæpenumero accidunt tristia, iniucunda, pestifera, ita vt aer, & aqua, & terra, & ignis, indignationem Dei in te testificentur, cum tibi non sint propitia, quæ tamen vt tibi inseruirent, ab initio creata sunt? Quis item terrarum locus qui omni parte meritó placeat, vt sit adeó frugifera tellus, sit aer clemēs & purus, sint aquæ salubres, adsint denique omnia quę ad hanc vitam sunt necessaria & grata, nec sit opus tranare pelagus, & mille subire mortis pericula per fluctus & vndas, per saxa per syluas, quó possit ærumnosæ hominum vitæ succurri? Qua de re innata est hominibus tam periculosa cōfidentia sulcandi vastissima æquora, & magno cum discrimine vitæ prœliandi cum insanis ventis. Hoc veró nonne etiam vehementer pertinet ad humanorum laborum & infelicitatum cumulum?

Vbi es Adam, cui prius animantia terræ cuncta obediebant: nunc quot numerare potes quæ te non vt hostem accipiant, tibiq; nō insidientur, & insultent aut morsibus, aut cornibus, aut calcibus, aut vnguibus, & quouis alio modo sanguinem ac vitam tuam petant? Mitto vermiculos, pediculos, quos ipsa tua caro tibi generat. Mitto culices, cymices, vespas, muscas, araneas, scorpiones, stelliones, aspides surdas, viperas venenosas, & alia propemodū innumera eiusmodi portenta, quæ ita indigné hominem adeó nobilem creaturam vexant, lacerant, laniant, vt non aliud sapienti innuere, imó clamare videantur, nisi: Ecce qui à Domino Deo suo desciuit, & derelictus est sibi ipsi miser, despiciēdus ab omnibus, & lacerādus ab omnibus.

Adam vbi es? Hem, si te cum Heua socia tua conferam, Eras quidem tu sexu prior, ad quem pertinebat magis illam regere, q̄ ab illa regi, cum præposteré tua socordia factum sit. Hoc igitur meritis tuis lucratus es, vt cōuersa conditione illi seruias, cuius suasu & contemplatione rem tibi & illi & cunctis posteris noxiam, & pestilentem, & lethiferam elegisti.

elegisti. Iure enim à quo quis superatur, eius seruus efficitur: & hoc stoliditati tuæ ascribe miser, cuius talis est conditio tua nunc, nisi te misericorditer eximã ab illa, atq; illi propter peccatum suum secus præcipiam.

Adam vbi es? Si ad Dæmonem respexerimus, ô te miserum. Non eras prius sub eius potestate, nec te attingere poterat, nec animæ tuæ neq; corpori obesse. Tantummodo permittebatur ei tentare te, nec id tamen sub specie hypocritæ & Angeli lucis. Quare hoc solum permissum illi fuit, nisi vt apertè qualis esset, sese ostentaret induens Serpentem animal callidum, & homini suapte natura inuisum? ita vt sola Dei prouidẽtia debuit te admonere insidiarum. Iccircò cum non profeceris, sed permiseris te ab eo superari in specie insidiatoris, meritò seruus etiam factus es eius vt pergas cum illo, & quò velit te possit abducere, & mactare, ac perdere. Ius enim acquisiuit super te, in animam tuam & in corpus tuũ, & in omnes posteros tuos.

Vbi es denique Adam, qui nõ paruisti Deo, cuius rei gratia orta est in omni creatura discordia & bellum, vt in temetipso in primis internum experiaris dissidium nedum in corpore, quod contrariis humoribus inuicẽ certantibus necesse est aliquãdo dissolui atq; corrumpi: verum etiam in mente, cui ne optare queat ac diligere digna se, carnalis appetitus obsistit. Et quod innaturalissimum est, id quod est inferius ac deterius imperat superiori ac meliori, & illud quod est superius obtemperat. Prætereà, soluta est quæ inter marem & fœminam fuisset coniugalis & plena concordia, & quæ inter parentes, & liberos, & fratres, & ciues, & finitimos. Denique inter omnes homines inuicem naturalis societas, & naturalis amicitia ac dilectio quæ persanctè viguisset, periit & sepulta est. Iurgia autem rixæ, murmurationes, odia, simultates, lues, veneficia, parricidia, homicidia, adulteria, furta, rapinæ, fraudes, doli, & omne genus indignorum facinorum suborta sunt, vt verè dixerit quidam, homine homini nihil magis inimicum. Et Dominus noster: Inimici hominis domestici eius. Hoc tu citò miser experieris in primis liberis tuis, quorum vnum parricidam fratris sui ad perpetuum dolorẽ ac fletum perspicient oculi tui. Viderunt ac deplorarunt veteres Ethnici has miserias, vnde & hominem (vt initio annotauimus) hoc epitheto, siue antonomasia designauerunt hebraica voce, Enos, idest, doloribus & afflictionibus plenũ & contritione, item plaga desperata sauciũ. Græcè autẽ Talæporos, latinè miser, aut infelix appellatur.

Vbi es igitur Adam? Certè adhuc corpore in Paradiso, sed mox iam futurus exul perpetuò. Non enim alterius tibi debetur locus, quem vt erat tibi præceptum non seruasti. Vbi es igitur Adam, vbi es?

Audiamus quid respondeat bonus vir. *Qui ait, vocem tuam audiui in Paradiso, et timui eo quòd nudus essem, et abscondi me.* Primùm quæso te prudens lector, considera miserãdam tergiuersationem. Interrogatus vbi esset vt suas enarraret miserias, & peccatum vnde miseriæ illæ processerunt, confiteretur: ipse confusus in semetipso, etiam confusè loquens fatetur in primis se audisse vocem Domini in Paradiso. Quid autem hæc vox expressisset, non aperit: sed nos diximus quòd ea voce requirebat & citabat eum Deus vt coram se confiteretur delictum. Audiuit ergo citationis primam vocem, & illam quidem in Paradiso vbi deliquit, anteq; inde eiiceretur, vt per hoc cogitaret Deum adhuc animi placidi esse, & petere ab eo confessionẽ delicti. Et hic homo ait se timuisse. Et timui, inquit, quoniam conscientia prodente, se ipsum sibi non valebat abscondere. Rectè dixit B. Prosper: O quantum securitatis habẽt qui sibi ipsis bene de virtute sunt conscii. Et cõtrà rectè dicitur: O quantum timoris iis qui stimulis cõscientiæ vrgentur de crimine. Sentiebat.n. Adam se esse nudum, idest, amisisse dona de quibus seruandis præceptum acceperat. Cũ igitur hac de re rationem reddere nõ posset, timuit tribunal, & filii ante faciẽ Domini verebatur. Sic sapiunt omnes Adæ filii, q pa- trato peccato quasi valeant se abscondere à facie Domini, fugiunt. Licet autẽ in stimulo conscientiæ loquatur & exprobret, ipsi tamen ab ea trista admonitione cogitationem auertunt, vt hoc pacto duplo magis rei motis constituantur. Tacuit autem locum vbi se abscondit, ne ineptum se per omnia ac ridiculum exhiberet, vt qui à foliis ficus putaret posse abscondi, & hoc Deo: sicut iis ipsis foliis pudenda sibi contexerũt itidem ineptè. O insipientiam peccatoris qui fugit à facie Domini, & non potius præoccupat faciem eius in confessione cum vera prudentia dicens: Quò ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.

Audiamus quid illi vicissim respondeat Dominus.

Cui dixit Dominus: Quis enim indicauit tibi quòd nudus esses, nisi quòd de ligno de quo tibi præceperam ne comederes, comedisti? Hebræa lectio, licet eundẽ

sensum facere videatur, attamen melius habet, meo iudicio, quàm latina. Ex latina enim dicet quis fuisse in ea arbore virtutem aliquā ad præstandam illam notitiam, cum ideò cognouisse se nudum dicatur Adam, quia comedit. Verū huiusmodi sensus minimè est accipiendus, quin potius iste. Quia comedisti, trāsgressus es pactum: & quia transgressus es pactum, ideò ego te spoliaui donis, & apparuit tibi corporis tui nuditas: & quia apparuit, ideò pernouisti. Hæbraica ergo lectio sic habet: *Quis indicauit tibi quòd nudus tu?* Hæc prima fuit interrogatio, quasi diceret: Cur abscondis tu te à me, qui sum is qui indicaui tibi quid egeris, & nuditatem tuam? O infelicissimi mortalium, qui Deum particularia hæc ignorare arbitrantur, & cum perpetrant mala, inquiunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Quibus continuò respondetur: Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem non audiet? & qui finxit oculū non considerat? Qui corripit gentes non arguet, qui docet hominem scientiam? Infelix Adā vnde hæc nuditas tua, nisi à subtractione donorum? Quis autē ea dona subtraxit, nisi ego ipse? Noui ergo nuditatem tuam, quę est à te meritoriè, à me effectiuè. Imò amplius, ego hoc tibi indicaui quòd esses nudus. Indicaui autem, quia participem te feci luminis mei quo prorsus cuncta cerno.

Pro Dei prouidētia erga particularia.

Ps.97

Sed ne diceret: Si hæc nuditas est à te Domine qui me donis expoliasti, & propterea nosti me nudum, quid igitur quereris? Aliā adiunxit Dominus interrogationem aiens: *Nonne de ligno quod præcepi tibi ne comederes, de ipso comedisti?* Ac si diceret manifestè: Ne reiicias in me culpam qui te donis expoliauerim, ac propterea nudus sis relictus: tu enim id promeruisti. Ego quidem id egi effectiuè, tu autem meritoriè: ideò in te culpa, in me autem iustitia. Iam erat inter nos pactum, quacūq; die comederes, morte mulctandū te esse, hoc est, dono gratię & iustitiæ spoliandum. Tu igitur nihil habes cur de me iure cōquueraris, qui iustus sum. Ego ipse de te meritissimè conqueror, qui præuaricator factus es pacti. Et hoc volebam à te exculpere, vt sponte tua peccatū confitereris. Hæc Dominus in Adā. Nunc videamus quid ipse respondeat.

Dixitq; Adam: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi. Vide pie lector peccati naturam peccato peccatum cumulantē, nisi protinus confessione expuatur. Pergit hic infelix perpetuò meditari rationem qua se purget, & (quod est horrendum) etiam noxam in ipsum Deum & mulierem reiiciat. Hic enim videtur verborum sensus. Verè ego quidem comedi, non mea tamen spōte, sed illecebris mulieris attractus quæ erat mihi socia: nec ego mihi illam delegi sociam, sed tu dedisti. Illa porrexit mihi de fructu illo quem ipse non tuli ex arbore, sed ipsa excerpsit & dedit mihi: ac si dixerit. Si ego solus fuissem, & illam non dedisses mihi sociā, ego nunq̄ transgressus essem. Hæbraicè tamen legitur, *Quam dedisti mecum*, quod idem est. Hæc infelix homo ad sui excusationem. Et tales sumus omnes filii Adę, qui (vt sæpe dixi, nec tamen vnq̄ satis est dictum) nolumus vnq̄ peccasse, & ingenuè confiteri peccata, sed in alios & (quod est summè impium) in ipsum Deum sępenumero culpam trāsferimus. Mirum verò cur Dominus non confestim retuderit & confutauerit ineptam & plenam iniusta querela excusationem. Poterat enim & fermè videtur debuisse aduersus illum moueri, & dicere. O sceleratissime atq; impudētissime, verè semen Serpentis de cuius superbia potatus es, qui necdum humiliatis in scelere manifesto vt confitearis te peccasse? Comedi, inquis. Hoc certum erat te comedisse. At cur non potius dixisti: Peccaui, peto veniam, imploro misericordiam? Nunquid non ego præcepi tibi ne comederes? Cum igitur contra præceptū comederis, cur quod inde sequitur tu ipse non colligis, & confiteris te præuaricatum fuisse homo perfrictę frōtis? Ais: Mulier dedit mihi. Hem nunc demum mulierem accusas? At cur non eam prius corripuisti? Si accusas vt criminosam, cur antea cum delinqueret, non reprehendisti & (quod tuum erat) non seuerè ne ederet cohibuisti? Si illa peccauit dando tibi, quēadmodum accusando tu illam prodis, cur nō tu etiam accipiendo peccasti? Si enim peccatum committebat dando, cur non etiam peccatum tibi fuit accipere? Ais, Hoc egit illa mulier quam dedisti mihi sociam. At nunqd ego illam tibi Dominam constitui? Quod si etiam fecissem, nunquid tu eam arbitrari Dominam debuisses aduersus præceptum meū? Et tamen sociam dedi, non Dominam, non Magistram, à cuius consilio aut exemplo regendus esses. Nunquid mulier caput viri? nonne potius ē conuersò, vir caput mulieris? Quòd si illa præter rerum naturæ ordinem fecit, quæ se ex socia lenam fecit vt te traheret ad suasum adulterii, nunquid tuum erat tanto sceleri assentiri? Potes addere: Erat os ex ossibus meis, & caro ex carne mea, vnicè dilecta mihi, allexit me precibus, penè vim

Quam merebatur Adam increpationē obtemperans mulieri.

attulit blanditiis, & graue mihi erat contristare illam, & à me amaram & lacrymosam, quã tu dederas vt mecum esset, dimittere. Siccine ergo præferenda erat mulier Deo, quem tu etiam super te ipsum diligere debuisti? Ergo cõtristandus erat potius Spiritussanctus, quo te impartiuit Pater meus & ego cum illo, ne petulans & peccatrix mulier cõtristaretũ? Siccine prætulisti blanditias fœminę Dei mandato? O te miserum. Si eousq; chara tibi erat mulier, vt propter illam peccares in me Dominum Deum tuum ne eam cõtristares, cur non æquè chara tibi nunc est? Cur in eam reiicis crimen, nec vereris nunc ne contristetũ? Sed quæ maior quàm quæ à peccato venit contristatio? Sociam ego illam tibi assignaui, at nunquid ad malum? Tu ipse miser sociũ te illi adiũxisti in crimine, & nihilo minus audes totam culpam nunc in eam transferre? Quando debebas obsistere, hanc tum sectatus es. Quàm verò illius & tui simul misereri debueras qui eodẽ obuoluti estis luto, illi nõ parcis, sed vt te excutias, illam grauas, tanq̃ illius peccatum te constituat innocẽtem. At tu illius peccati es particeps nedum non prohibendo illam, verùm etiam sectando.

Hæc pro sceleris magnitudine, atq; his ẽt duriora poterat Dominus in illum meritò obiectare. Poterat & quod erat omnium maximum, atq; ob sui grauitatem inexpiabile, illud adiungere, in quo supra modum peccauit; quoniam luciferiana arrogantia elatus Dei similitudinem cõcupiuit, qua rapina nullum dari licet sacrilegium magis execrãdum. Poterat itaq; Dominus hæc quæ in promptu erant, in illum miserum accerrimè exprobrare, atq; omni iure expostulare, indignabundusq; & iustam iram præ se ferens ac furorem etiam vindictam inferre: sed magno cohibitus misericordiæ atq; clementiæ suæ spiritu pepercit, ne qui satis agitabatur conscientia criminis, & nuditatis opprobrio, & pęnarũ formidine, si quid adhuc terribilius voce Dei adiungeretur, in desperationem præceps ferretur, & ad blasphemiam animaretur. Hoc in loco Dominus Prælatis exemplum præbuit, ne semper velint ad minutum cuncta exigere à subiectis, scientes hic nõ esse tribunal iudicii in vindictam, sed in clementiam ac misericordiam. Cauere enim diligenter debent ne arundinem quassatam confringant, & ne linum fumigans extinguant: sed vt paulatim & suauiter trahatur peccator afflictus ad pęnitentiam salutarem. Ad hanc enim oleo potius mulcendus est, quàm ferro exulcerandus. Vnde & sępius nonnulla dissimulanda

Documentum pro Prælatis.

& in aliud tempus reponenda sunt. Quędã etiam deuoranda, & omninò prætereunda more prudentium medicorum, qui nonnulla relinquunt naturæ beneficio curanda. Sic fecit Dominus hac in parte, ne quis miretur si non acerbius in reum intenderit veritatis & iustitiæ aculeos. Præterea, licet peccatum non sit plenè confessus Adam, vt debuit: quia tamen ex parte vera erat eius responsio, eleuabat culpam, tametsi non aboleret, sed vrgens adhuc obiurgationibus ratio esset, quemadmodum ostendimus. Ideò hactenus ab eo satis habuit, & conuertit sermonẽ ad mulierem, & ait.

Quare hoc fecisti? Non quærit an fecerit, cũ res esset in manifesto, sed quare fecerit. Non autem quasi ipse nesciret causam, sed fortè (vt quidam aiunt) vt formam præberet humani iudicii: quoniam iudex non ex eo quod nouit, damnare debet: sed ex eo quod ordine iudiciali sibi liquet. Quod & si verum sit in foro nostro, non tamen idem in Dei foro seruandum est: quoniam aliud est circa hoc iudicium diuinum, aliud humanum: & quod est Dei ad nullum hominem pertinet. Ipse solus meritò de se ait: Ego iudex & testis. Propterea nec in iudicio humano est quærenda ratio facti, cum de facto constet quod est crimen: quanq̃ vestiganda est causa aliquando, an fortè ea sit quæ constare valeat, & iure excuset, vel prorsus iure factum constituat, aut saltem minuat pęnas. Duo enim in iudicio criminis quæri solent atq; spectari. Primum, num factum sit quod esse factum dicitur. Deinde cùm de facto constat, an iure sit factum, in qua re plerumq; facti causa exquiritur. Dixit ergo Deus: *Quare hoc fecisti*, sciens esse prohibitum à me? Respondit mulier.

Serpens decepit me, & comedi. Alia lectio est. Serpens seduxit, siue abduxit me. Alia, subleuauit, aut eleuauit me: et cuncta hęc vera sunt, & vnum sensum constituunt. Vno hoc sermone & factum confitetur dum ait, *Comedi*, & facti causam ex parte, dicẽs: *Serpens decepit me*. Et hinc accepit Apostolus mulierem fuisse seductam, virum autem minimè. Sed re vera non excusabatur propterea mulier, quandoquidem antequàm seduceretur, elatione peccauit concupiscens illam Dei similitudinem, & ex peccato meruit destitui lumine, & obscurari mente, vt id fieri posse cogitaret, quod Diabolus mendax ex illo esu pollicebatur.

Solet tractari hoc in loco vter grauius peccauerit, Adam an Heua. Cui quęstioni

Vter grauius peccauit Adã an Heua.

respondetur: Si personæ quæ peccatum cōmiserunt, inspiciatur, grauius Adam peccauit quàm Heua: quia ille vir erat, illa mulier. Ille caput, illa membrum. Et ipsi viro primùm ex ore Dei mandatum fuit: mulieri verò per virum. Si item damnum quod à peccato illo exortum est ponderetur, dubiū non est quin longè grauius peccauerit Adam, vtpotè à cuius facto in omnes venit ruina. Nisi quis fortè dixerit, ab Heuæ peccato prius venisse omnium ruinam, cum & Adam ab illa persuasus sit ad esum. Verùm, Adam persuasum ab ea fuisse, non fuit effectus peccati Heuæ per se, sed ipsius Adæ qui se passus est persuaderi, cum secus potuerit ac debuerit. Si verò cōsideremus peccatorum substantiā, certè primùm vterq; elatus est, & concupiuit cum esum ipsum, tum effectū à Diabolo suasum. Et de esu quidem, haud dubium magis peccauisse Heuam peccato gulæ, quàm Adā: quoniam illa attendit Diabolo, suspexit arborem, & libenter ac sine timore gustauit iudicans lignum esse bonum ad vescendum. At non sic Adam qui veluti inuitus & in gratiā sociæ comedit. Porrò circa effectum esus q̄ suasus fuit à Diabolo, similitudinem dico cū Diis, siue cum Deo, siue cum Angelis, peccauit etiam magis mulier, cuius tanta fuit elatio vt etiam seduceretur putans verum esse Dęmonis mendacium de diuina similitudine cum Deo trino, quæ talis deceptio ac persuasio cum à maiore elatione proficisceretur, etiam maiorem peperit eius similitudinis concupiscentiam: quoniam ea magis concupiscimus, quæ magis speramus.

Nec obstat si quis diceret: At videtur leuius Heua peccasse quæ errauit, & ita peccauit ignorans. Ignorantia enim excusat delictum. Respondetur enim, tunc ignorantia delictum excusari, cum ignorātia cadit super peccatum: quod non est in proposito. Non enim quia putauit Heua se futuram similem Diis & non morituram, putauit se non facere contra mandatum Dei: sed potius putauit Deum non puniturum, magis pęnas metuēs quàm Dei offensam curans, quod ad malitiā pertinet: quamuis & illa ignorantia ac seductio affectata fuit, & ex ipsa elatione deprauata voluntate descendens. Ipsum verò Adā nihil horum mouit, sed solummodo quidam nimius & indiscretus erga mulierem amor, q̄ conturbans mentem penè illi vim intulit. In hoc peccati genus multi cotidie incidunt, ne socialem beniuolentiā aliqua tristitia afficiant. Sumus enim omnes in hoc filii Adæ, ad quos iure hereditario perueniunt hi affectus vt peccemus, & simul tamen nolimus nos vnq̄ peccauisse: sed perpetrato peccato semper excusemus, aut culpam in alium reiiciamus. Idem enim & mulier fecit quæ ait: *Serpens decepit me*, ac si ipsa non volens decepta fuisset. O quot audiui ego similiter dicentes etiam dum sacramentaliter peccata confiterentur. Diabolus (aiunt) tentauit me, & ad scelus illud instigauit & impulit.

Cogitarunt tamen quidam hoc in loco non solum Heuam in astutum serpentem voluisse culpam transferre, sed etiam in Deum qui creauit illum, aut in Deum qui non prohibuit tentationem. At hoc nimium videtur, nec illud Scriptura aperit. Neq; desunt homines quidam Athei atq; impii Deum culpātes qui permittit nos tentari: quasi non dederit itidem facultatem promptissimam superandi tentatorem, vt faciat etiam tentatus magnū ex tentatione prouentum. Ignorant miseri quanta bona ex tentatione proueniant, qua virtutes perpoliuntur ac roborantur, & merita æternorum bonorum comparantur. Vnde iucundiora sunt quę ex labore proueniunt & præmii habent rationem, quàm quę mero dono obueniunt nulloq; labore. Sed nos socordes & ignaui vellemus sine sudore præmium, rem satè minime iustam, quam nec ipsa ratio patitur: imò nec verè præmium esset. Illud insuper boni est, quòd tentatio quidem breuis ac parua est: quæ autem inde (si superatur) consequitur retributio, supra modum immensi ponderis est ac perpetua. *In quosdā impios homines.*

Et ait Dominus ad Serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ. Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & Mulierem, & semen tuum & Semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Mulieri quoq; dixit: Multiplicabo ęrūnas tuas, & conceptus tuos: & in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Adę verò dixit: Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus

vitæ

vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terrã de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

Et ait Dominus ad Serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus eris inter omnia animantia. Hic incipiunt decreta Domini, secundum quæ alium statũ hominis ordinauit in Christo, & primum dirigit in Serpentem, secundum in mulierem, tertium in virum. Circa primum aduerte, non venisse Serpentem in iudicium quasi reũ qui posset se defendere. Damnatus enim iam erat, & vt sempiternus hostis declaratus, in quem non aliud cogitatur nisi vt affligatur pro meritis, nõ vt bonus euadat: nec vt cernatur vtrum sit malus, cum iam sit in malo obfirmatus. Sic non resurgunt impii in iudicio, hoc est, ad examen non adducuntur. Illud ergo notandum, ea quæ videntur hic iuxta literam inflicta à Deo Serpenti animali, non verè directa esse ad animal, sed ad Serpentem Diabolum illum proculdubiò caput omnium superborum Luciferum, qui in animali tentationem exercuit atq; expleuit, in quo adhuc tum erat, quum Dominus sentẽtiam in eum pronuntiabat. Et vide sententiã Dei facinori illi congruentissimam.

Quia fecisti hoc, maledictus eris inter omnia animantia, & bestias terræ. Hebraicè, *Præ omni iumento, & præ omni bestia agri.* Sensus hic videtur, Ob hoc facinus quod Diabolus in Serpente animali existens patrauit, Dominum Deum vtrunq;, idest, animal ipsum, & Satanam secundum proportionem hac nota distinxisse, vt esset vterq; maledictus, hoc est, execrandus & detestandus prę omnibus iumentis & bestiis agri. Serpens enim animal manifestè huius sortis est, vt sit destabilis tãq̃ insidiator homini, & venenosus præ cunctis animalibus terræ. Si adiunxeris, ideò creuisse adhuc in illum maledictionem & execrationem, postquàm Diabolus vsus est lingua illius ad suadendum tam grande sacrilegium atq; flagitium, non contradicam. Est enim consequens vt odio prosequamur non modo nobis nocentem, sed instrumenta quoq; quibus ille nocet. Ante peccatum nullum animal maledictum erat: post peccatum cuncta subiacuerunt maledicto, sed super omnia Serpens, cuius linguæ ministerio vsus est Diabolus ad seducendum. Itaq; Serpens & si iam suapte natura execrandus, attamen præ omni iumento & bestia agri execrabilior hoc facto redditus est.

Verùm non est hic plenus Scripturę sensus. Nam magis à Deo intendebatur maledictio Diaboli, q̃ animalis: imò illa animalis ob hoc solum, vt in ea Diaboli maledictio subintelligeretur. Diabolus ergo sub eis verbis potius maledictus est, & execrabilis nobis redditus præ omni iumento & omni bestia agri. Noli tamen putare Diabolum hoc in loco cum iumentis & bestiis agri conferri, intelligendo per iumenta & bestias ea animalia quæ solent comuniter his nominibus intelligi, licet quidam sic intellexerint. Nimis q̃pe impropria & abusiua esset huiusmodi collatio. Etenim quid Diabolo cum iumento & bestiis, quantum attinet ad maledictũ & execrationem, vt quouis modo inter se conferri valeant? Ergo per iumenta intelligũtur homines qui curis huius mundi & solicitudinibus implicati terræ seruiunt, & iugum illud graue ferunt humanum & hereditarium, de quo sapiens quidam: Occupatio magna creata est omnibus hominibus: & iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vsq; in diem reuersionis in matrẽ omnium. Propterea & in psalmo dicitur: Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Iumenta ergo ista execranda sunt, cum sint iræ filii & sub maledicto. Et tamen Diabolus præ illis detestabilior est, & similiter præ omni bestia agri. Per agri bestiam intellige feroces homines, qui ritu ferarum bestiarum agros atrociter vastantium, humanam violant societatem, & viri sanguinum dicuntur, quos ipse Deus abominatur. Serpens tamen Diabolus eos etiam superat maledicto, & illis execrabilior est. Illud enim flagitium cõmisit per quod factus est autor & pater omniũ bestiarũ agri, & omnium hominum qui sub maledicto constituuntur. Hanc sententiam pronunciauit Dominus Deus nostri gratia, vt detestaremur eum & execraremur, nec cum illo non secus ac cum anathemate haberemus commerciũ vllum. O quàm meritò plusquàm stultos & amentes homines illos existimare possumus, qui cum Diabolo se admiscent, & ab eo quęrunt doceri curiosa, ignari vetustissimi & immortalis odii quod in nos gessit ab initio: vnde illa rabies & ille rugitus quasi leonis quęrentis quem deuoret, nunquàm cessat, nec vlla ratione extingui potest, tametsi Diabolus interim simulet, & amicitiam atq; obsequium interdum prætendat. At quum id

Eccl.40.
Ps.48

facit, tantò magis est metuendus veterator. Laqueum enim paratum & absconditum habet ad pessundandum. Rectè autem aduersus hos Sapiens dixit: Quis miserebitur incātatori à serpente percusso, & omnibus qui appropiant bestiis? Eccl. 12.

Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Quod Serpenti animali sua apte natura competit, hoc Diabolo ab initio propter illud facinus fuit edictum, videlicet vt graderetur super pectus suum, seu ventrem: & terram siue puluerem ederet: Ridiculum est enim opinari alium fuisse serpēti gressum ante acceptam maledictionem, cū reptilia Deum ab initio creasse Moses tam clarè dixerit. Nam vt Diaboli conditionem per id quod serpenti naturale est, intelligeremus, hanc analogiam ob oculos ponit Scriptura. Ille graditur super suum ventrem, qui serpit ac repit & ventrem trahit super humum. Per ventrem autem Diaboli cor illius significatur, vbi collocat & reponit desideria sua, ad quæ trahere cunctos cuperet in seipsum quasi cibum conuertendos, qui conuertitur in substantiam comedentis. Nec id mirum, cum ipse de cęlo in terram nunq̄ surrecturus ceciderit, terrenusq; factus sit per domiciliū quod ipse sibi fecit ęternum. Quoniam verò videt econtrariò terram in cęlos euehi, idest, homines qui per cęlestem gratiam hærent Christo, & si natura terreni sint, euolare cum illo in cęlum, hoc habet in votis pectoris & ventris sui, nec aliud suis gressibus agit & molitur, idest, cogitationibus & affectibus, quàm cum terra & cum terrenis hominibus habere cōmercium, quò illos abstrahat à Christo, & cęlestis patriæ desiderio, & comedat ac deuoret quantum potest, nunquàm dicens: Sufficit. Ita delectabilis ac proprius cibus eius factus est homo terrenus, qui nō altius attollit spei suæ oculos, sed eos statuit declinare in terram. Talis est omnis qui cum Christo se resurrexisse non probat, dum quæ sursum sunt despicit, & quæ deorsū sunt appetit quęrens quæ sunt super terram. Hunc cibum, idest, nos infelices mortales propter insatiabilem illius veteris & nunquàm periturę inuidiæ suæ rabiem, qua in nos quasi leo rugiens agitur & exagitatur, assiduè esurit & conquirit, ægerrimè ferens terrenam creaturam ad eum beatitudinis locum assumi, unde ipse cū cęlestis esset, præceps ob superbiæ pondus & rebellionis cū satellitibus suis corruit.

Hoc autem negocium, & hæc eius maxima cura deuorandi scilicet hunc puluerem et terrenos homines, data est illi cunctis diebus vitæ suę. Noli autē existimare per hæc verba, Diabolum aliquando morīturum, sicut nos morimur, cum non constet ex natura corporea, & iam destinatus sit æternis pęnis. Dicit autem, Omnibus diebus vitæ suæ: quia ipse dicitur viuere omne tempus quo illi permittitur sub hoc aere caliginoso degere, & circuire, & quærere quē deuoret, quod erit vsq; in finem seculi. Postremò verò quia recludetur in ęternum carcerem quasi in sepulchrum, & non dabitur illi vlterius gradi & comedere, dicitur meritò suam vitam amittere. Nam pascitur nunc ille, & quodam modo viuit in perditione miserorum mortalium, quæ pastura cum illi deficiet, non viuet amplius, sed manebit semper in morte. Huius rei gratia in Apoc. dixit Dilectus: Væ terræ & mari, quia descendit Diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet. Et verè modicum, cum & si nostro sensui multum videatur, ipsi tamen Deo æterno, & Angelis qui tempori nō subduntur, modicum est. Vnde ait Scriptura: Mille anni tanq̄ dies hesterna quæ præteriit. Ps. 89.
Hanc igitur vitam habens Diabolus, cum sit prudentior in suo genere quàm simus nos q filii lucis sumus, non permittit modicum tempus sibi præterire otiosè. Non enim dormit, neq; dormitat: sed assiduè quærit cibum suū repens vt serpens, rugiens vt leo, simulans vt vulpes, & non quiescens. Sic faciunt qui sūt ex eius semine, quemadmodum luce clarius patet in hæreticis nostri temporis, vt verè dixerit Veritas: Filii huius seculi prudentiores Luc. 17.
sunt filiis lucis in generatione sua. Quis ergo vetat nos tandē aliquando excitari, & à somno surgere, & prudentissimè vti tempore donec nostrum est? Erit enim quando Dominus tempus sibi accipiet, & iustitias iudicabit, nec poterit postmodo mutari causæ pcessus.

Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius. Hoc in loco, vt D. Chrysostomus monet, qui voluerit considerare scripti huius tenorem, facilè agnoscet, si de sensibili serpente hæc dicta sunt, multò magis de spirituali Serpente esse accipienda. Et reuera si de sensibili intelligeremus, nihil dignū maiestate Scripturę & Dei acciperemus. At si de Serpente Diabolo intelligamus, mysterium profectò magnum recognoscimus. Vt autem illud cum auxilio Dei & Spiritus sancti haurire possimus, Ante omnia cogitare debemus statum nostrū, in quo eramus propter peccatum respectu Diaboli. Eramus enim cuncti nos filii Adæ sub ipso Diabolo, præter vnam Mulierem propter Christum seruatam De conditione hoīs sub tyrāni de Diaboli

seruatam, de qua postmodo dicemus. Quapropter Dominus dixit: Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicq̃. In viro autem intelligi mulierem, non est ignotũ scrutatoribus scripturæ: quanq̃ hoc nolunt quidam recipere nec audire. Sed & ipsos spero aliquãdo esse id nobiscum amplexaturos, quia & illis Deus reuelabit: nisi qui forte sua obstinatione semetipsos excęcauerint, vt sint de semine Serpentis: quod absit. Sed ad rem nostram.

Ioan. 14.

Erat inq̃ Diabolus princeps effectus, & & hoc quidem iuste. Iustum enim ex natura duelli erat, vt à quo quis superatus esset, eius seruus fieret. Vnde & dicitur à Domino: Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Fortis armatus est ipse Diabolus & Satan immanis Serpens. Fortis autem dicitur: quia tenax est dominii & iuris aduersum nos, quo nos detineat vel inuitos. Armatus est armis victoriæ & iustitiæ, quibus & aduersus Deum resistere poterat, nisi Dominus ipse aliquid melius pro nobis cogitasset. Quid enim poteramus nos respondere, quos deuicit in campo? Sed vnum in illo duello inter Diabolũ & hominem defuit, quo minus ęquum esset nos sub illo detineri, nempe hoc duellum nõ fuisse à Deo institutum, sed tantum permissũ. Non enim posuit Deus inimicitias inter Dęmonem & mulierem ab initio: sed ipse audax & subdolus hoc præsumpsit sua arrogantia. Debuit enim ipse cum iuste exul esset à patria, continere se, & nihil moliri contra creaturã Dei, cuius permissio non tribuit illi ius id faciendi: quandoquidem non quicquid permittit Deus, id recte fit. Nõne permittit multa scelera fieri & peccata, quæ tamen improbissime fiunt? Itaq̃ duellum illud ex parte Serpentis non fuit iustum, vt propterea qui victor euasit, effici debuerit Dominus: licet ex parte primorum parentum ęquum esset vt subderentur illi & succumberent. Et merito id quidem, postquam fuerant admoniti vt sibi cauerent ab eo, quod non fecerunt. Sic enim legimus in Ecclesiastico dictũ illis fuisse à Deo: Attendite ab omni iniquo. Eo igitur res deducta est, vt constitutum sit æquissimũ inueniri modum & viam oportere, qua iuste ab isto iniquo, & inique ex parte sua dũtaxat tantam prædam possidente, ea eriperetur, & ex atrio extruderetur foras. Istud fecit Dominus & Pater noster cęlestis magno consilio, magna sapientia. Ecce via, ecce modus.

Luc. 11.

Iratus erat Deus, & merito, in hominẽ, vtpote in præuaricatorem sancti mandati, & nihilominus misericordiam impartiri cupiebat. Ipsum enim facinus videbatur pluribus de causis dignum misericordia, ne vniuersũ Dei opus quodam modo periret. Neq̃ vero erat vlla ratione æquum (vt iura volunt) locupletari quenquã ex dolo & fraude sua, cum nemini propriũ dolum patrocinari permittat ęquitas. Attamen cũ nos iuste plecteremur, & iuste in nos ira Dei sæuiret, oportuit inueniri propitiationem, & vnũ aliquem innocentissimum qui placeret æterno Patri, eundemq́ per hostiã placaret & holocaustũ expiationis. Verum quis idoneus? Nunquid ipse Adam qui deliquit, & inimicus cõstitutus est? Quomodo, quæso, inimicitias inimicus sedabit ac submouebit? Nunquid forte si non ipse, saltem quispiam alius ex posteris? Sed & omnes inimici. Quomodo ergo offerre poterant hostiam placitam Deo, quę pacaret & expiaret? Oportebat itaq̃ inueniri hominem innocentem, impollutum, segregatum omnino à peccatoribus, qui ipsi Adę e regione constitueretur, vt per ipsius obedientiam compensaretur illius inobedientia. Inuentus est igitur vnus tantum (sicut scriptum est) e filiis Adæ ad hoc opus idoneus. Hic est filius Dei, qui decretus quidẽ erat à principio venturus in gloria sua ad glorificandum nos. Placuit autẽ vt interim mutato priore pacto veniret in forma serui exiguo temporis spacio humiliatus, exinanitus, ac pinde minoratus à se ipso qua parte Deus erat, atq̃ ab Angelis, quo scilicet pro nobis militiam exerceret, & Satanam antiquũ hostem conflictu admirabili superaret, eiq̃ prędam dolo occupatam eriperet, ac post expletum mandatum recuperaret vestes glorię suę debitas, cum restituisset omnia, & expoliasset omnes principatus & potestates, triumphũ de illis referens speciosissimum, vt Apostolus eleganter docet.

O' quam pulchrum, & quantum interioris habet gaudii & exultationis, cogitare integram admirandi huius antidoti rationem. Vnus homo destruxit: Vnus homo restituit. Filius Dei ille: Filius Dei & iste, sed longe verius: quoniam ille adoptiuus, noster naturalis. Et ita certe esse oportuit ad tantum opus, quantum erat restitutio mundi. Illi datum est adiutoriũ simile sibi, mulier de ossibus eius, & de carne eius. Nostro similiter data est Mulier, de cuius tamen carne esset ille venturus. Illa adiuuit ad mortem, hæc adiuuit ad vitam. Ille in Paradiso ita elatus vt conditionem diuinam concupisceret, astu Serpentis occubuit. Noster autem cũ verus

esset filius Dei, verus Deus, id quod erat abscondit. Et cũ insimilitudine peccatoris venisset, & degeret non in Paradiso, vel aliquo alio ameno loco, sed in deserto & vbi tentaretur à Serpente, vt id quod verè erat, scilicet filiũ Dei se esse ostentaret, voto frustratus, victus turpiter tandem recessit. Deniq; gustauit ille de ligno dulci ac pestiferæ scientiæ, & nudus factus, reus atq; autor mortis constitutus est. Hoc tandem commisso peccato putans se Dei pręsentiam fugere posse, in eius ligni medio se protinus sceleris sui conscius abscondit, & eius foliis ridiculus pudenda tegere studuit. Noster verò de amaro stultitiæ ligno, idest, de ligno salutiferæ Crucis gustans, & in eius medio nudus ita se abscondens vt nihil minus quàm Dei filius videretur, promeruit & vestes gloriæ suæ triumphales recipere, & autor vitæ & salutis multis constitui. Integrum hoc & absolutum mysteriũ in hac Domini in Serpentem sententia pronunciatum est & inchoatum. Attende fidelis lector, & lætare, & gratus esto. Cibus enim vitæ in hac Crucis arbore latet, vbi est & boni & mali vera notitia. Ait enim Dominus ad Serpentem.

Inimicitias ponam inter te & mulierem. Nullæ ante hoc verbum positæ erãt à Deo inter Satanam & mulierem inimicitiæ. Ipse Satan sua sponte cœpit odisse Mulierem, quæ illi dudũ fuit in cęlo ostensa cũ Filio eius. Et ipsemet calumniis genus nostrum prosecutus; vbi primùm liuore incensus vidit prima femina, mox se armauit dolis ad perdendum. Lege si placet grauissimum hac de re Dilecti testimonium, vbi ait: Et signum magnum apparuit in cęlo, Mulier amicta sole &c. Hæc est Beatissima Virgo, ad quam semper maleuolo & toruo oculo respexit Diabolus, & omnes ex semine eius. At nunc verbo Domini illa primùm statuitur, quæ strenuè cum illo committat & superet, & ait. *Inimicitias ponam inter te & Mulierem.* Illam scilicet quam probè intelligis, nec opus est tibi apertius designari. Non dico hanc stolidam Heuam, sed illã sapientissimam quam in Heua designatã planè recognouisti. Illa est enim vera Virago, non ista Heua quæ tam facilè passa est se abs te seduci. Illa est vera Mater verè viuentiũ: non autem hęc Heua quæ mater constituta est morientium. Illa condita est ex ossibus & carne Viri secundum spiritum non secũdum carnem, de cuius carne vir potius factus est. Tu quidem Heuam vicisti, & per eam etiam virum obtinuisti. Non sum autem passurus hanc tyrannidem tuam improba fraude quæ

Apoc. 12.

De cõflictu inter semen Virginis & semen Serpentis.

stam latius grassari. En nouum in te paratur & statuitur bellum. Cũ illa noua & iam pręparata Muliere volo primùm committas, vt experiaris num & illam valeas superare. Nõ tamen eiusmodi duellum in illa finitur Serpens maledicte, sed in semine eius q; est Christus. Quamobrem istas ponam inimicitias, & hoc futurum & instans duellum statuo, nõ inter te solum & illam, sed inter te semenq; tuum ex parte tua, & inter illã & semen illius, idest, Christum ex parte sua, quem si forte superabis, tum demum iure optimo tua erũt omnia. Experieris tamen superbe Serpens, quàm durum tibi sit calcitrare in Petram.

Ipsa conteret caput tuum. Sic legimus in vulgata editione, & verus omnino est sensus: quoniam Mulier hæc fortissima Domina nostra & Regina ad prælium cum Dracone pparata, ipsa vera Iudith caput veri Holophernis, idest, ducis fortis amputauit. Sed dicet quis: Quodnam est caput huius Draconis quod conteritur & amputatur? Illud nimirum quod primum exerit ad nocendũ. Quid hoc nisi superba contumacia, quam persuadere his conatur, quos ad interitũ miserandum adoritur? Sed tale caput conteritur recto pede, dum non ambulat homo in magnis & mirabilibus suam sortem excedentibus, sed subditum se exhibet semper Domino, & ad illius salutare exemplum deprecæ, quæ iam candidata Dei Mater toto ex corde expressit: Ecce ancilla Domini, Fiat mihi secundum verbum tuum. Et per Prophetam ipsemet Christus: Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Contritum etiam verius eius caput fuit, idest, superbia & elatio & fastus, cum ab illo superbo erepta fuerunt spolia & præda magna quam tulerat. Hoc opus ipse Dominus IESVS perfecit cooperante sibi Virgine muliere. Quamobrem hebraicè legitur, *Ipsum*, nempe semen, *conteret caput tuum.* Christus re vera principaliter caput serpentis contriuit & dominatus est ei, de quo potissimum scribitur: Super aspidem et basiliscũ ambulabis, & conculcabis leonem & draconem, quibus nominibus meritò cognominatur Diabolus.

Ps. 115

Vocatur etiam Christus semen: quoniam in eo vis fuit generandi & producendi nouũ seculum. Ipse enim prænunciatur pater futuri seculi, hoc est, futuræ generationis, quæ post Adæ statum ventura erat. De huius generationis præstantia non dubito Isaiam vaticinatum cum ait: Generationem eius quis enarrabit? Quidam enim vbi nos legimus, Generationem, seculum interpretantur.

Locus Isaiæ c. 53. explicatur.

Verum

Verum mẽtem suam declarans ipsemet Propheta adiecit: Quia excisus est de terra. Nota generandi rationem: Quia, inquit, excisus est de terra, hoc est, per Crucem sublatus est ex hac vita, & hic fuit modus generandi. Semen enim non generat, nisi mortuum fuerit. Vnde & ipse dixit: Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti in terram cadens mortuum fuerit, ipsum solum manet. Iccirco continenter Isaias addit: Propter scelus populi mei percussi eum. Audis rationem generationis, nimirum quia innocens dedit animam suam propter scelera nostra quæ fecimus nos, vt tolleretur peccatum, & reuiuisceremus primum in vitam gratię, deinde gloriæ. Nam pro impiis mortuus est, & cũ sceleratis deputatus est: imò & in loco impiorũ est sepultus, & à viro diuite Ioseph ab Arimathęa ciuitate ibi collocatus, vt vitã impiis multis redderet, & iustificaret diuites seruos suos. Legat diligẽs lector reliquũ eius capitis et clarè pspiciet explicata omnia, q̃ hic tãtũ attigi.

Ioan. 12.

Semen igitur sanctissimæ Virginis Christum intelligimus: quoniam de illa est ortus. Christum autem dico in forma serui venturũ (qui aliàs venisset in forma Dei) humiliatum, exinanitum, vt posset esse semen morti obnoxium ad opus nostræ redemptionis complẽdum. Sed in hoc semine continentur etiam plurimi serui eius, qui & ipsi fuerunt semen post ipsum, vt per eos & eorum passiones generatio quoq; conformis fieret. Vnde & ibidem additur: Et videbit semen longæuum, nimirum Apostolos, & Martyres, & egregios Confessores, & eos quibus pcipuè illud competit: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principatus & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum. Hi ergo sunt etiam semen ex quo cæteri oriũtur, & qui post Christum conterunt Serpentis caput. Vnde B. Paulus Corinthiis audet dicere: Etsi decem millia pædagogorum habeatis, sed non multos patres. Nã in Christo IESV per Euangelium ego vos genui.

Eph. 6.

1. Cor. 4.

Contra hereticos pro passionibus sanctorũ

Quo de loco simulata hereticorum pietas quam pro Christo prætendunt, egregiè cõfutatur. Nolunt hypocritę cuiq̃ communicari quæ sunt Christi propria, ignorantes nõ esse illius propria absolutè secundum omnẽ beatitudinem, sed secundum excellentiam, vt esse aduocatum apud Patrem, & interpellatorem, & huiusmodi. Nolunt enim intelligere superbi homines, hæc quoq; alii rectè tribui, post illum tamen & in illo: imò & pp ter illum, vt tantò sit maior Christi gloria & illustrior, quantò fuit potẽtia excellentior ad generandũ similes sibi quantũ fas est. Ille qdẽ primariũ & summũ semen noui seculi fuit, genuit tñ alios qui & ipsi essent futuri semen, sed sub illo & illius virtute: qa de plenitudine eius omnes acceperunt. Quãobrẽ B. Paulus nõ ausus ẽ absolutè dicere, se Corinthios genuisse, sed adiecit, In Christo. Etenĩ in illo existens, tantum inde vigoris trahebat vt & alios generare posset, & ad Christũ adducere: cuius rei gloria omnis redit in Christũ saluatorẽ omniũ & redẽptorem. Considerate hæc diligenter qui seducimini, & redite ad cor.

Est verò pulchrũ, & accurata meditatione dignũ, quomodo dignatus est Deus post peccatũ, anteq̃ vllam in nostrũ genus ferret sententiã, prius in Serpentẽ proferre, ac nouũ duellũ instituere dicẽs. *Inimicitias ponam inter te & mulierem*: ac si diserit. Vicisti vnam mulierem: nunc aliud duellum statuo, in quo tibi superanda est alia Mulier, si secure cupis tua præda potiri. Illa enim ad surripiendum tibi pdam est pparata omnino, & ad cõflictũ animosè accincta. Hinc .n. eleganter elicit hãc verè pelectam Mulierẽ nunq̃ iacuisse sub illo communi peccato. Alioqui nonne immeritò atq; iniuria factum esset, vt quæ in primo duello cecidisset, & ita sub potestate Diaboli aliquando inuenta, electa fuisset in secundo duello quasi libera, quasi Domina campi, vt cũ eo luctari posset, sub cuius tenebat dominatu? Hoc pfectò ratio humana nõ patitur. Dicimus ergo cõfidenter, idq; in spiritu sãctę & vniuersalis Ecclesiæ, beatissimã illã Virginẽ ab omni labe peccati fuisse pseruatã, vt sic dignẽ sub mediatore Christo ac redẽptore cõstitui potuerit adiutoriũ illi simile i eo sublimi redẽptionis nostræ negotio, vt & Redẽptrix & Mediatrix nostra verè dici possit: sicut & prima mulier quæ ad destructionẽ nrãm cooperata fuit, verè dicit pditrix ac destructrix totius mundi. Sic .n. perfectũ adhibetur antidotũ, & in gloriã Christi magnificã reddũdat, cuius meritis fuit tantis donis decorata. Contriuit ergo & hæc nostra Mulier caput Serpẽtis ante omnes quodã modo q medius sub Christo fuit. Nã et scriptũ legimus sub quorundã pedibus Satanã conculcatum iri, non quidẽ eorũ propria, sed Dei virtute. Christus aũt cũ esset Deus id sua virtute q̃tenus homo effecit, non simpliciter tñ, sed quatenus talis homo, cui per gratiã vnionis datũ est vt esset natura Deus. Neq; .n. rectè filius adoptionis diceret, ne quasi vnus quilibet ex nobis existimari posset. Nõ ergo æquamus Christo Matrẽ in hoc certamine, et in fructu certaminis q est

redēptio: quēadmodū nec æquamus Heuā Adæ in ope destructionis, ne demus maledicis occasionē, quā sibi dari expeterēt ad ridendū nos. Sed quod fecit hæc sanctissima Mater & Mulier fortissima totum venit ab osse Christi. Vnde illa Mulier condita primùm fuit, vt in viri laudem cuncta semper cedant. Sed veniet, veniet, inquam tempus quando hæc apertius intelligentur.

Notandum Rogabit fortè aliquis, An Diabolus Dei aduersum se sententiam, & hoc indictū duellum intellexerit. Cui respondendum est, Diabolum proculdubiò & intellexisse & vehementer doluisse, vt quam perspecta ruina cæperat voluptatem, eam protinus amitteret audiens de reparatione prouisum, cuius tūc fructus ex futuris Christi meritis à clementissimo Patre præuisis, & ad salutem cunctorum, etiam Adæ & Heuæ, & omnium ex illis descendentium acceptatis vigere ceperunt. Intellexit liuidus Serpens & acerbissimè doluit, atq; iterum rabie percitus ad ruinam generis humani se accinxit.

Cur Diabolus tentat à quibus nouit se victum iri. Si roges iterum: Cur igitur cum necessario sibi esse succumbendum eo in bello intelligeret, nihilominus armauit se iterum ad tētandum Mulierem illam, & in ipsum Christum tam promptus irrupit? Verisimile est enim B. Virginem miris serpentinæ astutiæ modis fuisse tentatam, vt illa se efferret. Et quamuis hoc non habeamus in Scripturis expressum, satis tamen ex ipso facto in Christū Scriptura nobis colligendum reliquit, vbi tētationis tenor ostendit, Christum ab isto versuto & subdolo ad eum finem tentatum, vt in elationem prouocaretur. Porrò dubium est, cum iam audisset sibi caput ab iis contrītū iri, quo pacto seipsum potuit ad hoc opus inducere, quod in caput suum nouerat reuersurum. Huic verò dubitationi respondendū esse arbitror, omnem Scripturæ prophetiā ita esse enunciatam, vt eius perfectus sensus nunquàm valeat à creata sapientia perfectè comprehendi. Quo fit vt minimè mirū videri debeat, si Satā ipsum Christum adortus est, tametsi de eius aduersum se victoria prædictum fuerit. Fortè non certò ac perfectè sciebat illam sententiam esse in prędestinatione Dei, qui de facto sic futurum omninò desiniuisset. Adducamus aliquod exemplum

Nota. simile. Christus in parabola vineæ enarrauit Deum dicentem: Verebuntur filium meū, quod tamen re ipsa factum non fuit, sed sic locutus est indicaturus rei naturam id exposcentem, vt filium saltem reuererentur. Ita fortè in proposito cogitauit astutus Satan, Dominum non id quod omnino futurū esset denunciasse, sed ad id quod causæ ordinatæ multò magis impellebant. Prętereà, Dominus quidem denunciauit conterendum Serpentis caput, non autem dixit hoc fore sine vulnere ipsius conterentis. Insuper de ipso semine dictum fuit: Et ipsum conteret caput eius. At in isto ipso semine multi intelligūtur. Potuit ergo verum reddi dictum etiam illo vno, si potuisset fieri, ruente: quemadmodum in quibusdam conflictibus nōnunq̄ solet accidere, vt mortuo duce aut captiuo, reliquum exercitus in hostes præualeat. Deniq; qui sic argumentantur, minus rectè videntur supponere Diabolum esse sapientem, cum obscuratissimæ mentis propter liuidi prauitatem affectus existimari potius debeat, quo liuore ad ea quę sunt meræ insaniæ præceps irruit. Quid enim non tentat animus qui semel de spe decidit? Nonne vnā hanc habet sibi propositam salutem, pugnare absq; vlla spe victoriæ, vt vel hac in re se cōsolari possit quod pugnauerit? Ita & hæretici eius filii modò pugnasse cum Ecclesia dicātur, tametsi de victoria desperent, satis sibi in hac falsa gloria blandiuntur & acquiescunt: quin & sibi etiam tum superasse videntur, cū magnopere perturbant Ecclesiam, & seducunt multos. Sed falsa est hæc phantastica victoria.

Verùm subinferunt, Christum peccare non potuisse, & hoc Diabolū facilè potuisse scire. Quid si hoc nesciuerit, aut fortè non pro certo habuerit? Omnis quippe creatura, vt creatura peccabilis est, nec aliter potest secundum naturam. Et quamuis propter eximiam & excellentissimam gratiam Christus peccare non potuerit, quid mirū si Diabolus hoc sciens, nescire voluerit, ac proinde voluerit etiam tētare num ita esset, quod esse nollet? Hoc enim male affecti animi est, nō facilè rem sibi odiosam admittere, sed potius velle experiri. Nam quòd iam nosset illū esse filium Dei cū ipsum in deserto tētauit, valdè credibile est, propter tot testimonia quæ de illo præcesserant, & in cōceptione, & in natiuitate, & per prophetica Cātica Zacharię, & B. Virginis, & Simeonis, & per angelicos cantus, & per Pastorū & Magorū visitationē, & per stellæ indiciū, & per Elizabet atq; Annæ viduæ vaticinia, & per testimonia Ioānis, & per ea quæ in baptismo signa & oracula venerunt in testimonium quòd esset filius Dei, in quo sibi bene Pater complacuit. Prętereà, Nōnne etiam post primam tentationem adiecit & alias? Imò vt ait D. Ambrosius, tentauit eum tempore passionis, vt ad tædium

tedium & odium aduersus persequentes excitaretur. Illam enim vocem: Si filius Dei es descende de Cruce, cuius fuisse vocem dicemus, nisi illius qui dixerat: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant? & iterum: Si filius Dei es, mitte te deorsum? Ipsius ergo fuit illa vox irritantis, & per membra sua eodem consilio loquentis, vt si ita se ostentaret filiũ Dei & de Cruce descenderet, redemptionis opus destrueretur, quod Diabolus auidissime cupiebat. Ad hæc, Cũ esset iam (vt vidimus) à Deo indictum duelli certamen in odium ipsius Serpentis, vt illi præda merito de manibus extorqueretur, quĩ poterat Serpens hoc deuitare? Nónne vel in hodiernũ diem frustrà blasphemat assiduè Deũ? Hoc verò totum redundat in caput suum, quod & si diuturna experientia ita esse persentiat, non cessat tamen, vtpotè subuersus ac perditus. Imò vt rectè dicunt Theologi, etiam si quos tentant superauerint, sciant Dæmones non propterea se effugere quin luant meritas improbi illius facti pœnas atrociusq; torqueantur, ni hilosecius tentare non desinunt. Præterea, Dæmonis est tentare non ad notitiam aliquam ex tentatione eliciendam, sed ad illiciendum ad peccatum quos tentat. Hic est scopus eius & finis tentationis, quem solum tentans Christum quærebat, non vt sciret esset ne filius Dei, sed vt falleret, & ad peccandum induceret. Præterea, Quo pacto arbitrabatur ex ea tentatione: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant, aut: Mitte te deorsũ, cognoscere num ipse esset Christus, si verè erat Christus? Nunquid enim cum esset astutus & (vt isti volunt) sapiens, nõ cogitabat Dominum scire ipsum esse Diabolum, & quod hoc aucbat à se dolo & astu exsculpere? Cur ergo audet tentare Dominũ putans eum posse eludi? Ponderent igitur ea quę videntur illis absurda, minime per eã intelligentiam quàm afferunt, sufferri. Si quis dicat: Tentabat ad deprehendendũ ne forte non esset Dominus. At quomodo sibi persuaserat se posse per illam tentationẽ deprehendere illum filium Dei nõn esse? Num eo argumento, nimirum si non faceret de lapidibus panes? Sed nec istud satis erat, quo concludere posset eum non esse Deum. Nõ enim ita probabatur non Deus si non fecisset, sicut si fecisset de lapidibus panes probabatur Deus. Et verè omnino inepta videtur hæc tentatio, nisi animo ad excitandum peccatũ impatientiæ & elationis instructo intelligatur. Recordabatur enim quo pacto ipse ceciderat, & quo pacto parentes nostros prostrauerat. Verũ hac de re copiosius alibi. Nũc ad historiam propositam redeamus.

Et tu insidiaberis calcaneo eius; vel conteres calcaneum eius. Sed cuius? Mulierisne, an seminis? Si seminis, de Christo dicitur, cuius calcaneo, idest, carni insidiaturus erat, & illã contriturus. Hoc verum fuit, & gauisus est Dęmon cum tantum malum vidit. At cum postmodò resurrectionem tanto triumpho splendentem prospexit, renouatus est dolor & mirum in modum auctus. Potest etiã intelligi de toto semine, in quo carnales homines quasi calcaneus sunt, quibus maximè insidiatur Diabolus & eos conterit. Sunt qui per calcaneum extrema Antichristi tempora intelligant, quãdo Filius hominis aduentans vix inueniet fidem in terra. Tunc conterentur qui velut calcaneus hærebunt terræ, & dimittentur à Domino in sordibus suis. Eadem erit expositio si calcaneum mulieris intelligas. Nam in muliere vniuersa concluditur Ecclesia, cuius spretus à Deo calcaneus, Serpentis insidiis patens conteritur. Hæc igitur sententia prophetiam Dei continet, qua manifestè mysterium redemptionis nostræ declaratur, & pugna in Diabolum & in omnes Angelos eius. Item victoria Christi & eorum qui illius futuri erunt, strenuè pugnaturi cum Satana, & militum eius superbiã conculcaturi, prępertim in primogenito eius Antichristo. Hoc primum in consilio Dei decretum fuit. Nec propterea vlli mortaliũ sublata est possibilitas rectè operandi: quin potius vbi abundauit delictum, queadmodũ docet Apostolus, superabundauit & gratia. Non .n. patitur Deus hostẽ superbũ prædã iniustè raptã potiri, nisi q rursum turpiter sua socordia manus dederit.

Mulieri quoq; dixit Deus: Multiplicabo ærumnas tuas &c. Hic incipit tota conditionis humanę series post peccatum, & iterum in Christo: ita vt hæc sententia propriè non attineat ad pęnã peccati, ad quã Dominus Deus noster venturus erat delendam simul cum ipso peccato: sed narrantur noui pacti conditiones, quas Dominus existentibus in Christo instituit. Cum igitur primò & peculiariter peccauisset mulier, iustum fuit vt prima erudiretur, & peculiares aliquas pęnas subiret. Voco pęnas, quoniam in non renatis verè sunt illius peccati pęnę. In renatis verò non amplius sunt peccati pęnę, licet pęnę dicantur, nõ quia sint vlterius in illius peccati vltionem etsi ab illo peccato descendant, sed quia dolore afficiunt & angustiis, & à peccato etiam veniunt. Si enim pecca-

Autor in euãg.

De pœnis peccati originalis.

tum non interuenisset, iam illæ non essent, neque in hoc miseriæ atque exilii nouo statu nos Dominus collocasset, sed in priore mansissemus omni ex parte felices. Vnde B. Augustinus sapienter dixit: Tunc spiritualis factus est Adam cum in Paradiso collocatus est, & præceptum perfectionis accepit.

Super Gen. contra Manichæos li. 2. c. 8

Notandum autem est, conditiones quas in mulierem pronunciauit Dominus, non ad illam tantum quæ peccauit attinere, sed generaliter ad vniuersum fœmineum sexum. Ait enim primum: *Multiplicabo*. Hebraica lectio emphasim habet quæ ait: *Multiplicans multiplicabo ærumnas tuas*. Alii dolorem tuum, aut gemitum tuum. Alii tristitias atque mœrores. Sed rectè habet, *ærumnas*, quæ vox includit ægritudinem atque imbecillitatem laboriosam, aut onus laboriosum, aut laborem non fugiendum, vt ait Cicero. Sciendum tamen est, cùm hæc sententia peculiariter fuerit in mulierem lata, ob eam causam esse consentaneũ vt de propriis ac peculiaribus mulieris ærumnis intelligatur. Nec re vera fuit maledictio aduersus mulierem in pœnam peccati, modò illa ingrediatur in Christum: quoniam eiusmodi ærumnę sanctis etiam mulieribus relictæ sunt ad exercitiũ humilitatis in gloriæ meritũ, sicut Apostolus egregiè declarat.

Cice. de finib.

1. Tim. 2.

Sed quæret aliquis, quæ nam sint ærumnę mulierum propriæ, de quibus hîc loquitur Dominus. Respondeo, illę sunt quæ ex propriis veniunt. Ante omnia proprium est mulieris subigi viro, & grauari conceptibus & parturitionibus, & periculosis partubus, vnde multę illis ærumnę vt fiant non patres, sed matresfamilias in gestando, in conniteando, in pariendo, in lactando, & alia innumera quę sunt incredibilis & immensi negotii ac tędii, in tollendo & nutriendo immundos infantes, scabie & fęcibus plenos, & domesticas curas ad se attinentes sustinendo, & implendo quæ virum non decent, sicut vita iconomica docet. Missos facio menstruos fluxus, & alia indecora, quorum commemorationem non ferret stomachus legentium. Variæ sunt & multiplices mulierum ærumnę, quas illę plus satis norunt, & prę viris longè abundant, quibus proculdubio caruissent, si eo in statu mulier permansisset. Adiecit.

Et conceptus tuos (subintellige) *multiplicabo*. Quæ res eò pertinet vt significetur, mulierẽ singulis conceptibus singulos parituram, licet interdum geminos, quàm rarissimè autẽ plures: & hoc sanè ad ærumnarum magnũ cumulum accessit. Hinc sequitur (quod & credibile est) in eo statu innocentię non fuisse futuros multiplices conceptus; sed vno concubitu plures concepissent, vt ratio mensque Deo subiecta postulasset. *In dolore paries filios*. Hoc ipsę miserę matres nostrę experiuntur, quanuis alia grauius, alia leuius, dolorẽ tamen cum emittunt, sentiunt omnes, qui nec in statu primęuo fuisset, vt habet fides. Vnde & B. Augustinus dixit: Sic ad pariendum non doloris gemitus, sed naturę talis impulsus fœminea viscera relaxaret, sicut ad concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius vsus naturam vtriusque coniungeret.

Et sub uiri potestate eris. Hebraicè, *Et ad uirũ tuũ desiderium tuum*, siue, *appetitus tuus*. Septuaginta, *Et ad uirum tuum conuersio tua*. Et propriè dicitur ad virum tuum: quoniam vnũ ac proprium virum debet habere mulier nõ plures, contra hęreticos qui mulieres voluerunt esse communes, quod est turpissimum & beluarum. Item contra eos qui eodem tempore cum pluribus coniũgi negant esse indecens. Significat ergo mulierem viro debere consentire, & eius voluntatem explorare ac suscipere, & cum illa inclinans conformare suam, quod tandem perinde est ac in eius potestatẽ esse. Si quis quęrat an ita erat à principio? Respondetur, non sic prorsus. Erat quidẽ vir aliquo modo caput mulieris, & in regendo superior: sed non eum dominatũ habebat, cuius post peccatum potitus est, quod ad despoticum magis inclinat. Nã cum adducta fuit mulier ad Adam, nequaquàm iussit Deus vt sub eius esset potestate, hoc solummodo dixit Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hęc vocabitur, Virago, quia de viro composita est. Quæ certè verba ad quandam potius societatẽ inducendam, quàm ad subiectionem referenda videntur. De latere enim fuit, non de pedibus formata: vnde Adam non vocauit eam ancillam. Licet autem viri vt socias, non vt ancillas habere suas vxores debeant, ad modestiam tamen vxorum pertinet existimare viros sibi pro Dominis datos, non pro sociis. Ob eam causam Sara à Beato Petro Apostolo disertè commendatur, quæ vocabat Abraham Dominum suum, & illi obtemperabat. Sed & attende quomodo viros econtrario hunc modum sui officii commonefacit. Vtrinque enim peccatur, cum etsi reperiantur mulieres morosæ, econuerso existunt plerique viri plusque seuerè aduersus vxores se gerentes. Quamobrem ille Princeps Apostolorũ: Viri, inquit, similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo

Quomodo subdebatur viro mulier in prismo statu.

1. Petr. 3

sculo muliebri impartientes honorem, tanq̃ & coheredibus gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes vestræ. Hæc ille. Et B. Paulus: Mulieres viris subditę sint sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse saluator corporis eius. Et subinde: Viri diligite, non dixit dominamini, sed diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam &c.

Et ipse dominabitur tui. Quæri potest, an verba hæc admonitionem contineant, quæ ad virum pertineat, vt Dominum agat & imperium exerceat in mulierem? Verùm istud cũ iis quæ modò diximus pugnat, cum & viri mulieribus velut vasculis infirmioribus deferre debeant. An verò pphetia est, qua quod euenturũ erat, significaret? Postremum hoc non arbitror, quin potius admonitionẽ esse ad virum, vt obliquè mulier quo pacto se gerere debeat, intelligat. Nõ.n. dixit viro: Dominare mulieri, sed mulieri dixit: Ille dominabit tui, ac si dixerit. Si se pro Dño aliquãdo gesserit, patiẽter ferto: Est enim Dominus tuus. Et re vera cum mulier ceruicosa est, & ita cõtumax vt viro dominari velit, tunc vir potestate sibi data à Domino vti debet, seq; Domi-

1. Cor. 14. num ostendere. Vnde Apostolus: Mulier, inquit, in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neq; dominari, siue autoritatem vsurpare in virum, sed esse in silentio, hoceſt, in humilitate, parata sẽper discere, non docere. Frequens enim est & vsitatum in psalmis, & aliis Scripturis, vt, *silere*, accipiatur pro humilia-

Silere pro humiliari, apud Scripturas. ri & subiici. Nam vbi legimus: Nonne Deo subiecta erit anima mea? Alii ex hebraica veritate interpretati sunt: Deo silet anima mea. Et iterum: Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam, sic interpretati sunt: Si non proposui, & silere feci animam meã. Et vbi nos legimus: Subditus esto Domino & ora eum, reddiderunt: Tace Domino, & spera in eo. Sunt & alia plurima quæ afferri possent, nisi per se satis compertũ esset mulierem debere subdi viro. Huius rei cõprobandæ duplex affertur ratio ab Apostolo. Prima est, Adam primum fuisse formatum. Non dicit prius ex tempore solùm, vt quis inde colligat eius dignitatem: quia hoc absolutè non valeret, cum etiam bestiæ formatæ sint ante hominem: sed dicit prius vt dignitas intelligatur. Nam mulier, Scriptura teste, tanq̃ quid accessorium fuit illi homini adiũcta. Hoc voluit declarare Apostolus aiẽs: Primus formatus est. Ad eum sensũ B. Matthæus catalogum Apostolorum enuntians ait: Primus Simon Petrus. Non enim hoc solùm habetur, quòd prior & ante alios nominetur, sed & insuper elicitur quòd dũ primò nominatur, etiam primus esse asseueratur, contra recentiores hæreticos qui primatum sanctæ Sedis impugnant. Sic & Adam primus formatus asseritur, idest, sic formatus vt primus esset, & ita præposterum redditum si mulier in virum vsurpet autoritatem. Altera ratio est, quia mulier ipsa non vir, seducta fuit: quò fit vt ad regendum nequaq̃ sit idonea, sed vt regatur. Et hinc manifestè apparet non tam hîc agi de pœnis quæ conueniũt illi peccato, quàm de noui status institutione. Alioqui si pœnam & supplicium illi peccato conueniens significare voluisset, non Heuã sub Adam, sed Adam sub Heua à qua fuerat superatus, meritò constituisset. Est enim posita lex vt qui facit peccatum, seruus sit peccati, idest, concupiscentiæ suæ quæ dominetur etiam in sui damnum. Nã quòd inferius dignitate regat id quod superius est, à quo iuxta rectum ordinem regi deberet, ad exitium pertinet vtriusq;: & ideò etiam pœnam sentit vtrũq;. Quapropter hunc noui status ordinem quem in Christo decreuit Deus, nunc stabilit, quem tantopere prædicarunt & inculcarunt nõ ab re in suis præceptis Apostoli, vt vidimus ex parte. Ferè enim vbiq; inculcant, quomodo se mulier ad virum habere debeat, & econuersò: qua in re magna pars institutionis moralis consistit. Nam dũ rectè domus regitur, etiã cætera facilius gubernantur. Qui autem nescit regere domũ suam, quomodo (ait Apostolus) curabit *1. Tim. 3.* Ecclesiam Dei?

Vis autem videre quomodo ista omnia conuertuntur in meritum mulieris, & ad eum finem data sunt? Audi ipsum Apostolum de muliere testificantem: Saluabitur, inquit, per *Ibidem. c. 2.* generationem filiorum si permanserit in fide, hoceſt, si fuerit in Christo: quoniam ærumnosi illi labores, illi cõceptus, illæ curæ quas propter liberos suos subire et perpeti coguntur mulieres, in meritum earum redundant. Producunt enim (quod in eis fuit) filios Deo summo. Sed ista non cogitantur à multis, quæ tamen diligenter vel ad magnũ tantarum calamitatum solatium considerari deberent. Hactenus de huius loci intelligẽtia, quantum pertinet ad primum sensum literalem. Nunc superest vt dubitationes eas ppponamus & explicemus, quas hic locus potest facilè porrigere legentibus.

Videtur primùm, hanc conditionem mulieribus à Domino inflictam non esse omniũ

prorsus: quoniam non omnes multiplicant conceptus suos, nec in labore pariunt. Sunt enim quæ vel neq; concipiunt, quales sunt multæ steriles: vel etiam quę nec viros quidē cognoscunt, sed virginitatem suam Domino vouent & illibatam seruant. Vnde fit vt his curis in hac Domini sententia expressis minime premantur. Indignum autē censeri posset, si hanc sententiam quæ generaliter in mulierē pronunciata est, tot mulieres euaderent, imò verò esse consilia Apostolorum, quibus suadetur vt huiusmodi tribulationes carnis vitare procurent. Audiamus B. Pauli consilium mulieribus de virginitate iis verbis datum: De virginibus, ait, præceptū Domini non habeo, cōsilium autem do tanq̄ misericordiam consecutus à Deo vt sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem: quoniam bonum est homini sic esse. Et paulò post: Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit. Et qui non iungit, melius facit. Sed prodierūt nostra ętate lasciuientes hæretici qui spiritum (vt iactant) & non carnem prædicantes, hoc factum vehementer improbant, & vel Deo dicatas virgines stuprare non perhorrescunt hirci petulci. Isti enim Iudęorum carnaliū zelo inflammati, sterilitatem carnis omnino abominantur, adeò fęcundi spiritu videri volunt. Ob eam causam locus hic appositissimè postulare videtur, vt compendiosè istorū lubricas mentis & carnis cogitationes detegamus & ostentui ponamus.

1. Cor. 7.

De cælibatu contra nouos hæreticos

In omni disputatione quæ de moribus suscipitur, & in qua quid sit bonum quæritur, primò debet certus finis statui: siquidem ex illo reliqua iudicantur vel bona, vel nō bona. Bonum autem est homini adhęrere Deo notitia atq; amore. Amor enim cognitionem sequitur: quoniam per eam probatur quod bonum est. Quodcunq; igitur ad verum & vltimum bonum magis cōducit, illud melius est, ita vt quod illi opponitur, nō bonū præ illo dici possit. His igitur statutis considerāda sunt bona matrimonii, & quatenus conferant ad illud summum bonum, nimirū adhęrere Deo: quod similiter coniectatur ex fine. At quisnam matrimonii finis? Nōnne proles? Nec simpliciter quidem proles, sed quæ generetur ad augendum filiorum Dei numerum. Etenim matrimonium nisi sit fidelium, non est bonum, cum proles inde nō sanctificata, sed immunda exoriatur. Porrò sanctificatam hîc prolem fidelium voco, non quæ nascatur sancta, sed quia ita nascitur vt ad sanctificationem parata sit propter parētes fideles. Et hoc declarare voluit Apostolus docens sanctificari mulierem fidelem p̄ virum fidelem, & econuersò. Alioqui filii vestri, inquit, immundi essent: nunc autē sancti sunt. Ex quibus verbis constat filios infidelium esse immundos, vtpotè qui non ex matrimonio apud Deum probato nascantur. Itaq; matrimonium non est per se bonum, sed quatenus approbatur à Deo & est sacramentum, vt inde fructus sancti prodeant. Est & aliud matrimonii bonum, remedium scilicet fomitis. Verùm hoc solūmodo post peccatū: nam in integro naturæ statu, quo libido ratione comprimebatur, minimè erat necessarium. Nunc verò propter fornicationem Apostolus iubet vt vnusquisq; suam habeat vxorem, & similiter vnaquæq; mulier suum virum.

Hîc tamen catholicus lector diligenter aduertat, quoniam huiusmodi locis abutētes hæretici, vehementer aduersum nos instant, & miserè impingunt vociferantes nos hæc matrimonii bona amisisse. Audi itaq; paruper & iudica. A postremo bono quod est remedium fomitis, incipiam, vnde dicitur melius esse nubere quàm vri. Vltrò enim fatemur id esse aliquod bonū, quo euitatur peccatum. At si peccatum aliter & cōmodius quàm per matrimonium euitari possit, matrimonium hac parte desinit esse bonum. Potest autem proculdubiò vitari ne fomes præualeat homini suam virginitatem conseruare volenti, quod in multis hominum millibus, qui vouerunt & reddiderunt, latissimè patet, quantumuis hæretici negent.

Nam hoc in loco occurrunt nobis isti filii Diaboli, cuius semper fuit maxime proprium calumnias struere, & quia totū quod verum est negare non possunt (Hoc enim natura veri habet vt in vniuersum negari nō possit, sed cum vnum negatur, aliud statui necesse sit) Primùm fatentur esse donum Dei, sed perpaucorum, proferentes Domini sententiam: Non omnes capiunt verbū istud, sed quibus datum est. Et paulopost: Qui potest capere capiat. Et Doctor gentiū: Sed vnusquisq; proprium donum habet. Alioqui impudens ille & hæresiarcharū princeps Lutherus ita scriptum reliquit: Crescite & multiplicamini, non est pręceptum, sed plusq̄ præceptum, quod nos non possumus impedire vel prætermittere. Sed perinde necessarium ac magis necessarium quā edere, & bibere, purgari, expuere, vigilare, & dormire. Hæc immūdus spiritus in hoc porcorum cęno grunnit perquàm disertè, ad

Luthe. in lib. de vita coniug

quem grũnitum multi alacriter concurrunt. Nec id quidem mirũ,cum in mundó ſint multi porcorum greges, in quos Satan intrare permittitur. Vnde vt omnem ab ſe profligatum pudorem, & eius loco ſucceſſiſſe turpiſſimam obſcęnitatem fronte meretricia oſtenderet, ſubiunxit: Sicut non eſt in mea poteſtate quò minus ſim mas, ita minime ſitum eſt in me vt ſim ſine muliere. Et noſter hypocrita inſignis & apoſtata Ochinus ſcripſit: Perinde eſt vouere votum caſtitatis, ac vouere votum volandi. Sed hoc ſenex iam & decrepitus effectus tãtùm cognouit, in qua ętate marcida operam voluptati dare à ſpiritu coactus eſt. O' pudor, nónne facilè ex hoc vno quis ſpiritus eorum mentes & corpora obſederit, põt homo prudens & fidelis pluſq̃ certò deprehendere?

Catholicam igitur veritatem explicemus quæ eſt, Primùm hanc continentiã verè donum Dei eſſe, teſte Sapiente qui ait: Et vt ſciui quoniam aliter non poſſem eſſe continens niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſũma ſapientia ſcire cuius erat hoc donum &c. Deinde concedimus, etſi non omnibus hoc donũ datum ſit, oblatum tamen eſſe multis, potiſſimum promulgato Euangelio, vbi Dominus ait: Si vis perfectus eſſe, vade &c. Et B. Paulus ſcribit: Tempus breue eſt: reliquum eſt vt qui habẽt vxores tanq̃ nõ habẽtes ſint &c. Iterum: Nouiſſima hora, vnde illud magis eligibilius quod eſt honeſtius, & aufert impedimenta orationis & deprecationis. Adhęc, Oportet virum pium atq; catholicum confiteri, ex Euangelio veniſſe ſtatum cęlibatus & Monachorum, quod attinet ad rei ſubſtantiam, ideſt, ad tria illa vota quæ Dominus Deus probauit, & peculiariter de cęlibatu vbi dixit: Sunt Eunuchi qui ſe caſtrauerunt ppter regnum Dei. Non dixit, quos caſtrauit Deus, ſed qui ſe caſtrauerũt: vt cordatus lector intelligat non eſſe merum Dei opus, ſed noſtrum quoq; cum illius tamen auxilio, qui non deeſt optantibus & rogantibus, & rationabiliter exquirentibus. Quare & inſtituit per Spiritum ſuum ſanctum ordinem hunc profitentium, vt qui velint accedere & vota Domino reddere, ſecurè faciant: quoniam non deerit cęlitus auxilium, vt qui cepit, ipſe perficiat. Sicut enim vouendi immittit affectum, ſic & facultatem præſtat reddendi votũ. Itaq; falſiſſimum eſt, & Diaboli patris mendacii commentum, videlicet hoc donum ſic eſſe ſpirituale ac eouſq; rarum, vt nõ concedatur volentibus & optantibus, & ad illud ſe cum Dei gratia præparantibus. Alioqui non poſſet eſſe conſilium Apoſtolicum, nec tanquã Apoſtolicum conſilium accepiſſet & perpetuò prædicaſſet Eccleſia Dei. Peccaſſent & grauiſſimè ſancti Patres conſtituendo regulares ordines, & innumera examina Monachorum, quos hunc ſtatum tanq̃ euangelicũ & Apoſtolicum profeſſos ſeduxiſſent. Quod fateri non pudet nouos Euangeliſtas excucullatos & Apoſtatas. Porrò ne videantur citra rationem loqui, obiiciunt, à plurimis Monachorum hunc cęlibatus immaculati ſtatum nequaq̃ ſeruari. Quod ſi eis daremus, quid hoc, quæſo, valet ad contaminandum ſtatum ipſum, ſi ſit à Chriſto? Nónne pluſrimi Chriſtianorum peccant, nec ſeruant ſtatum chriſtianiſmi, quem nihilominus profeſſi ſunt? Nunquid ergo propterea ſtatus cenſebitur reprobus? O' verè reprobi ipſi. Si commentariorum conditio ferret, poſſem adducere infinita Sanctorum ac veterum teſtimonia, à primis Chriſti Eccleſiæ incunabulis vſq; ad hunc diem. Nam nec ipſi negant, ſed ab Euangelio prædicant omnes aberraſſe, & ſe ſolos ſapientes. O' mirã hominum cęcitatem, qui huiuſmodi pſeudoapoſtolis habent fidem.

Sap. 8.

Verùm ad rem noſtram redeũdo, Quærenda eſt primæ difficultatis ſolutio, quomodo ſcilicet hæc ſit ſententia generalis quę vniuerſum ſexum complectatur, cum multæ fęminæ ab his ærumnis eximantur, quales ſunt ſteriles, innuptæ, virgines, & quæ quauis ratione non concipiunt. Nunquid igitur voce Dei maledictæ ſunt ſteriles, cum earũ multę ſingularem Dei gratiam adeptæ ſint, & longè maiorem quàm multæ fęcundæ? Prętereà, cum fęminarum virginitas laudetur in Euangelio, nunquid cum Euangelio hæc verba pugnãt, quæ manifeſtè Dei ſunt? Hoc quidem Manichęi volebant. At nos dicimus conditionem hanc in ſententia Dei prolatam attinere quidem generaliter ad ipſũ ſexum, non ita tamen vt protendatur ad ſingulas, ſed ad eas quæ aptæ natæ ſunt generare, ſicut eſt communis mulierum natura. Quamobrem ſua ſponte excipiuntur ſteriles, cum ſint ad hoc minus aptę. Porrò ſteriles duobus modis in Scripturis accipiuntur, vt quædam ſint ſteriles natura: quædam verò ex Dei facto. Sed & earum rurſus quæ ex Dei facto, quædam ad pęnam, quædam verò ad gloriam Dei. Et harum quædam ſunt perpetuò ſteriles: quędam autem ſolùm ad tempus, de quibus ſingillatim eſt videndũ.

Nota.

De mulierum ſterilitate.

Dico igitur, primò ab hac ſententia excipiẽdas eſſe natura ſteriles, quę in ea ſterilitate

permittũtur: & similiter quæ ob aliquã ægritudinem tales effectę sint. Quotiens enim lex generaliter quidpiam statuit, decreuit, aut iubet, intelligi sanè oportet ad eos pertinere præceptum, vel decretum, vel statutum, qui sint eius rei quæ statuitur capaces. Cum igitur dicat Dominus: Multiplicabo conceptus tuos, & in labore paries filios, nõ ad eas potest istud pertinere, quibus negauit natura potentiam concipiendi. Eadem ratione non potest ad puellas pertinere, quæ nondũ sunt nubiles, aut quæ incurabili & perpetua ægritudine prohibentur: quanquàm puellę non nubiles (vt Iurisconsulti docent) appellatione mulieris non veniunt.

Verùm dicet aliquis: Hæ igitur steriles nihil contrahunt pęnarũ ab Heuæ matris peccato? Respondemus: Imò multum omnino contrahunt. Nõne hoc ipsum quòd steriles sunt, in maximis malis est reponendum? Est quippe illud maius malum in natura, quàm esse fæcundam simul cum illis ærumnis. Etsi enim mulier (teste Domino) cum parturit, dolet: postq̃ tamen pepererit mirũ in modũ gaudet, quia natus est homo in mundum. Ob eam causam in lege quæ rerum naturam sequebatur, sterilitas hac parte abominabilis erat, tanq̃ mulier quæ sterilis esset, videretur signata à Domino. Vnde inter benedictiones populi hæc quoq; continebatur: Nõ erit infęcunda, siue obortiens, nec sterilis in terra tua: quantò minus in eo statu primæuo fuisset sterilitas? A peccato igitur profecta est illa in fęminis sterilitas, quam Dominus commemorare noluit cum non esset cõmune malum, nec naturæ vniuersalis, sed particularis. Est nihilominus in quibusdã plerumq; sterilitas minime ascribenda naturæ, sed multis à Deo procedit in pęnã tam vxoribus quàm viris, quibus subtrahit Deus facultatem concipiendi aut generandi ob propria ipsorum peccata, aut etiam parentum. Michol vxor Dauid propterea sterilis effecta est: quia sicut vna de stultis mulieribus non sapiẽs quæ Dei sunt, virum derisit coram Arca ludentem. Similiter legimus, propter peccatũ Abimelech à Deo ipso vuluas omnes domus eius conclusas. Aliquibus item ademptã esse concipiendi facultatem credibile est non ob peccatum quidem vllum, sed vt gloria Dei manifestaretur, quemadmodũ de cęco nato respondit ipse Dominus. Ecce Annæ Samuelis matri legimus Deum vuluam conclusisse. Hoc autem prouidentia Dei factũ est, quò illa vehementius orationibus insisteret, et orando atq; suspirando partum sibi dari impetraret. Verùm quę tales sunt, quoniam aliquando pariunt, non eximuntur ab hoc Domini decreto. Est igitur alia perpetua sterilitas, si modò est digna dici sterilitas, carnis scilicet non spiritus, quæ non est naturæ, sed gratiæ, & hæc fit voto, sicut sanctę plurimæ virgines fecere: & huiusmodi sic steriles prędicantur beatę, quę & ab hoc Dei decreto excipiuntur. Nõ enim possunt in eo contineri, cum Dominus eas in meliorem conditionem euexerit, qui manus sibi ipsi minimè ligauit, ne posset ab his ęrumnis liberare quas voluerit, & eas insuper velle liberare quæ liberari voluerint, & Christi sui sponsi contemplatione purissimum illum virginitatis statum eligere, quem ipse & illius sanctissima Mater Virgo perpetua elegerunt: quanquàm nec istæ ab omnibus penitus liberantur muliebribus ęrumnis. Dedit autem hoc donũ multis in gratiã Virginis Matris, quò ipsa inter multas virgines fulgẽtior emineret, quas suæ puritatis sectatrices haberet.

Illa verò sola vna dũtaxat fuit, quę ab huius decreti cunctis malis prorsus immunis nõ quidem sui natura, sed gratia euasit, & gratia non qualibet, sed eximia. Nam ipsa sola cũ fuerit non numero, sed excellentia prolis fęcundissima, nullum horum opprobriorum admisit, nullis muliebribus ęrumnis succubuit vera Virago. Ad eam siquidẽ non pertinuit multiplicare conceptus, quæ vnũ solũ habuit in quo diuinitas inhabitabat corporaliter, & tanti valoris fuit, vt in eo benedictę sint omnes gẽtes. Nec in libidine vlla cõcepit, sed Spiritu sancto plena, mente sancta & corpore, de purissimis sanguinibus in vtero accepit, & inde opera Dei excelsi sempiternum Patris Verbum ibi ineffabiliter conglutinatum factum est caro. Graue autẽ & admodum spurcum est, cogitare in purissima Virgine Dei genitrice (sicut quidã ex nostris parum piè) resolutionem seminis ac menstrui in tam pura conceptione omnipotentis Dei, & in opera Sancti spiritus. Ab iis enim spurcitiis sanctissimam illam carnẽ longè abfuisse crediderunt omnes boni spiritus, qui dignè de illa meditati sunt & locuti. Quòd etiam sine vllo dolore peperit, constantissima est fidelium persuasio. Non enim naturali modo cõnitendo peperit, sed ipsemet partus seruatis materni pudoris claustris ex vtero illius omnipotenti virtute egressus, ante virgineos & maternos oculos humi iacens apparuit, & ad eam conuersus quasi suppetias rogans maternas, primos cępit edere vagitus. Illa verò certa fidei luce suffulta Creatorem primũ agnoscens

agnoscens, genuflexo & prostrata summo affectu adorauit, ac simul illum creaturam & filium suum cernens, in sanctū sinum immensa lætitia & inenarrabili gaudio lætabunda & laudās & inuocās excepit, & fasciis, quas parauerat, nitidissimis cœlestem partum inuoluit, & ad vbera iam lacte plena infantem applicuit. Nullo igitur modo huic Domini decreto subiacuit, quæ etiam excepta fuit ne in viri potestatem incideret. Nā & sanctissimus vir eius Ioseph (vt B. Augustinus testatur) illi tanq̄ seruus Dominę suæ famulabatur, qui eius maiestatem reueritus indignū se arbitrabatur tantæ Virginis consuetudine. Iccircò volebat eam dimittere, quemadmodū apud B. Matthęum magnis argumentis probauimus, & multis piis mentibus persuasum reliquimus. Et re vera coniugium illud nō fuit sacratum, vt illa singularissima Mulier subigeretur viro neq; corpore neq; mente: nec vt esset ei adiutoriū, qui in conceptu nullas viri partes exercuit, quin potius contrà factus est coniunx in adiutorium Virginis circa partū, vt pro patre se gereret. Quamobrem cōstat beatissimam Virginem sub hac maledictione (si modò est dicenda maledictio, quæ piis mulieribus conuertitur ad salutem) non fuisse comprehensam, quæ prius electa fuit ad palęstram & luctam cum Serpente, vt denunciatas à Deo inimicitias in illum exercens, inimicitias nostras ob cōmune veterum parentū crimen cum Deo contractas dissolueret. Ad hoc enim generosum opus data fuit auxiliū viro Christo filio suo, ad quem opus redemptionis primò & principaliter pertinuit. Nā Adā primò & principaliter opus Dei destruxit, & in miseram captiuitatem nos redegit. Hoc fuit in prouidentia Dei secundum sapientiam suam, quam suscipere, admirari, ac venerari debet omnis creatura bene fidelis ac pia.

Commonefacere autem lectorem volo, hunc locum hactenus nequaq̄ perfectè esse expensum, cum proculdubio Spiritus sanctus non solummodo de muliere in genere sit locutus, sed etiam de certa & insigni Muliere, cui ærumnarum & conceptuum multiplicatio ascribitur. At quæ, rogo, hæc mulier nisi quæ designata fuit ad dimicandum cū Serpente Diabolo? Hæc est in primis Virgo sanctissima, quā ab illis muliebribus ærumnis & conceptibus secundū carnem excepimus. Huic mulieri ex decreto Dei nūc assignantur huiusmodi ærumnæ, doloresq; conceptuum in suis partibus secundū spiritum, inter cuius innumerabiles conceptus, vtinam sic debitas

De generatione spirituali B. Virginis.

agerem gratias, sicut non dubito me vnum fuisse. Quòd autē hæc Deipara Virgo mulieris appellatione simpliciter intelligatur, superius ex verbis Domini vidimus. Inimicitias, inquit, ponam inter te & mulierē, & semen tuum & semen illius. Quam sententiam de B. Virgine oportere intelligi, iam nemini dubium est, cum tamen si literam nudam consideres, videatur ad Heuam potius esse referenda. Sed non admodum illustris sensus de Heua intelligendo acciperetur. Certè Dominus IESVS quoties de Matre apud Euangelistas est loquutus, nunq̄ matrem, sed eam semper vocauit mulierem, aut alio nomine. Quid mihi (inquit) & tibi est mulier? Et iterum in melioribus nuptiis, & complexu Crucis meliore, de quo Sapiens: Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorē suum, dixit illi Rex: Mulier ecce filius tuus. Sic igitur destinata fuit Virgo illa plena gratia, quę ærumnas acerbas & conceptus varios experiretur. Audi quas passa est ęrumnas ab initio propter Filium suum. In primis, cum nudum illum & frigoribus obstrictū & vagientē in duro præsepi reclinauit: Cum non esset ei locus in diuersorio: Cum ab Herode mactandus quæritur: Cum exilium illi & fuga in Aegyptum præscribitur: Cum Innocentes in eius odium mactantur: Cū ex Aegypto redeuntes Archelaū, qui pro Herode regnabat, fugere compelluntur: Cum dolens quærebat illum duodecim annos natum, qui manserat in Hierusalem post diem festum. Neq; enim exigua fuit tristitia & dolor eius, quæ dicebat: Fili, quid fecisti nobis sic? Ego, & pater tuus dolentes quærebamus te. Sed, & cumulatius progressu temporis creuerunt ęrumnę cum ætate Filii, potissimum ab eius baptismate, cum ponens super corpus suum scelera nostra, professus est ea se in ipso corpore suo deleturum. Hoc enim designauit baptisma eius, & verbum illud ad Ioannem: Sine modò (inquit) sic decet nos implere omnem iustitiam, nimirum vt non modo nobis ipsis iusti simus, sed & aliis quorū nos onera portare decet. Sic verè impletur lex mea quā condo, dū eam prior impleo. Postmodo autem vbi apertè cępit prædicationē suā spargere, quanto dolore affecta est anima illius Virginis? Quos nō deuorauit acerbissimos cruciatus cū animaduerteret insanū odiū & persecutionē scribarū, & Pharisæorū aduersus Filiū suū, & aduersus propriā ipsorū salutē? Missā facio eorū cōmemorationē, quæ facta sunt cū esset Cruci proximus, quæ nos cum ad illius pietatē compatati, ferrei & sine

affectione finimus & misericordia, capere certé non possumus, vix autem credere cũ narrantur. Hæc prævidit senex ille Simeon quando dixit: Et tuam ipsius animã pertransibit gladius, vt ex multorum cordibus reueslentur cogitationes. Hic est locus conceptionis illius Virginis & partus insignis, propter quem illi dictũ fuit: Mulier ecce filius tuus.

B. Birgitta. Docuit me quædam sancta vidua ex reuelatione sua, hanc sanctissimam Virginem ac fortem mulierem Dominam nostram, in eo Dominicæ passionis & Crucis articulo designatã fuisse in vxore Phinees filii Heli, quæ

1. Reg. 4. cum capta esset arca Domini à Philistęis, incuruauit se ac peperit. Irruerant enim in eam dolores graues, cui in eo mortis momento à circunstantibus dictum fuit: Ne timeas, quia filium peperisti. Hoc ipsum vidit ille Sapiẽs, & latis innuit sapienti, cum dixit: Dum esset Rex in accubitu suo (operans scilicet salutem nostram in Cruce) nardus mea dedit suauitatem odoris.

In quosdam ineptos concionatores. Non omittam facere obiter mentionem de quibusdam concionatoribus parum certé hac in re spiritualibus, qui in die sancto passionis Domini multa fingere solẽt de B. Virgine in narratione passionis Filii, ad mouenda mulierum pectora & excutiendas lacrymas confictis quibusdam mendaciis, quæ recitare esset tędium. Itaq; vt huiusmodi hominum commenta affectibus excitandis pueriliter meditata, minime probanda sunt: ita econuerso improbanda est prorsus noua hæreticorum impietas negantium acerbissimos tenerrimæ Matris dolores, & (vt ita dicamus) compassionem, quæ iam incepit in quibusdã celebrari Ecclesiis: & in eum sensum verissimũ à cunctis piis accepta est prophetia illa Simeonis: Et tuam ipsius animam pertrãsibit gladius &c. Quo in loco quid me prohibeat quin exclamem. O Mater nostra & Domina, quis dabit mihi vt hæc aliquando capiamus, & vt etiam intelligamus & credamus omnes? Scriptum est enim: Nisi credideritis, non intelligetis. Veré tota illius superbenedictæ mulieris Dominæ Angelorum & nostræ vita referta fuit ærumnis, & doloribus, & desideriis, quibus salutem omnium meditabatur, flebat, & ita concipiebat frequenter in corde suo: & in dolore modo hunc, modo illum pariebat, reddebatq; Ecclesiæ sanctę partus quos enitebatur. Ita pro gentili populo enixé orauit, & Christi filii passionem quæ illi propter sympathiam communis fuit, æterno Patri magna cum fide & excelso animo obtulit, spiritu ipso in ea superãte carnis infirmitatem. Sic igitur concepit & parturiuit, & peperit in dolore ac discrimine. Et qui iuxtà steterunt, summopere gratulati sunt ei dicentes, sicut dixit Scriptura: Ne timeas, quia filium peperisti. Existimo veró istã omnia ideó nõ sic esse in Scripturis aperta, vt qui de spiritu Christi participant, ea quasi sanctis meditationibus relicta, argumentis probabilibus assequantur, & oblectentur in iis tanq̃ in opere proprio, & quæ ipsorum industria parta sint, donec Deus aliquando dignetur vniuersæ Ecclesiæ reuelare. Pergamus ergo & institutum nostrum diligenter prosequamur.

Et ad virum tuum desiderium tuum, siue, appetitus tuus, et ipse dominabitur tui. Illa, illa inquam Mulier de qua est sermo, hoc in mandatis accepit, & integerrimé seruauit ac diligentissimé. Veré enim hæc est vnicé dilecta, quæ vnicé dilexit Christum, & ad ipsum respexit vt virum suum, ex cuius carne & ossibus secundum spiritum formata est, & omne desiderium suum sẽper in illum reiecit. Inde vox illa tanti ponderis, quam vulgus promiscuum ignorat: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et vox illa Sponsi: Ecce tu pulchra es amica mea, & oculi tui columbarum, veré ad ipsam primarié ac perfecto modo pertinuit. Nemini enim dubium esse debet, Christum tanq̃ caput, Ecclesiæ esse sponsum, atq; ideó sponsam illius esse Ecclesiam vt corpus. Et quoniam quælibet anima singulariter etiam sponsa Christi dicitur, & sic veré est: profectó illa est dignissima sponsæ nomine, quę est inter omnes animas post Christi sponsi animam singulariter benedicta. Hæc autem extra controuersiam fuit anima illius sanctissimæ Virginis, post quam aliæ dicuntur sequi, sicut scriptum est: Adducẽtur regi virgines post eam, proximę eius afferẽtur tibi. Et in Cant. Sexaginta sunt reginę, octoginta concubinæ, adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea: vna est matri suę, electa genitrici suæ. Alioqui nõ video quomodo possent hæc apposité declarari, nisi ad hanc præcipuam & singularem Christi Sponsam oculos attolleremus, post quam collocantur aliç animę dilectę, quę & perfectione & mediocritate designantur in reginis, concubinis & adolescentibus. Istius igitur vnicæ & singularis Sponsæ oculi veré columbarum: quoniam ad suum Sponsum cum gemitu inenarrabili vt semper plorantes, ita semper implorantes pro nobis respiciebant. Etsi enim illũ habeamus apud Patrem aduocatum & interpellatorem

pellatorem, attamen & illam quoque apud ipsum Filium retinemus aduocatã. Hanc vocem quasi sapientes exhorrescunt impii hæretici, vbi insipientiam simul & impietatem in ea sua blasphemia produnt. Falsi enim & fallentes miseri putant (id quod sæpe diximus) ea in re derogari Christo, in quo vel maximè arrogamus. Quare cuius sint seminis manifestissimè indicant, nempe pestiferi Serpẽtis, qui cum torquebuntur in æternum. Istos ergo nebulones contemnamus: nefas enim est dubitare B. virgini hoc Domini decretum contra Serpentem maximè conuenire, cum præelecta fuerit ad pugnam caput Serpentis contritura. Nam & quam subiicimus expositionem, ad hanc fidem & persuasionẽ conducere, lector acutus facilè perspiciet.

Intelligitur & per hanc mulierem reliqua Ecclesia, sed præcipuè Maiores & Proceres, quorum ærumnas & conceptus in testimoniis & confessionibus suis non ignoramus, propterea quòd ad virum suum, nimirũ Christum, habuerint semper desiderium suũ & appetitum. Nam & ipse Dominus mulieri laboranti & parturienti comparans illos, dixit eis: Amen dico vobis quia plorabitis & flebitis vos. Mundus autem gaudebit, vos autẽ cõtristabimini. Sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora eius. Cũ autẽ peperit puerum, iam nõ meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Nonne existimari debet quædam mulier B. Paulus, quæ in vtero habeat ac parturiat; vbi ait: Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis? Nõne scriptum est de Ecclesia secundum spiritum: Lætare sterilis quę non paris: erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filii desertę magis q̃ eius quæ habet virum. Sancta igitur hæc mulier quæ potissimum in dignioribus membris inspicitur, totam hãc Domini sententiam in seipsam perspicuã facit, dum assiduè agitatur ærumnis, concipit & parturit in labore filios, & ad Dominum Deum conuertit desiderium suum, & illi se subiectam ad nutum facit. Quamobrem ego omnium peccatorum, si ad me respexero, miserrimus hortor fratres meos, & patres meos in quibus est spiritus Domini, & zelus aliquis pro eius corpore, quod est Ecclesia, vt quia Arca Domini ire cessim cæpit, & manibus teneri Philistinorum, Hortor inquam, vt sicut mulier parturiens se incuruent humiliantes se corã Deo, & cum doloribus parturientes pariant, vt nato filio aliquando lætentur in Domino, qui

Gal. 4.

delectatur in decore domus suæ, quam tamen interim permittit veluti nauim quassari multis fluctibus, ærumnis, parturitionibus, in quo statu nunc versari Ecclesiam qui non videt, nõne oculis caret?

Est item alius sensus quem Spiritus quoque dictat, vt per mulierem caro ipsa significetur respectu mentis, quæ dicitur vir. Dominus ergo hac benedictione salutari carnem Christiani hominis in qua habitat peccatum, in hunc modum disponit. Etenim si nimium nutriatur ac foueatur, mox recalcitrare & nõ obedire viro incipit. Ideo primùm illi multiplicantur ærumnæ, multiplicantur & conceptus, quod est, vt frequentibus actibus cõparet sibi bonos virtutum habitus, & inde producat & pariat filios, idest, opera bona in dolore. Quamuis enim homo per habitus cũ facilitate ac delectatione operetur, cum ea sit conditio & natura cuiuscũque habitus, id tamẽ in hoc statu absque ipsius carnis afflictione, & contritione effici non potest, quæ eius est naturæ vt nunquã perfectè valeat edomari, sed perpetuò aduersus spiritum concupiscat. Delectatio igitur est in mente, in carne autem non item. Vnde Apostolus: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Quod aũt castigatur, affligitur: & quod affligitur, in dolore est. Quod verò caro hac voce mulieris significetur in Scripturis, oculati tractatores & interpretes diuinorum verborum clarè viderunt. In decreto autem Dei continetur, vt hæc mulieris concupiscentia ad virum conuertatur, idest, non dominetur rationi, sed dominatum potius patiatur: quod in iis conspicitur qui Cruci affixerunt carnem suã cum vitiis & concupiscentiis. Ex his omnibus apparet, noui status & testamenti conditionem cum Deo ad obtinendam salutem per bona opera, redditam esse multò difficiliorẽ ac duriorem q̃ fuisset ante peccatum. Nam caro citra vllum molestum laborẽ prius obediebat, nec oportebat per castigationem subiici seruituti. Opera item bona quæ processissent, fuissent longè perfectiora, splendidiora, pulchriora.

Illud quoque non prętereundum, in hoc decreto aduersus mulierem pronunciato nõ contineri rationem illam expressam: Quia te permisisti à Serpente seduci &c. quæ tamen non est omissa in decreto contra Serpẽtem, & in eo quod in Adam latum fuit. Serpenti enim dictum est: Quia fecisti sic. Et Adæ dictum: Quia audisti vocẽ vxoris tuę. Cur ergo (rogabit aliquis) mulieri non ita dictum fuit: Quia fecisti sic, aut: Quia sua- Nota.

fisti viro, multiplicabo &c? Respondeo, Si ita dixisset, præiudicium aliis expositionibus afferebat, & illi potissimű de sacratissima Virgine, cui illa ratio: Quia fecisti sic, conueniret non poterat. Non enim continebatur in Heua matre, vt in illa peccasse dicatur, cui verè dici posset: Quia fecisti sic. Aliam rationem cur hoc sit prætermissum non video. Scio hæc non esse demonstrationes quæ cogant aduersantes, sed (ni fallor) sunt piarum mentium confirmationes. Nam quæ de illa Virgine benedicta credimus, habent longè maiora istis testimonia. Audiamus iam decretum in Adam factum.

Adæ uerò dixit: Quia audisti uocem uxoris tuæ etc. Quamuis in Adam posset Christus alibi intelligi, sicut in muliere Beatissima Virgo, id tamen præsens locus non admittit: quoniam manifestè commemoratur illius hominis præuaricatio ad quem pertinet decretum, & ad omnes qui sub illo contenti sunt peccatores, qui & ipsi commisisse in patre suo censentur quæ ille commisit. Hominem ergo in nouo statu collocans ait: *Quia audisti uocem vxoris tuæ.* Audisti, inquit, hoc est, obediuisti. Nam audisse tantum, modo non paruisset, quin potius (vt debebat) durissime exprobrasset, nulla fuisset noxa. Nec est nouű hoc verbo, *Audire*, significari perfectam auditionem, quæ est cum obedientia. Et dixit: *Vocem vxoris tuæ*, vt rem indicaret præposteram, cum & econuersò rei natura postulasset vt vxor viri vocem audire teneretur: quod vitium etiam in posteros traductum est. Quotus enim est eorum virorum numerus, qui vocem vxorű suarum audiunt? Nunquid, obsecro, digni sunt qui nomine viri vocentur? Imò contrà omnino ipsi sunt dignissimi qui mulieres appellari mereantur, & mulieres viri. Hanc turpissimam ignominiam si audirent, æquo animo ferre non possent, & tamen rem ipsá vnde id consequitur, æquo animo perferunt, quin etiam ipsi efficiunt. Quid est enim virű obedire vxori, nisi profiteri se esse mulierem, & illam virum? Addit.

Et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes. Hîc rem exprimit omnino peruersam & plenam sceleris, quòd scilicet audierit vocem vxoris contra præceptum Dei, & ob eam causam ait: *Maledicta terra in opere tuo.* Sic verterunt Septuaginta, in magnum testimonium pro interprete nostro et vulgata nostra editione. At nunc Hebræi sic habent: *Maledicta terra propter te.* Hæc diuersitas accidit, vt quidam volunt, ob variam lectionem vnius vocis, *Abod*, & *Abor*: quoniã litera, R, apud Hebræos magnam habet in figura similitudinem cum, D. Abod autem significat opus, & Abor significat propter. Vtcunq; se res habeat, vtraq; lectio vera est. Si hebraicam lectionem sequimur, *Maledicta terra propter te*, veritatem sensumq; perspicuum habet, vt intelligatur maledicta terra propter illum, idest, ob eius peccatum, & in eius detrimentum. Si verò legimus: *Maledicta terra in opere tuo*, æquè sensum verum continet, & meo quidem iudicio adhuc illustriorem, quo non simpliciter terra dicatur maledicta, sed in opere suo, hoc est, quum coletur ab eo, aut in eo quod coletur ab eo. Quoniam verò maledictum Dei non est absq; effectu, cum eius dicere sit facere, in quibus hæc maledictio consistat enarratur. Non desunt qui rogare solent, cur pariter non sit aqua maledicta, & aer, & ignis. Respondetur, quia in his non perinde exercetur homo atq; in cultu terræ. In hoc aűt fuit eius maledictio: quoniam sine labore nõ reddet fructus, nec sine admistione spinarű & cæterorum quæ noxia sunt.

In laboribus comedes ex ea. Sunt qui per labores, dolorem & tristitiam ponant: & certè in labore ferè semper tristitia inest & labor. Septuaginta dixere, tristitias. Mihi potius placet laboris vocabulum, cum rei propositę magis apposite conueniat. Nã & Apostolus quodam loco ait: Qui non laborat, non manducet. Et non solum laborem, sed etiã dolorem vox hebręa significat. Sic enim legitur: *In labore comedes eam*, pro ex ea, seu ex eius fructu, *Omnibus diebus vitæ tuæ*, hoc est, vsq; ad mortem. Ex hac sententia satis constat hominem, si in Paradiso & statu primæuo mansisset, victurű fuisse ab hoc maledicto immunem, qui & si terram quidem iuxta præceptű sibi datum coluisset, absq; labore tamen coluisset & dolore. *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Hoc est, non merum triticum ac frumẽtum, & herbas bonas, sed admiscebűtur spinæ & tribuli, *Tibi*, idest, ad molestiam & laborem tuum. Vnde Ouidius: 2.Thess.3.

Lolium, tribuliq; fatigant.
Triticeas messes. Et Virgilius:
Lappæq;, tribuliq;, interq; nitentia culta
Infelix lolium, & steriles dominantur auenæ.

At verò quantumuis olim terra itidem produxisset spinas & tribulos in priscorum statu parentum, si in eo statu mansissent, nequaq̃ tamen in eorum iniuriam & offensionẽ germinasset. Non enim nocuissent satis & fructibus industria hominis excultis & procuratis. Iccirco hîc dicitur: *Germinabit tibi*, hoc est, in tuum incommodű & detrimentű.

notandum

Notãdum obiter, legi hebraicè numero singulari, *Spinam et tribulum*, etiam significantius, quo genere loquendi concipiamus multum, & quodam modo vniuersitatem spinarum & tribulorum.

Quid spinæ & tribuli significent. Porrò quæri potest, quid per tribulos significetur, & quid inde addatur ad spinam. Spinam intelligimus nõ modo omne quod pungit, sed omne quod solidum est, & valide pungens, vt quibusdam videtur. Tribuli autem appellatione veniunt cardui, & lappæ, & vepres, & quæcũq; asperitatem secum ferunt, rugosi frutices & intractabiles. Et re vera cum harum vocum significationes magnam inter se habeant affinitatem, sępenumero alia pro alia sumitur, vixq; differentia etiam ab eruditis agnoscitur, nec id quidem multum interest. Sunt qui hanc dictionem hebraicam, *Dardar*, quæ tribulum significat, vt rectè vertit interpres, aiunt nullo alio loco in Scripturis reperiri, nisi hîc tantum. Sed in errore versantur isti: quoniam apud Oseã legitur cap. x. & fortè etiam alibi.

Et comedes herbas terræ. Vel melius herbas agri. Est enim alia vox ab iis quæ terram propriè significant, vt Aretz, & Adama. Locus hic meo iudicio attentionem paulò accuratiorem flagitat, quoniam herbas iam inde ab initio dederat Deus Adæ ad vescendum. *Cur Deus herbas homini dedit in punitionem.* Cur hîc igitur hoc idem additur in maledicto terræ? Sed iam, vt superius annotaui, considerandum est, non solùm herbas & fructus arborum daros fuisse homini ad comedendũ, verum etiam fructus Paradisi, quos hoc in loco vetuit. Præterea, videtur æquasse hominem iumentis, quibus solummodo dedit agrestes herbas, vt eleganter exponit Hugo de S. Victore, quibus primò dederat lignũ pomiferum, & herbarum virentium genera, ab iis quæ erant beluarum distincta, quemadmodum ex veritate hebraica multò rectius accipitur, & superius iam indicauimus. Nec tamen tanto rigore accipiendum existimo, vt prohibitæ intelligantur herbæ humano generi conuenientes, quæ datæ fuerunt ab initio, sed indicatum est quid dignum esset homine peccatore, qui similem se fecit iumentis insipiẽtibus. Hoc verbum multi heremitæ per spiritum intellexerunt, seq; intellexisse facto ipso comprobauerunt, dum beluarum ritu solis agrorum herbis contenti vixerunt. Ad hanc conditionem magnus ille Rex Nabuchodonosor redactus est, vt suam expiaret superbiã. Sed rident hæc sapientes mũdi non sapientes que Dei sunt, nec metuentes diuinam iustitiam, sed eius misericordiam cõtemnentes. Non sic autem ipse Adam, qui verè sensit & intellexit in qua cõditione esset sibi viuendum. Ac mihi quidem verisimile est, ipsum toto vitæ suæ tempore hanc Domini sententiam perpetuò custodisse, & solis agri herbis fuisse contentum, vt longissimo pęnitentiæ tenore peccatum illud grande dilueret, & formã pęnitentibus relinqueret.

In sudore vultus tui vesceris pane tuo. In hebraica lectione desideratur pronomen, *Tuo*, sed parum admodum refert, nisi locum hũc detorqueret quidam ad probandum vel tunc ordinatum fuisse à Deo bona terræ non fore cõmunia, sed esset proprietas penes vnũquemq;. Verùm istud (ne quid dissimulem) ex hoc loco magna vi omnino extorquetur. Alia quidem esset quæstio, an ratio naturalis magis dictet, bona terræ debere esse communia, an contrà potius. Ab initio enim nullam fecit diuisionem Dominus Deus, nec in statu primæuo opus fuisset vlla bonorum diuisione: ordinem tamen aliquem in dispẽsatione necessariorum, & cultura terræ & ministeriorum seruari oportuisset, quæ illi statui opportuna fuissent: sicut nunc in vita Monachorum beatiore sanctissime obseruatur. Non sum nescius inter Philosophos esse quæstionem quid satius sit in politica vita, bonáne omnia esse communia, an verò diuisa. At cum huiusmodi quæstio ardua sit, multasq; secum trahat considerationes, & à proposito videatur alienior, eam prudens nunc prætermitto. Satis est intelligere, impe ratum esse homini vt labore & sudore comparet sibi victum. Cuius sententiæ non pauci sunt trangressores, quoniam petunt extrema. Nam quidã noui magistri odio in Regulares accensi, vituperant cunctos qui ad parandum sibi victum nõ laborant propriis manibus. *Argumẽtũ hæreticorum de labore manuũ* Proferunt in medium (vel eo potius abutuntur) B. Paulum qui ita instituit Thessalonicenses, vbi ait: Rogamus vt operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis. Ecce præceptum. Et in alia epistola: Si quis non vult operari, non manducet. Hoc autem dixit ad hunc se locum referens. Nam cum statuatur vt in sudore quilibet vescatur pane & suum efficiat, consequens videtur vt qui sudorem & laborem recusat, indignum continuò se cibo constituat. Sic .n. idest, comedere & non laborare, non aliud esset nisi non quod est suum, sed alienũ comedere & furari. Quinimo eousq; B. Paulus hunc manuum laborem commendauit, vt non solùm velit hominem eiusmodi laborem pro se assumere, verumetiam indigenti-

bus impartiri laboris lucrum. Quocirca ad
Ephesios. Qui furabatur, inquit, iam non
furetur: magis autem laboret operando ma-
nibus suis quod bonum est, vt habeat vnde
tribuat necessitatem patienti. Afferunt & in
exemplum ipsummet Apostolum ea in re fre
quenter se extollentem, quòd manibus labo-
1. Cor. 4. raret. Vnde ad Corinthios scribit: Labo-
ramus operantes manibus nostris. Et in Act.
Act. 20. Ad ea quæ mihi opus erant, ministrauerunt
manus istæ. Et ne quis diceret hoc illius pe-
culiare fuisse, qui ab aliis nõ id exegerit, au-
di quomodo se in hoc facto prębebat exem-
plum. Neq; gratis, ait, panem manducaui-
mus ab aliquo, sed in labore & fatigatione
nocte ac die operantes, vt nosmetipsos for-
mam daremus vobis ad imitandũ nos. Hęc
isti, vnde omnes homines astringunt ad la-
borandũ manibus suis. Vbi pro more nullũ
statuũt inter varios hominũ status & condi-
tiones discrimen, sed Andabatarũ instar pu-
gnantes permiscent omnia atq; confundunt.
Et hoc est hæreticorũ artificiũ ad fallendos
simpliciorum animos obiectis quibusdã ap-
parentibus Scripturarũ sententiis, quæ si rec-
tè intelligantur, nedum eis non fauent, sed
omninò eos confodiunt.

Cõfutatio argumentorum Sed hæc omnino indigent declaratione
propter huiusmodi molestos. Primò sunt
inter homines plurimi qui non valent mani-
bus laborare, vel ætate vel infirmitate imbe-
cilles. Quis, rogo, sanus mente huiusmodi
homines esse hoc pręcepto astrictos dicere
audeat, cũ impossibiliũ nulla sit obligatio? Et
tamen ii satis in sudore vultus manducant qui
nequeunt laborare, & merito. Habent enim
alios qui pro eis laborent, per quos laborare
iure dicuntur, cũ omnes homines quasi vnũ
corpus censendi sint. Nam hoc præceptum
non est singulis datum, sed vniuersitati po-
tius, idest, homini, aut humano generi, nõ
singulis. Ideóq; satis est si impleatur ab iis q
implere valent, & quos nulla iusta ratio à la-
bore manuum excusat, cum studiis meliori-
bus non incumbant. Quod enim commu-
nitati præcipitur, non ad singulos necessariò
pertinet. Quamobrẽ qui exercitiis spiritua-
libus vacant die ac nocte, lectioni, orationi,
meditationi, contẽplationi, laudibus, hym-
nis, psalmis, & canticis: quales sunt Mona-
chi, & quos Religiosos peculiari voce nun-
cupamus, si manibus nõ laborent, non pp-
terea iure reprehenduntur, quia quod me-
lius est faciunt. Ille verè dignus est reprehẽ-
sione qui eos reprehendit. Sic Marthæ re-
spondit Dominus, quæ submurmurabat in
Magdalenam se in ministerio mensæ nõ ad-
iuuantem. Maria, inquit, optimam partem
elegit quæ non auferetur ab ea. Imitãtur isti
Pharaonis violentiam in filios Israel tyrannĩ-
dem, qui cum à Mose & Aaron ad sacrificã-
dum vocarentur vt seruirent in deserto Do-
mino Deo suo, eosdem sub hoc otii prætex-
tu damnans, dixit: Quare Moses & Aaron *Exod. 5.*
solicitatis populum ab operibus suis? Vacãt
enim, & iccircò vociferantur dicẽtes: Eamus
& sacrificemus Deo nostro. Opprimantur
operibus, & expleant ea, vt non acquiescant
verbis mendacibus &c. Hoc ipsum nonnulli
hæreticorũ tyrãnica Pharaonis voce in po-
pulum Dei obiectant, propterea quòd non
laborant manibus ad victum. Sed ii exẽplis
sanctorum & doctorum confutantur, & Do
mini sententia pronunciantis: Maria optimã
partem elegit, quæ non auferetur ab ea.
Quòd si addatur ad lectionem etiã exhorta-
tio, & prædicatio, & cura ac superintenden-
tia in regimine siue spirituali siue temporali,
æquissimum est vt iis prouideatur de victu,
ne teneãtur manibus laborare. Vnde & se-
culi Principibus Apostolus commendauit
tributa præstari, veluti qui Deo in eo ministe
rio seruiant, & digni sunt à subditis sustenta-
ri, quorum gratia curam illam suscipiunt.
Quòd si dignè suum officium exerceant, di-
gni sunt etiam præmio æterno. Quantò igi-
tur fortius in ministris spiritualiũ vigere de-
bet hæc lex? Ob eam causam idem Aposto
lus dixit: Qui bene præsunt præsbyteri du- *1. Tim. 5.*
plici honore digni habeantur, maxime qui
laborant in verbo & doctrina. Dicit enim
Scriptura: Non alligabis os boui trituranti.
Et: Dominus ordinauit eis qui Euangelium
ãnunciant, de Euangelio viuere. Et qui al-
tari seruiunt, vt cũ altari participent. Quòd
si B. ipse Paulus ea potestate minime vsus est,
non ob id reprehendit vtentes, sed se potuis-
se vti salua Christi gratia manifeste declarat,
cum esset Apostolus & Doctor gentium. Et
B. Hieronymus contra Vigilantium iniquè
submurmurantem mitti Hierosolymam in
vsus sanctorum aliqua sumptuum solatia, in
hunc modum respondit: Si ad hoc respon-
dero, statim latrabis me meam causam agere.
Ego tamen hoc loquor quod B. Apostolus
in cunctis penè epistolis suis præcipit, in Ec-
clesiis gentium per vnam Sabbati omnes
conferre debere in solatiũ sanctorum. Et
subdit hanc consuetudinem & apud gentes,
& apud Hebræos fuisse, vt qui in lege Dei
meditantur die ac nocte, & partem non ha-
bent in terra nisi solum Deum, synagogarũ

& totius

& totius orbis foueantur ministeriis, vt hoc pacto fiat ęqualitas quædam, sicut ipse B. Paulus declarat.

Addam hîc non ferendam istorum peruersitatem. Nam hęretici qui nostros de otio sugillant, ipsimet totos dies & noctes otio & torpore dilapidant, & si quid laboris subeunt, totum in euomendis blasphemiis et cudendis libellis famosis & pestiferis conterunt, non solùm orationibus & Dei laudibus non dediti, sed contrà, eos qui huiusmodi sanctis studiis vacant irridẽtes miseri. Sed veniet dies quando omnia conuertentur eis in luctum & tormentum. Inficiari tamen nõ possumus in alio extremo à plurimis peccari, qui cum abundent, aut nulla premantur penuria, vitam ducũt otiosam absq; vllo labore, curiosi, voluptuosi, nihil penitus neq; liberale neq; mechanicum operantes, sed aut musicæ, aut ludis, aut spectaculis variis mancipantur: & in ea studia quæ ad voluptatem solũmodo attinent & delitias, omnem operam die ac nocte miserabiliter insumùnt. Quis hos posset excusare à præcepti huius præuaricatione, cum tam apertè contra impositum illis à Deo mandatum agant? Nonne homo ad laborem, sicut auis ad volandum iusta Dei sentęntia destinatus est? In hanc enim conditionem propter peccatum venit. Quare detrectando volens se ab illo eximere debito, denuò & grauius peccat nõ diiudicans semetipsum.

Illud item necessariò occurrit admonendum, vt acutus ac pius lector intelligat, terram ab eo peccato fuisse in reddendo nobis cibum maledictam, & consequenter etiam quoscunq; cibos esse maledicto obnoxios. Sed per Christum nobis iterũ benedicti sunt & sanctificati. Omnia enim munda mundis, modo applicemus nobis Christi merita adiuuantes sanctificationem hanc per orationẽ & gratiarum actionem super cibo. Ob eam causam B. Paulus docet sanctificari cibos per verbum & orationem. Sic docuit Dominus IESVS Discipulos. Nam & eos post cęnã hymnum dixisse in gratiarum actionem B. Matthæus & Marcus meminerũt. Sed quis, ò infelicia tempora, Christianismus? Quotusquisq; est qui hæc accipiat, & norit, & obseruet? Ruunt quippe homines passim velut animalia bruta ad cibos nulla consecrandi mensam, & gratias agendi habita consideratione, ob voluptatem magis q̃ ob necessitatem edentes & bibentes absq; memoria beneficii à summo Deo accepti, qui & nos & omnia nostra sanctificauit. Quare vereor ne plurimi ob eiuscemodi ingratam memoriam immundos cibos et cum veteri maledictione comedant. Credunt enim hunc sanctissimum benedicendi morẽ ad Monachos tantum, & non ad Christianos omnes pertinere: sed longè falluntur. Neq; enim soli Monachi, sed omnes homines comedunt. Nec magis debetur cibus aliis, q̃ Monachis. Hem, vidi ego etiam Prælatos qui hunc morem benedicendi mensam suam nõ seruant, sed erubescunt Euangelium Christi ignorãtes fidei nostræ principia, & conditionem in qua inuenimur coram Deo. Vę nobis, vę nobis, & tertiò vę nobis ab ignorãtia & pessima ingratitudine, qui cibos maledictos comedimus. Verùm redeamus ad Prophetã.

In eos qui sine benedictionem & gratiarum actione sumũt ibum.

Hoc decretum in hominem de labore ac sudore vultus, non ad tẽpus est, sed vt adiicitur: *Donec reuertaris in terram de qua sumptus es: Quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Itaq; perpetuum laborem & dolorẽ exigit ab homine Dominus, quamdiu miseram hanc vitam agit. Ostendit autem Deus hominem naturaliter esse morti obnoxium: quoniã ex terra sumptus, necessariò cogitur secundũ carnem in puluerem terræ resolui. Dico secũdum carnem: quia homo secundum carnẽ sumptus est de terra, non secundum animã cui est à Deo cęlestis origo. Verùm quid est istud quod ait: *Puluis es, & in puluerem reuerteris?* Quo enim pacto potest quicq̃ in seipsum redire & conuerti? Nonne perinde esset ac si quis dixerit: Homo conuertitur in hominem? Sed in promptu est sensus. *Puluis es,* inquit, idest, ex puluere limoso conflatus es & constas, ideò in puluerem te resolui oportet. Est ergo naturale homini mori nõ simpliciter quidem, sed secundum carnem, cum caro sit ex puluere compacta. Quòd autem nõ fuisset moriturus homo si seruasset mandatum, accidebat ei nõ ex carnis natura quę eadem erat, sed à prouidentia Dei, qui de remediis aduersus mortem prouiderat. Prouiderat autem sapientissimo consilio: quoniã conueniebat hominis naturæ secundũ compositum non mori, non qua parte erat sumptus de terra, sed qua parte veniebat de cęlo, cui cedere debebat pars inferior. Quod .n. maius erat & diuinius, absorbere debebat quod erat minus & ignobilius. Ad eum sensum intelligendus est B. Augustini locus vbi dicit: Cõstat igitur inter Christianos catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem non lege naturę, qua nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati: quoniam peccatum vindi-

B. Aug. de ciui. li. 13. c. 15

cans Deus, dixit homini in quo tunc omnes eramus: Terra es, & in terram ibis. Nō hîc ergo appellatione legis naturæ.id quod ex principiis naturæ carnis veniebat, considerauit B. Augustinus, sed quod magis considerandum erat, idest, quod natura compositi propter excellentiam melioris partis poscebat, ad quā meritò respexit ab initio Deus naturæ autor, & illud magis naturale putauit homini. Quare nos ad id quod ex principiis carnis procedit nunc esse redactos vt necesse sit mori, verè est innaturale nō carni, sed homini, & in pœnam peccati inflictū: & tamen homini Christiano singulari cęlestis Patris misericordia in meritum vertitur, cum sit filius Dei effectus extincto per Christum peccato, vt ipsemet B. Augustinus in plerisq; locis egregiè docet.

Dicet hîc aliquis: Si per Christi gratiam omnis primi peccati reatus tollitur, nos renati iniustè his pœnis affligimur, sudore scilicet ac labore, & aliis innumeris incommodis, ac tandem morte. Respondet B. Augustinus quòd in hoc statu sub Christo maiore ac mirabiliore gratia Saluatoris in vsus iustitiæ, peccati pœna conuersa est. Tum.n. dictum est homini: Moriere si peccaueris. Nunc dicitur Martyri: Morere ne pecces. Tunc dictum est: Si mandatum transgressi fueritis, morte moriemini. Nunc dicitur: Si mortem recusaueritis; mandatum transgredimini. Sic per ineffabilem Dei misericordiam & ipsa pœna vitiorum transit in arma virtutis, & fit iusti meritum etiam supplicium peccatoris. Tunc enim mors est acquisita peccando: nunc impletur iustitia moriendo: hæc ille. Quamobrem scriptum est: Pretiosa est in in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Et: Beati mortui qui in Domino moriuntur, quandoquidem non vacat suo merito mors. Et de his qui ex labore & sudore comedunt cibum suum, dicitur: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Audis statutum labori præmium, vt consideres iam non deputari in pœnam, sed in meritum relinqui Christiano, qui hæc omnia mala in magnū bonum potest sibi conuertere. Magna quippe porrigitur inde occasio ad instituendum nos in virtute humilitatis & patientiæ, quæ summopere Deo placet. Quis, obsecro, nisi prorsus ratione careat, superbire ausit seriò considerans se esse puluerem & cinerem? Vnde scriptum est: Quid superbis terra & cinis? Excitatur & prudentis viri animus ad cogitandum, & optandum, & quærendum

Li. 14. de Ciui. Dei cap. 4.

meliora bona q̄ hîc inueniantur. Si enim demus in hoc ærumnoso statu esse bona aliqua, nōne tot ac tantis malis sunt admista, tamq; breui tēpore duratura, vt vix dici bona mereantur? Et cum incertus sit dies mortis, & hominis vita momentanea, excitatur etiam vir prudens ad vigilandum redimendumq; tempus, quoniam dies mali sunt, vt paratus inueniatur quauis hora ad occurrendum Domino, cuius aduentum iam didicit esse diligendum, atq; tantisper suspiret & toto corde clamet: Adueniat regnum tuum. Et cum Apostolo: Cupio dissolui, & esse cum Christo.

Disseruerunt plerique Philosophorum de morte, & verbosissimas texuerunt disputationes, esset'ne malum mors, an potius bonum: & an metuenda vel optanda, aut etiā asciscenda ac procuranda. Tradunt Ethnicorum historiæ Cleombrotū quendā Ambraciotam lecto Platonis libro, vbi immortalitatem animæ astruit, seipsum ex sublimi saxo præcipitauisse, vt citius ad beatorum cętum perueniret. Hegesias quoq; Philosophus, vt Valerius Maximus refert, sic mala vitæ repræsentare solebat, vt eorum miseranda imagine audientium pectoribus inserta, multis voluntariæ mortis oppetendæ cupiditatem ingeneraret. Ideoq; à rege Ptolomęo prohibitus est ne vlterius ea de re verba faceret. Felix autem Christianus, qui in huiusmodi & quid sentire debeat, & quid facere, certam habet & veritatem & legem. Dico nos habere legem, cum nemo sui corporis habeat potestatem vt quando velit animam suam ponat, sicut Christus habuit. Vnde aiebat: Potestatem habeo ponendi animam meam. At nos, teste Apostolo, empti sumus pretio magno, & non sumus nostri. Nemini ergo licet mortem sibi consciscere, nisi spiritu Dei actus id agat: ideò iubemur expectare donec veniat. Dico præterea habere nos veritatem, qui mortem quidem ipsam malum esse scimus, vtpote contra naturam illam quam Deus fecit, & in pœnam peccat inflictam: nobis tamen qui verè Christiani sumus, in exercitium & meritum conuertitur & fit nobis bonum. Multa quippe mala depellit, & beatitudinem nobis certam cōstituit in spe firma & certissima resurrectionis quando ipsa mors præcipitabitur in sempiternum. Itaq; nihil mali restat viris bonis q in Christo sunt, qui diligunt aduentum eius, sed vertitur in bonum si bene fuerint vsi. O quāta hîc consolatio, quāta ēt fiducia. Hinc vox illa: Cupiò dissolui, & esse cum Christo.

An sit mors expetenda iuxta philosophos.

1. Cor. 6.

Sunt

Sunt insuper mala hæc quibus indignè premitur humana conditio (nō enim à Deo facta sunt, sed ob peccatum parta) sunt inq̃ huiusmodi mala nobis loco materiæ ad excitandam Dei patris erga nos misericordiam, modo illa commemoremus & ante oculos ipsius obiiciamus, humili & contrito corde orantes ac liberari deprecantes. Hac commouendæ commiserationis materia in grauissimo scelere vsus est ille Rex, qui magnā illam implorans misericordiam aiebat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et alibi: Miserere mei Domine quoniā infirmus sum. Sana me Domine, quoniā turbata sunt ossa mea. Magna profectò ad impetrandas diuinas miserationes habent momenta tot ac tātę miseriæ, qbus humanū genus penè obruitur, vt passim legitur in psalmis. Vnde idē Propheta: Miserator & misericors Dominus, longanimis & multum misericors. Non in perpetuum irascetur, neq; in æternum comminabitur. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neq; secundū iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundum altitudinem cęli à terra corroborauit misericordiā suam super timentes eum. Quantum distat ortus ab occidente longè fecit à nobis iniquitates nostras. Quomodo pater miseretur filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum Recordatus est quoniā puluis sumus: Homo sicut fęnum, dies eius tanq̃ flos agri sic efflorebit. Ecce quomodo mala hæc timentibus Deum nō iam in pęnam sunt & vindictam, sed excitationes misericordiarum Dei, sed pulcherrimę occasiones ad humilitatem, ad timorem, ad vigilantiam, ad exercitium, ad orationem, ad deprecationem, ad prouocationem & fiduciam de diuina misericordia concipiendam, vt remittantur delicta & peccata ob hāc naturæ nostræ fragilitatem commissa: deniq; ad lucrum & ad præmium æternæ vitæ. Vtinam verò ista omnia seriò meditaremur, & in hac doctrina diligenter proficeremus, quę magna est profectò & necessaria. Tunc enim probaremus illud B. Pauli: Et gloriamur in spe glorię filiorū Dei. Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiā operatur &c. Sed sunt qui, vt ait Sapiens, adeò desipuere, vt non suffecerit eis errasse circa scientiam Dei, sed in magno viuentes inscitiæ bello, tot & tam magna mala, scilicet quæ caro velut bona probat, pacem appellant, quod est summum & cumulus malorū in hac vita. Non enim admittit medelam q̃ se arbitratur sanum: nec nouit suam ægritudinem esse lethalem & medico optimo indigentem. Tales erant Pharisæi & Pelagiani qui sibi videbantur sani, & sic indignos se ea medela constituerunt, quam sibi necessariam noluerunt confiteri. Horum inscitiam cum obstinatione coniunctam videns Dominus aiebat: Qui sani sunt nō indigent medico.

Hīc sese quæstio offert, sit'ne reuera hæc sententia, *Puluis es & in puluerem reuerteris*, ita cōmunis omnibus vt nullus queat euadere. Non enim desunt qui putant multos mortē euasuros, nempe illos qui in aduētu Domini reperientur viui. Verùm nulla huius probandæ opinionis affertur idonea ratio, quin econtrariò multa ei omnino aduersantur. Arbitrantur tamen se id ex epistolis B. Pauli & Petri colligere. Quapropter operę pretium est considerare num id rectè colligant. Nam si rectè, nulla de re superesset quæstio aut dubitatio. Id solum negotii restaret vt q eam doctrinam custodirent, soluerent Scripturas in contrarium vehementer vrgentes: nec Scripturas solùm, sed etiam rationes ex ipsis Scripturis eductas, quæ certè tam potētissimæ sunt, vt iis nequaq̃ responderi posse ausim asseuerare. *An omnes homines prorsus sint morituri.*

Illud ergo multò verius ac probabilius dici potest, neq; B. Paulum, neq; Apostolorum Principem vnq̃ illam pronunciasse sententiam, sed planè oppositam. Ecce isti producūt primò B. Paulum ad Corinthios (vt volunt) ita scribentem: Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur. *1. Cor. 15.* Sic enim ex græcis codicibus emendarunt, aut verius mendosam reddiderunt lectionē. Nam verior litera, teste B. Hieronymo, & communior etiam in græcis codicibus suo tempore illa erat quæ ait: Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur. Aut sicut nos legimus: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Et re vera mirabile est qua audacia, quóue iudicio cōtra receptam tam firmiter literam, & cōtra adeò graue B. Hieronymi testimonium, nouitia hæc & curiosa diligentia id agat, vt cum mutatione verborum Apostoli, nouam quoq; afferat & oppositam receptæ doctrinæ sententiam. Equidem latinum & veterem interpretem, quisquis is fuit, omnino credibile est, id quod habemus, è græco fōte hausisse. Nam & veteres græci plurimi, & noster Ambrosius sic legerunt. Mirum verò Caietani argumentum aientis non conuenire Apostolo vt dicat: Non omnes immu-

tabimur, quasi vi huius sermonis innueretur illum non esse inter eos qui immutabuntur. Qua enim logicę regula id collegerit, ignoro: quòd autem allucinatus fuerit, non ambigo. Nam cum ipse eam lectionem probet quæ habet: Non omnes dormiemus, non animaduertit se suomet gladio iugulari: quoniam inde liceret colligere ipsum Paulū non dormiturum, ac propterea nō esse mortuū. Quid hic potest in defensionē illius responderi? Monendi potius sunt qui eum doctorem plusquàm par sit magnificiunt, ne pro affectu velint ea omnia quæ docuit etiam manifestè falsa & inepta tueri, nec irasci in admonentem. Parcerem & ego libenter illi & illis, nisi sæpenumero inciderent loca omnium piorum iudicio periculosa. Quòd aūt nō possit ille sensus defendi, est vel ex eo planissimum, quòd B. ipse Hieronymus apertè falsum esse docet, scilicet omnes immutādos: quoniam hoc Electorum tantùm erit, qui recepturi sunt beatitudinem, vt ipse alibi dixit: Mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Præterea, cum ista quam nobis obiiciunt, græca lectio sic habeat: Omnes quidem non dormiemus, iuxta figuram orationis clarè significat nullos hominum dormituros. Non enim alium sensum in simili dicendi modo nobis affert vniuersa Scriptura, nec possunt aduersantes vel vna instantia nos conuincere. Illi autem possunt pluribus conuinci à nobis, quas libello particulari citauimus. Debuerat autem istorum sensus sic exprimi: Nō omnes quidem dormiemus. At in græcis, quos ipsi producunt, sic legimus: Omnes quidem non dormiemus, quæ sententia apertissime falsa est. Idem est enim ac si dicatur: Nulli dormient. Sed & ipsorum intelligentia: Non omnes dormiemus, habet in promptu Dominicā sibi aduersantem sententiam in parabola decem Virginum. Dormitauerunt, inquit, omnes, & dormierunt. Hæ autē enunciationes: Omnes dormierunt. Non omnes dormierunt, inuicem contradictoriè opponuntur. Itaq; latè patet ab istis nedum non emendari literam, sed deprauari & corrumpi, qui ausi sūt quasi expurgatores mendarum, veterem editionem corrigere. Quòd si aliquot in locis factum est, hoc tamen in loco quidem importunissime.

Verùm persuaderi se patiūtur pleriq; ex illo ipso Apostoli loco, vbi continenter dicitur: In monento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Ecce, inquiunt, quàm manifesta fiat distinctio inter mortuos qui resurgent incorrupti, & eos q subitò immutabuntur. Vnde colligi videtur, eos qui immutabuntur, non fuisse aliquando mortuos. Qua de re tractabo inferius commodius. Hic solummodo dicam, vehementer me demirari qui fieri potuit vt Caietanus non ponderauerit in verbis illis: Et nos immutabimur, non posse eos intelligi qui in aduentu Domini inuenientur non mortui, postq̄ B. Paulus oratione affirmatiua in horum numero se posuerit qui immutabuntur, dicens: Et nos immutabimur, ac propterea non inter eos qui tunc viui reperientur non anteà mortui: Hoc enim apparet manifestissime falsū. Quare si ad id aspexisset Apostolus, multò congruentius dixisset: Et nos mortui resurgemus incorrupti, & q ui viui inuenientur immutabuntur. Et eadem ratione reprobatur iste idem sensus, quem similiter eruunt ex illis eiusdem Apostoli verbis ad Thessalonicēses: Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo. *Ad Thess. 1.* Hæc enim verba iuxta horum sensum, apertè indicant Apostolum putasse se in aduentu Domini fore viuum, nec se solummodo, sed & alios eius temporis, cum quibus se cōponit dicendo: Nos qui viuimus, & tamen nec ipse, nec vllus tunc viuentium seruatus fuit ne moreretur. Nec errasse Apostolum fas est dicere, quasi putaret instare diem Domini, cum & de morte sua certus esset, vt ipsemet ad Timoth. testificatur: & non instare suis diebus aduentum Domini declarauit disertè in alia ad Thessal. epistola. Et hoc fecit, vt ipse fatetur, quia ex suis verbis, siue epistola, visum erat quibusdam instare tunc aduentum Domini, secus accipientes verba q̄ significarent: quo errore nunc noui isti interpretes inuoluuntur.

Dicet ergo aliquis: Quomodo igitur debet locus ille intelligi? Huic quæstioni abūdè in nostris Commentariis ad locum proprium satisfecimus, & particulari libello, nec oportet eadem sæpius repetere. Satis mihi sit hoc primum statuere ex innumerabilibus Scripturis, deinde inuictissimis rationibus cōprobare, omnes prorsus homines non solū morti subiectos, sed omnino de facto morituros. Sic enim B. Paulus dixit, mortē ex Adæ peccato pertransituram in omnes, in quo omnes peccauerunt. Et ad Corint. Sicut, inquit, in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabūtur. Et quod habet cōmunis lectio: Omnes resurgemus;

Quomodo autem omnes resurgere possemus, si non omnes essemus dormituri? Praeterea, comparans resurrectionis facultatem virtuti seminis, ait. Insipiens tu, quod seminas, nō viuificatur nisi prius moriatur. Vbi satis probat necesse esse vt mors vitam illam immortalem praecedat. Et ad Hebraeos: Statutum est hominibus semel mori, deinde iudicium. Et haec via vniuersae carnis dicitur apud Iosuę.c.23. Et Dauid ait: Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem? quasi dicat, Nullus. Sic enim ibidem ipsemet Caietanus pro more suo secum pugnans exponit. Quòd si nullus alius esset locus, iste psens quē habemus prae manibus, deberet satis esse, qui tam diserte ait: Puluis es. Qui aūt, rogo, negare ausit se puluerē esse? Si puluis, huic ergo dicitur: Et in puluerem reuerteris. Hoc tamen cum generaliter dicitur, non complectitur illam immaculatam Virginem Dei Genitricem, quam semper ab iis turpibus in gratiam Filii voluit Spiritussanctus esse exceptam. Nam etsi illa mortua sit pro conditione carnis, in puluerem tamen sanctissima caro illa non est cōuersa, nec vidit corruptionem, vt idem Spiritussanctus docuit Ecclesiam.

Si nunc etiam rationes pro nostra sententia exprimus, quae est, Omnes homines morituros, ista primum occurrit. Absurdum est valde carnem mortalium diuidi vt pars subiiciatur morti, pars autem non: & ita negare vniuersalem omnium & veram resurrectionem. Arguit Apostolus: Christus resurrexit, & nos resurgemus. Si validum est hoc argumentum, vt certe est, quia cōditio capitis debet conuenire membris, hoc etiam validum erit: Christus resurrexit, ergo ille & ille resurget. Aliàs qui non moritur in Christo, non est dignus resurgere in Christo, nec est dignum vt sit membrū Christi. Absurdum item est mortuum esse ipsū Christum, & Matrem eius, & Ioannē Baptistam, & Patriarchas, & Apostolos, & innumerabiles sanctos viros, & tamen fore in aduentu Domini tam multos qui sint hanc sortem euasuri. Quaero enim ab istis, velintne hoc fieri ex priuilegio, an aliqua alia ratione? Nam eximi ab hoc cōmuni malo videtur ad priuilegium pertinere. Detur ergo (si dari queat) idonea priuilegii ratio. Si dicant hoc fore per accidēs, quia accidet inueniri quosdam viuos in eo aduentu, mirabile est prorsus: quasi quicq̄ per accidens & improuisum possit contingere prouidentiae Dei. Deinde, Quinam inuenientur, rogo, tunc viuentes? Erunt ne omnes iusti, vt digni sint rapi obuiam Christo? Quòd si alii improbi permisti fuerint, quid illis accidet? Credibile est etiam si qui ea die iudicii viuentes superarunt, repertum quoque iri pueros in eorum numero. At nunq̄ pueri rapientur obuiam Christo, in ea aetate & mensura corporis in Paradiso collocandi. Praeterea, Nonne iudicium praecessura est totius orbis conflagratio? Audi Prophetam: Ignis ait, ante ipsū praecedet? Quo igitur pacto post tantam totius orbis incensionem, qua terra & cęli innouabūtur, poterunt vlli superesse, nisi ad miracula recurramus & illa quidem importuna? Vide, quaeso, bone lector, quanta hanc opinionem absurda consequātur. Quamobrem duros se & obstinatos pdent, si qui in gratiam Magistri et haec velint vlterius defendere.

Superest tamen alius locus B. Petri resoluendus, aientis Christum futurum iudicem viuorum & mortuorum. Exponunt autem viuorum, idest, eorum qui tum viui reperientur, non anteà mortui: & mortuorū, idest, qui anteà fuerint mortui. Verùm haec expositio & hic sensus mirum in modum absonus mihi videtur. Si enim harum vocum significatio refertur ad diem iudicii, quomodo recte dicit fore illum iudicem mortuorū, cum tunc omnes qui iudicabuntur sistentur ei viui? Post resurrectionem enim fiet iudicium, quando omnes viuent. Dicendum est ergo B. Petrum de viuis & mortuis q ipsius tempore inueniebantur, fuisse loquutū. Est enim haec vox Ecclesiae, quae habet veritatem cōtinuam quandiu cantabitur Symbolum. Verum namque semper erit, Christum iudicaturū viuos & mortuos: sed quando iudicabit, silebit Ecclesiae vox: quoniam erit dies Iudicis, quo solummodo viuētes iudicabit. Potest etiam dici nec incongruè, Dominum viuos & mortuos iudicaturum, idest, eos qui erunt viui vita gratiae, & simili modo mortuos respectu eiusdem vitae, cum sic frequenter loquantur Scripturae. Vnde Dominus: Sinite mortuos sepelire mortuos suos. Et iterum: Frater tuus mortuus erat, & reuixit. Et B. Paulus quando dixit: Et mortui resurgent incorrupti, potest intelligi de mortuis gratiae Dei. Et apposite sequitur: Et nos immutabimur. Nos scilicet qui viuimus per gratiam, immutabimur ad gloriam. Sed ad rem nostram.

Est & alia expositio ad hunc praesentem locum Geneseos, quam non puto minus intentā à Spiritu sancto. Hoc propter falsam

quorundam persuasionem dictum sit, qui aut despiciunt omnem sensum qui nō videatur literalis, ignorantes quid dicant & quid contemnant: de qua re diligenter scripsi in libro nostro Clauium. Id solum velim esse persuasum lectori, antiquos Patres animadtisse hunc sensum quem modo proferā, esse literalē, hoc est, ex ipsa litera & verbis Scripturæ acceptum, iuxta significationem tamen spiritualem non carnalem: & icircò magis intentum, cum Scripturæ verba spiritus sint & vita. Vnde non ab re Dominus, quod à plerisq; non intelligitur: Scrutamini, inquit, Scripturas: quoniam nos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me, nimirum si rectè scrutemur eas. Scrutemur ergo & nos oculo spiritus non carnis, quem nobis nō denegabit Dominus humiliter poscentibus.

De maledictione Christi pp ter nos. *Maledicta terra propter te.* Hæc terra (sit cum omni pietate dictum, spiritualem enim habet veritatem) Christus erat, terra nimirum fluens lacte & melle. Non horreant piæ aures cum audiunt Christum à Deo maledictū propter Adæ peccatum, qui comedit de ligno. Nam verè sic fuit, teste Scriptura &

Gal. 3. B. Paulo qui dixit Christum factum fuisse p nobis peccatum & maledictum, vt nos eriperet à peccato & maledicto. Considera vigilās lector, potuisses meritò expectare ex hoc loco dicturum Dominum: Quia obedisti vxori, & contra mandatum meum comedisti, maledictus tu &c, at huius loco audis, Maledicta terra. Quis non miretur? Sed si mysterium cogites, rectè cuncta componis: quoniam in eo verbo Adam intellexit maledictionem illam sibi & nobis debitam, conuersam fuisse in Christum, vt hoc peccatum in carne sua, quæ terræ significatione appellata est, lueret: ac si apertius dixisset: Tu hoc fecisti, & meruisti maledictum, & ego tui misereor & generis vestri: sed nihilominus volo iustitiam. Paraui enim mihi hominem secundum cor meum, qui ea quæ tu insipientissimè rapuisti, mihi eluat: & maledictum quod tu promeruisti, in illum conferam immerentem, vt tu ipse libereris à maledicto. Maledicta ergo terra hæc sancta propter te, vt sic salua sit iustitia mea, & misericordia & veritas obuient sibi, & iustitia & pax sese inuicem osculentur. Hoc postea non obscurè prædixit Isaias propheta: Verè läguores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Omnes nos quasi oues errauimus: vnusquisq; in viam suam declinauit, & Dominus posuit in eo iniquitatē omnium nostrūm. Hæc fuit illius maledictio, videlicet Dei decretū, vt ille filius Adæ Christus solueret quæ non rapuit, sed quæ rapuimus nos, vt quia ipse indignè & immeritò sustinuit maledictum, dignus fieret per quem benedictio nostra recuperaretur. Hic est ergo in quo omnes gentes benedicendæ decretæ sunt. Si hanc intelligentiam prætermittamus, friget omninò hic locus. Si admittamus, cuncta vigent & efflorescunt, quoniā in hoc ipso sustinentur. Et hoc amplius disce pie lector, si maledicta fuit terra illa pp ter nos, consequens est vt quicunq; statuantur in ea terra (statuimur autem in ea per fidem & sacramentum) ipsius terræ conditionem accipiāt. Et ideò quicunq; per baptismum, aut quoduis sacramentum ingrediť in Christum terram nostram, necesse est vt particeps quoq; fiat huius maledictionis, & laborum, & dolorū, & mortis, quatenus mereatur cōglorificari cum illo. Non enim seruus debet esse maior Domino suo, nec discipulus maior magistro suo. Ipse autem præstitutus est nobis & Dominus & Magister, ad cuius similitudinem complantati sumus in ipso, ne vlterius simus in Adam veteri, nisi secundum carnem tantum, non autem secundū spiritū. Hoc ignorant infelices hæretici noui magistri, & omnes alii qui non diligenter scrutantur Scripturas.

Et bene dicit: *Maledicta terra propter te, quia audisti & comedisti* &c. Si enim quoduis aliud peccatum præter comestionem illam admisisset Adam, non fuissemus passi hanc ruinam. Neq; enim ex ratione cuiusuis peccati efficitur vt debeatur pęna mortis corporeæ: imò ediuerso rationabiliter plectēdus esset in corpore, cum in corpore existens peccauerit, quo velut instrumento vsus esset ad crimen. Quare ergo mors insequuta est, & aliæ pęnæ non in Adam solum, sed etiam in omnē posteritatem? Certè aliud responderi non potest, nisi hoc fuisse ex vi pacti, quo sic statuit Dominus. Statuit autem hanc pęnam solummodo si comederet, & iccircò non debet ad aliud extēdi, licet aliqui aliter dixerint, & aliqui dubitauerint: sed hoc vt lōgè verius ratione euidenti substinetur. Neq; enim dixit Dominus: Quia concupiuisti Deorū cōditionē (etsi reuera ita fuerit, & ea in re grā de peccatum eius) sed quia comedisti & obedisti in hoc facto vxori tuæ. Ante n. quàm comedisset elatus fuit, necdū tamen cognouit se nedum: quoniam nondum perdiderat illam iustitiam, quamuis gratiam seu charitatis donum amisisset. Qui ergo non considerauerit Notandum diligenter.

derauerit modum & rationem pacti, inextricabilem labyrinthum incursurus est, & vix à manifestis erroribus & ab hæresibus damnatis liberabitur.

In laboribus comedes ex ea (siue eam) *cunctis diebus uitæ tuæ*. Hic dilucidè apparet immutatã quoq; fuisse conditionẽ Christi respectu nostri: ideò nostra rursum respectu Christi immutata est conditio. Si enim stetisset Adam, Christus Dominus venisset quidem, sed nõ cum maledicto, proindeq; eius notitia fuisset nobis facilis & clara, & dilectio nostra in eum perfecta. Non enim eo in statu valuissemus hæsitare in fide: & consequenter inde consecuta esset dilectio nostra pura & plena, & hic fuisset animæ nostræ cibus de terra illa citra laborem. At postq̃ primus homo cõditionem mutauit, mutata est etiam destinati Christi venturi conditio, vt inimicitias solueret. Nam factus est pro nobis maledictum, & ita etiam nos oportuit mutari & assimilari illi, & ita comedere ex illo, siue comedere illũ qui verus est panis noster in labore, & hoc cunctis diebus vitæ nostræ. Est autem sermo noster de spirituali terræ huius, idest, Christi manducatione. Manducamus autẽ si credimus & diligimus sperantes in eum. Vnde B. Augustinus: Vt quid paras dentẽ ac ventrem? Crede & mãducabis. At hoc totum labore fit, & quidem magno. Arctũ enim panem se præbuit nobis, & aquam breuem, idest, panem angustiç, laboris ac doloris, & hoc omnibus diebus nostris: sed cũ dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini filii merces fructus ventris.

Notandum diligenter. Vis pie lector, quæ experimur etiã ex causis ipsis agnoscere? Cogita quanta nobis offerantur credenda de hac terra, & quàm difficile sit ea corde confiteri. Primùm proponitur nobis creator mundi Deus ex nihilo. Hic labor est homini anteq̃ valeat deuorare, tum quod secus assiduè cernit in rerũ natura, nempe cuncta gigni ex aliquo: tum verò quòd multi qui sapientes visi sunt mundo, hoc ipsum inter impossibilia reposuerunt, & deriserunt nos id credẽtes tanq̃ male affectos ab initio, qui consuetudine audiendi falsos sermones pro veris & compertis sequimur, vt ait impius Auerroes. At inquies, Abundè respondetur illi à nostris & doctè: Scio, & iam superius ostendimus. Sed quotumquẽq; reperire licitum fuisset rationum capacem & acquiescentem, nisi venisset Spiritus de cęlo hæc probaturus? Et cum ita se res habeat, laborant adhuc non pauci, & vix innatam superant superbiam. Secundo, proponitur nobis hic creator Deus vnus quidẽ Deus, non tamen vna persona, sed tres personæ eiusdem penitus substantiæ. Nunquid non labor in huiusmodi cibo comedendo? Tertio, proponitur nobis status hominis à principio collocati in Paradiso, decorati donis maximis, ita vt cariturus esset labore, dolore, morte, & innumeris quibus nunc subdimur, incommodis. Quis ista facile credat, contra quę experientia & rerum natura attestari videntur? Quartò, prædicatur nobis Adam dona illa amisisse certo suo peccato, & illud peccatum peccatiq; illius pęnas in nos quoq; transfudisse. Nõne primo aspectu naturalis ratio videtur refugere vt filius ob iniquitatem patris plectetur? Quinto, vt p. pius ad terram nostram accedamus, proponitur nobis illa summa dignatio Dei viuentis, qua factum est vt filius Dei, verus Deus, dignatus sit fieri homo, & opera sancti Spiritus concipi in vtero Fęminæ, ita vt æternum Dei Verbum caro fiat, & tamen Verbũ manens ex vtero prodeat Virginis, habens illã in terris matrem, & in cęlis patrem Deũ omnipotẽtem, à quo sit decretum vt quasi vnus ex nobis peccator, imò omnium peccatorũ summus veniret in forma serui exinanitus, & humiliaret vsq; ad mortem, mortem autem crucis, & sic potestati traditus tenebrarum, ab eadem nos potestate eriperet. Tantam hanc adeoq; immensam clemẽtissimi Dei Patris erga nos inimicos bonitatem, qui & mali sumus, quomodo crederemus, nisi Spiritus adiuuaret & informaret, opponens nobis econuersò tantam nubem testium, ac tanta testimonia credibilia esse monstraret? In labore igitur comedes terram hanc, quoniam non est omnium fides. Vnde ille dixit: Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. *Ioan. 6.* Si opus est trahi, manifestum est naturam repugnare: & sic cum labore ex hac terra comedimus. Audimus deinde satisfecisse Dominum peccato pro nobis passione ac morte. Audimus & resurrexisse illum, & ascendisse in cęlum vt nobis pararet locum, & misisse Spiritum sanctum, seipsum etiã reliquisse in terris futurum nobiscũ in Eucharistiæ sacramento, & nihilominus sedere ad Patris dexteram, & tandem venturum ad iudicium. Cuncta hæc profectò sine labore comedi non valent, cum opus sit captiuare intellectum in obsequium fidei. Quocirca non ab re hortamur nosmetipsos in hymno quodam: Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides præter rerum ordinem.

Ne quis autē seducatur à perfidis nostræ ætatis hæreticis, qui fidem mirificè iactant et & extollunt, cui soli tribuunt omnia, sciendum est non sola fide comedi terram hanc, aut si sola, certè illa quæ per dilectionē operatur, vnde spes sancta concipitur. Igitur per opera dura, dum scilicet inimicos diligimus, dum illis pro malo bonum optamus & reddimus, dum maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur & obsecramus, dum carnis petulantiam calcamus, dum mundi blanditias contemnimus, & ita vsq; in finem perseueramus: nonne in huiusmodi labore comedimus bona terræ, licet interim non absque solatio, quo & suaue nobis redditur Christi iugum, & onus leue? Spes enim q̄ non confundit, seria illa consideratio, non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis, reddit amara dulcia, acerba suauia, tristia & lacrymosa, iucunda & læta, vt labor sit semper admistus solatio & gaudio spiritus, & pace quæ exuperat omnem sensum. Nihil est enim tam difficile, quin amanti reddatur facile. Nihil verò eousq; laboriosum & arduū, ad quod non pateat aditus speranti & suaue reddatur. Hæc est conditio nostra in Christo IESV, vt comedamus ex illo in labore tamen, nec sine solatio, vt quantò abundāt cumulatius passiones in corpore, tantò magis abundent consolationes in spiritu, & hoc omnibus diebus vitæ nostræ.

Quo in loco notet, obsecro, acutus lector, non ob hoc dici, Omnibus diebus vitæ nostræ, quasi innuatur post hanc vitam nos à comedendo de terra illa cessaturos: sed ob hoc solummodo quòd ipse labor cessabit, nō autem ipsa comestio. Imò verò tum demū erit perpetuum & sempiternum conuiuium in gaudio spiritus pleno absq; satietate, vbi iam nō erit fides, sed visio clara: nec erit spes, sed secura ac tuta possessio. Videbimus enim in cęlis Terram illam cęlestem, puram, illustrem, & cęlis ipsis cunctis lucidiorem ac pulchriorem. Dabitur quippe ipse fortitudo lucis, ne opprimamur à gloria. Et hoc erit vita æterna, his tamen qui in laboribus comederint in hac vita. Nam qui hunc laborem in vita recusauerint, Dominus per Isaiam aduer- *Isa. 65.* sus eos exprobat in hunc modum: Pro eo quòd vocaui, & non respondistis mihi: locutus sum, & non audistis, & faciebatis malū in oculis meis, & quæ nolui elegistis. Propter hæc dicit Dominus Deus. Ecce serui mei comedent, & vos esurietis. Ecce serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei lętabuntur, & vos confundemini. Ecce serui mei laudabunt prę exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis. Et dimittetis nomen vestrum in iuramentum electis meis, & interficiet te Dominus Deus, & seruos suos vocabit nomine alio. In quo qui benedictus est super terrā, benedicetur in Domino, Amē. Et qui iurat in terra, iurabit in Deo, Amen. Quia obliuioni traditæ sunt angustiæ priores: & quia absconditæ sunt ab oculis nostris. Ecce enim ego creo cęlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor, sed gaudebitis vsq; in sempiternum in his quæ ego creo. Quia ecce ego creo Ierusalem exultationē, & populum eius gaudium. Et exultabo in Ierusalem, & gaudebo in populo meo, & non audietur in eo vltra vox fletus & vox clamoris. Hæc ille propheta, quæ licet pertineār ad diem generalis iudicii, non tamen negandum est nec ambigendum quin ante illū resurrectionis diem, animæ hinc recedētes purgatæ donentur gloria, vt interim absq; corpore fruantur beatitudine videntes Deum facie ad faciem. Scio nonnullos ex antiquis et ipsum B. Augustinum, & Ambrosium, & ex posterioribus B. Bernardum aliquando videri scripsisse, animas iustorum hinc recedētes non statim ea frui beatitudine. At nunc iste articulus iam est ab Ecclesia declaratus, quæ nunq̄ in errore deprehendi potuit nec poterit. Nam & Scripturis & rationibus efficacissimis id euincitur, quas alio libello protulimus.

Spinas & tribulos germinabit tibi. Mirabile videtur de terra quæ Christus est, quomodo spinas et tribulos germinatura prædicetur: et tamen verè sic est in opere nostro, cum circa illam ex nobis consideramus, et nostro ingenio et iudicio metiri cuncta ac statuere volumus, et non discere à Spiritu. Spinæ autē et tribuli sunt hæreses et errores, quibus pūgitur anima et laceratur, in quos incurrunt qui ex se ipsis hanc terram tractant, nec sentiunt vulnera. Nunc videamus quomodo nobis illos errores germinet in operē nostro. Ecce intuebātur Christum hominem in forma illa foris apparentem, quem rationis discursu cogitantes, putarūt non aliter ex muliere conceptum et natum ac vnum quemlibet nostrum, vnde nihil diuinum in eo cōcipiebant, sed aiebant: Nonne hic est filius fabri? Nōne mater eius dicitur Maria? Et fratres eius Iacobus, et Ioannes, et Simon, et Iudas, et sorores eius nōne omnes apud

nos

nos sunt? Alii qui cor habebant corruptius ac magis inuidiæ labe deprauatum, cũ quædam suo iure sibi tribueba Dominus, dum sanabat in Sabbato, & dum iussit eum qui sanus factus erat, suum sibi grabbatum tollere, aiebant: Scimus quòd hic homo peccator est, & non potest esse à Deo, quia sabbatum non custodit. Et cum Dæmonia eiiceret, calumniabantur illum obiicientes: In Belzebub principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia. Et cum publicanos & peccatores, & meretrices ad regnum Dei prædicatione & conuictu alliciebat, homo edax & potator vini, amicus publicanorum & peccatorum prædicabatur. Et cum legem libertatis perfectam daret, tanquàm destructor legis, Mosi & prophetis contrarius incusabatur. Denique qui videbantur animo esse tranquilliore & æquiora cogitare, hanc summam de illo habebant existimationem, vt putarent esse Eliam, aut Ieremiam, aut vnum quempiam ex prophetis. Quòd autem ipse esset Patris æternum Verbum, nemo ex se potuit vnquã sibi statuere. Hoc quidem Petrus confessus est, quia cęlitus habuit. Iccircò dictum est illi à Domino: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cęlis est. Vnde & Apostolus: Nemo potest dicere Dominum IESVM, nisi in Spiritu sancto. Nullus itaque vtcunque natura pius, aut pietatis simulator existens, & ex se arbitrator de Christo, absque errore fuit dum de terra meditatur. Audiuit Arrius: Pater maior me est, & negauit diuinitatem. Ecce spina. Audiuit Sabellius: Ego & Pater vnum sumus, & confusionem tradidit personarum. Ecce alia spina. Audiuit Macedonius mitti Filium à Patre, & Spiritũ sanctum etiam à Filio, & creaturã esse vtrũque affirmauit. Ecce etiam noua spina. Audiuit Valentinus filium uenisse de cęlo, & negauit Virginem Christi matrem, diuersam ab illa & ab hac nostra carnẽ fingens in Christo, quem de cęlo carnem attulisse asseuerabat. Hæc & alia multa similia, sunt spinæ & tribuli qui ex ista terra exorti sunt propter Adæ peccatum & in opere nostro, si volumus eam iuxta nostram sapientiam colere. Ecce tempestate nostra, quia dixit Apostolus: Non ex operibus, sed ex fide esse iustificationem, prodierunt bonorum operum osores atque inimici, qui non intelligentes nec distinguentes à statu statum, ab operibus opera, legem à lege (quod tamen est prorsus necessarium) suis argutiolis & hypocrisi serpentina potiorem Euangelii partem destruunt, nimirum illam vnde salus procedit. Nam velint nolint hęretici, & si operibus non comparetur primę iustificationis gratia, operibus tamen redditur vita æterna. His exemplis & aliis quæ propemodum sunt innumera, facile datur intelligi quo pacto in opere nostro illa beata terra spinas nobis ac tribulos germinet. Huius rei gratia admonemur audire patris nostri Dei doctrinam, & matris nostræ Ecclesię legem non dimittere: alioqui spinarum ac tribulorum quis finis? Id quã latissimè hac infęlici tẽpestate per hæreticos patere nullus non videt.

Et comedes herbas terræ, hoc est, agrestia huius terræ deuorabis. Hęc autem sunt quæ videntur indigna Christo, & nihilominus ex his pascimur & viuimus. Etenim quòd in angusto Virginis vtero se concluserit ęternũ Verbum, quòd in pręsepi inter iumẽta illud effuderit, quòd fasciis Infantem inuoluerit, quòd Herodis furorem exilio declinauerit, quòd esuriem ille, sitim, frigus, æstum, labores, dolores, sputa, opprobria, cõtumelias, calumnias, irrisiones, alapas, flagella, & alia innumera quę erant tantę personę maiestate vehementer indigna, tam ęquo animo pertulerit, quum legimus & credimus; quid est (quęso) aliud quã herbas agrestes licet salutares comedere? Ex illis enim amaritudinibus omnis Dei dulcedo exprimitur. Quapropter & ipse agnus iubebatur comedi cum lactucis agrestibus: & nos cum amaritudine debemus hæc accipere, considerantes quanta quamque supra modum indigna ille cum esset Filius Dei in nostri gratiam & salutem pertulerit. Bonũ est igitur has herbas comedere ac digerere, per quas vermes nostri ventris necantur & eiiciuntur foras. Vtinam aliquis ex mundi huius sapientibus quæ dico intelligeret, vt verè sapiens in Christo effici posset agrestes herbas comedens, & sanitatem spiritus adipiscens.

Nam & in hoc loco nobis occurrunt isti noui sapientes, qui prohibent lugeri adhuc mortẽ Christi, & in primis Erasmus impius piorum derisor, qui luctum hunc cõparat luctui qui solenniter exhibebatur Adonidi, nota fabula. O inhumanum, crudelem & impium, quasi non sit assiduè commemoranda crux & passio Redemptoris nostri. Cum gaudio, inquiunt, non cum luctu. Cum gaudio, fili Diaboli? Quid ita? Aiunt, propter fructum Crucis. O hypocritę, Ita ne amamus fructum, vt radicem, vnde hic fructus exortus est, amaram non cogitemus? Si cogitamus, cur igitur non flebimus cũ flente,

Pro luctu Ecclesiæ. in hæreticos.

& non gememus cum gemente? Respondent, Res est tam olim acta ac praeterita. At nunquid periit quoq; eius memoria, ac non potius sẽper recolenda est? Quotiescunq; id feceritis, inquit Dominus, in memoriam mei facietis, & mortem Domini annunciabitis donec veniat. Eant miseri & exponant nobis quid sit Ecclesiam in hac via esse viduã & quare oculi eius similes oculis columbarũ. Et quod dixit Dominus: Quomodo possũt lugere filii sponsi dum est cum illis sponsus? Auferetur autem ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Damnent filii Diaboli, matrem suam quae solennitatem in memoriã Passionis Domini statuit, & iubet silere Alleluia, & cantu lugubri & caeteris lacrymosis obseruãtiis pietatem suam erga Sponsum ostentat. Vituperẽt & Sanctos omnes, qui in hac meditatione proficientes optarunt in corpore suo Christi stigmata, vt simul compaterentur & conformarentur Capiti suo: quod & quidam obtinuerunt orantes, sicut piorum Ecclesia de Beatissimo patre Francisco non dubitat.

Bernardinus Ochinus apostata. Sed insignis ille Apostata, qui pauloãte sua hypocrisi quasi vnus ex Apostolis Dei bonam ferè Italiae partem suis fucatis sermonibus seducere moliebatur, cuius tãdẽ pudenda vis diuina retexit, quantis prosequitur blasphemiis hunc sanctum Dei, cuius ipse regulam professus erat, & quem testari possumus nihil minus fecisse videri à magnis Apostolis. Nec satis fuit isti impio & crudeli dum ille mihi à me redargutus respondet, appellasse eum fatuum, sed adiecit etiam phanaticum & correptum à Diabolo. Et hoc quidem de B. Francisco. Quid autẽ & de aliis sanctis vel de illo tanto Ecclesiae sydere B. Augustino superbissimè euomuerit ille serpens regulus & genimen viperarum, non est hîc commemorandi locus. Solicitabant tñ me quidam, vt huic viperae responderem. Ego autem dixi: Respondeant illi impietates & blasphemiae suę, qui omnes sanctos ab Ecclesia catholica veneratione magna sẽper honoratos ore illo suo spurco & sacrilego vituperat & contemnit. Hoc pro omni responso mihi satis est apud pios. Apertè enim fatetur tandem me sentire cum B. Augustino, & caeteris quos vniuersa Ecclesia vt verè sanctos coluit, & vt magistros suos honorauit. Hoc inquam solum potest illum confutare & cõdemnare apud omnes pios. Aliis

Apoc. 22. autem dico, non ego, sed Dominus: Qui in sordibus est, sordescat adhuc.

In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Quis, rogo, panis iste, nisi ille qui dixit: Ego sum panis viuus qui de cęlo descendit? Cur autem sic dicitur, nisi quia natus & datus est nobis? Quamuis enim in hebraeo desit pronomen, *Tuo*, rectè tamen additum est, cum & nos ab ipso instructi dicamus: Panem nostrum cotidianum da nobis hodie. Sed aduerte, panẽ hoc in loco dici qui ex grano in farinã cõtrito compactus, & coagmẽtatus, & coctus in clibano inde eductus est, vt sit cibus perfectus qui praebeat delitias regibus, & muñdo vitam. Vis haec minutius declarari tibi? Hunc panem dicimus ex grano contrito ac mista aqua compactum. Granum autẽ erat Christus qui dixit: Nisi granum frumẽti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solũ manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Oportuit igitur primò granum hoc dari ad molam in pistrino. Quodnam autem fuit pistrinum, nisi Hierusalem cui dicitur: Hierusalem, Hierusalem quae occidis prophetas, & lapidas eos q ad te missi sunt etc. In hoc pistrinum detrusit illum amor, cum ascendens asinam & pullum illũc pertexit clamante turba: Benedictus qui venit in nomine Domini. Molę verò quibus hoc granum pinsitũ est, nonne fuerunt ora lacerantium, manus verberantium, contundentium, spinis coronantium, & tandẽ diris clauis affigentium sanctissimum illud corpus in ligno? Sic his modis contritus est & farina factus. Effusa est autem ibi aqua, quae est illa benignitas Saluatoris, illa sapiẽtia crucis, qua volens oblatus est. Clibanus autem fuit lignum illud in quod ascendit: ibi sancti Spiritus ardor, illa immensa & ignea charitas, qua accensus & Patri, & sibi, & Angelis, & nobis potissimum coxit hunc panem qui de cęlo descendit, & pòst in cęlum reuersus est. O mellitum panem, O suauissimum cibũ, palato tamen non aegro. Hic est panis qui datus est nobis ad vescendum post peccatum primorum parentum, sed in sudore. Nam & ipse primus sanguineas guttas sudauit, vt sic conficeretur & panis suauis fieret. Negare igitur hunc panem in altari cotidianum, quod nunc multi haereticorum faciunt, qd est, obsecro, nisi abrenunciare saluti, & vitã recusare aeternam?

Ioan. 12.

Exposuimus superius laborem in comedendo de terra ista: nunc verò restat sudorẽ exponere qui in hoc pane vescendo excutitur. Magnus est profectò Christiani viri sudor, qui de hoc pane dignè edere expetit. Primum in cõfessione & professione christiana quam in fronte gestare debemus, idest, in aperto

De sacramẽto Eucharistiae in sudore comedendo.

aperto & conspicuo confiteri, non verbo tātum, sed facto. Vnde Dominus: Qui me erubuerit & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua. *Luc. 9.* Vnde B. Paulus: Non erubesco euangeliū. Virtus enim Dei est in salutem omni credendi: ac si dixerit. Et si multi erubescant, qui sapientiam carnis & mundi sectantur: ego tū non erubesco, cū certò sciā sapientiā carnis inimicam esse in Deū. Omnes autem qui piè viuere volunt in Christo IESV persequutionem patientur. *2. Tim. 3.* Hinc igitur sudor: atq; vt omittamus quàm duriter nos oporteat ca priuare intellectum circa ea quę sunt à nobis credenda & speranda, si modo velimus hoc pane dignè vesci, quantū nobis sudoris concitat vel illud solum, quod oportet remittere inimicis quascunq; illatas nobis quantūuis insignes iniurias! O quantum hac in re à plerisq; sudatur.

Verùm vt hæc subtilius adhuc animaduertantur, primùm de hoc pane qui Christus est, sciendum fuisse illius notitiam ab initio, & ab hoc Dei verbo: nec solùm notitiā, verùm etiam efficaciam cum datū fuerit Adę vt illo vesceretur, in sudore tamen vultus sui, idest, per fidem illum à longè salutans. Hoc B. Ioannes de Agno indicauit, quem ait occisum esse ab origine mundi: *Apoc. 5.* non quasi tūc reipsa occisus fuerit, cum nondum existeret, sed quod tunc fuit decretus à Deo & venturus & occidendus, si inuenturus esset deicidas, qui non defuerunt. Quapropter ex ea die cępit operari mysterium, idest, fructus obedientiæ suæ pro nobis: quoniam merito suę passionis à Deo prçuisæ obtinuit redemptionem primorum parentū, & omniū posteriorum qui fide ac sacramento inseri velint in Christo. *Notandum* Itaq; diligenter considerandum est, postquàm corruit caput nostrum primus ille parens noster Adam, & factum est irritum primum pactum, & iccircò nos omnes simul cum eo corruimus, natū esse cōtinuò aliud pactum vt instauraremur in Christo, quod ipse obtinuit sacrificio suo offerendo seipsum in ligno. Itaq; hoc primum continetur in pacto, vt nemini prosit hoc sacrificium nisi acceptanti atq; edenti de illo, nimirum fide & charitate. Hoc autem in sensibili aliquo signo fieri oportuit, vt idē esset & sacrificium & sacramentum. Quod enim sacrificatur, etiam editur, vt sacrificii fructus percipiatur. Ob eam causam ante omnia docuit Dominus Deus primum hominem post peccatum sacrificare, & de sacrificio edere vt restitueretur ad gratiam. Scire autem debemus sacrificium verum & summū & placens Deo, fuisse illud vnum quod obtulit semel ipse IESVS, & illud idem oportuit etiā ab omnibus aliis sacerdotibus offerri: quoniam illud idem datum est cunctis ad offerendum atq; edendum. Sacerdotibus autem specialiter datum est vt ipsi conficiant, & sibi primùm, deinde aliis ad edēdum prębeanr. Quādo igitur Dominus Deus dixit: *In sudore vultus tui vesceris pane*, si scrutatores esse velimus Scripturarum, & peritè Dei verba interpretari, satis hinc colligemus à Domino Deo constitutum fuisse sacerdotem Adā, vt posset conficere in altari, & de sacrificio edere. Tunc enim, vt credibile est (quod & B. Thomas vigilāter excogitauit) docuit illum quo pacto hoc faceret, videlicet in sanguinis diuersorum animaliū effusione & oblatione. Sic igitur Adam primus sacerdos cōstitutus fecit, & obtulit Deo pro se & vxore sua, & ita quasi sacramento instus fuit in Christo cum illa.

Legi in quodam ex B. Augustini voluminibus, non reperiri in Scripturis Adam recuperasse gratiam, *An Adam recuperauerit gratiam.* & tamen hoc esse admittendum, cum ex traditionibus patrum esset acceptum. Ne autem lector decipiatur, cōperi eundem B. Augustinum aliter quodam loco scripsisse, nimirum in Scriptura haberi Adæ fuisse restitutam gratiam. Certè locus est apertus in libro sapientiæ cap. 10. vbi cū de sapientia Dei quæ Christus est, mentio esset, sic legitur: Hęc illum qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit & eduxit illum à delicto suo. Id autem factum fuisse sacrificio & sacramento, quod è sacrificio virtutem habet, ratio cogit, & hoc B. Thomas probauit. De qua re tamen nūc etiam profundius est pertractandum.

Principiò igitur constituendum est, duplex esse sacrificium. *De natura & vsu sacrificij.* Vnum internum, alterum verò externum. Et internum quidem nihil aliud est, quàm mentalis quædam deuotio & oblatio suipsius facta Deo, & omniū quæ in sua sunt potestate in debitum & recognitionem superioritatis, cū ab illo sint cūcta quæ habemus, ac proinde soli Deo conueniat offerri sacrificium. Ista ergo tacita & interna sui professio atq; oblatio, sacrificium est internum. Externum verò sacrificiū est, cum id quod mente agimus, etiā externè significamus atq; ostendimus aut voce, & hęc est oratio: aut cum quid circa corpus patimur, vt cum ieiuniis, & abstinētiis, & mortificationibus, & deniq; martyrio affligimur

N

& mactamur, quod est summum sacrificium: aut cum externorum bonorum portiunculã aliquam Deo offerimus in signum confessionis & laudis, & illius debitæ recognitionis. Hæc tamen bona externa quæ offerimus, nõ sunt propriè sacrificium, nisi aliquid circa illa fiat quo afficiantur & reddantur sacra, & sic offerantur vt ipsum vocis ethymum clarè ostendit. Sacrificium enim quid aliud indicat, nisi fieri quiddam sacrum, quod & offerendum Deo sit? Vnde apud latinos, rem diuinam facere, significat sacrificare. At in internis quidem sacrificiis non est necesse vt circa rem quicquam operemur, quo sacram faciamus. Iam enim per adeptam gratiam sacra est mens nostra, quam cum eleuamus ad Deũ deuotè, simul quodam modo actualiter eam sacramus & offerimus. Idem est & de sacrificio eorum quæ circa corpus nostrum fiunt aut fiunt. Nam & corpus Christiani vnctũ est & sacratum Deo, vnde Apostolus: Nescitis quòd corpora vestra membra sunt Christi, & ipsa membra templum Spiritussancti? At res externas quæ prophanæ sunt, oportet prius sacras fieri, ac deindè offerri, & ita sacrificium compleri. Vt autem sacræ fiant, oportet hominem circa illas aliquid operari, quatenus queant quasi sacrificium offerri. Ideò circa hæc sacramẽtales ceremoniæ cõstitutæ sunt à Deo, & ab Ecclesia à Spiritu sancto edocta.

1. Cor. 6.

Adhæc, illud etiam cogitandum, non esse vnum dumtaxat sacrificii finem. Est enim sacrificium meræ laudis & gratiarũ actionis, cum per illud profitemur nos Deo esse subiectos vt creatori, vt seruatori, vt adiutori, vt nostro beatificatori. Est & sacrificium placationis siue expiationis, quo ira Dei & indignatio suffertur, quod quidem sacrificium præsupponit peccatum, superiora nõ item.

Nunc igitur ex iis quæ proposita sunt, offert sese quæstio, Vtrum ante peccatum fuisset sacrificium, de quo nulla debet esse dubitatio. Quo pacto enim ipsum sacrificium defuisset, vbi aderat sacrificii ratio? Et quidem de interno quod exhibetur in interiore homine, nullus potest inficiari, quo seipsum totum homo deuouet & despondet Deo. De externo autem quod vocali oratione fit & ieiunio, idem prorsus est censendum. Nam & orationem subiecti cordis debebat Deo, & ieiunium indictum illi siue abstinentia ab esu illius fructus, non erat nisi oblatio & quoddam sacrificium. Porrò de oblatione externorum bonorum non est mihi ita certum, fuisset'ne aliquid in eo statu per modũ sacrificii offerendum, nec huius re meminit ex B. Thoma vllam extare doctrinã. Lector acutus ipse disquirat. Etenim si solum exterius sacrificium esset ad significationem interioris, profectò non opus tunc fuisset illis signis. Vnde & B. Thomas docet in eo statu non opus fuisse sacramentis, per quæ homines erudirentur. Si quis dixerit, Cum deberet homo etiam bona externa Deo, & sic aliquã eius rei recognitionem, ipsa æquitas postulat vt hæc in manifesto conspicerentur, non nimium aduersarer. Vtcunque sit, certum est si illi in innocentia mansissent, nõ opus fuisse sacrificio expiationis, neque pro peccato requirebatur vlla oblatio.

An fuisset sacrificium ante peccatum.

Itaque nunc tota nostra in hoc versatur inspectio, quomodo post peccatum debitum fuerit sacrificium, & quis sacrificii finis. Vbi illud consideradum, cum totum genus nostrum esset sub peccato, & inimicum Deo, necessarium factum esse huius rei nomine sacrificium speciale, videlicet ad tollendũ peccatum mundi. Sed quis idoneus? Nemò profectò. Cum enim omnes inimici Dei cõstituti essemus, nullus valuisset sacrificare, quod est sacrum facere, cum nos ipsi & cũcta nostra secundum meritum prophana essent & sub maledicto. Vnus ergo tantum relictus fuit à merito maledicti immunis, & ideò designatus hostia & sacrificium, ac sacerdos simul pro nobis, super quem ex Dei clementia cecidit maledictum velut in Ionã, vt ipse mergeretur in fluctibus ad liberandos nos. Sic oblatus est quia voluit, & expiauit per semetipsum hostiam perpetuò viuentem in conspectu Dei. Sic enim factus est ipse nobis panis qui dat vitam mundo: Panis quẽ ego dabo vobis, inquit, caro mea est pro mundi vita. Vide ergo prudens lector, summi Patris erga nos prouidentiam. Aptauit enim nobis panem ad vescendum, & nos simul aptauit vt possemus illo vesci: imò prius quàm vescamur conficere illũ nobis & offerre, & postmodo manducare. Hoc est quod dixit: *In sudore vultus tui vesceris pane*. Ab ea ergo die sexta in qua peccauit Adam, & Dominus dignatus est cum illo hunc habere sermonem, in hoc ipso decreto præstituta est cõditio noui nostri status in Christo, & eiectus ast Adam de Paradiso illo vt non posset ibi sanctificare sabbatum quod ipse violauit, & nouus populo Dei Sabbatismus prouisus est. Constitutum est enim sacerdotiũ æternum, & ipse primus factus est sacerdos illis verbis ad repræsentationem & commemorationem illius vnici ac perfecti sacrificii cruẽti, quod

Quæ sacrificij obligatio post peccatum, & in quem finem

Ioan. 6.

quod ipse Dominus facturus erat & fecit in cruce, & voluit omnibus applicari per memoriam & repręsentationem ipsius, vt virtus eius in vniuersum mundum in omni tempore expanderetur, si quis dignus inueniretur. Licet enim sacrificium illud modico tempore durauerit, eius tamen virtus perpetua est quæ exhauriri nequit; & ad omne tempus expansa, & retrotracta etiam ad tempora superiora in præscientia & prouidẽtia Dei vim suã habuit. Propterea dixit Dilectus: Agnus occisus est ab origine mundi. Et Dominus Deus: *In sudore vultus tui vesceris pane*. Quo .n. iubemur vesci, illud primò iubemur facere & offerre in illius repręsentationem ac memoriam. Commemoratio ergo & repręsentatio illius vnici sacrificii, quæ ordinata est à Deo vt fieret in sensibilibus signis, facta est nobis sacrificium operans effectus spirituales in nobis, expiationem videlicet peccatorũ, & collationem gratiarum. Et istud apprimè intellexit Adam in illis verbis: alioqui parum illustris esset sensus, si solummodo de communi pane dictum acciperetur. Sed nõ omnium est spiritus intelligentiæ: eorum est tantummodo qui humiliter nouerunt scrutari Scripturas.

Apoc. 5.

Quibus signis facta est sacrificij repręsentatio.

Notandum tamen est, repręsentationẽ hanc pro vario temporum statu in diuersis sensibilibus signis factam esse. Nam antequã Christus pateretur & semetipsum sacrificaret, fuit oblatio & sacrificium in immolatione animalium. Vnus tantum Melchisedech qui præcessit vt figura Christi veri regis iustitiæ ac pacis, alium indicauit ordinem instituendũ, videlicet in specie panis & vini. Ipse enim panem & vinum obtulit, sic etiam nos modo facimus. Nam anteq̃ Christus p̱ nobis suo sacrificio sanguinem daret, decentissimum fuit vt in sanguinibus repręsentaretur, & in illa diuersorum mũdorum animalium occisione, à quibus tamen ardenter cupiebat liberari Dauid per aduentum Christi & effusionem sui sanguinis, & noui sacerdotii constitutionem. Libera me, ait, de sanguinibus Deus Deus salutis meæ, & exultabit lingua mea iustitiam tuam. At postq̃ venit Christus iustitia nostra, & effusus est sanguis, & excoctum granum in clibano crucis, & perfectus est panis viuus, hoc multò meliore modo & honestiore & sanctiore, idest, incruentè in specie panis & vini iussit sumus sacrificare & repræsentare mysterium. Vetera autem insignia sacrificia ab origine mundi vsq; ad Christum ferè confecta sunt in mactatione animalium, in qua mors Christi cruenta repręsentabatur. Tale fuit sacrificium Habel, Tale & Noe, qui de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocausta super altare. Similiter & Abraham sæpenumero fecit, & Iacob, & posteriores vsq; ad Mosen. Per Mosen postmodo lata fuit sacrificiorũ lex, & omnia ferè huiusmodi immolatione animalium fiebant, ea præsertim quæ expiatoria erant. Vnde Apostolus: Omnia, inquit, penè mundantur in sanguine, & sine sanguinis effusione nõ fit remissio.

De efficacia sacrificiorum legis Moseos.

Quo in loco studiosus & prudens Scripturarum lector diligenter aduertere debet, sacrificia illa legis Moseos quatenus erant legis, nihil profecisse ad expiationem peccati coram Deo, sed solummodo coram hominibus ad eluendas immunditias & irregularitates illas quæ ex transgressione legis cõtrahebãtur. Impossibile enim erat, teste Apostolo, sanguine animalium auferri peccata, & emundari animam peccatricem. Quatenus autem illa sacrificia ex patribus quos instruxit Deus, profecta erant, absq; dubio poterant expiare, non sua quidem virtute, sed illius hostiæ vigore quam referebant. Itaq; illum eundem Agnum quem nos offerimus, & eundem panem ipsi offerebant. Hoc tantum est discriminis, quòd nos habemus eum præsentem realiter sub sacramento absconditum, in quo est memoria mirabiliũ suorum, illi autem solummodo repræsentabant in figura. Alioqui (teste Apostolo) etiam illi eandem escam spiritualem manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt. Verum enim manna & panem cęlestem habuerunt à Deo nõ à Mose, propter Christum & per ipsum, non propter aut per Mosen. Ille solùm præstitit literam & figuram: Christus autem Deus noster spiritũ et veritatem, sicut dixit B. Ioannes: Lex per Mosen data est, gratia et veritas per Christũ facta est. Nam postq̃ ipsemet venit, seq; ad crucem obtulit, cuius rei gratia meruit vt fieret noui et melioris testamenti mediator, factus est ipse sacerdos in æternum secundum ordinẽ Melchisedech. Quare expleta agni veteris cęna, cum sciret ad Patrem se mox rediturum futurũ sacerdotẽ in æternũ, in specie panis et vini carnem suam veram, et sanguinem suum verum in sacrificium instituit, et offerre dignatus est ipsemet semetipsum sacrificans incruentè, et primus manducauit: et vt nos idem faceremus disposuit, edocuit, et mandauit, donec cognominabitur hodie. Opus enim habemus cottidie propter peccati reliquias, et quæ denuò adiunguntur, con-

ficere nobis hunc panem, & illo vesci, sed prius adorare & offerre æterno Patri.

Notandum Quòd autem Christus in cęna obtulerit seipsum panem verum & viuum, & à sanctis Patribus & ab ipsis Scripturis elegâter elicitur. Non est enim figura in sacris literis, cui suo quoq; tẽpore veritas nõ respondeat. Obtulit autẽ absq; dubio Melchisedech per seipsum sacrificium panis & vini. Ille autem hoc faciens Christi fuit figura, sicut scriptum est: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Oportet igitur & Christum confiteri sacrificasse. Sed ad rem nostram.

An Adam sacrificauerit. Quòd Adam sacrificauerit Deo pro se & vxore sua ac litauerit, non potest dubitare pius & prudens lector. Si enim institutũ fuit sacrificium (vt iam posuimus) & consequenter ipse factus fuit sacerdos, si non sacrificasset, proculdubio peccasset agens contra mandatum Dei, & damnatus esset: quoniam in sacrificio erat constituta peccatorum expiatio. Eo enim ipso quòd quis sacerdos instituitur, mandatum accipit sacrificandi, ne frustra Dei donum accepisse videatur. Quapropter non ab re D. Thomas pro cõperto habuit Adam sacrificasse: & ex hoc quod sacrificauit, institutum à Deo fuisse sacerdotium elicimus. Quomodo enim sacrificium obtulisset Domino non habens potestatem, nec habens quod offerret, nisi ipse Dominus monstrauisset? Certè quicquid cum Domino Deo agimus superstitiosũm est, nisi ab eo ordinatum fuerit ac probatũ. Nam quæ ipsa Ecclesia in cultu Dei ordinat, per Spiritum sanctum ordinat: sed ab initio verbo Dei immediatè oportuit nouum hominis statum constitui. Præterea, si Habel sacrificauit, vnde (quęso) hoc didicit nisi à patre suo Adam?

Quid sacrificauit Adam. Rogabit quis: Quam rem sacrificauit ipse Adam, & quomodo? Nunquid in animalium sanguine, an verò sicut nos in specie panis, sicut videtur porrigere locus iste vbi legimus: *In sudore vultus tui vesceris pane?* Equidem non oportuit illum sic coarctare, quoniam & vox hebręa, *Lechem*, vtrunq; & panem & carnem significat, vt in his duobus offerri posse sacrificiũ intelligeremus. Probabilius tamen est, animalia potius quàm panem sacrificasse, quemadmodum subsequentes omnes Patriarchæ. Panis quippe oblatio ipsi Christo seruabatur & nobis. Melchisedech autem tanq; figura Christi, panem & vinum obtulit.

Rogabit & alius, Si sacrificauit Adam cur non commendatum est in Scripturis? Respondit B. Thomas sapienter & argutè, ideò non commendatum hoc sacris literis, ne sicut ipse radix & origo peccati notatus fuit in omnes, ita etiam radix & origo sanctificationis in omnes, quod erat Christi, designaretur. Egregia profectò ratio, & digna perpetuæ mandari memoriæ. Nam in Scriptura illa, Adam ferè in omnibus gestabat personam omnium: sed nato peccato & nona ratione status instituta, ipse consideratus est vt priuata persona, & iccircò velut quilibet sacerdos sacrificauit pro se & vxore, non vt caput & origo cunctorum. Itaque non oportuit illud in Scripturis commemorari, ne sicut ipsius peccatum obfuit omnibus, ita quoq; ipsius expiatio omnibus profuisse crederetur. Decuit igitur & oportuit mandari sacris literis ipsam sacrificii institutionem in nouo decreto Dei. Adam autem sacrificasse, non oportuit neq; etiam decuit commemorari ob elegantem rationem à Doctore nostro B. Thoma traditam. Scimus enim esse quædam quæ nisi essent Scripturis sacris commẽdata, potuissent non immeritò desiderari. Quædam verò cum ratione omittuntur, quæ satis est à traditionibus haberi. Ecce de Beatissima Virgine nihil ferè habemus in Scripturis, nec ex quo patre & ex qua matre descenderit: solum accepimus eam esse Christi Matrem. Id verò multi mirantur, sed magna Dei prouidentia factum esse non est dubitandum. Ostendere enim voluit Spiritus sanctus secũdum quam partem consideranda esset in genealogia sacratissima illa Virgo, non quidem vt habens patrem & matrem peccatores, per quos fuerit in eam vllum peccatum transfusum, sed vt existens Dei mater, vt ab ea nota fuisse præseruatam facile persuaderemur, & ita profuisse illi Deũ genuisse, vt quod attinet ad contractionem peccati originalis non obfuerit ipsi ab hominibus prognatam fuisse. Sed hæ meditationes & si non omnium sunt, potissimum verò eorum non sunt qui in Scripturis non assueti, sectarum factionibus seducuntur. Hi sunt qui facile posset hæc reiicere ac ridere, non tamen ridenda profectò, sed admiranda & veneranda. Honor enim qui Matri Dei exhibetur, eundem sibi Filius reputat exhiberi, & ita postulat materna pietas.

B. Thomas

Cur pauca à B. Virgine in Scripturis.

Verùm hoc in loco etiam negocium nobis facessunt impii isti noui porci & canes (de nouis hęreticis loquor) qui summa impietate negant vllum esse in nouo testamento sacrificium externum incruentum. Christus enim

Defensio sacrificij in nouos hæreticos.

enim, inquiunt, vnica oblatione consũmauit in ęternum sanctificatos. Quoniam verò quæstionẽ hanc proprio libello exactius pertractaui, nũc paucis rem totã perstringẽs concludo, sacrificium illud cruentum Christi verè in sempiternum consũmasse sanctificatos, id est, à peccato mundi, & à cunctis peccatis quæ aggregata erant in priori testamẽto liberasse & in perfectam libertatis legem nos adduxisse, sicut in legem nouam, ita & in sacerdotium nouum. Hoc enim est sanctificasse nos in perpetuum, nimirum perpetuæ sanctificationis meritum, & modũ sempiternæ expiationis comparauisse & contulisse. Nõ statim autem vt illa sanctissima hostia oblata fuit, illicò fuimus mundati & sanctificati omnes, sed solummodo capaces facti purificationis & sanctificationis. Ergo ad efficacem sanctificationem nostram oportuit applicari vnicuiq; hostiã, ex qua vnusquisq; vesceretur. *In sudore vultus tui*, inquit, *vesceris pane tuo*. Modus autem applicationis erat, vt per illud meritum fide acceptum & sacramento siue baptismi, siue circuncisionis, aut alterius cuiuscunq; sacramenti significatũ, emũdaremur ab omnibus peccatis, & in legis nouæ pactum admitteremur. Quoniam verò adhuc supersunt peccati reliquiæ, & nouæ etiam culpæ sub hoc nouo testamento contrahuntur assiduè, placuit diuinæ puidentię iuge sacrificium, non tamen cruentum, ad has culpas expiandas in Ecclesia constitui, vt sic verum fieret vnica illa oblatione cõsũmari sanctificatos. Non enim propterea extenuatur illud vnicum cruentum Christi sacrificium, sed statuitur. Nam hoc pacto virtus eius oblationis per sacrificium nostris manibus offerendum amplificatur, quod tamen non est aliud, sed ipsummet aliter atq; aliter oblatum, nimirum incruentè. Ac sic quidem placuit Deo & Christo nos honorare, vt in ipsum Christum recidat tandem omnis gloria, & omne meritum in illam suã cruentam oblationem (verum ac perfectissimum holocaustum) cui soli acceptũ ferimus quicquid sacrificantes impetramus. Quod enim agimus, illius commemoratio est ac repræsentatio, nec propterea impeditur quo minus sit sacrificium verum. Nam si illud Habel, & illud Noe, & illud Abraham, & cęterorum patrum fuerunt sacrificia, quemadmodum Scriptura & sancti Patres vocant, & ad abolenda peccata erant efficacia, quoniam accepta fuisse Deo prædicãtur, cur nõ item verè sacrificia erunt quæ nos Dei iussu & apostolica traditione facimus? Nõne vniuersa Ecclesia semper ea vocauit sacrificia, & tanq; vera sacrificia habuit, nec id fuit vnquã apud Catholicos controuersum, sed quicũq; hac de re se dubitare ostẽderunt, illicò habiti sunt hæretici? Et re vera si prisca sacrificia vera erant, quæ hostiam veram non continebant, sed dumtaxat significabant, quantò magis vera erunt quæ rem ipsam continent quæ verissima fuit hostia? O miseros, ò verè dignos qui efficaciæ & virtutis tanti sacrificii sint expertes quicunq; illud negant. Est enim ęquissima Iurisconsultorum regula, his qui causam beneficii negant, etiam beneficii emolumentum non iniuria negari.

Notandum

Regula iuris.

Sed occurrunt nobis Suuinglius & Oecolampadius, qui non solùm negant sacrificium panis & vini, siue carnis & sanguinis: sed etiam ausi sunt pernegare in tanto sacramento pręsentiam ipsius corporis & sanguinis Domini. Solummodo merum esse signũ id quod efficimus asserunt: quæ blasphemia non poterat nisi superbissimos habere autores & arrogantiæ plenos, & qui illam suscipiant amentissimos. Non est nobis animus hoc in loco vniuersam prosequi disputationem: calumnias tantum & mendacia illorum atq; argutiolas manifestas redarguemus, aut potius iam à Catholicis idoneè confutata esse ostendemus.

In Suuinglium & Oecolampadium.

Primùm statuo in eo sacrificio ac sacramento verum esse Christi corpus & sanguinem. Deinde vniuersam Ecclesiam pro re persuasissima semper hoc dogma habuisse. Eramus ergo (vt ita dicam) in pacifica huius dogmatis possessione multis seculis nemine controuersiam mouente, donec repẽtè surrexerunt isti perditi nebulones qui cęperunt penitus obtrudere aduersum dogma: quin amplius dico, miseros istos simul cum cęteris Christianis antequàm segregarent seipsos, catholicam veritatem etiam literis cõmendasse, quod nec ipsi inficiantur. Leuitatem tantum suam, imò potius impietatem excusarunt, tãquàm qui postmodo melius instructi fuerint à spiritu. Ecce quanto illi miseri, & qui eos postmodo sectati sunt, præiudicio detinentur, dum contra vniuersam Ecclesiam & semetipsos olim quando illi consentiebant, se pugnare non verentur fateri. Quis ergo potest his habere fidem & hærere sectando, nisi fuerit amentissimus? Eorum enim alter Oecolampadius egregius apostata, alter verò manifestus Diaboli martyr fuit. Hic est Suinglius, qui in prælio contra spem & vaticiniũ suum fędatus vulneribus quàm infelicissimè interiit.

Quid de sacrificio altaris certò statuendum.

Sacramẽtariorum impostura circa Magistrũ sententiarum. Nunc audi eorum technas, quæso te pie lector. Cum animaduerterent (etsi impudentissimi sint) rem esse ad persuadendũ difficilem, vnum scilicet & alterum hominem rectè sapere aduersum totum Ecclesiam, quę est Christi corpus, quo indoctis saltem atq; imperitis imponerent, dixerunt Petrũ Lombardum, qui Magister sententiarum dicitur, hunc errorem in Ecclesiam inuexisse. Nam ante illius tempora diuersum sensisse Ecclesiam & sanctos Patres, asserere ausi sũt impudentissimi mortalium. Quo commento quid frigidius fingi poterat, quodq; tam manifestè appareret mendacium? Primùm ille Magister non suas profert in eo libro sententias, nec se putauit illud tãquàm propriũ commentum proferre, sed vt certam veterũ Patrum & communem sententiam, vt patet. Nam & isti Rapsodum illum vocãt, qui si rẽ nouã attulisset, tãtæ ne autoritatis erat vnus ille magister in Ecclesia, vt posset aduersus grauissimorum doctissimorumq; Patrum sententias, & ipsius Ecclesiæ Spiritum sanctum eousq; insignem errorem inuehere? Si enim error esset, maximum quidem omnium esse oporteret. Et (quod est incredibilibus) illum nemine sententie, nemine reclamante esse inuectum, imò & summa cum veneratione receptum. Nemo quippe hactenus mutatam fuisse in Ecclesia sententiam circa hanc rem animaduertit. Soli isti noui hæresiarchæ vndiq; oculis pleni, quos Serpens eorum magister nosse bonum & malũ docuit, soli inq̃ isti sapientes hoc viderunt. Prætereà, Demus ita insensibiliter, vt volunt, esse inductam in animos Christianorum hãc tantam hæresim. At diuturna illa consuetudo adorãdi hostiam pręter morem Ecclesię, & contra Patrum sententias, quomodo potuisset & insensibiliter & adeò repentè induci? Itá ne erant grauissimo sopore homines sepulti, vt tantam hanc mutationem non sentirent, & tam facile nemine vel mutiente admitterent? Nonne vident (imò verò vident isti versipelles) se nedum vera nõ dicere, sed nec vlla ex parte vero similia? Hac in parte se magnificant & gloriantur, quòd improbę linguę facultate adiuti potuerint in tam immanibus mẽdaciis & insignibus paradoxis inuenire sectatores: nec istud quidem est magnopere mirandum. Non enim est omnium fides, circumspectio, & iudicium ac pietas. Nunq̃ defuerunt nec defuturi sũt in Ecclesia, qui suis sceleribus tradi in reprobum sensum, & relinqui Satanæ fallaciis & præstigiis mereantur, vt vel in ipsis foribus aberrent. Qui autem tales sunt, in quod præcipitium non corruant?

In quo cõsistat sacrificii controuersia. Verùm vt rei summam breuibus perstringam, huiusmodi controuersia duo continet prima capita. Alterum ea quæ sunt facti cõplectitur, vbi plurima eorũ mendacia plusq̃ manifesta licet colligere. Alterum autem posito iam facto, ad speculationem pertinet veritatis. Itaq; mendacium est luculentissimum & mera calumnia, esse Petri Lombardi commentum, quòd verum Christi corpus & sanguis sit in Eucharistia, quasi ipse vel autor fuerit vel erector huius sententiæ. Ipse enim veterum Patrum sententias recitauit, & inter eas hanc posuit vt certam, & catholicã, & conspicuam, Esse videlicet in Eucharistia verum Christi corpus & sanguinem. Mendacium item & calumnia est manifesta, vllum vnq̃ veterum Doctorum & Patrum qui laudem sunt in Ecclesia consecuti, nec vlla hæreseos macula notati, aliud aliquãdo q̃ quod dicimus ac defendimus, vl' sensisse vel scripsisse. Quare veritas est clarissima, Ecclesiã Dei & verbo & facto vsuq; perpetuo declarasse firmiter se credere ac semper credidisse, in altari panem & vinum mirifica quadam Dei virtute ac omnipotentia per consecrationẽ factam legitimè à sacerdote transubstantiari (vt ita dicam) in corpus & sanguinem Christi, atq; iccircò continuo omnium ecclesiarũ cõsuetudine adoratum esse, & eos qui secus assererent aut opinarentur, fuisse ab ipsa reprehensos. Cum igitur hæc sint (vt verè sunt) luce ipsa clariora, & in sacris literis compertum exploratumq; habeamus, Christum futurum nobiscum vsq; ad consummationem seculi, & Spiritum ipsius sanctum suggesturum docturumq; suas oues omnem veritatẽ, quis adeò excors & infidelis quauis arte aut linguæ potentia valeat nisi perfidis & impiis persuadere, tot seculis Ecclesiam Dei vniuersam in re potissimum tanti momenti tam grauiter aberrasse, vt imprudẽs atq; insciens hũc detestabilem errorem imbiberit, tantũq; scelus, quantum est idolatria, & illud continuũ in omnibus christianis & catholicis Ecclesiis admiserit, nec vllus vnq̃ Maiores Ecclesiæ tanti criminis admonuerit? Quod si quisq̃, vt dixi, secus aliquando opinatus est, talis potinus ab iis qui cõstituti sunt in Ecclesia à Deo in Throno iudicii, tanq̃ hæreticus habitus est & damnatus, quæ cuncta in Sãctorum historiis & Pontificum conciliis quàm latissime patent. Illud solum notissimum de Berengario omnibus satis esse deberet, qui cum hanc impiorum existimationem prædicasset,

non

non esse in altari verum corpus & sanguinē Christi, errorem suum his verbis correxit. Ego Berengarius indignus sancti Mauricii Andegauēsis Ecclesiæ diaconus, cognoscēs veram catholicam & apostolicā fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam de qua hactenus infamatus sum. quæ astruere conatur panem & vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri IESV Christi esse, & non posse sensualiter nisi in solo sacramēto manibus sacerdotum tractari vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ & apostolicæ Sedi: & ore & corde profiteor de sacramentis Dominicæ mensæ eandem fidem me tenere, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus autoritate euangelica & apostolica tenendam tradidit, mihiq; firmauit; scilicet panem & vinum quæ in altari ponūtur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri IESV Christi esse, & sensualiter non solum sacramentum, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frāgi, fidelium dentibus atteri, iurans per sanctam & homousiō Trinitatem, & per hæc sacrosancta Christi Euangelia, eos qui contra hāc fidem venerint, cum dogmatibus & sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse p̄nuntio. Quod si ego ipse aliquando cōtra hoc aliquid sentire aut prædicare præsumpsero, Canonum seueritati subiaceam. Lecto & perlecto sponte subscripsi. Hanc cōfessionem suæ fidei de corpore & sanguine Domini nostri IESV Christi à Berengario Romæ coram cxiiii. Episcopis factam, misit Papa Nicolaus per Vrbes Italiæ, Germaniæ, Galliæ, & ad quæcunq; loca fama prauitatis eius peruenire antè potuit, vt Ecclesiæ quæ prius doluerāt de auerso atq; peruerso, postea gauderent de reuerso & conuerso. Hæc ex fidelissima historia.

Berengarij quōdam sacramentarij abiuratio.

Quis igitur verè spiritualis qui omnia diiudicat, & ipse à nemine iudicatur? Aut quę vera Christi ouis, quæ vocem eius audiat, & alienorum vocem non sequatur, cum ad hos insipiētes incātatores respicit, & voces adeò absonas audit, nō se opportunè verbis Apostoli armet & dicat: Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinē non habemus, sed nec Ecclesiæ Dei? Recolet enim inter alia, Concilium illud celeberrimum sub Innocentio Tertio, quò conuenere totius Vrbis Pastores, vbi de hoc sacramento nonquasi aliquid statuens nouum, sed vniuersalem Ecclesiæ Dei fidem cōmemorans in hūc modum scripsit. Vna est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur: in qua idem ipse sacerdos est sacrificium IESVS Christus, cuius corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate diuina, vt ad perficiendum mysterium vnitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc vtiq; sacramētum nemo potest conficere, nisi sacerdos q̄ ritè fuerit ordinatus secundum claues Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis eorumq; successoribus IESVS Christus: hæc ibi. Quis igitur aduersus hæc aperire os audeat, nisi fuerit de semine Serpētis maledicti? Neq; verò sugilare quisq̄ potest, concilium illud fuisse paucorum, cum ex omni natione quæ sub cęlo est, ad illud fit concursus factus. In primis adfuerunt duo Patriarchę magni, Constantinopolitanus & Ierosolimitanus. Metropolitani septuaginta. Episcopi quadringenti & duodecim. Abbates & Priores diuersorum ordinum octingenti. Legati autem vtriusq; Imperatoris Græcorum & Romanorum, & Regum Ierusalē, & Franciç, & Hispaniç, & Angliæ, & Cypri oratores. Itaq; nonne prorsus excors & impos mentis, nec vllam fidei guttam retinens nec prouidentiæ Dei persuasionem, qui vel suspicari possit Spiritum Dei sanctū à tot Pontificibus ac sacerdotibus Dei pro more in tanta Synodo inuocatum, in re tam graui vel obdormisse tūc, vel dum vigilaret permisisse vt tantus error pro veritate confirmaretur, impietas pro pietate, idololatria pro summo Dei cultu & maximo fidei nostræ præsidio acciperetur? Voluisse autem Suinglio & Oecolāpadio & huiusmodi apostatis & impuris spiritibus veritatem suggerere? Si quis vim argumenti & rationis huius non sentiat, quid (rogo) mendacii, quid p̄ponetur absurdi quod mox deuorare non possit? Sed immūdorum animalium hoc proprium est, & eorum hominum qui ruminare nesciunt nec habent vngulas fixas, aduersus quos frustra effunduntur verba. Neq; enim est hominis corrigere, quem Deus (teste Scriptura) despexerit. Videri quidem possent hi perfidi aliquid credere de Christo: At re vera nihil prorsus credunt, cum sint à Dæmone obcęcati.

Nota immane absurdum.

Sed ne quis paulò molestior dicat: At isti argumenta de Scripturis sanctis obiectant,

quibus innituntur & responsum postulant, paucis rem explicabo. Primùm ab iis quęro; An Scripturæ nuper sint ortæ, & ad hos solummodo nouellos magistros peruenerunt? Etenim nos, nos inquam ipsi verè iureq; nostro à Scripturis sanctis hanc de sacrificio & sacramento sententiam ac fidem nostram cōprobari asserimus. Testimonium autem ab ipso intemerando Christi verbo nos accipere, & illos esse Scripturarum violatores in suū ipsorum caput qui cōtradicunt, profitemur. Nam quis adeò fatuus, si parumper seriò cogitet, persuaderi valeat vniuersam Ecclesiam non dico in re ipsa modo, sed in intellectu ipsarum Scripturarum fuisse deceptā, & nūc tandem Deum Patrem hos apostatas solos tanquàm Spiritu suo afflatos misisse interpretes ac doctores veritatis? Quasi verò hæc opinio cum iis rationibus quas proferunt, nunc demum cognita sit Ecclesię, ac non iādudum perspecta satis atq; cum anathemate explosa. Certè in vniuersa disputatione nihil noui prorsus afferunt, quod non fuerit anteà ab impiis excogitatum, & à piis egregiè reprehensum & confutatum. Tantum quę alii prædixerant, isti fucatis quibusdam & cauillosis coloribus adumbrant, quos à Diabolo proculdubio didicerunt. Addunt fortassis aliqua, sed multò infirmiora quàm priores, quæ (testor Deum) præ stomacho & fastidio ob eorum indignitatem tędet cū seriis admiscere: sed propter curiosos, & vt posteri humanam imbecillitatem defleant, & quātum valeat Diaboli potentia ad dementādos homines considerent, producam fideliter nonnulla ex horum commentis, & ostentui ponam.

Argumenta Oecolampadij contra sacrificium, & eorū confutatio.

Primùm ergo Oecolampadius exordiēs, aduersus Magistrum sententiarum inuehitur qui hanc impietatem, quæ Christi corpus esse in altari non verè, sed dumtaxat sicut in signo asserit, hæresim damnatam dixerit. Sed pręstat ipsius Magistri verba producere, ait. Sunt item alii præcedentium insaniam transcendentes, qui Dei virtutem iuxta modum naturalium rerum metientes, audacius ac periculosius veritati contradicunt, asserētes in Altari non esse corpus Christi vel sanguinem, nec substantiam panis & vini in substantiam carnis & sanguinis conuerti, sed ita Christum dixisse, Hoc est corpus meum, sicut Apostolus dicit: Petra autem erat Christus. Dicunt enim ibi esse corpus Christi tātum in sacramento, idest, in signo: & tantū in signo manducari à nobis. Qui errandi occasionem sumunt à verbis Veritatis, vnde prima hæresis facta est in discipulis Christi. Cum enim diceret: Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinē meū, non habebit vitam æternam, Illi non intelligentes dixerunt: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Et abierunt retrò. Illis discedentibus instruxit duodecim qui remāserant. Spiritus est, inquit, qui viuificat, caro nihil prodest. Verba quæ loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Intellexisti spiritualiter, spiritus & vita sunt. Intellexisti carnaliter, etiam sic spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt, spiritualiter intellige quæ loquutus sum. Non hoc corpus quod videtur, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinē quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui, spiritualiter intellectum viuificabit vos: caro autē non prodest quicq̄. Sunt etiam & alia illorum insaniæ fomitem ministrantia. Ait enim Augustinus: Donec seculum finiatur, sursum est Dominus: sed tamen hîc nobiscum est veritas Domini. Corpus enim in quo resurrexit, in vno loco esse oportet. Veritas autem eius vbiq; diffusa est. Item: Vna persona Deus & homo, vbiq; per id quod est Deus: in cęlo per id quod est homo. Christus etiam dicit: Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. His aliisq; vtuntur præfati hæretici in assertione sui erroris. Hæc magister. Et re vera nihil aliud isti proferunt ad viuificādam hāc hæresim mortuam.

Prima igitur controuersia est de illo Christi verbo: Manducate, Hoc est corpus meū. Catholici enim obseruatores verbi Domini, & spectatores omnipotentiæ eius, & quod traditionibus Patrum ab initio nascentis Ecclesiæ acceperunt persanctè retinentes, extra tropum accipiunt hoc Domini dictum, & de eo quod in mysterio sub speciebus panis latebat, asserunt Christum pronunciasse quod verè esset corpus suum. Heretici verò, quos sanè sub Capernaitis iure agnoscimus, clamant: Durus est hic sermo, & quis potest eū audire? Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Quia tamen nolunt videri à Domino palàm discedere, vt perfidiam suam possent obtegere, aiunt perinde verba illa tropum habere, atq; illa: Petra autem erat Christus, hocest, Petra significabat Christum. Sic in re proposita, demōstrato pane (inquiunt) Dominus dixit: Hoc est corpus meum, idest, hoc qd verè est panis, significat corpus meū. Hactenus si nihil aliud spectaremus, æquum

rogo

rogo lectorem, imò ipsorummet contradicentium requiro de bona cõscientia sententiam, cum de aliquorum verborũ sensu quęstio est, & aliquis proprium sensum quẽ verba faciunt accipit: alius verò ad tropum recurrit, cęteris rationibus atq; argumentis interim sepositis, quis (rogo) sensus magis probandus est? Is'ne qui ex ipsa verborum proprietate claré percipitur, an verò ille qui ex tropo? Equidem nec ipsi sententiam rogari tam essent impudentes, vt auderent dicere potius esse eligendum sensum figuralem ex tropo, quàm proprium ex ethymo vocabulorum acceptum. In meliore igitur sumus conditione, nisi afferant rationes quibus se cogi ad tropum dicant. Et istud quidem conantur quantum possunt verbis quidem multis, sed pondere leuissimis. Nam cũ duplex sit illis via ad suadendum tropum, si primam ingredi volunt, quæ est & philosophorum naturalium, quoniam arbitrantur nullo id pacto posse fieri vt ibi sit corpus Christi, ac simul in mille hostiis, & in cęlo, & panis vinìq; accidentia manere sine subiecto, si inquam hoc omninò non posse fieri à Deo dicant, Dei viuentis omnipotentiam negãt; cum nullam in huiusmodi facto ostendere valeant cõtradictionem, quemadmodũ doctissimi Philosophi nostri docuerunt. Si aũt secunda via manducationem carnis Christi esse impossibilem sustinent, quo modo nos dicimus eam manducari, videlicet spiritualiter in sacramento, etiam mendaces sunt, & in luce meridiana allucinantur.

Svuinglij argumentum refellitur. Nolo omittere hoc in loco argumentũ Svuinglii, quo putauit infelicissimus mortalium nos confundere, vt ex illo qualia sint reliqua valeat acutus & pius lector ęstimare. Nondum vident, inquit, simul stare nõ posse, corpus esse, & spiritualiter edi. Sic enim diuersa sunt corpus & spiritus, vt vtrumcũq; accipias, non possit alterum esse. Si spiritus est (quod in quæstionem venit) iam certa relatione contrariorum sequitur corpus non esse. Si corpus, iam certus est qui audit, spiritum non esse. Vnde corpoream carnem spiritualiter edere, nihil est aliud quàm quod corpus sit, spiritum esse asserere. Hæc ille & continenter. Hæc de philosophorum fontibus contra istos adduximus. Ego verò hoc in loco nescio quid magis in hæresiarcha admirer atq; detester, impietatem'ne in peruersitate dogmatis, an arrogantiã in summa inscitia, si modo per inscitiam, & non per nequitiam potius ad eum modum paralogizauit abusurus lectorum hebetudine aut oscitantia. Quorum vtrumuis fuerit, impudentissimum sese ostentat, seu quem tanti erroris (si fallitur) non pudet, sin autem fallit, tanti sceleris. Qua enim consequentiarum regula egregius hic Philosophus vnq̃ educet, oportere esse spiritum & non corpus, quod spiritualiter manducatur? Pari modo ergo quodcunq; spiritualiter iudicabitur, oportebit esse spiritum. O insaniam risu dignam, nisi in re nimis sancta ac tanti ponderis risus hic versaretur. Si autem manducare spiritualiter corpus Christi, non est aliud quam (vt ponimus) sumere ipsum sub speciebus sacramenti, fidem ibi & spem & charitatem nostram exercendo, credẽtes eum esse panem spiritus & vitam animæ nostræ, & id in nobis agi quod mysterio significatur, qui proponitur vt cibus noster, non qui nostra virtute conuertatur in nos, sed in quem sua virtute nos sic edentes conuertimur, equidẽ non video qua dialecticæ ratione sequatur, corpus non esse corpus.

Sed audi aliud eiusdem Svuinglii argumentum. Paulò antè dixerat aduersum nos. Cum ergo fides nec à sensu aut ratione proficiscatur, nec in res sensibiles tendat, facilè deprehenditur quomodo secundo loco errent. Secundo ergo sic errant, quòd fidem ad res sensibiles trahunt, & per istas certitudinem adferri perhibent, cum nihil sit opus. Quæ enim sensu percipiuntur, iam fidei nihil debent. Quod enim videt qs, quid sperat? Sensibilia enim sunt quæ sensibus apposita sentiuntur. Videamus nunc quàm probè ista sibi mutuò cõueniant. Fide credimus corpoream sensibilemq; carnem Christi hîc adesse. Fide creduntur res à sensu remotissimę: corporea verò omnia sic sunt sensibilia, vt nisi sentiantur, corpora nõ sint. Disparata igitur sunt, credere & sentire. Attende igitur quale mõstrum orationis hoc sit: Ego credo me sensibilem & corpoream carnem edere. Nam si corporea est, fide opus non habet, sentitur enim. Quæ autem sentiuntur, fide nõ egent: sensu enim certissima esse sentiuntur. Contra verò, si credis te edere, iam non potest esse sensibile aut corporale quod credis. Nihil ergo aliud quàm portẽtum dicis. Hæc egregius iste hæresiarcha verè portentum & sine fide penitus, qui ea profert quasi oracula, quæ nemo queat probare nisi stultissimus, nemo recipere nisi impius. Primùm ait: Fides nõ pficiscitur à sensu. Et B. Paulus ait: Fides est ex auditu. Et *Rom. 10.* Christus dixit Thomæ: Quia vidisti me, credidisti. Tum ait quòd nec à ratione profici-

scitur. Quasi verò etiam humanæ rationes non disponant ad fidem, cum per illas credibilia ostenduntur quæ credimus. Tertiò addit, quòd fides in res sensibiles non rendit. Ergo hic homo non credidit Christum fuisse in vtero Virginis conceptum, & inde natum, & crucifixum, & sepultum, & resurrexisse ex mortuis: quia hæc omnia inter sensibilia numerantur. Præterea, docet corporea ita esse sensibilia, vt nisi sentiantur, corporea non sint. Hæc verò contra Aristotelem & rationem logicam manifestè blaterat, quam vel pueri norunt. Non enim sublato sensu aufertur corpus: sed bene econtrariò, sublato corpore aufertur sensus. Si dixisset: Quod sentitur, non creditur: verum quidē dixisset. At nos non dicimus sentiri, idest, sensu percipi à nobis corpus Christi in sacramēto: sed ibi insensibiliter illud præsens esse credimus, & hoc credimus, quia ipse ita dixit. Quanq̃ re uera mens spiritualis spiritualiter eius corporis præsentiā à spiritualibus effectibus, quos ipsa experitur, pleruneq; sentit, iuxta illud: Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo nouit nisi qui accipit.

Apoc. 2.

Non igitur quicq̃ impossibile dicimus, asserentes in sacramento præsentiā corporis & sanguinis Domini.

Quare omittētes ab impossibili, nituntur nos euincere ab huiusmodi absurdo. Si comeditur, inquiunt, corpus Christi, nihil prodest. Dicit enim Dominus: Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicq̃. Hic est Achilles quo omnes aduersariorum phalangas fugari, imò cōfodi & confici existimāt hi Thrasones milites gloriosi, quasi nuper istud excogitauerint. Sed audiat, quæso, pius ac prudens lector, & videat an potius suis propriis telis acriter expugnētur. Quæro enim à vobis, ò tu Svuingli, & tu Oecolampadi, Nonne iubet Dominus manducari suam carnem, & bibi suum sanguinem? Nonne ait: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus? Facite ergo nobis veras has Domini sententias. Si ipsius caro verè est cibus, ergo aliquo modo comeditur: quia verus est ille cibus qui aptus natus est re ipsa verè comedi. Si verè comeditur, nunquid spiritualiter, an carnaliter? Si dicitis, carnaliter comedi: hîc aduersum vos iure obiiciam, Caro non prodest quicquā. Sin autem dicitis spiritualiter: quid est ergo quod tu ais stolide Svuingli, nō posse quod est corpus, spiritualiter comedi, sed solum quod est spiritus?

Ioan. 6.

Rursum resumite spiritum si valetis, aut pro vobis illi Dæmones respondeant si possunt, qui vos tam perditè seduxerunt & assatim rident. Quando Christus dixit: Caro mea verè est cibus, loquutus'ne est de carne sua, an non? Vultisne eum de communi pane illo vestro, quem vos dicitis esse symbolum carnis, potius esse loquutū? Si postremum dicitis, qua grammaticæ ratione, rogo, aut qua figura dictum vestrum defendetis? Non enim ibi tum cum loquebatur, aderat sacramentum, aut communis panis, vt dicere valeatis carnis vocabulo appellasse communem panem: quia per illum panem caro eius significabatur. De carne ergo sua vera dicebat quòd erat cibus verus. Aliter autē accipere, quid est aliud quàm verba peruertere? Nam Dominus verè de sua carne loquitur, & de pane non communi, sed de eo qui de cęlo descendit viuo & vero qui dat vitam mundo, quæ certè conditiones non sunt panis vestri. Si igitur verè loquitur de carne sua, vt non potest negari, & dicit de illa quòd est cibus: Dicite nobis illusores, quomodo verum reddetur non prodesse quicq̃, si illa caro est cibus, cum certissimum sit cibum prodesse? Caro ergo prodest qcq̃. Quod si proteruè panem illum communem pro carne intelligatis, quo pacto fieri potest, si caro non prodest quicq̃, vt panis ille communis prosit? An non portenta hæc sunt, vt vester panis plus valeat quàm caro Christi panis verus, viuus & cęlestis?

Ad hæc, Quando Dominus dixit: Nō Moses dedit vobis panem verum, sed Pater meus est qui dat vobis panem de cęlo verū, de quo qui manducat viuit in ęternū: nōne panem quem dat nobis Pater, ab illo pane quem dedit Moses hac nota distinxit, quòd ille quidem panis, hoc est, illud manna non erat panis verus, sicut ille panis quem dat nobis cęlestis Pater? Hoc ergo posito quòd illud manna non esset panis verus, qua vos arte aut facundia efficietis illud manna non fuisse panem verum, vestrum autem panem esse panem verum, cum æquè vtrumq; sit signum tantum? Imò illud etiam lōgè aptius ac mirabilius signum, quia de cęlo cadebat, vt deterioris conditionis sitis quàm Iudæi. Pręterea, Ostendite nobis manducationis modum huius panis veri qui est caro Christi. Si dicitis, In signo siue in symbolo. Et nos ēt dicimus in signo & symbolo nos manducare Christi carnem & sanguinē. Quare hoc nos amplius dicimus, sub illis speciebus esse carnem & sanguinem, cuius carnis aut sanguinis præsentia quid (quæso) obest ne mā-

ducari

ducari & bibi valeant vera caro & verus sanguis spiritualiter? Si enim absque sui praesentia manducatur Christus, vt necesse est vos concedere, quid illius praesentia in sacramento obstabit, quo minus similiter possit spiritualiter manducari? Etenim quando nos dicimus sumi & manducari carnem Christi, & tractari lingua & dentibus frangi, & in ventrem traiici, re vera de ipsis speciebus intelligimus, circa quas ad sensum haec fiunt, & nihilominus in iis significatur id quod spiritualiter fit, fieri que de ipso Christi corpore credimus. Nam illo pacto edentes, de eius plenitudine participamus, & quodam modo illum frangimus & in ventrem traducimus, idest, in viscera charitatis, vbi recipitur vita spiritus. Et ad hoc spectat confessio Berengarii, quam tamen isti phanatici impiè, & ineptè, atque calumniosè derident, quum ait: In altari post consecrationem nō solum esse sacramētum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri, & sensualiter non solum sacramentum, sed in veritate tractari manibus, & frangi, & dentibus atteri. Nemo enim sic insanus intelligit (nisi fuerit Capernaites) veram Christi carnem manibus frangi & dentibus atteri, sed secundum mysteriū. Ipsę quidem species franguntur & atterūtur sensibiliter. Et quod de illis dicitur & fit secundum carnalem sensum, id de Christi carne verè intelligitur fieri secundum efficientiā spiritualem, vt omnes sancti & catholici viri semper declararunt.

Caro nō prodest quicq̄, quomodo intelligendū

Rogabit fortè aliquis, Quid est ergo tādem quod ait Dominus: Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam? Respōdeo, claram esse eius loci intelligentiam, nisi velimus esse proterui. Pollicitus erat Dominus se daturum nobis carnem suam ad manducandum, dicens: Panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Quo audito cęperūt litigare inter se Iudaei & dicere: Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Cogitabant enim (quemadmodum sancti expositores sanè animaduerterunt) Dominū intellexisse de manducatione carnali, secundū quam manducantur carnes animalium lacerando, & praecidendo illas dentibus, ac mādendo & traiiciendo in ventrem. Propterea ineptum hunc eorum sensum improbās Dominus ait: Caro, scilicet ita comesa, non prodest quicq̄. Nam sic tractata carnaliter, vt alia quaelibet caro accipitur, nihil prodesset ad vitam spiritualem. Eadem tamen caro si cogitetur vt caro singularis in qua habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, & sic in mysterio sumatur ac manducetur fide, nedū non prodest quicq̄, sed omninò multum prodest: quoniam vitam aeternam praebet mundo. Spiritus enim qui est in carne illa, viuificat carnem, & consequenter viuificat quicquid spiritualiter, idest, per fidem & charitatem illi carni adiungitur. Nos autē qui spiritu illi adiungimur, & non per modum carnalem, spiritualiter sumus ex ossibus eius & ex carne eius. Vnde dixit Dominus: Verba quae ego loquutus sum vobis, spiritus sūt & vita, idest, illud quod verbis meis significatū est de carne mea, & de effectu illius mirifico, spiritus sunt & vita, idest, spirituale quoddā sunt, quod si vt spirituale accipitur, vitam dat. Et ideò spiritualiter accipiendum & examinandū est, non carnaliter: quia spiritus est qui viuificat. Nam quemadmodum homo secundum carnem suo modo manducat carnes vt viuat carnaliter: ita idem homo habet modum suū manducandi Christi carnem secundum spiritum, vt viuat spiritualiter. Et tamen non desunt qui nolunt adhuc intelligere, sed scādalizantur & abire cupiūt. Quid iam cum istis facias, nisi vt sinantur perire, postquam ita volunt? Dominus illis olim dixit. Hoc est quod vos scandalizat, quia dixi: Nisi manducaueritis meam carnē, & biberitis meum sanguinem non habebitis vitam in vobis. Hoc ergo est quod vos scādalizat? Quid si videritis Filium hominis ascendentem vbi erat prius? Spiritus est qui viuificat &c. Considera lector quomodo probat virtutem suae carni inesse, sed à spiritu. Quid si videritis, ait, carnem hanc meā glorificatam, ita vt cum illa in cęlum ascendam & collocem à dextris Dei, nōnne tunc agnosceretis in ea inesse virtutem & vitam, vt & qui adhaereat illi carni, etiam similiter viuat? Nō quidem quasi caro id habeat à seipsa, sed à spiritu qui est in illa. Hoc non capiunt isti Infideles Capernaitae. Nunc videamus caetera quae istis absurda videntur. Nam verè in hoc nouo & admirando modo manducandi Christi carnem sub speciebus spiritualiter, dum species ipsae manducantur, nihil habet absurdi, nisi fortè aliquid indecentiae.

At quosdam conturbant tot & tanta miracula quae circa hoc Domini corpus asserūtur, si ita se habeat vt à nobis ponitur, nimirū conuersione aut transubstantiatione adeò admiranda, vt vbi erat modo communis panis, ibi mox adsit panis cęlestis, Christi verū corpus, nec illius panis substantia adsit ibi vlterius, nec sit annihilatus panis ille, & quòd

Notandum

corpus tantæ quantitatis ſit in qualibet hoſtia, & qualibet eius particula, & ſimul in innumerabilibus hoſtiis, & interim idem in cęlo, nec vlla ſui mutatione ſaltem locali præſens fiat in hoſtiis, & corpus alioqui viſibile ibi non videatur, & ſenſibile non ſentiatur, & maneant accidentia ſine ſubiecto, & iis nutriatur homo, & alia quæ hinc conſequuntur admiranda, iſti ferre nō poſſunt. Quaſi verò non hoc ſit Dei facere admiranda. Nec enim intelligunt quid prædixerat Spiritus in pſalmis: Memoriam fecit mirabilium ſuorũ miſericors & miſerator Dominus, eſcā dedit timentibus ſe. Spiritus ſanctus pollicetur admirabilia in hac ſua eſca ſancta, & ii propterea faſtidiunt & nauſeant, quia ſunt admirabilia. An non hoc eſt mittere margaritas ante porcos, & ſanctũ offerre canibus? Pertinebat ſiquidem ad Dei prouidentiam hæc facere mirabilia, & oſtendere nobis. Quis enim crediꝺiſſet hæc poſſe fieri, niſi etiam feciſſet? Philoſophi naturales qui ſolùm ex elementis huius mundi cenſent & diiudicant omnia, cum hæc ipſa proponuntur poſtq̃ facta ſunt & facta eſſe dicuntur, etiam fieri poſſe non credunt. Quid dicturi eſſent ſi nec facta vnq̃ eſſent, nec eſſe facta dicerētur? Pertinebat & ad bonitatē Dei vt eſſet nobiſcum, ſicut promiſit, ſecundum ſuũ corpus realiter, vt hoſtes noſtri inuiſibiles tantum ducem nobiſcum eſſe præſentem intuentes contremiſcerent, & à nocendo deterrerentur. Nos autem pleniorem haberemus cōfidentiam & ſolatium in præſentia eius q aſſiduè ait: Ego ſum &: Vobiſcum ſum, nolite timere. Pertinebat ſimul ad bonitatem eius & ſapientiā, ſalua ſua dignitate ſic ſe demittere & inclinare ad modulum noſtrum, vt per modum cibi in ſacramento ſenſibili ſe præberet communicandum. Pertinebat itē ad ipſius corporis Chriſti dignitatem & maieſtatem, tot illud eſſe gratiis & priuilegiis donatum, vt cognoſceremus illi cedere & omnem creaturam, & omnem naturę rationē.

Reliquum nunc eſt, vt incredibilem iſtorum ſiue impudentiam, ſiue peruicaciam ſolummodo commemorem, qui ſumma & incredibili arrogātia auſi ſunt aliquot ſanctorũ Patrum, & præſertim B. Auguſtini ſententias in ſuum vſum vel inuitas trahere. Quia verò clariſſimus noſtræ ætatis martyr D. Ioannes Roffenſis Cardinalis hanc malignitatem patefecit & egregiè confutauit, non addam verbum. Solùm monebo lectorem, ne ab horum fallaciis ac præſtigiis capiatur, ſed vt technas & dolos agnoſcat, conſideret tribus viis iſtos, dum Sanctorum innituntur ſententiis ad decipiendum, vti ſolitos. Prima eſt in reticendo ac detrahēdo quę in illis contra ſe apertè militare perſpiciunt. Qua in re ſummam eorum nequitiam deprehendere licet, non veritatem ſectantiũ, ſed mendacium obtrudentium. Secunda eſt, quoniam plerumq; verba falſò producunt, nedũ falſò interpretantur, in quo etiam magis ꝑdunt ſeipſos. Tertia, quoniam putant euerti ſententiam noſtram per id quod nos non minus quàm illi confitemur, nec tamen ab illis didicimus. Statuunt enim teſtimoniis B. Auguſtini, Cryſoſtomi, & neſcio quorundam aliorum, Chriſtum eſſe in ſacramēto ſicut in ſigno, opponitur autem ſigno veritas. Si igitur eſt vt in ſigno, non ergo re ipſa & in veritate. Et hîc ſibi encomium ante victoriam cōcinunt glorioſum. Nos aũt dicimus non quaſi diſputantes in illos, ne qs calumnietur nos eorum argumentis coactos ſic nunc dicere. Idem .n. aſſeueramus quod olim & ſemper docuit Eccleſia, nimirum Chriſtum eſſe re vera in ſacramento, cum in veritate ibi ſit corpus eius verum. Et cum ita ſit, eſt nihilominus ſicut in ſigno, & ſicut ſignum: quoniā per illas ſpecies quibus quodam modo continetur, ſignificatur corpus Chriſti myſticũ, imò & ipſe idē Chriſtus ſignificatur qualis ſit nobis nũc, & qualis futurus in patria, ſcilicet animæ noſtræ cibus & potus ſpiritualis. Itaq; quādo dicunt: Signum & veritas opponuntur, Fatemur. Et cum addunt: Ergo in eodem non poſſunt concurrere, etiam fatemur, ſi tamen ſecundum idem & eodem modo intelligamus. Opponitur enim pater & filius relatiuè, & tamen in eundem hominem reſpectu diuerſorum concurrit, vt ſit idem pr̄ & filius. Nihil ergo prohibet Chriſtum re vera eſſe in ſacramento, & tamen ſecundum quod ibi eſt, eſſe ſignum alterius veritatis de ſemetipſo. Nam & Cruci re ipſa affixus fuit aliquando, quo tēpore nihilominus ſignum erat corporis peccati quod in eo crucifixum fuit. Et cũ infans inuolutus eſſet pannis, in hoc etiam myſterio declaratus eſt paſtoribus Saluator, vt ſignũ ſui ipſius, dicente Angelo: Et hoc vobis ſignum. Inuenietis Infantem pannis inuolutum & poſitum in præſepio, cum nihilominus eſſet veritas ipſa. Sic in re ꝓpoſita, corpus Chriſti non ſimpliciter ſignum eſt ſuiipſius, ſed quatenus nunc latens & ſic exiſtens, ideſt, ſub ſpeciebus panis & vini, ſignum eſt quòd ipſemet eſt cibus noſter & potus. Quid igitur, quæſo, abſurditatis habet hic ſermo

D. Ioānes Roffenſis Card. & Martyr.

Aſtus hæreticorum.

o Serpentes

ô serpentes reguli & illusores? Illusores, inquam, eorum tamen dũtaxat qui volũt illudi, & hoc iure optimo merentur. Nã discedũt à disciplina Patrum suorum, & legem matris suæ Ecclesiæ sanctę contra mandatum sapientis dimittunt. Prou. 1.

Possem huc afferre catalogum Patrũ innumerabiliumq; catholicorum autorum, q ab Ecclesiæ incunabilis hanc nobis contestati sunt veritatem. Sed quoniam ante nos copiosissime ac excellentissime id præstitit (vt paulò superius diximus) ille doctissimus sanctæ ac recolendę memoriæ D. Ioãnes Roffensis, si quis curiosus & adeò peregrinus in Ecclesia reperiatur qui hoc ignoret, tanti Martyris libros consulat. Nam si quis non fuerit prorsus amens, cum certissimum sit semper in Ecclesia adoratũ esse à Catholicis Christi corpus in Eucharistia, & iussum esse à Patribus adorari, in quo cultu ꝑstata est Ecclesia fidem suam: si quis inquam non fuerit prorsus amens, hac sola ratione poterit persuaderi ibi esse Christum, cum alioqui communis panis non sit adorabilis. Neq; enim huius consuetudinis initium possunt hæretici esse à nobis datum obtendere, sed fateri coguntur continuò ab ipsis ipsius Ecclesiæ exordiis fuisse institutum. Et hoc satis pro mille testimoniis.

Lutheri insania Quod verò Lutherus dixit, esse quidem corpus verum in sacramento, et nihilominus manere panem communem: imò (quod perhorresco referens) de illo pane propriè verificari verbum illud Christi, Hoc est corpus meum, non iam disceptationẽ admittit, sed detestationem cunctorum hominum & execrationem in illum concitare debet, cum nõ sit vlla maior blasphemia, quàm insensatiuæ creaturæ hunc diuinum honorem tribuere, quòd verè dicatur & sit corpus Christi, quod nec Angelis datum est. Fieri verò transubstantiationem in eo mysterio, declaratum est in magno illo Lateranensi Concilio, vt vidimus: ac rursum in Florentino. Quę Cõcilia si quis repudiauerit, nónne quodlibet pari temeritate poterit spernere, & vniuersa q̃ sunt fidei contaminare?

Porrò, Quod etiam pleriq; addunt, non esse adorandum Christi corpus in Eucharistia, quamuis ibi verè existat, contumelia est pari cũ stultitia coniuncta. Et verè sunt dogmata quæ in disputationem nullo pacto venire permittenda sunt, vt quæ seipsa satis expugnent. Si enim verum est ibi Christi corpus, cur non adorandum? Missam igitur faciamus impietatem hanc, quam meritò summa comitatur insania. Nunc ad rem nostrã.

De hoc pane qui est nobis modo propositus in veritate ad vescendum, aliquandò autem in solis signis, proculdubiò in primis accipio & intelligo esse dictum: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia puluis es & in puluerẽ reuerteris.* Significat ergo quòd post illud tẽpus vescemur pane illo non in sudore vultus: quia nõ erit latens vt oporteat sudare, idest, captiuũ reddere intellectum in obsequium fidei, sed ad faciem contemplabimur beatorum Spirituum facti sodales. Nec enim tum oportebit nos illum nobis operari manibus, sicut dum sumus in via, dicente Domino: Operamini Ioan. 6. cibum qui non perit: sed vltrò nobis se ipse offeret nõ absuturus vnquàm ab oculis cordis nostri, cui laus & honor in secula.

Potest & locus hic diuinæ sentẽtię in Adã alias recipere expositiones & similiter veras. Explico vnam, vt appellatione terræ etiam intelligatur mulier, quæ quasi terra concipit ac producit fructus, gignens ac proferẽs homines in hunc mundum. Vbi enim in primæuo statu protulisset innocentes, & gratia Dei ac iustitia decoratos, postmodo sic effecta fuit ob Adæ inobedientiam, vt proferret filios iræ. Sic est maledicta hæc terra, sed *in opere tuo* (inquit Scriptura) tacitè innuens futuram quandam terram opere humano minime excolendam, quæ etiam fructum pareret benedictum, eo quòd seruata esset à Deo, vt ille solus eam persanctè atq; admirabili puritate excoleret. De hac autem terra scriptũ est: Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob. Et iterum: Veritas Ps. 84. de terra orta est, & iustitia de cęlo prospexit. Et iterum: Dominus dabit benignitatem, & terra dedit fructum suum. Hac igitur vna Muliere excepta, in quam nullum de facto vnq̃ cecidit maledictum, omnis alia maledicta fuit à Deo ex semetipsa in opere viri, & ꝓpterea apta nata ex se proferre spinas ac tribulos, idest, peccato obnoxios & iræ filios. Nec istud quidem negamus de Anna matre Dominæ nostræ: attamen propter benedictum fructum sui ventris dicimus eius filiam gratiosa & priuilegiata præseruatione perpetuò benedictam fuisse, vt dignè posset omniũ benedictionem concipere ac parere.

In labore comedes ex ea. Quàm sit vera hæc sententia sciunt qui experti sunt. Et si.n. quippiam sit dulcedinis in coniugio, tanta tñ incommoda, tot labores ac dolores permiscentur, vt prudenter dixerint Apostoli: Si Matth. 19. sic est causa coniugii, non expedit nubere.

O

Non sic autem fuisset ab initio. Porrò non recensebimus hîc virorum labores ac dolores quos mulierum causa subire & deuorare coguntur, cum per se nimis pateat. *Omnibus diebus vitæ tuæ*: quia nunquàm nisi morte soluitur matrimonium. *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Et istud est euidentissimũ: quoniam gignit filios iræ, contumaces, proteruos, ad nequitiam ac libidinem pronos, vt verè spinæ & tribuli vocẽtur & sint suapte natura omnes partus fęminarum. Qui verò non sunt huiusmodi, id ex gratia & ex dono Dei assequuntur. Vna illa singulariter excepta fuit ab hac sententia, de qua scriptũ est: Sicut lilium inter spinas, sic Amica mea inter filias. Quæ sententia nisi de illa benedicta Virgine exponatur, vix potest alium sensum recipere. Quas enim nominare potest Sponsus filias, nisi animas quas regenerauit in Cruce? Has tamen spinas vocat, quandoquidẽ omnes nascimur peccatores, & procliuitatem ad peccatum secundum carnem habentes, excepta vna illa sola quæ ob excellentem gratiam, si nobiscum conferatur, ita se habet coram sponso, sicut lilium, siue rosa, aut viola odorifera inter spinas. Præterea considerandũ est in hac Domini sententia fuisse confirmatum in eis matrimonium. Nam eius fructus prædixit, & illud apprimè intellexerunt primi parentes, quos hoc scire ad aliorum instructionem erat necessarium.

Et comedes herbas terræ, idest, agrestes herbas. Multa quippe deuorare vir prudens ex hac terra cõpellitur quæ sunt muliebria & agrestia, de qua re non opus est longo sermone tractare. Est item alia expositio & vera, quę appellatione terræ etiam humana corda intelligit, quemadmodum in parabola seminis nobis indicare dignatus est Dominus, quæ excoluntur quasi terra per disciplinã. Fuissent autem ab initio omnes homines dociles Deo, & omnium disciplinarum absq; errore capaces secundum intellectum: secundũ voluntatem quoq; fuissent Deo subiecti, & in omnibus animę viribus adfuisset ordo & trãquillitas absq; peccato. Post peccatum autẽ terra hæc, idest, corda nostra fuerunt maledicto subiecta, ita vt cum maximo labore nũc colantur, & spinas ac tribulos, idest, errores & peccata continuè nobis pariãt. Spinæ.n. & tribuli in Scripturis errores & peccata, & errantes & peccatores, & quæ ad errorem & peccatum ducunt homines, significant, quales sunt diuitiæ & vitę huius solicitudines, sicut apertè declarauit Dominus in ea parabola, diuitias & vitę huius solicitudines spinas appellans. Quo ĩn loco contemplemur, quæso, huius maledicti conditionem, quãto cum labore capiamus fructus veritatis ex cultura mentis nostræ, vt nemo mortalium vnq̃ adeò felix ingenio extiterit, qui in cultura terræ suæ, idest, cordis & mentis, quantacunq; fuerit illi bonitas ingeñii, quantacũq; vigilantia & industria, non seuerit ibi spinas aliquas & tribulos, fallacias scilicet & errores, nisi quatenus desuper exculta fuerit à Spiritu sancto. Hanc infelicitatem considerans illę optimus pater & doctissimus Põtifex Augustinus non immeritò tam sæpè aiebat, nulli autorum esse accommodandam omnimodã fidem, nisi Spiritui sancto, & iis quos certum est non voluntate humana, sed illius inspiratione esse loquutos. Quamobrẽ ad B. Hieronymum pulchrè in hunc modum scripsit: Ego fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, vt nullum eorum autorem scribendo aliquid errasse firmissime credam. At si aliquid in eis offendero literis quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, vt q̃ntalibet sanctitate & doctrina prępolleant, nõ ideò verũ putem quod ipsi ita senserunt: sed quia mihi vel per illos autores canonicos, vel ꝓbabili ratione quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliquid aliter existimo. Prorsus inquam non te arbitror sic legi libros tuos velle, tanq̃ Prophetarum vel Apostolorum, de quorũ scriptis quod omni errore careant, dubitare nefarium est. Absit hoc à pia humilitate & veraci de temetipso cogitatiõe. Hęc ille veritatis amator. Et ad Marcellinum sapientissimè ita scripsit. Si enim mihi Deus quod volo pręstiterit, vt omnium librorum meorum quæcunq; mihi rectissimè displicent, opere aliquo ob hoc ipsum instituto colligam atq; demonstrem, tunc videbũt omnes homines quàm non sim acceptor personæ meæ. Vos autem qui me multum diligitis, si talẽ me asseritis aduersus eos quorum malitia, vel imperitia, vel intelligentia reprehendor, vt me nusq̃ scriptorum meorum errasse dicatis, frustrà laboratis, non bonam causam suscepistis, facile in ea me ipso iudice superamini. Quoniam non mihi placet cum à charissimis meis talis existimor, qualis non sum. Profectò.n. non me, sed pro me alium sub meo nomine diligunt, si non quod sum, sed quod non sum

Nullus scriptor qui nõ aliquando lapsus fuerit.

B. Augustinus ad Hieronymũ de firmitate scripturarum.

ſum diligunt. Nam in quantum me nouerunt, vel de me verum credunt, ego ab eis diligor. In quantum autem mihi tribuunt quod in me non cognoſcunt, alium talem qualem me putant, pro me diligunt. Et interpoſitis quibuſdam egregiè & eleganter circa hoc meditatis aduerſus arrogantiam noſtram & prauitatem, quæ in hoc poriſſimum verſatur, vt errantes nolimus erraſſe, qui quidẽ error eſt priore deterior, ille Doctor de ſeipſo ſapienter atq; ingenuè ſic ſtatuit.

Cum ergo non ſicut quidam chariſſimi mei putant, nulla vel pauca, ſed potius plura fortaſſè quàm etiam maledici opinantur verba dixerim, quæ mallem reuocare ſi poſſem, non mihi Tulliana illa blanditur ſententia qua dictum eſt, Nullum vnquàm verbum quod reuocare vellet, emiſiſſe: ſed angit me planè Horatiana ſententia: Neſcit vox miſſa reuerti. Hinc eſt quod periculoſiſſimarum quæſtionum libros de Geneſi ſcilicet, & de Trinitate diutius teneo quàm vultis & fertis, vt ſi nõ potuerint niſi habere aliqua quę meritò reprehendantur, ſaltem pauciora ſint quàm eſſe poſſent, ſi præcipiti feſtinatione inconſultius ederentur. Hæc ille, quæ nõ modo ex humilitate dicta ſunt, ſed ex veritate, vt teſtatur Henricus. Quocirca ille certè B. Auguſtino non placet, cui tam immoderatè placet Auguſtinus, vt nolit eum vnꝗ̃ à vero aberraſſe. Nam in hac noſtra tempeſtate plurimum peccatũ eſt, & peccatur adhuc, cum & res theologica tandem redacta ſit in factiones & ſectas. Nolunt enim quidam ex noſtris, vllum penitus in B. Thomæ ſcriptis contineri errorem admittere: ſed lege lata obligant ſeipſos ad defendendum indiſcretè omnem illius doctrinam. In quo ipſi vehementer B. Thomæ diſplicent, qui de ſe id exiſtimari & hunc ſibi honorem falſò tribui (quem ſacris dumtaxat debemus Prophetis, qui inſpirãte ſpiritu Dei ſũt locuti) nunꝗ̃ voluit: & nunc tantò magis ab hoc immoderato zelo exhorret, quantò magis coniunctus eſt veritati. Et quod de Thomiſtis dico (quia iuſtus in primis eſt accuſator ſui ipſius) audiant & Scotiſtæ, & quotquot variis ſectis pertinaciter adhæreſcunt.

Itaq; ſi veritas, vt par eſſet, amaretur, ac ſimul conſideraretur hæc communis miſeria in humanam conditionem inſerta, videlicet procliuitas ad errandum, & cum hoc tamen admirabilis procliuitas noſtra ad ſcribendum & docendum, profectò & cautiores in probando, & minus prompti in tuendo vel aliena, vel noſtra (præſertim tam pertinaciter) eſſemus: nec inniteremur in Auguſtino, vel Thoma, vel quouis alio quamuis inſigni preceptore, ad ea defendenda quę vel manifeſta ratio & res ipſa, vel in primis Eccleſiæ autoritas, & plurimorum rationabilior cõſenſus non probat. Ex quo efficitur vt nec ego ipſe in vllo horum Doctorum in cũctis prorſus quæſtionibus acquieſcam. Exempli cauſa, Quòd pueri ſine ſacramento diſcedẽtes, igne æterno puniantur cũ Dęmone propter originale peccatum, quia dira eſt hæc opinio & horribilis piis auribus niſi cauteriatę ſint, & quia conſenſum Doctorum non habet qui hoc ſubtilius ſpeculati ſunt, non probo, nõ recipio, tametſi alicubi eam teneat B. Auguſtinus. Ita & quæ de prædeſtinatione Dei docuit nata illi poſt peccatum, & de maſſa illa perditionis, vt quidam ſine ꝓpriis meritis ſint reprobati à ſalute, ſimiliter probare non poſſum. Nec propterea tãto Doctori derogo, ſolùm non illi arrogo quod illius nõ eſt, imò quod ipſe arrogari ſibi quàm vehementiſſimè prohibet. Deniq; quicquid contra illũ vel aliquam illius opinionem dicitur, nõ cõtinuò aduerſus illum dicitur. Neq; enim ille ipſe vult eſſe ſuam, ſi ſit falſa, aut impia ex ſe ipſa. Sic ſunt & alia quæ ego quidem recipio vt vera, vt explorata atq; comperta, tametſi B. Thomas in oppoſitam viſus ſit declinare ſententiam, ſicut in noſtris opuſculis patet. Nec eſt (vt iam dixi) contra B. Auguſtini, aut Thomæ doctrinã quicꝗ̃ moliri, in quorum doctrina id præcipuum eſt, nõ quęcũq; ſcripſerunt vera eſſe, vt impugnari & ſaluo eorum honore etiam reprobari cum ratione non poſſint, cum & ipſi fateantur ſe ſub hac humana conditione comprehenſos, vt nõ in omnibus ſapuerint, ſemperq; vera dixerint. Qui autem aliter ſapiunt, ita ſapientes deſipiunt: nec vllum Ordini (vt quidam arbitrantur) defertur honos, ſic ſuos defendere vt veritas deſeratur. Gaudeo tamen & Deo gratias immortales ago, qui nonnullis tandem oculos aperire dignatus eſt. Non me latet paruulos & infirmos in fide interdũ pati ſcandalum, dum audiunt cõtra Sanctorum opiniones diſſeri: ſed grauius ac maius ſcandalum eſt deſerere veritatẽ. At cũ pręmonentur paruuli ac docentur, etiam Sanctos non penitus exuiſſe miſerias in hoc mũdo, ſed ſubiectos fuiſſe erroribus ac peccatis, non tamen ad mortem, ſatis occurritur ſcandalis paruulorum. Huius rei gratia non deterritus eſt B. Cypriani, aut Hieronymi autoritate Auguſtinus quo minus illis iunior defenderet veritatem, & improbaret noxios

errores. Non irascetur itaq; nobis, etsi com parati eius lumini nihil simus, si paulo' liberius in aliquas eius opiniones insurgatur. Absit enim vt me propterea cum illo compa rem siue in scientia, siue in lingua. Mitto sanctitatem, de qua nec fas esse arbitror somniare comparationem vllam. Nihilo secius quid prohibet posteris esse quædam seruata quæ ille non viderit? Sic & post ætatem nostram eueniet, vt succedant & alii quorũ studiis & meditationibus augebitur in Dei Ecclesia scientia. Hoc beneficium temporis est, cuius veritas dicitur filia, vt Cicero sapienter scripsit.

Modus sequẽdi sacros Doctores. Verùm quoniam & in aliud extremũ impingunt hæretici, qui simulantes se Scripturis niti, plerumq; nihil curant quid gloriosi Doctores cõmuni consensu docuerint, abutentes hac libertate & his B. Augustini sententiis, animaduertere debet prudens lector (quod & ipse per Dei gratiam semper obseruo) multum inter nos & illos interesse.

Primò diligenter est aduertendum, vtrũ sit omnium catholicorum Doctorum in vnã contradictionis partem consensus: an verò sit inter illos dissensio. Item si quid illis obiter, aut tanquàm ex probabilibus differentibus exciderit: an verò vt asserẽtes ex professo quasi rem fidei pronunciauerint, & (quod accuratissimè aduerti debet) suffragetur ne eis vsus & consuetudo Ecclesię in cultu diuino ac mysteriis quæ irrefragabilem habet autoritatem. Pius ergo lector in his quæ sunt huiusmodi ita se gerere debet, vt omni arrogantia vacans, & omni prudentia vtens, nihil se supra veritatem diligere certa experientia ac persuasione persentiat.

Et comedes herbas agri. Multum inter se differunt quę ex semine in terra cordis nostri oriuntur (quod semen est verbum Dei) & inter ea quæ suapte sponte terra hęc proferre potest. Hæc enim meritò herbæ agri appellari possunt, nimirum agrestes quæ nobis permittuntur in cibum. Talia sunt quæcũq; nos meditamur vt philosophi naturales, vt mathematici, vt rhetores, vt poetæ, vt medici, vt leguleii, vt artifices ad ea quæ ad necessitatem vitæ pertinent, quæ cuncta studia quasi animalibus conceduntur nobis in cibũ. Quid enim omnia ista in se habent nisi terrenum & agreste, præ illis fructibus qui ex semine, idest, ex Dei verbo nascuntur, quo anima mundificatur, & efficimur filii Dei?

Ioan. 15. Vos mundi estis (ait Dominus) propter sermonem meum. Sub hoc igitur maledicto propter peccatum detinemur nimium his studiis secularibus, volentes sapienter inuestigare de omnibus quæ fiunt sub Sole, quæ inuestigatio iucunda quidem est & vtilis modo sobria fuerit, licet non afferat satietatem. Illud in peccatum nouum imputatur, cum propter hæc studia auertimur à melioribus, & iis quæ veram salutem afferunt. Quamobrem inuestigationem hanc vocatam esse à *Eccle. 1.* sapiente pessimam occupationem existimo, quam dedit Deus filiis hominum vt occuparentur in ea. Qua in re plurimum semper fuisse peccati, & nunc etiam esse cernimus vel in iis qui Theologiam profitentur. Non.n. desunt qui astrorum contemplationi sese totos dediderunt, & paulatim eò prouecti sunt vt à syderibus fortunas & sortes hominum rentauerint obseruatione deprehẽdere, quorum quàm sit miserabilis vanitas, veteres veri Theologi grauissima sua cẽsura iudicarunt. Et nihilominus adeò curiosi plerumq; sunt Principes, vt horum mendacibus vaticiniis attendentes, se decipi & meritò patiantur, postq̃ innituntur in verbis mendacii. Reperiũtur verò alii qui pro Theologia logicã & philosophiam didicere, interim parũ sciẽtes quæ sunt legis Dei. Partim verò nostro tempore exorti sunt qui omne suum studiũ tradunt rhetoricis flosculis, & linguis variis, quò Ciceroniani dici & haberi possint, quod fortè ferri posset: at hinc ad tractãdas Scripturas maxima temeritate irruunt promptuli & arrogantes, facileq; in hæresim labuntur. Nam quę sunt vitæ spiritus ignorant, humilitatis ac modestiæ omninò expertes, sed ambulantes in magnis & mirabilibus supra se, inflati ac tumidi dum immoderatè comedunt has herbas agri.

In eos qui relictis melioribus sciẽtijs, infimiores sectantur.

Nolo obiter silentio præterire nocturnas plagas, quas propterea inflixit Hieronymo Angelus, quòd ciceronianus esset: licet non ignorem hanc historiam quasi fabulam esse derisam ab iis qui se eruditos putarunt, & se censores mundi fecerunt, vt Theodorus quidam Gaza & Erasmus, cuius patrociniũ derisionibus deesse nõ potuit. Primùm obiecerunt, iniuria illum ab Angelo fuisse verberatum quòd esset ciceronianus, cum verè Hieronymi stylus nõ sit ciceronianus. Vbi suam produnt inscitiam isti censores, qui nõ intellexerunt non de stylo habitum fuisse sermonem, sed de studio. Cum enim tunc ille vir impensius operam libris Ciceronis quàm sacris daret, cuiq; sermo diuinus veluti incultus horreret, ideò iure plagas accepit, quasi magis ciceronianus affectione ac lectione esset, quàm Christianus, idest, magis Ciceronis

B. Hieronymus ob Ciceronem ab Angelo verberatus.

nis studiosus quàm Christi. Nec item me fugit Erasmum addidisse, rem illam non fuisse veram, sed merum somnium: quod arbitratus est se è verbis ipsius B. Hieronymi Ruffino respondentis euincere. Nam cum periurii accusasset illum Ruffinus, qui postquã promisisset Deo siue Angelo verberanti, se literas seculares vlterius non lecturum, interim tamen multa ex secularibus autoribus in suis epistolis crebrò citaret, purgauit se egregiè B. Hieronymus. Primò quidem seriò & ex veritate sic respondit: Dixi me seculares literas deinceps non lecturum: de futuro spõsio est, non de præterito facta est memoriæ abolitio. Et hãc responsionem prosequitur, asseuerans ex libris ethnicorum se ea quæ memoriter tenebat citare, non autem quæ post datum iusiurandum noua lectione didicisset, nec id esse mirum multis exemplis confirmat. Deinceps verò volens probare ineptam hominis accusationem, rhetorico more traducere aduersarium voluit aiens: Hoc dicerem si quippiam vigilãs promisissem. Nunc aũt (nouum impudentiæ genus) obiicit somniũ meum: & quod excurrit. Quo in loco nõ aliud nisi nimiam illam criminãdi libidinem in Ruffinum obiectat, qui vel ea pro legitima & idonea accusatione in suum vsum trãstulit, quæ in somnis solent accidere. Attamen ipse Hieronymus non in somnis, sed vigilans persanctè deierauit plagas illas fuisse veras, quorum vibices postmodo vigilando persensit. Et post annos quindecim denuò ad Eustochium scribens, contestatur se literas secularium nunquàm post illud tẽpus legisse. Ex quo satis patet B. Hieronymum non vt inane somnium, sed vt rem verã illud accepisse, quod tamen ei in somnis contigerat, ne cogamur mendacem & periurum cõfiteri virum illum sanctissimum Hieronymũ more Erasmi, qui non admodum id curat, tam est pius in Sanctos Dei. Illud autem verum adagium: Qualis quisq; est, tale iudiciũ de aliis profert, si in quenq̃ verè potest obiici, verissimè vni Erasmo quadrat. Sed ad rem. Magnę sunt profectò & multiplices hominum miseriæ, quas apprimè nosse, ingens quidem sapientia est. Sciendum tamen vsq; ad mortem duntaxat durare has peccati originalis pęnas positiuas, non vltrà: postmodo quilibet in alium statum transferetur. In Christo enim omnia viuificabuntur, & alii quidem ad vitam, alii verò ad mortem secundam, alii ad mediam conditionem. Dixit.n. aliquando verè & piè B. Augustinus: Non est metuendum ne vita quædã esse possit media inter rectè factum & peccatum, & sentẽtia iudicis media inter præmium atq; supplicium. Hæc ille aliquando pro pueris qui nihil deliquerunt ex seipsis, & sacramento nõ fuerunt initiati, licet postmodo aliud docuerit. Sed hactenus de sententia Dei in Adam quatenus erat caput humani generis.

Et vocauit Adam nomen vxoris suæ, Heua: eo quòd mater esset cũctorum viuentium. Fecit quoq; Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. Et ait, Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. Nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat & viuat in æternum. Et emisit eũ Dominus Deus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terrã de qua sumptus est. Eiecitq; Adã: & collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladiũ atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.

Et vocauit Adam nomen vxoris suæ Heua. Quod nos Heuam dicimus, Hebræi *Chauan* pronunciant. Sunt qui salutationem Gabrielis dicentis, Aue, accipiunt quasi alludentis ad hoc nomen, Heua, cuius literæ conuersæ efficiunt, Aue, vt intelligamus cui dictum est Aue, illam esse quæ Heuæ peccatum cõmutauit in salutem pariendo illi Saluatorem. Res ipsa quidem in se vera est ac pia, sed huiusmodi allusio non satis quadrat. Gabriel enim salutans non dixit, Aue, qui non est vsus voce latina: nec ipse Lucas, qui græcè scripsit, *Chere*. Porrò is qui dixit in illo deuoto hymno: Sumens illud Aue Gabrielis ore, funda nos in pace mutãs nomẽ Heuæ, non puto eum fuisse tam ineruditum, vt putauerit Gabrielem vsurpasse vocem latinam: sed cum inuenisset sic interpretatam, libuit eo modo alludere posita veritate mysterii. Nam sanctissima virgo Maria pręparata fuit quasi è regione ad Heuam, vnde verissimè ei conueniebat illa salutatio. Quare non placent Deo impii qui hæc derident in opprobrium Matris suæ.

Nunc sensus huius loci est accipiendus, cuius admirabilis structura esse videtur. Vix

esse apta ad seruandum corpus à noxiis quæ imminebant & à verecundia. Itaq; docuit eos vt occiderent animalia, & sacrificarent. Iam enim diximus de sacrificio quod fuerat eis reuelatum ac commendatũ: & quòd ipse Adam factus fuit primus sacerdos. Itaq; eũ immolasse proculdubio credendũ est, & magna ac fructifera pœnitentia fuisse restitutum in amicitiam Dei per collationem gratiæ: quia credidit Deo qui Redemptorem promisit. Ille enim primus hac fide iustificatus est gratis, hoc est, amissam Dei gratiam recuperauit, licet non illam iustitiam qua inferiores animę vires superioribus obtemperabant. Suggessit ergo Deus illis vt sibi congruentiore vestes conficerent, idq; ex pellibus animalium quæ sacrificio mactanda esse iam declarauerat. Et ita dicitur Dominus illud fecisse, quod ipse eos faciendum esse docuit. Non est .n. grauitatis ac maiestatis Scripturarum cuncta prorsus exprimere, et præsertim quæ videt hominis ingenio atq; solertia ex iam positis posse deprehendi. Nam si sacrificium prę stituit Dominus, ea simul quæ sacrificio immolanda erant, declarasse putandus est. Tunc autem nihil aptius erat, quàm immolatione pecorum sacrificari. Et hoc pacto etiam ostendit pelles quæ de bestiis immolatis superatant, conuenire, quibus se nudos (idq; propter significationem) induerent.

Instant quidam: Quomodo tunc animalia occisa sũt, cum ex omni genere esset duntaxat masculus & fœmina? Nunquid ergo perierunt, aut Dominus creauit iterum de terra? Cum istud non videatur eis probabile, putant ex corticibus arborũ factas fuisse vestes, quas pelliceas vocat Scriptura. At præterquàm quòd durum nimis est violare verba (non enim propriè cortices arborum pelles dicuntur) illud omninò ineptum fuisset vestimentorum genus, nec minus quàm priora perizomata, ac pinde nec à Deo inuentum. Quamobrem nõ male dici potest, cuncta quę hîc narrantur, fortasse non fuisse confestim cuncta gesta, sed post tantam temporis intercapedinem, vt citra miraculũ potuerint animalia generari, multiplicari, & immolari: tametsi nonnulli dicant Deũ ex omnipotentia sua illas pelles subito produxisse, quibus propter autoritatem nõ obsto. Quo etiam facto qui sit status hominis, in quo post peccatum primi nostri parentes constituti fuerunt, apertè declarauit.

Quocirca eleganter & verè diuinus ille prædicator Chrysostomus, in diuites huius seculi sermonem suum in hunc modum cõuertit: Audiant opulenti, & qui luxuriant in vermium operibus & vestiuntur sericis, discantq; quomodo ab initio humanam naturã misericors Dominus docuerit, vt mollem & dissolutam vitam fugiamus, neq; inertem ac remissam sectemur, vt illiusmodi vestiũ amictus continuum nobis sit monimentum, quo memores simus à quantis exciderimus bonis, & discamus quanto supplicio humanum genus ob inobedientiam sit affectum: hæc B. Chrysostomus. Et post hæc quanto maiore spiritu, tanto maiori iure in eos inuehitur qui non dignantur vestiri lana, sed tanta feruntur insania, vt etiam aurum suis intexant vestibus, cuius criminis reas potissimum constituit mulieres. Quid autem nunc diceret, quando nihil hominum indumẽtis addi potest quod ad luxum, ad pompam, ad lasciuiã, ad elationem insipientiæ plenam faciat? Et hac in parte grauiter ecclesiasticos cõcionatores peccare censeo, qui hæc non vehemẽtissime detestantur. Nec item culpa vacare arbitror sacerdotes talium confessiones audientes, qui vel facilè absoluunt, vel quasi nihil sit ea in re præuaricationis & facinoris contemnunt: quin excusationibus & distinctionibus solent quidam extenuare crimina. Verùm si consulantur Scripturæ, si dicta Patrum nõ contemnantur nec deprauentur, si res ipsa oculis spiritualibus consideretur, & circunstantiæ multæ & malæ serio ponderentur, curiositas, vanitas, superfluitas, incitatio ad obscœnitatem, ad superbiam, exemplum malum, scandalũ, defraudatio pauperum Christi, & alia quæ ex his necessariò consequuntur, haud dubium plerosq; qui nimium indulgent, mentem protinus esse immutaturos. An corpus peccato puluerem factum, ornari auro & purpura, & his exquisitis pompis congruè posse honorari quisq̃ sapiens post latam Domini sententiam diiudicabit? *In luxurũ vestimentorum.*

Primùm admonitus homo sibi omnino opus esse vestibus, nec se more cęterorũ animalium salua sua honestate nudum manere posse, quæ hac in parte hominem antecellũt, quòd natura illis idonea pȝuidet. Hinc prudentibus coniectare licet, hanc indumentorum indigentiã in illa integritate naturæ minime futurã, si Adã in sua iustitia perstitisset: alioqui deterioris conditionis fuisset homo quàm cętera animantia. Erat enim iustitia ei pro tegumento, & diuina assistentia in protectionem & propulsionẽ omnis noxii. Indigentia ergo, vestimentorumq; necessitas significata est in hoc opere Dei, vt meminerit

mus semper alterius status, & hoc malum à peccato venisse recognosceremus: & ita ferre patienter frigora, æstus, & quæ externè affligunt corpora nostra disceremus, vt per patientiam veram mereamur ab his aliquando in sempiternum liberari. Deinde datur materia considerandi prudentibus, quicquid ad decentiam extra necessitatem curamus in vestibus, non carere peccato. Et tertiò à qualitate illarum vestium agnoscere quales simus in hoc mundo. Cum enim ea quibus vestiebantur irrationalia pecora, Deus in vestimenta nobis accõmodauerit, quid (rogo) est aliud quàm admonere etiã nos esse in pecora ob peccatum cõuersos? Vnde & Euãgelista dixit: Cũ IESVS semel videret multas turbas, misertus est eis, eò quod erant vexati, & iacentes velut oues sine pastore.

Matth. 9.

Quartò, Cum pelles essent mortuorũ animalium, per hoc item instruimur, nos esse redditos mortales, mortiq; ob peccatum destinatos. Spiritualiter autem qualia esse debeát corpora & membra nostra significatur, nimirum mortificata & affixa cruci cum eorũ cõcupiscentiis. Vltimo loco, Dominus Deus induens Adam & Heuam peculiariter pelliceis vestimentis, significauit veram & fructuosam pœnitentiam, quam sine eo implere non poterant. Ipsi enim mali sutores ex foliis ficus consuerunt sibi perizomata, & abscondebãt se à facie Domini, nec tam oderant prçuaricationem suam, quàm mandatum quod prçuaricati fũt, & ipsum mandati autorem Deũ: & eousq; progressa est eorum pœnitentia & confusio, quæ non afferebat salutem. At pœnitentia vera quam probat Deus, fit in tẽpore acceptabili, fit confessione & detestatione peccati, nec id adhuc satis est. Nam Cain & Iudas confessi sunt & detestati peccatum, quibus tamen nihil profuit, cum nec in tempore, nec ex virtute id fecerint. Etenim oportet detestari peccatum vt rem turpem, vt contra Deum, cui debebatur timor & subiectio, atq; ideò dignũ supplicio sempiterno. Oportet & iterum deuotè se subdere Deo, et sub potenti eius manu humiliari: & ne penitus ponderata peccatorum grauitate despe ret animus, ad eius misericordiam & clementiam confugiendum est, eamq; plorãdo atq; implorando prouocare cum lacrymis, & (quod est omnino necessarium) vitam in posterum meliorem et cautiorem promittere ac sperare, eam q; inchoare protinus castigatione & mortificatione carnis, vt spiritus Deo viuat. Hæc si perseueranter fiant, certissimum (inquit B. Bernardus) signum erunt adeptæ gratiæ. Hi enim verè sunt fructus digni pœnitentiæ, vnde audiet in corde benignum Dominum dicentem sibi: Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis: qa est merces operi tuo. Hæc omnia commodissimè significantur in indumentis pelliceis mortuarum bestiarum. Et hic fuit modus quo illum primum patrem nostrum eduxit diuina sapientia à delicto suo cum matre nostra Heua, qui & relicti sunt exemplum omnium verè pœnitentium.

2. Par. 15

Facessat igitur Pelagiana doctrina, quç ita liberi arbitrii vires extollebat, vt eas ad resurgendum à peccato, & virtutes recuperandas sufficere absq; gratia Dei perniciosissime prçdicabat. Facessat & Lutherana hçresis, quç sic gratiæ cuncta tribuit (quæ non est gratia) vt nec actiuè concurrere hominem ad operandum sibi suam salutem asserere amentissimè audet. Facessat & alia eiusdem fascinatio, quæ solam fidem sufficere ad consecutionem veniæ, & plenç remissionis peccatorum, nec ad hoc operari quicq̃ pœnitentiam & contritionem cordis, & corporis mortificationem, pestiferè suadere nititur. Hæc omnia in hoc patris nostri exemplo, & pellicearum vestium mysterio diligenter contẽplanti indicantur. Intellexit enim Adã Domini Dei misericordiam & gratiam, qui & luctuosam vitam (vt credibile est) omnibus diebus vitç suç cum vxore Heua transegit. Semper autem in corde fixum habuit, cui charitas Dei iterum diffusa fuit, se vnum fuisse qui oẽs suos liberos in tot ac tãtas miserias præcipitauerit, & (quod lugubrius longè fuit) Christum Dominum suum ad crucem & mortem ignominiosissimã adegit. Quapropter dolebat quasi factum, quod certa fide cognouit futurum, considerans maledictum seruo debitum, in Dominum Deum sui conuersum, quemadmodum declarauimus.

Hac cogitatione debent impleri corda nostra, & lugubrem tantisper agere vitam, donec occurramus illi cum resurrexerit nobis. Ipse enim verè resurrexit, sed nondum nobis, quibus nunc ablatus est velut spõsç spõsus, & manet adhuc in sepulchro. Ob eam causam Ecclesia sancta viduitatem profitetur hoc exiguo trium dierum, idest, vitæ nostræ spatio, quo nos oportet consepultos esse cũ illo sub his pellibus. Postmodo ipse apparebit nobis vita nostra, & tunc etiam nos cum illo in gloria. Interim regnum cęlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: quoniam per multas tribulationes oportet ingredi in illud. Qui aliud cogitat, & Christum sibi aliter

aliter in via hac fabricatur, tota aberrat via, & lutheranam non catholicam doctrinam sapit. Ego insuper existimo Adam & Heuã toto vitæ suæ cursu fuisse pelliceis vestimētis vsos, cum tamen essent Domini totius mũdi. Magnus ille & innocentissimus Ioãnes præcursor Domini quo vestiũ apparatu ac splẽdore apparet in Iudæa? O insipientiam hominum deplorandam. O superbiam stultitiæ plenissimam quorundam delicatorum q corpus tam mollibus vestiunt, & purpura & bysso sic fouent, vt non meminerint mox futurum cadauer putridum & cibum vermium: vestimentis autem cœlestis gloriæ & æternæ temporalia ac terrena præferunt miseri.

Nunc te bone lector, obsecro, attende ad egregiam iucundam & grauem Domini ironiam. Vt enim primos homines paulò antè decore atq; ornatu nobilissimæ innocentiæ illustrissimos, illis pellibus post peccatum velut pecorarios induit, adiecit.

Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis sciens bonum & malum. Hem quàm congruè. Cum enim per eas vestes ostendisset Adam similẽ factum fuisse beluis, nunc irridens obiicit, eũ quasi vnum ex Diis esse factum: id enim appetiuerat. Porrò vel ad vnã ex diuinis personis potest referri, vel ad vnumquemlibet ex beatis Spiritibus. *Sciens*, inquit, *bonum & malum*, quod nonnullam habuit veritatem: quoniam tunc cœpit scire bonum in quo fuerat collocatus, & malum in quod sua culpa inciderat. Hęc autẽ ironia stomachosa est, & prę se ferens vnà cum irrisione simul quãdam indignationem, tametsi iam fuisset peccatum per pœnitentiam remissum. Hoc (ni fallor) eò spectare videtur, vt disceret homo recens in pœnitentia etiam de remissis peccatis cogitare & metuere, ac iterum atq; iterum deprecari. Sic faciebat Dauid rex erutus de recenti crimine, qui licet sibi fuisse remissum crimen à propheta resciuisset, nihilo secius ac si remissum sibi non fuisset orauit dicens: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meã. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatẽ meam ego cognosco, & peccatum meũ cõtra me est semper. Vide quanta vehementia ingeminat orans deleri suas iniqtates, & amplius lauari à peccato? Causas autem obtinendæ misericordiæ memorans, agnoscit peccatũ quod ei versabatur assiduè ante oculos. Hæc sunt eorũ propria qui sunt recentes in pœnitentia constituti: posteà venit securitas à perseuerantia in innocentia & timore sancto, quæ de die in diem in verè pœnitente nutritur & crescit. Sed (heu q) quotusquisq; nunc inuenitur verè pœnitens? Seruauit ergo Scripturæ præceptum Dauid dum recẽs adhuc erat criminis remissio: Fili peccasti, nõ adiicias vltrà, sed & de pristinis deprecare. Et iterum: De propitiato peccato noli esse sine metu in abundantia ad addendum peccatum. Et quidam alii eundem sensum eduxerunt. Super data venia ne sis securus, vt peccata peccatis amplius accumules. Hęc dixi, quoniam in disputatione quadam hũc locum exponens verum sensum reddidi, quẽ gręca lectio melius exprimit.

Semper excolenda pœnitentia.

Eccl. 21.

Ibidem. 5.

Nunc ergo ne fortè mittat manum suam & sumat de ligno vitæ & comedat, & viuat in æternum. Hic sermo mutilus est, qui indignationem quãdam videtur adhuc prætendere, & simul irrisionem. Attende pie lector, & nota quod ait, *Nunc ergo &c.* Ex supradictis enim id colligit, perinde ac si clarius dixisset. Quia Adã factus est vnus ex nobis sciens bonum & malum etiam inuitis nobis ac inuidentibus, nũc oportet saltem curare sedulò ne tanta eius dignitas ac maiestas duret in æternum. Itaq; expellamus eum de Paradiso, ne fortè pari audacia qua iam misit manũ suam & accepit de ligno illo scientiæ clã nobis, sumat quoq; de ligno vitæ & comedat & viuat in ęternũ, & ita propter eum rumpamur inuidia. Hic mihi horum verborum, quæ manifestè à superioribus pendẽt, sensus esse videtur: & iccirco accipienda sunt velut ironicè dicta. Alioqui si hæc seriò dicta essent, quo metu Dominus ne sumeret de ligno illo in Paradiso teneri potuit? Nonne valuisset alio remedio prouidere, quàm expellendo? Nõ igitur quasi metueret ne homo viueret in ęternum, inde eiecit: sed quia indignus erat qui illis deliciis & amęnitate frueretur.

Et emisit Deus eum de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram de qua sumptus est. Ecce quomodo priuauit eum Dominus loco amęnissimo & delitiis omnibus referto, qui conueniebat statui primæuo. Collocauit autem in terra quæ post peccatum conuenit ei, vtpote de qua sumptus erat. Ad sua enim naturalia reductus est, qui non erat de terra Paradisi sumptus, sed de alia postmodo propter peccatum maledicto subiecta. Nam Paradisus ille qui mysticè significabat B. Virginẽ, in qua plantatum fuit lignũ vitæ Christus, nulli vnquã maledicto subiectus fuit. *Eiecitq; Adam &c.* Considera vim verbi quo vtitur Scriptura: non ait Adam inde recessisse, aut emigrasse:

sed, Eiecit, inquit, quo verbo significata est quædam per Angelos quasi violenta expulsio ad exilium perpetuum: quoniam ille locus status innocentiæ, non præuaricationis conueniebat.

Et collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubin. Septuaginta & Græci aliter legunt, vcz quod Deus ipsum Adam collocauit è regione Paradisi, vt ibi habitans semper obuersaretur illi ante oculos, & lugeret peccatū suū: quod est admodum verisimile. Scriptura tñ apud Iosue testari videtur, Adam fuisse sepultum in Hebron prope Hierusalem: licet aliq aliud censeant. Claré hîc iuxta hebraicam veritatem dicitur, quód Deus collocauit ante Paradisum quasi ad ostia Paradisi, nō Adā, sed Cherubin, idest, Angelos aliquot, saltē duos, & versatilem flammeumq; gladium ad custodiendam viam ligni vitæ, seu vitarum. Eiectus fuit per Michaelem Diabolus de Paradiso cęli vbi peccauit, vnà cum iis qui eum secuti sunt, non vlterius illûc reuersurus. Sic & homo à suo Paradiso terræ eiectus fuit similiter per Angelos, nunquàm illûc reuersurus. Nā seruatus est à Cherubin, ne posset reuerti. Quem autem in locū fuerit eiectus Adam, non aperit Scriptura. Videtur autem non temerè credi, in terram Iudæam, quam Dominus sua præsentia dignatus est honorare, vt vbi primus Adā peccator fuit, ibi secundus Adam redemptor inueniretur. Et fortassis ex traditionibus maiorum profecta est huiusmodi persuasio.

Porrò de Cherubin potest esse quæstio, quomodo Dominus Deus illos tam excelsos Angelos ad hanc curam applicauerit. Cherubin enim sunt primi ordinis, siue hierarchiæ secundus chorus qui non solent mitti: quandoquidem (vt D. Dionysius tradit) illi soli Angeli mittuntur qui sunt tertiæ hierarchiæ, hoc est, vltimi & penultimi chori. Qua in parte mihi videtur esse à quibusdam à veritate satis erratum falso prætextu autoritatis B. Dionysii. Nam Gabrielem faciunt primum Archangelorum, idest, eorum qui sunt vltimæ hierarchiæ, & secundi chori. Et cum legant in Scripturis ipsum quoq; Michaelem fuisse missum, similiter eum de choro Archangelorum existimant, quoniam & ipse Archangelus vocatur. Et cum nō possint præferre Michaeli Gabrielem, ex eorū doctrina sequitur & Gabrielem primum Archangelorum, & cum hoc etiam Michaelē esse illorum primū. Videat qui velit B. Thomam. Sed ad rem.

3.p.q.30ar.2 Et.1.p.q.114 ar.3.

Nō est prorsus (meo iudicio) verisimile in re tanta, qua maior excogitari non potest, quando Verbum Dei nunciatur in terras descensurum, pepercisse Deum primo ordini Angelorum. Quapropter certò persuasus sum, B. Gabrielem fuisse post Michaelem primum omnium beatorum Spirituum, & vnū ex septem qui dicuntur in Scripturis peculiariter ante Deum assistere. Quòd autem B. Dionysius ait non mitti nisi vltimos Angelos, intelligi oportet (vt ipsemet declarat) de missione ordinaria. Sic magni Reges suos habent promptos ac statutos ministros, quos ad nunciandum, curandum, vel explorandum quod assiduè occurrit emittant. At cū summa legatio pro re ardua expedienda occurrit, aliquos è summis & primariis suis Satrapis dilectissimis & fidelissimis, quos apud se habent, mittunt. Quid ergo dicendum est quando etiam ipse Filius Dei quasi Angelus emittebatur in terras? Nunquid fortè præter dignitatem erat si ad rem tantam nūciādam, imò etiam tractandam aliquis ex summis Spiritibus mitteretur, cum tanta legatio esset apprimè desiderabilis? Nonne potius si fieri potuisset, erat idoneā ad excitandam sūmis ipsis Spiritibus inuidiam, si inferioribus mandaretur? Sed de hoc alibi.

Ad quæstionem igitur de Cherubin dici potest, eam curam datam esse quidem Angelis eius chori qui appellātur Cherubin, duobus saltem, ipsos tamen custodiam exequi p inferiores, quemadmodum & Seraphin qui missus est ad purganda labia Isaiæ. Reuelauit enim nobis B. Dionysius, illum Seraph nō per se exequutum fuisse illud officium, sed per aliquem inferiorum. Idem de Raphaele Archangelo non ab re existimatur, qui nō in propria persona, sed p Angelū inferiorem ministrauit filio Tobiæ. Raphael enim tertius est à primo, proximus Gabrieli, &, vt ipse dixit, vnus eorum septem qui assistunt. Potest & secundum alios dici, hoc nomen, *Cherubin*, esse commune omnium Angelorum. Sed hæc nescire quæ nondum explorata sūt in Ecclesia, nihil est periculi.

Sed quæritur de gladio flammeo ac versatili, essetne aliquid materiale: quod rectè q; dem asseritur. Nam cum fuerit ibi collocatus à Deo, indicat non ibi fuisse ex natura loci. Erat autem ignis circumiens locum illū Paradisi, qui dicitur gladius more Scripturę, quasi gladius anceps & acutus, aptatus ad ppellendum venientes, vt custodiretur lignū vitæ, ne quis scilicet Dęmonum, aut hominem rursus ingrederetur, & auferret de ligno illo. Verùm quid oportuit custodiri lignum

gnum illud, si eius fructus nulli vsui futurus esset? Ideò pro re certa credendum est, in Paradisum translatos fuisse plures qui ligni illius beneficio vitam vsque ad nouissima tempora seruent. De tribus enim plerique iam nō dubitant, idest, Henoc, Elia, & Ioanne dilecto. Ego verò de Mose idem existimo, q apparuit in monte cum Elia quādo trasfiguratus est Dominus. Nec ego quidem solus hoc de Mose existimo, B. Ambrosius idē videtur sētire in libro de Cain & Habel cap. 2. Nec item arbitror incongruum, si quis ibidē esse diceret et sanctos qui resurrexerunt in morte Christi, & apparuerunt multis. Nam in cęlum cum Christo ascēdisse, probare non possum. Quòd autem iterum in puluerem ad aliam resurrectionem redierint, durum videtur. Hoc ergo medium longè est probabilius, videlicet collocatos esse in Paradiso illo, ne sit frustrà tam nobilis & amęnus locus, virtusque illius ligni nemini prosit.

Hactenus habemus statum & conditionē hominis post peccatum miseriis in hoc mūdo vndique refertam, ne spem vllam in eum reponamus. Si enim in eo speramus, miseriores sumus (vt verissime testatur Apostolus) cunctis creaturis. Nam prćter ea incōmoda & mala quæ in hac vita perpetimur, manet insuper nos æterna ad sempiternos cruciatur damnatio, si præferentes temporalia spreuerimus æterna bona. Restat ergo sūmum piis solatium à spe æternorum: quoniā hæc mala breue tempus habent, nec iam sūt peccati supplicium, sed materia exercitii ac meritorum, vt tantò gratior & gloriosior obueniat nobis corona iustitiæ, quantò ppositus nobis est durior conflictus ac difficilior consequutio victoriæ. Augetur solatium & spei nostræ fortitudo, dum cogitamus nos habere præcursorem nostrum IESVM, in quem aspiciamus vt autorem fidei nostrę & exemplum viuum, qui sic intrauit in sancta sanctorum cęlestia, idest, per viam crucis & afflictionum, ad quas illum adegerunt peccata nostra, non sua, & pertulit ea libenter. Quantò ergo magis nos, quorum est vox illius latronis propria qui pēdebat ad dexteram, & in hunc modum verè confitebatur. Nos quidem iustè, aiebat: nam digna factis recipimus. Hic verò nihil mali gessit. Nec hunc solū habemus, sed multos qui tantum Ducem per hanc viam perstrenuè secuti sunt, testes nobis & confessores veritatis, & ostensores viæ ad verum lignum vitæ. Adde, non solùm nos habere in exemplum ipsum IESVM, sed in hortatorem, adiutorem, & propugnatorem nobiscum, cuius certissimas voces audiunt qui legitimè certant. Confidite, ego vici mundum. Et iterum: Sine me nihil potestis facere. Et: Ecce ego vobiscū sum vsque ad consummationem seculi. Habemus & eundem aduocatum in dextera Patris sedentem, & assiduum interpellatorem p nobis. Quid ergo queruntur cum Deo iniqui de conditione nostra quasi dura, cum si boni æmulatores fuerimus, fidelē habeamus Deum qui cognouit figmentum nostrum, & non sinit nos tentari supra quàm ferre possimus, sed vires suppeditat vt faciamus etiam de tentatione prouentum? Quantò autem acerbius circumuallant nos afflictio & tribulatio, tantò abundat magis in nobis diuinus ille fauor & auxilium, & consolatio, vt possimus sustinerē, imò & cohortari alios ad tolerādū. Audi Prophetam regium id nobis egregiè testificantem: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Deus.n. & Pater clementissimus non potest animam deserere libenter propter se tribulationes sustinentem. Imò id summa prouidentia agit ne qui tolerant fortiter res aduersas, eam vim suis viribus tribuant, vt docet Apostolus, sed Deo viuenti, qui de tantis periculis eripit, qui & suscitat mortuos in quem sperādū est, q agones non solet certātibus extendere. Sumus quippe persuasi, id quod momentaneum est & leue tribulationis nostrę supra modum in sublimitate ęternum glorię pondus operari in nobis, nō contemplantibus nobis quæ videntur (Nam hæc temporalia sunt) sed quę non videntur, æterna. Hæc enim absque dubio reuelat Deus seruis & amicis suis, vt ad ea possint velut ad certum scopum contendere, & cum Apostolo magna cum fiducia dicere: Sic currimus non quasi in incertum: sic pugnamus, non quasi aerem verberantes, sed obliuiscentes quę retrò sunt, & ad ea quæ sunt à fronte nos extēdentes. Non quidem nostra freti iustitia quę humanis viribus comparatur, sed illa quæ à Deo donata est nobis iustitia ex fide, quæ desuper veniens infusa est atque hæret cordi nostro. Ipsa enim facit opera grata & digna Deo ad destinatum ac præfixum coronæ signum & brauium supernę vocationis. Ad quam vt perueniat & qui hęc adiuuante spiritu bono commentatus est, & quicunque libenter audit verba Dei, clementissimus ille Pater luminum dignetur concedere, à quo omne donum perfectum, cui laus & honor in secula sempiterna.

Spes vera christianorum. *Ioan. 16.* *Ibidem. 15.* *Matth. 28.* *2. Cor. 4.* *1. Cor. 9.*

Caput .IIII.

ADAM VERO cognouit vxoré suam Heuam, quæ concepit & peperit Cain dicens: Possedi hominé per Deũ. Rursumq; peperit fratrem eius Habel. Fuit autem Habel pastor ouiũ, & Cain agricola.

HACTENUS EX SUPERIORIBUS explicauimus quisnã esset prior Mundi status, quã felix, quàm bene cõpositus, quando vidit Deus cuncta q̃ fecerat, & erant valdè bona. Deinde quàm infelix ob peccatum primorũ parentum redditus sit, & in quod barathrũ malorum sese precipitem cum omni posteritate sua miser homo dederit. Tertiò, quo pacto restitutio facta sit prçordinato Mediatore ac Redemptore Domino nostro IESU Christo, qui culpas nostras in se luendas suscepit & deleuit, nosq; æterno Patri reconcialatos in pristinam amicitiam restituit. Nũc consequens est vt varios & peccati & gratiæ in ipsa primorum parentum sobole consideremus euentus. Ipsi enim sunt ferè exemplum ac typus omnium futurorum, vnde nõ parum ex seria præsentis historiæ meditatione illi acquirunt prudentiæ, qui cum fide eam speculantur.

Primùm igitur habemus, primos illos homines vbi primùm fuerunt de Paradiso expulsi, tum demum coniugale opus exercuisse: quoniam præceptum habebant crescendi ac multiplicandi. Nõ enim sublatum fuit per peccatum prçceptum illud, imò & postmodum confirmatum à Deo in nouo pacto: quocirca peccassent, si non dedissent operã liberis. Et hoc in loco iterum sibi blandiuntur *In hæreticos pro cœlibatu.* noui apostatæ & hæretici, qui postq̃ primam fidem Deo datam irritam fecerunt, cçlibatum & continentiam nouis ac manifestis & sacrilegis nuptiis, & pessimo insuper ipso dogmate perfidè & impiè conspurcarunt. Nam quod erat præceptum primis hominibus ob necessitatem propagationis, non est omnibus præceptum. Alioqui à quot sanctis fateri oporteret præceptum illud esse violatum, qui & ipsi cçlibem duxerunt vitam, & alios vt similiter facerẽt, & verbo & exemplo & certis regulis induxerunt? Cum igitur isti contra Patres insurgant, quales ipsi sint sese apertè nobis indicant, & sententiam in eos claram profert Scriptura quæ ait: Ne transgrediatis terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. *Prou. 22.*

Sed obiicitur quæstio. Si erat eis sese copulandi mandatum, quare non illud opus in Paradiso exercuerunt? Respondetur; Non fuisse eis prçceptum vt confestim generationi intẽderent, sed prius debebant Deum aliquot diebus orare & gratias pro tantis acceptis beneficiis & donis agere. Quod quidem officium nũc multi coniugatorũ ignorant, qui ritu equorum & mulorum in quibus non est intellectus, adhinniunt ad fçminas, quos tamen longè aliter esse faciendum docent Scripturæ sanctæ vel statim iam in hoc primorum hominum exemplo in Paradiso. Est item exemplum in Scriptura de Thobia & Sara vxore, qui tres dies orationi vacarunt, vt prius se cum Deo coniungerẽt quàm cum carne, quò parerent illi sobolem gratiorem. Animaduertendum autem q̃ honesto verbo Scriptura opus illud quod est verecundũ, significauerit dicens: *Cognouit Adam vxorem suam*, Quod est contra lasciuos *In obscenos* poetas & inuerecundos, quales sunt Catullus, Ouidius, Martialis, & quicũq; eos imitãtur. *scriptores.* Nam quæ sunt omnino per se pudenda, eadem isti verborũ obscçnitate reddunt adhuc impuriora, idq; ad voluptatem & titillationem, non ad vtilitatem vllam: quod est fçdissimum & vitiosissimum. Ac publicè quidem interesset omnes eorũ libros vel omninò tradere flammis, vel saltem repurgare, & iis dumtaxat parcere quæ castæ & christianæ aures possent admittere. Nam quod excusant argutuli dicentes: Lasciua est nobis pagina, vita proba. et alius: Castum decet *Matth. 12* esse poetam, non item eius versiculos, impudentiam sapit, quæ verbo Veritatis retun- *Luc. 6.* ditur. Dixit enim Veritas: Bonus homo de bono thesauro profert bona, malus autem de malo thesauro mala.

Hoc verbum, *Cognoscere*, in hanc significationem pertinet ad hebraismum, nec usq̃ in latinis autoribus inuenitur, nec (vt existimo) in græcis. Certè in nouo testamento nusquàm prorsus reperies. Quod .n. apud *Matth. 1.* B. Matthçum legitur: Et non cognoscebat eam, alium intellectum veriorẽ atq; illustriorem continet, quem loco proprio explicaui. Credibile ergo est, quemadmodum decens

erat

erat fieri, cōuenisse tandem in vnū illos primos coniuges post peccatum, & post spem conceptam suæ recuperādæ benedictionis. Conuenisse inq̄ in primis vt obedirent Deo, & illi filios procrearent. Non me latet matrimonium post peccatum concedi etiam in remedium libidinis: non tamen primus ac proprius eius finis est propterea p̄cedēdus, qui est generatio. Aliàs si præciditur, & ad solam libidinem explendam fit copula ita vt nolint generationem, non video quo pacto non sit nedum peccatum, sed graue peccatū.

Quæ concepit & peperit Cain, hoc est, peperit illum cui nomen hoc fuit impositum, quę vox acquisitionem & possessionem significat. Notus autem factus est mūdo ab insigni flagitio suo. Legi apud quendam ex nostris, q diceret vno & eodem conceptu ac partu cū Cain fuisse fœminam sociā: quod est admodum credibile. Idem Hebręi aliqui ex traditionibus se habere putant. Non est autem dubium Adam genuisse plures filias, quo tēpore qui erant primi gradus frater & soror coniungebantur, vt multiplicarent humanū genus, etsi hoc nusquam expressè Scriptura dicat propter honorem aurium, vt inquit B. Hieronymus. Nonnulli tamen obiiciunt, Saram vxorem Abrahę germanam saltem ex patre, vt videtur Scriptura indicare. Verùm Hebræi aliter intelligunt, quos in hoc & nostri secuti sunt, & quidem iure: quoniā ex maiorum traditionibus id acceperant, vt Iosephus attestari videtur, & D. Hieronymus: licet Caietanus aliud existimauerit, cui iam respondimus. Et nihilominus propter importunos non negamus habita illius temporis nocturni ratione, quædam contra decorem etiam à sanctis Patribus admissa fuisse, vt omnes sancti Patres & Doctores dixerunt, quæ pro regula nequaq̄ sunt habenda.

De naturali decentia uel indecentia. Vrgent item aliqui & obiiciunt: Nulla est suapte natura indecentia in huiusmodi connubio primi gradus in transuersalibus, alioq non debuissent coniungi, ne sic contra naturam agerent. Quod enim ex se est indecens, nulla potest circunstantia decens fieri. Sed non rectè argumentantur: quod vt de ipsis principiis ostendamus, prudens lector animaduertat, & hoc primum recipiat, *Notandum* Vnum dumtaxat esse ita ex se malum, vt nulla circūstantia possit effici bonum nec dispensari super eo, nec ab ipso Deo. Id autem est quod est contra voluntatem Dei. Non enim potest à Deo præcipi, vt quid fiat contra ipsius voluntatem: quoniam perplexitatem & cōtradictionem includit manifestam. Nam si fiat quod præcipitur, simul idem erit factum & secundum voluntatem Dei, & contra volūtatem Dei: ac propterea ex eodem facto idē præuaricator & iustus, quia actio erit praua & studiosa, quod non est cogitabile. Posset autem quodcunq; aliud præcipere Deus, qđ suapte natura videretur indecorum & malū, quale est occidere patrem vel filium sine causa, quemadmodum præcepit Abrahæ, & auferre & rapere bona aliena. Nam propter ipsius Dei imperium, continuò bonum redditur hoc facinus quod est imperatū à Deo. Ipse enim est naturæ Dominus: & si reuera non facit quicquam eorum quæ huiusmodi sunt absq; causa, qui de potestate sua absoluta posset absq; vlla causa facere, cum pro causa idonea sit ipsius sola voluntas, ad quam ante omnia semper est respiciendū. Etenim aliquod scelus secunda & æterna morte dignum esse, non est in causa indecentia facinoris respectu ordinis rerum naturæ, sed respectu Dei dumtaxat. Hoc nimirū est quod æternam illam mortem parit. Quamobrem illud est verissimum, præter solum Deū neminem posse id vetare quod ex se non sit malum, nec vllam habeat rationem mali, ita vt eo solo fiat malum quia præceptum sit. Nulli enim legum conditores sic pro voluntate possunt leges statuere, sed solummodo ex causis & rebus ad vtilitatem publicam spectantibus. Vnde Isidorus rectè inquit: *Isidorus.* Erit lex honesta, iusta, possibilis secundum naturam, & secundum consuetudinem patriæ, loco temporiq; conueniens, necessaria & vtilis &c. Verum est tamen esse de hoc cōsiderandum & disceptandum antequàm lex fiat. Postmodo autem lege condita, simpliciter amplectenda est tanquàm iusta, & parendū illi, nisi manifestum & intolerabilem errorem & malum præ se ferat, et contra Dei legē manifestè.

Ad rem igitur nostram dico, Si solum est præceptum naturæ, seposito & non considerato speciali Dei præcepto (exempli causa: Nec quis occidat) si quis occideret, non mereretur æternam ignis æterni pęnam. Sicut econuersò, posito Dei præcepto, & secluso præcepto naturæ, sicut fuit præceptū illud de ligno scientiæ boni & mali, quod nulla naturæ lege prohibebatur, voluntaria præuaricatio eius digna reddita est æterna damnatione. His igitur præmissis, Si frater sorori iūgitur non esse malum ex se dicimus, *De natura uariorum matrimoniorum.* quemadmodum declarauimus ex se malum, idest, ita malum vt nulla possit ratione licitū atq; honestum reddi, cum vnum sit propriè

ita subintellectum fuisset, si forsan in eum casum incidisset humanum genus. Verum prouidit Deus ne hæc necessitas accideret.

Dicens possedi hominem per Deum. Ambiguus sermo in hebræo propter vocem siue articulum hebraicum, *Eth*, variæ significationis. Quod enim legimus, *Possedi*, quidam reddût, *Acquisiui*, Et quod legimus, *Per Deum*, cum sit nomen Tetragrâmaton, quod religio illis ē voce exprimere, legunt, *Per Dominum*, aut, *à Domino*. Quidam verò Rabbinorum sic exposuit. Filius iste erit mihi possessio Dei, vt cû moriemur, ipse loco nostri colat Creatorem suum. Sed hic sensus frigidus est & coactus. Sunt qui sic exponunt, *Possedi*, siue acquisiui *Virum*, nimirum ipsum Deum, vel virum cum Deo, vel virum Domini. Heua enim sciens ex verbis Domini decretum esse Messiam venturum redemptorem, putauit illum esse primogenitum suum Cain. Igitur pro lucro id & magna acquisitione æstimans exultabûda dixit: *Acquisiui virum* ipsû Dominû Tetragrâmaton, quæ verba pculdubio magis propriè accepta faciunt hûc sensum, quē tamen Hebræi non probant, non quia verba repugnent, sed quia non putant Messiam esse verum Deum, & illum Tetragrâmaton, licet alibi hoc nomine in Scripturis donetur. Mihi verò non satis probatur hic sensus. Nō enim existimo dominam Heuam adeò impudenter arrogantem, vt arbitrata fuerit ex se tanta peccatrice, & viro primo peccatore immediatè venturum Messiam. Intellexerat.n. forè aliam Mulierem verè dignam ista gratia. Arbitrari fortassis potuit ex semine Cain, vtpote primogeniti sui, venturum Christum, & ita constituisse animo apud se, & proinde ad eum aspexisse, & tanquàm de re præsenti gratias egisse dicens, *Possedi*, vel acquisiui *virum* ipsum Dominum IESVM Christum, nimirum quasi in lumbis filii mei existentem. Nam quod ex Cain proditurus esset Redēptor noster, cum esset ille primogenitus, valdè verisimile est illam existimasse. Sed Deus nō obligatur his primogenituris, vt constat de Iacob & Iuda eius filio, & Dauid, & aliis. Potuit & mulier cum vidisset datam sibi potestatem à Deo concipiendi ac pariendi filios, cōfirmari in promissione Messiæ, & quasi possidere illum sibi videri: Quòd si interpretē nostrum sequimur, significatur illis verbis gaudium Heuæ in Domino, quia natus est homo in mundum: & ideò se acquisiuisse & possedisse virum sibi gratulabatur, idq; à Domino, interim non considerans fore sibi hunc spinam magnam pungentissimā & tribulum. Exemplū ergo hinc sumant ōmnes mulieres, & discant à Domino recognoscere fructus carnis suæ, & dicere: Possedi hominem per Deum, & nihilominus metuere & orare pro fructu ventris. Multos enim lacrymæ matrum restituerunt Deo, & non sola fuit Augustini mater. O nunq̄ satis deplorandam humanam calamitatem. Vocatum est ergo nomen eius Cain, hoc est, possessio, nomen expectationis magnæ. Documentum p mulieribus

Rursumq; peperit fratrem eius Habel. Clarus textus, solùm in nomine nonnihil mysterii latet. Habel enim significat vanitatem, vt è regione ad Cain quod ē acquisitio ac possessio, contemplemur in his duobus figuratum esse omne genus hominû in duas partes diuisum. Sunt namq; pii, & sunt impii. Impii dicunt cum Cain: Acquiramus & possideamus in hoc mundo quantum valemus. Pii verò cum Habel clamant: Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Et cum hæc tam diuersa sentiant, quilibet tamen sibi videtur sapere, & in sua sententia conquiescit. Verû qui mundi huius bona vt summa bona elegerunt, nunq̄ habent illud verum gaudium, & illam veram cordis pacem, & illam plenitudinem, idest, securitatem quam affert lux veritatis, & qua lætantur veri filii Dei. Sūt etiam qui in his duobus cōtemplantur quasi in figura synagogam Iudæorum, & christianam Ecclesiam. Quidā verò prædestinatos ac reprobatos, de qua re paulò post est tractandum: & si aliis plerisq; in locis fusius ob importunitatem quorundā scripserimus, qui de massa perditionis rem prædicant abominabilem, & contra benignitatē Dei & meritum sanguinis IESV Christi, vt mirer vehementer quomodo possunt homines eam opinionem admittere.

Fuit autem Habel pastor ouium, & Cain agricola. Non otiosè hoc adiectum est. Tenebantur enim in dolore suo comedere panem, sicut verisimile est ipsos ab Adā patre fuisse edoctos. Nec ab re distinguûtur varia vtriusq; officia. Ille pascebat oues: iste colebat agrum. Meminerimus, quæso, exosos fuisse Aegyptiis omnes ouium pastores, & id quidem pręsuperbia: quia delectabantur in curribus & equis phaleratis. Pascere autem oues videbatur eis vile opus & humile. Ob eam causam ostensus est nobis Habel pastor, cuius humilitati ac simplicitati Scriptura in hoc attestaretur, vt à Cain primogenito indignè despiceretur, qui sese culturæ terræ & caducis diuitiis dediderat. Gen. 46.

Sed dubitatio est, si non poterant in pri

ma illa ætate vesci carnibus, quis erat ouium vsus? Respondetur, non solùm oues cõmodas esse ad esum carnium, sed etiã ad lactis vsum qui non prohibebatur. Deinde proderant ad lanam, ad inpinguandum agrum, ad necessitatem corii & pelliũ. Præterea, nõ erat expressè prohibitum ne carnibus vescerentur sed tacitè, nimirum eo ipso quod non erant concessæ, censebantur prohibitæ. Quoniam verò sacrificium mãdatũ fuit à Deo, & de sacrificio necesse erat edere, credendum est de immolatis Deo comedisse sacerdotes & qui deseruiebant altari, tanquã & hoc similiter tacitè eis mandatum. Huic rei fauere videntur verba inferius expressa, quæ testificantur Habel de pinguibus obtulisse, quod propter esum videtur dictum, cũ pinguia in hoc sint meliora.

Hæreticorum commentum. Sunt hæreticorum quidam qui Cain in electione exercitii præferunt ipsi Habel, cum secutus videatur mandatum Dei ad terrã colendam spectantis, Habel verò sine Dei mãdato pastor deprehendatur: ideoq; sanctius egisse Cain secundum rationẽ operis volũt, quàm Habel, nõ tamen electionis. Rei necessariæ operam dat Cain, puriora tractat, grauius laborat, pœnam humano generi decretam diligentius substinet. Sed fide ac deuotione minor fuit, quæ Deus intuetur. Hæc vnus ex illis Cain filiis ferè ad literã: sed longè aberrat non intelligens in cultu terræ etiam ouium pasturam includi. Iuuat enim non modicũ ouium cura ad agricolationẽ. Et præterea illi mandato, Cum labore comedes ex ea, satis obtemperat qui alio modo legitimo & arte non otiosus cõparauerit sibi cibum. Alioqui prætextu illius præcepti cogeremur omnes manibus ad colendũ terrã: quod nec Christus, ne beatissimus Ioannes Baptista, nec vllus Apostolorum & sanctorum egit, sed prorsus est absonum & ridiculum. Mitto alia quæ recitat ad extollendũ opus Cain, tanquàm non digna quæ refellantur. Illud enim satis quod sancti nostri Doctores contra huius viri cõmentum vel eo indicio Habel præferunt ipsi Cain, quoniam ipsamet Scriptura illum præfert, dum exercitii meminit vtriusq;. Vnde B. Ambro-

B. Ambrosius. sius. Quid sibi vult mutatio ordinis vt prius iunioris meminerit, vbi scribitur vitæ status operisq; vsus? Officiorũ interrogemus distantiam, vt colligamus causam prælationis. Operari terram vsu prius est, gratia inferius quàm oues pascere. Hoc enim instar est cuiusdam Doctoris & Principis. Et iterum: Vbi ergo generatio exprimitur, præueniat Cain. Vbi disciplinarum sit prædicatio, p̃currat Habel. Hæc B. Ambrosius.

Factum est autem post multos dies vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Habel quoq; obtulit de primogenitis gregis sui & de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Habel & ad munera eius. Ad Cain autem & ad munera illius non respexit: iratusq; est Cain vehementer & concidit vultus eius. Dixitq; Dominus ad eum. Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies: Sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Dixitq; Cain ad Habel fratrem suũ: Egrediamur foras. Cumq; essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem suũ Habel, & interfecit eum.

Factũ est autem post multos dies vt offerret Cain etc. Primùm describitur oblatio Cain, quã Scriptura propterea vituperat, quia Deus nec ad eum, nec ad eius munera respexit. Quæ ergo causa huiuscemodi despectus? Sunt qui dicant, quia oblatio hæc fuit admodũ tarda. Ait enim Scriptura nostra: *Post multos dies &c.* Iustus autem votum suum celeritate cõmendat. Verùm huiusmodi ratio nõ minus induci posset contra Habel, qui non prius obtulisse memoratur. Præterea, iuxta veritatẽ hæbraicam non habetur, *Post multos dies*, nec certum diffinitum est tempus: sed interpretari possumus, *A fine dierum*, idest, post aliquot dies, siue multi fuerint siue pauci. At reuera videtur vis sermonis potius admittere dies multos, quàm paucos. Septuaginta dixerũt, *Post dies*, Quicquid sit, non satis apparet iusta reprehensio Cain ob sacrificii tarditatem, nisi simul & ipse Habel coarguatur, cuius pariter describitur oblatio post descriptam Cain oblationem. Dixerunt alii, iccircò sacrificium Cain non fuisse gratum, quia non de melioribus obtulit & primitiis: quod satis educi videtur à Scriptura, quæ exprimit Habel de primogenitis & pinguibus obtulisse. De Cain autẽ nihil tale, quod certè nõ tacuisset si cum veritate narrare potuisset. Verùm

hanc

hanc B. Paulus dirimit quæstionem, vbi ait: Fide plurimam, seu meliorem hostiam obtulit Habel quàm Cain, de qua re mox dicemus.

Qu is docuit Cain et Habel sacrificare

Hîc interim sese offert alia quæstio, vnde didicerint Cain & Habel sacrificare, & an fuerit propriè sacrificium illud Cain, aut pura quædam oblatio. [Vt enim sit sacrificium nõ satis est offerre, sed circa id quod offertur, oportet aliquid fieri quo sacrum cõstituatur, ac deinde offeratur. Aliqui dicunt ratione naturali adductum illum fuisse ad sacrificandum. Sacrificium enim iure naturæ debetur Deo: ergo natura ipsa hoc nos docet. Nam videmus, vt B. Thomas docet, in qualibet ætate, & apud quaslibet hominum nationes fuisse aliquam sacrificiorum religionẽ. Quapropter Ioannes Cassianus in libro collationum multa prædicat de doctrina legis naturalis, quæ mihi videntur indigere annotatione, tum quia existimo magna ex parte esse in se falsa, tum etiam quia periculosa, vtpote nimium tribuentia naturæ, de qua re fuit etiã à Catholicis notatus. Non pigebit ergo aliqua ex eius dictis recitare. Nam quòd sit hominis (inquit) omnis scientia legis ab initio creationis infusa hinc manifestè probatur, quòd mandata legis absq; literæ lectione ante legẽ, imò ante diluuiũ omnes sanctos obseruasse cognoscimus. Quem ad modum enim scire potuit Habel necdum lege mandante, quod offerre Deo de primitiis ouium suarum, & de adipe ipsarum sacrificium debuisset, nisi per insitam sibi legem naturaliter fuisset edoctus? Quem ad modum Noe quod mundum, vel quod immundum esset animal decreuisset, nondum hæc legali distinguente mandato, nisi scientia naturali fuisset instructus? Vnde Enoch didicit ambulare cum Deo nullam legis illuminationem ab aliquo consequutus? Vbi Sem & Iaphet legerant, Turpitudinem patris tui non reuelabis, vt incedẽtes retrorsum patris verenda velarent? Vnde monitus Abraham deuictis hostibus nihil accipere de eorum spoliis acquiescit? Ne retributionem laboris sui consequeretur, abstinuit. Vnde decimas sacerdoti Melchisedech, quæ Mosaica lege præcipiuntur, exoluit? Vnde idẽ ipse Abraham, vnde Loth transeuntibus ac peregrinis humanitatis iura & ablutionẽ pedum necdum euangelico coruscante mãdato suppliciter obtulerunt? Vnde Iob tãtam deuotionem fidei, tantam castimoniæ puritatem, tantam humilitatis, mansuetudinis, misericordiæ, humanitatis scientiam consequutus est, quantam nunc ne ab illis quidem qui Euangelia memoriter teneãt, videmus impleri? Quem sanctorũ legimus ante legem vllum violasse legis mandatũ? Quis illorum non custodiuit, Audi Israel, Dominus Deus tuus, Dominus vnus est? Quis illorum non impleuit: Non facies tibi sculptile, neq; vllam similitudinem eorum quæ in cęlo sunt, siue quę in terra, vel eorum quæ sunt in aquis sub terra? Quis eorũ non obseruauit: Honora patrem tuum & matrem tuam? Vel illa quæ in Decalogo subsequũtur: Non occides, Non adulterabis, Non facies furtum, Non falsum testimonium dices, Non concupisces vxorem proximi tui, aliaq; his multò maiora, quibus non solùm legis, sed etiam Euangelii præuenere mãdata? Hæc ille. Considera pie lector, Ait in primis Habel à lege naturæ edoctum fuisse offerre de primogenitis & adipibus eorum: quod penitus esse falsum non dubito. Nam ex notitia quę est ex fide (Apostolo teste) hoc fecit, imò etiam ipsa ratione cogente. Nam licet homo naturaliter edoctus sit debitũ sacrificii, non tamen tale sacrificium quale Habel immolauit, quod creditur fuisse Agnus. Nam hoc traditione maiorum persuasum est omni populo, in quo genere sacrificii ipse fide obtulit verum Agnum IESVM, quem natura monstrare illi non valuit. Illud item quod ait, Noe naturali scientia nouisse quid esset mundum & immundum in animalibus, omnino incredibile est. Sunt enim natura (vt docet Apostolus) ipsa animalia ęquè mũda. Mundum autem & immundum diuina & illa quidem positiua constitutio fecit. Et qs hircum non magis immundum diceret, quã mustellam? Et tamen sacrificio aptabatur. Ab ipsorum ergo Angelorum doctrina procul dubio venit illa in animalibus mũdi & immundi distinctio. Alioqui apud omnes gẽtes nota fuisset, quod est falsum: quoniã gẽtes potius immolabant immunda. Quare & exempla cętera quæ recitauimus, eandẽ habent instantiam. Supponit enim hæc doctrina nullas ante Mosen fuisse Scripturas, qđ est falsum, cum Enoch quædam scripserit, vt patet apud B. Iudam Apostolum. Supponit etiam nullam tunc fuisse instructionẽ Dei per Angelos: quod & falsissimum esse ab ipsa Scriptura manifestè ostenditur. Deniq; supponit nullam ex patribus fuisse in filios institutionem, nullas maiorum traditiones, sed cuncta naturaliter cognitioni hominum fuisse peruia, cum tamen in tenebris & vmbra mortis omnes sedeant, nisi præueniens lux diuina præluxerit. Credibile est

Ioannis Cassiani locus animaduertendus.

Ad Tit. 1.

ergo ab ipso Adam patre & verbo & exemplo âbos fuisse de oblatione & sacrificio edoctos, ipsum verò Adam à Deo, etiam hoc tacente Scriptura: vt nisi quis credat, necesse sit eũ male de Adã ac Dei prouidentia sētire, ad quem vtpote patrem & magistrũ ac præsulem mundi pertinebat instruere liberos & subditos suos ad æternæ vitæ lucrum. Dicet quis: Cur ergo id tacuit Scriptura? Respondeo, quia consueuit ea tacere, quæ nisi asino stupidior fuerit, quiuis mentis compos queat coniectare ex positis. Ecce nuſq̃ in Euangelio habetur Christum post resurrectionem suæ dilectissimę Matri apparuisse. Quid? Audebit igitur quisquam dicere, Nõ apparuisse illi? aut rationem exposcere cur hoc Scriptura siluerit? Nonne confestim ei respõderi poterit, Non existimabat Scriptura te esse lapidem, aut stolidum asinum, vł impiũ qui tam sinistrè de charissimo filio erga matrem dilectissimam sentire nõ perhorrescere, vt illam ante omnes non mox resuscitatus visitauerit.

Nullum sacrificium Deo placet sine fide. Adhæc, illud item est notandum, Nullum penitus sacrificium oblatum Deo placere potuisse, nisi ex fide fuisset oblatum. Nã quantauis notitia ex lege naturaliter indita, & quantusuis feruor qui naturaliter ex humano corde prodire posset, nullo modo potuissent parere vllum opus gratum Deo, sicut dixit B. Paulus: Si Abram ex operibus iustificatus est, habet gratiam, sed nõ apud Deũ. Nemo autem naturaliter potuisset certò statuere de sacrificio expiationis, cum & peccatum naturæ re vera ignoraretur, & sacrificii confectio & acceptatio pendeat à voluntate mera & ordinatione diuina. Alioqui nõ sacrificium esset verum, sed superstitio. Nemo enim suo arbitratu cõstituere potest quo mõ Deus sit externis cęremoniis colendus: sed hoc facit Spiritus Dei aut expressa aut tacita reuelatione per Ecclesiæ Proceres. Ieccircò falsò & iniuria naturæ quod est diuinæ doctrinæ ascribimus. Quapropter rectè tandem Hugo de S. Victore: Credimus, inqt, Deum docuisse Adam cultum diuinum, quò eius beneuolentia recuperaret quæ per peccatum transgressionis amiserat, ipsumq; docuisse filios suos dare Deo decimas & primitias: hæc ille. Ego autem certò existimo & *Gentiles vsos fuisse sacrificio* gentiles vsos esse sacrificio, non quia natura instruente vlli eorum adinuenerunt: sed quia vsu ac traditione maiorũ acceperunt, vt cęptum fuit ab origine mundi instructione diuina. Sed liuidi serpentis inuidia & suasu, quę soli Deo offerebantur (nam soli Deo sacrificandum est, à quo cuncta nobis bona proueniunt) trastulerunt ad Idola. & ipsi etiã sacrificia contaminarunt & immutarunt cũ circa materiam, tum etiam circa modum. Ipsi enim Dæmones omni opera & industria satagunt omne bonum peruertere, & in Dei contumeliam conuertere. Vnde & sibi pro Deo offerri sacrificia iubebant, & de animalibus immundis, ac certis etiam modis ac cęremoniis propriis, quas Ecclesia Dei vera ignorabat.

At illud quod simul erat propositũ, nũquid oblatio illa Cain de fructibus terrę esset propriè sacrificium, nunc expediendum est. Negamus autem prima facie videri fuisse sacrificium. Non est enim credibile ipsũ qcq̃ fuisse operatum circa oblata munera vt ea sacra faceret, quod exigit proculdubiò ratio sacrificii, sicut B. Thomas declarat: si quis verò aliter opinetur, equidem non contradicam. Nam verisimile est illum quoq; didicisse à patre cęremonias per Angelos constitutas, quibus illa munera sanctificabantur, & sic postea Deo offerebantur vt sacrificia, licet ipse incredulus esset.

Deinceps est cogitandum, quomodo illa munera offerrẽtur, & quis esset qui pro Deo exciperet, & altari assisteret. Ego magna cũ ratione videor mihi hãc fidẽ cęlitus adeptus, vt cum sacerdotium incepisset in Adam, eundam ipsum constituisse altare & ministros, & ibi sacrificia assiduè obtulisse, & ad hoc faciendum filios & præcipuè primogenitum suũ Cain instruxisse. Ieccircò primò cõmemoratur oblatio eius quasi primogeniti ac sacerdotis, deinde illa Habel. Non enim soli hi tres homines erant tunc super terrã quando isti obtulerunt, licet Scriptura (neq; enim opus erat) non memoret alios. Igitur ad Adam sacerdotẽ pertinebant oblata, & ad ipsosmet qui sacrifica offerebant, quẽadmodũ docent Scripturæ. At si erat holocaustum, nihil comedebatur ex eo, sed totum comburebatur iuxta ritum à Mose traditum. Nescimus aũt quænam ante legem esset obseruantia maiorum in sacrificiis. Erat ergo eo tempore quò sacrificauit Cain, multa familia ex Adã orta super terrã. Nã cũ esset Heua fęcundissima, quouis anno (vt ait quidam, & verisimile est) pariebat geminos marẽ & fęminã, qui postea ad ętatem nubilẽ peruenientes, matrimonio iungebantur. Nam quæ dicuntur de Adã, quòd quindecim annos post eiectionem de Paradiso vixerit antequam cognosceret Heuam, & quòd post mortẽ filii sui Habel vacauerit ab exercitio matrimonii annos centum

manens

manens in luctu, & si ascribantur Methodio martyri, carent tamen ratione & nullo modo credenda sunt a martyre Christi tradita; sed ab aliquo irrisore, sub nomine martyris conficta & euulgata.

Et respexit Dominus ad Habel & ad munera eius. Ad Cain verò et ad munera eius non respexit. Dignus magna consideratione locus, ne sibi blandiatur quisque de quouis opere quod ex genere aut ex officio appareat bonum. Videmus enim hic vtrumque obtulisse, sed alterū litasse, & alterum non. Sic Pharisæus & Publicanus in templo, quorū alter recedit iustificatus, alter verò idem qui erat (si nō fortè deterior) remansit. Operæpretiū est igitur obseruare causas, & illas quantum possumus ex ipsa litera coniectare, & proficere ad doctrinam & agnitionem nostri explorando profunda conscientiæ, de qua proculdubiò (si volumus) lux veritatis excutitur, & fructuosa humilitas acquiritur. Pro cuius rei intelligentia & fructu illud primò statuendū, impossibile esse munus aliquod placere Deo nisi prius placeat persona offerentis, ob eam videlicet rationem, quia cuncta quę offerimus, illius sunt non nostra, nec ipse his indiget. Dixit Domino, Deus meus es tu, ait Propheta, quoniam bonorum meorum non eges. Et ad rem propositam alibi ait: Audi populus meus & contestabor te, Deus Deus tuus ego sum. Non in sacrificiis tuis arguā te, holocausta autē tua in conspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Meæ enim sūt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus & boues. Cognoui omnia volatilia cęli, & pulchritudo agri mecum est. Si esuriero nō dicam tibi: meus est enim orbis terræ & plenitudo eius. Manifestum igitur est nullam assignari posse rationē, cur ex se possint placere Domino externa munera, cum cuncta sint eius, & propter excellentiam dominationis suæ nullorum capax sit munerū. Vnū est tamen quod est nostrum, non illius, nisi illud offeramus. Et hoc est liberum arbitriū, vis illa animæ, in cuius est potestate se Deo subdere & ablegare se ab ipso. Hanc si nos ei offerimus, primum & maximum sacrificiū facimus placens Deo, quo ipse voluit indigere, & hoc à nobis in primis petiuit. Quocirca plerumque aiebat: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucē suā & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Qui autē perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Id enim est verum & solum sacrificium quod non potest non placere Deo, quod nisi detur, nō habet. Et istud est quod reddit illi gratam personam. Itaque omne aliud munus absque hoc, non est munus, nec placere illi potest. Nam Dominus, Dominus eius est vt diximus. Et nemo quicquā alicui donat, quod est in dominio eius cui donatur. Hoc ergo certum est, ideò nō placuisse munera Cain, quia persona Deo non placuit. Secus autem in Habel, & hoc Scriptura declarare voluit, quæ testatur Deum respexisse ad Habel & ad munera eius, oculo scilicet benignitatis & acceptationis, quod etiam signo quodam sensibili in altari ostēdit, vt dicemus paulò post. Et consequenter ad eius munera respexit cum iam placuisset persona: sicut ad Cain non respexit (quia persona non placuit) consequentissimè nec ad eius munera respicere potuit acceptando, cuius rei ratio nunc exponitur.

Luc. 18.

Nullum munus Deo gratū nisi persona grata fuerit.

Psal. 15.

Psal. 80.

Luce. 9.

Quęritur ergo qua de causa persona Habel placuit, & persona Cain non placuit. Respondetur à quibusdā præcidendo quæstionem potius quàm docendo, causam quidem Deo esse notam, eique potius cōmendandam, quàm curiosius à nobis inquirendam. Sic enim legi apud quendam Lutheranum; cuius videri quidē posset prima facie humilis cordis esse cogitatio & prudens responsio, nisi interdum spiritus hypocritarum ibi resideret. Non inficiamur esse nonnulla quæ à nobis curiosè exquirerentur, vel quia eorū noticia supra nos est, vel quia illa scire nostra non interest, & tum demum opportunè dicitur, illa Deo esse committenda. At neutrū horum in quæstione proposita locū habet, quæ plurimum ad nos pertinet, si quo modo ex nobis placere Deo possimus: neque captū nostrum excedit, ac propterea talis est vt à quibusdam in eius resolutione perniciosè erretur. Quocirca cum ad confutandā errorem, tum ad aperiendam veritatē, cuius noticia vtilis est, ignoratio autē noxia & excrucians, non verebimur vltra exquirere.

Cur Habel Deo placuit, Cain aūt non.

Cur, rogo, Cain persona non placuit, Habel autem placuit, vt hoc exemplo sciamus quid agere debeamus vt placeamus, & quid vitare ne displiceamus Deo? Ad hāc quæstionem videatur in promptu esse ab autoritate Scripturæ responsio. Nō enim placuit Cain, quia ipse erat ex maligno. Habel autem ideò placuit, quia erat ex Deo. Esse autem ex maligno, nihil aliud videtur significare, quàm esse ex Diabolo, vt dixit Dominus: Vos ex patre Diabolo estis. Sed nō sistet adhuc quæstio: Nam cum ex iisdem pa-

1. Ioan. 3.

Ioan. 8.

rentibus vterque fuerit ortus, imò Cain primogenitus, de quo dixit Heua: Possedi hominem per Deum, non à maligno, Quomodo ergo factus est ipse ex maligno, & non Habel? Respondent quidam ex sententia B. Augustini: Ambo quidem erãt ex maligno, qui sunt cõcepti & nati filii iræ & peccatores, in quibus habebat Diabolus quæsitum ius. Sed ex maligno erutus fuit Habel non Cain, idque mera ipsius Dei electione, cui illum quidem eligere, istũ verò derelinquere placuit. An non verè dixi pie lector, multum ad nos pertinere, inquirere an hæc vera sint, quæ talia sunt vt cuiusque animum qui aliquid saperet, & de salute sua cogitaret, possent perpetua anxietate torquere ac miserandis modis excruciare? Præsertim autem quando hãc dicunt esse B. Augustini sententiam, cuius autoritas meritò magnificãda est. Sed nos interim de veritate soliciti, quid ille doctor senserit aut scripserit, parumper omittamus. Nolim enim in hac tanti põderis disputatione vnius Augustini autoritatem veritati præiudicare, cum ante illum nemo doctorũ eiusmodi opinionẽ probauerit, quod cũ illi à Prospero & Hilario obiiceretẽ, nõ negauit. Nimium igitur præsumunt, qui relictis cæteris cunctis & sanctis & veteribus doctoribus, vni Augustino clausis oculis eligunt adhærere. Et hoc possem dicere si perpetuò in ea sententia perstitisset, aut si non magis disputando q̃ definiendo illam defenderit. Quantò ergo magis cum nec ipse cõstanter circa hoc docuerit, & quod ipse docuit, non definiuerit quasi ex fide? Rogo ergo te iterum pie lector, auerte paulisper animũ ab hoc vel alio doctore, & rem quæ tibi obiicitur de Scripturarum testimoniis, & ipsa luce conspicuæ veritatis examina. Isti proponunt nobis Dominum Deum esse veluti figulum, qui cum multa vasa ex eadem massa faciat, aliud quidem facit in honorem, aliud in contumeliã. Sic Dominus Deus, cum sit autor cunctorũ hominum qui ex Adam tanquàm vna massa procedunt, antequàm in cõspectu suo quicq̃ boni aut mali operentur, vult quosdam ex his erigere in honorem liberans eos à peccato, & vehens in amicitiam suam, reliquos verò in perditionem relinquere. Sic aiunt de Cain & Habel: imò in his duobus volunt q̃si typum & exemplum omnium electorum & reprobatorum consistere. At hæc sanè parum exactè sunt meditata. Quæro enim ab his, an putent Cain fuisse vnq̃ ab illo peccato, quod contraxit à patre suo, liberatũ? Si id fatentur, nõ igitur derelictus fuit in ea perditionis massa, sed grata erat eius persona Deo, quæ à peccato liberata erat. Si persona grata, cur non etiam munus? Si verò inficiantur, & dicant nunq̃ fuisse Cain ab ipso peccato liberatum, sed in ea massa quam vocant massam perditionis, relictum, primò diuinant nondum tamen prophetæ. Secũdò, contra id quod maximè est verisimile prædicant. Non enim considerant Dominũ Deũ ab initio pactum restitutionis suæ in Christo ipsi Adæ reuelasse, nec item remedium etiam quo ipsi pueri leuarentur, conticuit. Et ipsum Adam re ipsa complesse pro suis pueris satis est credibile, ac præsertim pro primogenito. Quod si ita est (vt certè credibilissimũ est) liberatus ergo fuit Cain ab eo peccato p Christum, & ob id non potest dici verè derelictus à Deo in massa illa perditionis.

Contra Massã perditionis

Opinio quorũdam defendentium massam.

Impugnatio.

Sed video hoc in loco nobis occurrere huius peruersæ opinionis fautores, non minus tamen pernitiosè ad excruciãdas animas. Negãt enim Dominum omnibus quos eruit ab eo peccato & à massa illa perditionis, eandem pseuerantiæ gratiam donasse. Etenim non prædestinatis donat gratiam duntaxat vt sint amici aliquando, non autem vt perpetuò maneant: quoniam non largitur eis gratiam perseuerandi, sine quo perseuerare nõ possint. Quid audio? Illudit ergo Deus illis & imponit? Hoc verò nonne est horribile vel cogitare? Quis est enim qui adoptaũ sibi velit amicum ad tempus, vt postmodo inimicus fiat, hoc est, de inimico amicum facere, vt paulò post inimicior fiat? Non est certè hic amicitiæ spiritus, nec potest rectè gratia nuncupari quæ ea mente donatur vt non maneat. Neque hanc illusionem ac deceptionem patiuntur ea omnia quæ erga omnes seruat Ecclesia, & nomine Dei & IESV Christi promittit, hortatur, & omnibus qui gratiam accipiunt, promittit gloriam si gratiã custodiant. Vnde Apostolus ait: Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recepetis. Si ergo eam amittunt, qua (obsecro) æquitate seruare non valentes, rei cõstituunẽ amissi doni? Iubet Deus vt ego seruem perpetuò quod mihi dedit ad tempus, cum propterea perpetuò seruare non possum, quòd ad tempus dũtaxat acceperim? Quòd si dat seruari posse, quid absurdi consequitur si ponatur etiam me seruasse, cum cõ cediturr possibilitas? Quòd si ponitur & admittitur me seruauisse, quomodo simul stabit, Deum dedisse mihi gratiam ad tempus sine dono perseuerandi, sine quo non poteram pseuerare, & tamen perseuerai? O amice lector excute

Obiectio.

Dilutio

2. Cor. 6.

hic

hîc quæso, te à somno, libera mentem à captiuitate, & considera tenebrosa ac perplexa esse quæ ex aduerso dicuntur, & pinde crudelia & impia, & omnium verè piorum animos exagitantia. Et cum videris ad omnia rationabiliter quæsita, non irrationabiliter à nobis responderi, & alia via planè & secundum Scripturas ita vt omnis dubitatio cesset, quid obstabit quin venias in sententiam nostram, imò non nostrā, sed Ecclesiæ. S Dei?

Redeundo igitur ad quæstionem, curnā minus placebat Deo persona Cain offerentis, Non ego, sed ille dilectus Discipulus respondet: quia erat ex maligno. Et rursum quærenti, Quare erat ex maligno? Respōdet tibi ille idem: quia opera illius erant mala. Si rursum quæras, Quare erant mala ipsius opera? Respondemus, ex noua ac propria ipsius voluntate, quæ Diabolo sine dubio exciante consensit ad malum. Ideò dictus est ex maligno, idest, à Diabolo contraxisse suum tale esse secundū mores prauos: alioq omnis substantia etiam ipsius Diaboli ex Deo est. Deniq; si quis quærat, quare habuit illam voluntatem faciendi mala? Respondemus, quia ipse malè vtens propria libertate arbitrii, sibi illam voluntatem malā (Diaboli suasui assentiens) reddidit, sicut fecit Adam: & hîc sistitur, & silet quæstio. Poterat enim bonam voluntatem acceptam & renouatam à Deo retinere, non autem deprauare, ac propter eā se odio dignum coram Deo constituere. Ponderent hæc qui sacrificant, & diligenter seipsos cuius sint voluntatis explorent, an verè prius & internè sacrificent vt persona sit grata, quatenus cōsequenter grata esse queant munera, quæ hoc pacto impinguantur dum fide non mortua, non otiosa, sed plena pinguedine charitatis offerunrur. Adde, quòd expressè B. Paulus reuelauit, Habel prælatum fuisse ipsi Cain propter fidem, quia ex fide obtulit: Cain verò non ex fide. Intelligo autem de fide Redēptoris, fide inq̄ quæ est sperandarum substātia rerū. Quæ enim sperantur, æterna sūt. Quod autē Habel crediderit, Cain verò nō crediderit, à voluntate cuiusq; illorum fuit. Poterat enim Habel fortasse nō credere, sed appulit animum ad credendum. Poterat proculdubiò & Cain credere, sed ipsemet seipsum ita instituit ac comparauit vt non crederet. Cum enim lucem sentiret aduenientem, auertit oculos, & crucem sibi ostensam spreuit. Dilexit quippe potius bona mundi quàm bona cęli, & ita sectatus est tenebras potius quàm lucem. Cum enim (vt credibile est) à patre ambo admonerentur de fide & expectatione Christi venturi, credidit Habel Deo, & id proprio sacrificio indicauit mactando Agnum pinguem, Christum in eo agnoscens & passionem eius. Cain verò de Christo nō credidit: ieircò de frugibus terræ sacrificauit honorans Deum illo modo vt creatorem, quod ferè certò sciebatur in origine illa mundi, non tamen recepit vt redēptorem. Itaq; infidelis fuit, nec potuit esse gratus Deo, cum sine hac fide Redemptoris quæ fuerat ei reuelata, impossibile sit placere Deo. Vide igitur quomodo magna cum ratione Habel Deo placuit, Cain verò nō placuit: quia ille ex fide, iste ex lege naturæ tantum sacrificauit renuendo fidem, & nolens profiteri se hospitem ac peregrinum in terra, & supernam ciuitatem inquirere. Vide quārum valet fides. Hac enim fidei confessione, ait Paulus, nō est cōfusus Deus vocari Deus veterum patrum, qui cōfitebantur se esse peregrinos & hospites super terram. Confitebantur autem illud non corde tantum, sed ore atq; opere ipso despiciendo temporalia, & sectando per illam spem quæ in tribulationibus per patientiam crescit & roboratur & minime cōfundit, æterna & cęlestia. Hîc animaduertant Lutherani qui spernunt opera, & negant eorum merita tanq̄ despicabilia corā Deo. Hîc enim manifestè dicitur Deū respexisse ad munera Habel, licet ad personā prius respexerit. Nec nos negamus grata fuisse munera propter personam gratam, & gratam personam propter gratiam Dei infusam, vnde efficimur filii Dei.

Iratusq; est Cain vehementer, & concidit vultus eius. Rectè dixit interpres, *Iratus est vehementer*, qa vox hebræa excandescentiam & iram nimiā significat. At cur sic iratus Cain? Nempe quia Dominus respexit, scilicet cum beneplacito, ad Habel & ad eius munera. Sed quo pacto id vidit Cain? Respondetur, In illo mundi exordio Deū visibilibus signis dignatum fuisse manifestate sacrificiorum acceptationem cęlitus emisso igne qui sacrificiū deuorabat, sicut patet in sacrificio Aaron, Leuit. 9. & Gedeonis, Iudic. 6. Et quod primū fuit in templo Salomonis. 2. Par. 7. Et quod ab Elia. 3. Reg. 18. Vidit ergo Cain placuisse Deo fratris sacrificium, non autem suum. Qua ex re debebat lucrari fidem, & humilare se sub manu potētis Dei, & gratias illi agere pro gratia fratris, quia charitas facit omnia communia: & vitam instituere meliorem, emendando ac præparando sibi animum ad ea quę erant pacis & charitatis, & quæ pro-

Marginalia: 1. Ioan. 3. — Documentum p sacerdotibus — 2. Cor. 4. — Hebr. 11. — Ibid.

mouebant ad acquisitionem æternorū. Ille autem contrà prorsus: nam iratus est in fratrem suum ob inuidiam quæ parit iram ac simul tristitiam. Propterea dicitur concidisse vultus eius, videlicet propter mœrorem animi & dolorem. Hi sunt fructus superbiæ & inuidiæ: & omnia philautiæ accepta referenda sunt. Amabat seipsum Cain super omnia: oportuit igitur vt sibi optaret semper meliora, & se præferret aliis. Vbi hoc ad votū non contigit, sed aliū sibi præferri animaduertit, liuore tum intumuit qui iram & odiū parit. Mens autē sic affecta cogitat hoc malum auferre ab oculis suis: & non videt infelix rem se operari suæ consulationi oppositam. Nam quantò acerbius fratrem persequitur, tantò gloriosius illum exaltat & se deprimit. Sic excæcat miseros inuidia. Nōne inuidit primus omnium Diabolus IESV Christo capiti nostro? Ob illam inuidiā depressus est, & de Paradiso Dei eiectus fecit locum nobis ibi gloriosiorem, & ita inseruiuit magnopere gloriæ Christi & nostræ. Nam ille exiguum tempus minoratus ab Angelis, propter patientiam Crucis meruit nomen quod est super omne nomen, vt in eo nomine, IESVS, omne genu flectatur cœlestiū, terrestium, & infernorum. Exemplum deinde datum est nobis in Cain & Habel: tum in Ismael & Isaac, et in Esau & Iacob, et qđ fuit admirabile, in Ioseph & fratribus. Deinde hoc idē accidit in Christo Scribis & Pharisæis, quorum tam infesta persecutio, illius gloriam promouit & eis excidium peperit: quod & ante oculos nunc luce clarius perspicimus, quamuis miseri Iudæi nondum videant. Qui si viderent, non verum esset quod Isaias adhuc vaticinatur in eos dicens: Excæca cor populi huius, & quod excurrit. O quanta in iis præcepta vitæ, si velimus veram discere sapientiam. Quid enim insipientius cogitari potest, quàm quod Cain excogitauit in fratrem? Videt in eo manifestam Dei dilectionem. Ecquid putabat se posse obstare Deo sua ira, suo odio, & fratri nocere, fratri inquam dilecto Deo? Cur non illud infelix cogitabat: Si Deus pro nobis qs contra nos? Vide quantum potest ad excæcandum hominem inuidia? Et tamen non desunt exempla cotidiana, quoniam & nunc multi sunt Cain in mundo. Sed consideremus vtriusque exitum.

Inuidia quàm sit perniciosa

Isa. 6.

Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Hîc iterum interpello eos q massam perditionis constituunt, volunteque Cain in ea fuisse à Domino derelictum. Attendant ad verba Domini, & simul aptent sententias Scripturarum & Apostolicas, & agnoscere cogentur errorem. Ecce Dominus interrogat Cain primū cur esset iratus, & cur facies eius concidisset. Nunquid, quæso, nesciens interrogat? Absit. Sed interrogat potius vt excitet eum ad animaduertendum & recognoscēdum morbum suū & peccatū, vt sic monitus medelam illius morbi curatricem suscipiat, & se Deo ipso adiuuāte ita cōponat, vt illi non autem propriæ libidini obtemperet. Ergo misericordiam & auxiliū ostendit iis verbis Dominus, non derelictionem in massa, sed desiderans illum vas fieri in honorem si vellet, non in contumeliam: quod non est illius immensæ benignitatis. Vnde per Prophetam clamat & potestatur: Perditio tua Israel. Tua, inquit, idest, ex te, non ex me. Et tantūmodo in me auxilium tuum. Nō enim vult Deus mortē peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Est igitur hic sensus verborum Domini, quę ex multa eius misericordia & clementia profecta sunt, ac si clarius dixisset. O Cain nōne vides cur irasceris in fratrem tuum? Nōne conscientia propria reprehendit te habere oculum nequam, quia ego bonus sum? Quid tibi deperit si bene habeat frater tuus? Quid de illius bono tristaris? Cur nō potius de malo tuo, vt saneris? Quis enim prohibet sanitatem tuam, nisi tu ipse tibi ipsi obsistas? Ideò & adiecit.

Osee. 13.

Ezech. 18.

Nonne si bene egeris recipies? Hebræi à vi vocis loco eius quod dixit interpres noster, *Recipies*, intelligunt, *Erit subleuatio*, vt plures sensus possit hic locus admittere. Et primò quidem intelligendo de subleuatione ab ea demissione vultus, ac si dixerit. Cur deiecisti faciem in terram? Benefac, & eleuabis faciē, idest, liberaberis à tristitia: qui intellectus cōfutat detrahentes operibus bonis, quæ sola in gratia facta subleuant & serenant & pacatam conscientiam reddunt. Secundo, potest intelligi de subleuatione à peccato, vt intelligas per opera charitatis remitti & cōdonari peccata, sicut dictum fuit peccatrici: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et alibi: Charitas operit multitudinem peccatorum: quanquam nec hoc cōcedant Lutherani, adeò sunt fideles amici fidei & non charitatis. Tertiò, potest ea vox aptari ad exaltationem, ac si mitissimè dixerit ei Dominus. Concidit ppterea vultus tuus Cain, quòd vides tibi prælatum fratrem? At hoc accidit illi ab operibus eius bonis factis ex fide, opera autem tua mala sunt. Cur igit tu quoque

Luc. 7.

1. Pet. 4.

tu quoq; non bene agis? Quod si feceris, et tu eleuaberis, idest, sublimaberis gratia mea, vt non torquearis inuidia. Quidam ex Hebręis putant Dominum fuisse pollicitum se Cain exaltaturum etiam super Habel, cũ esset primogenitus, & sic exponunt quod sequitur, *Sed sub te erit appetitus eius*, nimirum Habel. Siue ad te conuersio eius: *Et tu dominaberis illius*, scilicet fratris tui. Et hunc sensum probat B. Chrysostomus. Quarta intelligentia quæ mihi perplacet, quam & pulchrè interpres noster reddidit, est: Quare irasceris in fratrẽ tuum? Et cur demittis vultum tristis de bono fratris tui? Ac si dixerit. Tibi attendendum erat potius non illi, vt benefacias etiam tu. Non enim bonum illius bonum tuum impediet. Tu pariter mercedem tuã si bene egeris recipies, secundum quod conuenisti mecum. Quòd si fratrem tuum velim vberiore prosequi dono, quid inde perdis? Et cur oculus tuus nequam est, quia ego bonus sũ? Itaq; non negauerim fuisse aliquid præcipuę electionis fortasse in Habel, quam fortè Dominus ostẽdit in acceptatione sacrificij, habẽs illum pro primogenito. At non propterea reprobatur Cain, cui tã clarè dicitur: Nõne si bene egeris recipies?

Notandum

Quid ad hæc responsuri sunt qui sic prędestinationem prædicant, vt qui non sit prędestinatus consequenter velint esse reprobatum? Certè Cain prædestinatus non erat, vt fatentur, cum velut homo perditus vituperetur a Scriptura. Si non prædestinatus, sed consequenter (vt ipsi volunt) reprobatus, & reprobatus idem est quod dimissus sibi ipsi & derelictus à Deo, seu non dilectus, nec ordinatus ad vitam æternam, quid est ergo cur illum Dominus tam misericorditer, tam clementer suæ futuræ ruinę admonuit dicẽs: *Cur iratus es? Cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris recipies?* Nunquid fortè irridebat eum Dominus his verbis, *Si bene egeris*, loquens illi in quo non erat facultas, imò cui ipsemet nõ impartibat facultatem bene agendi in finem? Nam tales sunt reprobati. Verè hic locus non habet vllum prorsus effugium. Ab eius ergo proprio peccato & voluntaria perseuerantia contigit eius reprobatio, non autẽ quia derelictus fuerat in massa perditionis, & in vas contumeliæ aptatum à Deo, vt non posset perseuerare si vellet. Nõne Dominus etiam post peccatum sua immensa benignitate ac patientia illum voluit in vas honoris cõuertere? Quid clarius Scripturæ verbis? Vnde & subdit.

Sin autem malè, statim peccatum in foribus aderit? Hebraicè tamen non legitur, *Statim*, sed, *Sin autem malè, ad fores peccatum accumbit?* Primò videndum quid hîc peccati vocabulo, quod dicitur accubare ad fores, significetur. Peccatum enim propriè est actus qui à nobis propria voluntate contra Dei mandatum fit. Quid propriè peccatum.

Quomodo autem de actu illo dici potest qd cubet ad fores, q re vera transiuit? Respõdetur, & si peccatum illud transit actu, non transit tamen in effectibus suis. Manet enim macula, manet libido, manet reatus, manet pęna, quæ cuncta à peccato, idest, ab illo actu inordinatè contra Deum admisso proficiscuntur: nec nouum vt hi effectus vocẽtur peccatum, cum in his effectibus quodãmodo viuat. Verum est ergo, illi qui malè agit manere peccatum quoad prædictos effectus, & accumbere in foribus siue ad hostiũ, per quod conscientia significari videtur, quæ hæc mala cognoscit & quasi vermis remordet. Aut potius significatur per peccatum illa concupiscendi libido quæ ab actu peccati crescit, & cubat ad hostiũ siue ad fores voluntatis, semper ad malum deprecans & alliciens. Quidam per hostium intelligunt nouissimum iudicium, quando iudicabuntur facta tenebrarum conscientia ipsa accusante vel defendente. Tunc enim aderit & accusabit peccatum in suo reatus effectu vt pęnas exigat dignas. Ob eam causam solebant haberi iudicia in portis ciuitatis, vt qui iudicat in portis sciat quoq; se in portis ciuitatis ęternæ esse iudicandũ. Hinc Psaltes: Non cõfundetur cum loquetur inimicis suis in porta. Psal. 126.

Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. De appetitu bene aut male faciendi quidam interpretantur. Nã cum iam dixisset, Si benè egeris, & si malè egeris: nunc subdidit, *Sed sub te erit appetitus eius*, scilicet siue bene siue male faciendi, *Erit sub te*, siue in te, hocest, in deliberatione, siue in arbitrio tuo. *Et tu dominaberis illius*, hocest, dominus eris tuorũ actuum, vt possis siue hoc siue illud, siue bene siue male agere. Est item & intelligentia alia fortasse melior, vt ad peccatum referatur dominatus ad istum sensum. Quanq̃ peccatum accubat in foribus & deprecatur ad malũ, eius tamen appetitus erit sub te, & tu dominaberis illius si volueris, me tamen vno dante & adiuuante. Nõ enim aliter fieri potest: quia iis tantum qui sunt sub gratia peccatum non dominatur, non iis qui sunt sub lege, vt mox declarabitur. Porrò ex hoc loco qualitercunq; intelligas, etiam si nullus alius esset in vniuersa Scriptura locus, cum tñ

ferri in malum, non solum non caret libero arbitrio, sed illud longè verius ac fortius habent: & quantò quis proximior Deo est in hoc mundo, tantò minus habet liberum arbitrium valens ad malum. Nec ideò sequitur minus illum habere liberum arbitrium, quod profectò sequeretur, si ratio liberi arbitrii in hoc esset vt eius facultas æquè se haberet in vtrūq;, idest, in bonum & malum. Sed nō ita est: quia malum sub ratione mali nō potest esse obiectum voluntatis. Et libertas arbitrii hoc tantum importat, vt per illud quis liberè eligat id quod eligit, non coactè, nō seruiliter quasi agatur & non agat qui libero potitur arbitrio: aut si agat, quasi ex instinctu naturæ aut sensitiua potētia agat, & nō ex consilio ac deliberatione. Verùm hanc quæstionem vberius in tractatu proprio prosequuti sumus.

Hactenus manifestè contra negantes liberum arbitrium concluditur. Concluditur & contra ponentes massam perditionis, & constituentes Dominum Deum quasi figulum, qui faciat vasa quædam in honorem, & quædam in contumeliā. Etsi enim hoc possit esse figuli, non tamen est clemētissimi Dei Patris, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnionem veritatis venire. Neq; verò illud exemplum proposuit Apostolus quasi reipsa ita sit, sed tanquàm disputans aduersus quosdam nimiū curiosos & importunos, ad quorum os obstruendum primùm illud obiecit, quòd si ita faceret Deus vt illi existimabant, nemo posset factum iure reprehendere, cum ipse sit super omne ius, solam voluntatem pro lege habens. Non tamen sic facere Deum ipse Apostolus statim declarat. Nulla enim facit vasa iræ, sed postq̄ suo ipsorum vitio & improbitate talia iam facta sunt, ipseq; cum multa & longanimi patientia sustinuit vocans ad pœnitentiam, post hunc inquàm diuinæ longanimitatis contemptū, bene illis vtitur in gloriam suam & electorū suorum. Et hunc sensum probarunt græci Doctores, antiqui Patres, & Chrysostomus palàm explicat. Concluditur deniq; (quod miror aliquos posse inficiari, eos præsertim qui se arbitrantur scire aliquid) in prouidentia Dei non dico in præscientia, non esse determinatum secundum materiam numerum saluandorum aut damnandorum, licet numerus ille prædestinatorū sit determinatus. Pono enim Cain pro eo tempore quo Dominus cum eo verbis benignis satagit vt quiescat & male agere desinat, contrà verò vt bene agat & viuat, erat ne tum secundum pro-

Pro intelligentia 9.c. ad Ro.

uidentiam Dei determinatus vt damnaretur? Si hoc asseuerarent, nonne stultè id dicerent, cum statueretur Dei prouidentia curans illum saluari contra ipsiusmet Dei prouidentiam, quæ iam determinauit damnādū? At non est maiestatis Dei pugnare secum, sed miseriæ atq; infirmitatis hominum.

Quō Deus sit alloquutus Cai

Porrò cum Dominus Deus dicatur fuisse alloquutus Cain, eiq; dixisse quæ superius recitata & exposita sunt, offert se quæstio, quonam id pacto factum fuerit. Caietanus in eam sententiam inclinat, vt non aliter quā internè & non per sensibilia signa, nec modo supernaturali, sed per synderesin arguendo intus & admonendo: in cuius signum (inqt ille) cōmunes tantum rationes resipiscendi in hoc sermone continentur, vt hinc discamus officium synderesis nō naturæ attribuere aut Angelo, sed ipsi summo Deo q dat esse omnibus quæ sunt: hæc ille. Verè quæcunq; sunt, non sunt attribuenda secundis caussis seclusa prima, sed nec primæ secūdis exclusis. Iccircò in Scripturis multa quæ natura fiunt, ipsi naturæ attribuuntur. Apostolus enim ait: Gentes enim quę legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt. Et similiter multa quæ per Angelos facta sunt, ipsis Angelis attribuuntur: vndè & lex data dicitur per dispositionem Angelorū. Quare non video quantum prosit ipsa cautio & admonitio Caietani. Aliud est si dixisset, vt discamus quæ sunt à natura vel ab Angelo, rectè posse Deo vt primæ & maximæ causæ attribui, & non sic quodam modo vetare, ne naturæ aut Angelo attribuantur, quod adiuuat hæreticos Lutheranos. Nam quod ad rem propositam pertinet, nescio an vlla vniuersæ Scripturæ historia narret quicq̄ factū esse à Deo, quod naturæ viribus factum sit: alioqui magna daretur nobis ad errandum occasio. Multi enim opinarentur Deū non per rerū formas agere, quæ naturaliter agūt, aut saltem nesciremus quando vel per se ageret vel naturaliter, si apud Scripturas omnia Deo tribuerentur. Quamobrem longè verius existimo, eam Dei alloquutionem non tantum per synderesin factam, sed per Angelum Dei siue externè (quod verius videtur) siue aliquo modo internè, clarè tamē ex Dei iussu ac voluntate alloquentem. Nam quæ sic per Angelos fiunt, eadem fieri ab ipso Deo sæpius enarrando pronuntiantur, & meritò. Nam quę facultatem nostram naturalē excedunt, & ab Angelo in nobis fiunt, qui est quodammodo loco Dei, ab ipso Deo cōgruè fieri dicuntur. Hoc autem existimo ab

Rom. 2.

Q

aliis Dei verbis ipsi Cain inferius factis facile posse deprehendi, quę si rectè perpendantur, equidem non videbūtur sermones communes qui à synderesi oriri possint, quemadmodum hoc in loco ipsemet Caietanus inficiari non potuit. Quare B. Augustinus in li. 15. de Ciuit. Dei cap. primo, apertè dicit p subiectam creaturam Deum esse alloquutū Cain, sicut & parentes eius.

Dixitq; Cain ad Habel fratrem suum: Egrediamur foras; Cumq; essent in agro consurrexit aduersus fratrem suum Habel, & interfecit eum. Consideremus admirabilem Scripturæ circumspectionem, cui non fuit satis dicere, *Dixit Cain ad Habel*, Sed adiecit, *fratrem suum*, vt horribile parricidii scelus exaggeraret & ita poneret ante oculos, vt nec segnem lectorem fugere posset. Adiecit, *Egrediamur foras*, siue in agrum, vel in campum. Et sic esse in antiquissimis hebræorum arcanis testatur Origenes, à quibus accepit. Attamen in hebræis codicibus non exprimitur quid dixerit Cain fratri suo. Quidam dicunt illum retulisse ei verba, quibus à Domino reprehensus fuit. Verisimilius est omninò illum dixisse: *Egrediamur foras*, vel egrediamur in campum, sicut interpretes adiecerunt. Conceperat enim iā odium & parricidium, inuidens fratri (vt credibile est) primogenituram & electionē, quā à signo sacrificii cognouit in illo esse constitutam de Christo venturo. Quare instigante Diabolo deliberauit eum perdere, ne de illius semine nasceretur Christus, & per hoc Dei electionem impedire: tantum audet humana feritas à Diabolo excitata, quę sæpenumero eò prorumpit vt omnium ferarum lōgè superet immanitatem. Cum tempus ergo esset opportunum ad parricidium, quærit et locum aptum feruente ira, vt scelus cogitatū & consilio deliberatum agnoscas, & detestabilius fuisse intelligas. Et nota, quæso, iram pessimam, quam fouerunt benigna illa Domini verba mansuetissimæ reprehēsionis plenissima, cum tamen omninò restinguere debuerant. Ita fit in his qui semetipsos deprauant & ad malum obdurant, vt quod extinguere ipsorum iram deberet, nimirum Dei lenitas & tolerantia, diuina benignitas & expectatio in longanimitate, quæ pœnitentiam deberet excitare in corda peccantis, ipsa obdurationem potius operetur. O' insipientiam hominum certè incredibilem, nisi assiduè paterent exempla, quæ in omni seculo multos inueniri Cain declarant, qui sacrificant in perfidia. Quis igitur non horreat, & non sibi à tanto sacrilegio caueat, nisi ii q tales seipsos faciunt, qualem ille seipsum cōstituit, videlicet mundi huius amantem & de æternis desperantem?

Verbis ergo lenibus & proditoriis abduxit eum à conspectu patris & matris, vt credibile est, & à loco sacrificii, idest, à templo & altari, & duxit foras in agrum vel in campum, vt ibi securius explere infandum facinus valeret: quod certè non vacat mysterio. Significatus est enim vetus Habel Dominus IESVS qui egressus est foras extra vrbem & templum, vt ibi non huius aut huius populi, sed omnium gentium significaret se auferre peccata, & redimere omnes qui agunt sub Diuo, & agnoscunt se non habere hīc ciuitatem manentem, sed esse peregrinos & aduenas super terram. Ergo cū ibi essent ambo, consurrexit Cain aduersus fratrem suum & interfecit eum.

Ecce primus euidēs fructus Adæ, insignis spina patri Cain parricida. Cogita lector q̄tum dolor, quàm acerbus animi cruciatus fuerit parentibus, quæ lætitia Dæmonum? Hic enim factus est semen serpentis primus, vt pugnaret & persequeretur Christū, & ita factus caput & pater omnium quærentium Christi sanguinem, vt sit vna horum quodammodo generatio, de qua Dominus comminatur in Iudæos tandem venturum omnē sanguinem iustum qui effusus est super terrā à sanguine Habel iusti &c. Non commemorauit Scriptura quę verba ante interfectionem intercesserint inuicem, nec si quid responderit Habel, aut conquestus fuerit, vel se defenderit. Nec item ferrône occiderit eum Cain an quouis alio modo. Hoc certum, quòd effusio sanguinis ex Domini verbis innuitur. Sunt autem qui inquirant, vbinam adesset ferrum: quasi verò tum iam non fuisset inuentum ferrum, cum ad multas commoditates exigeretur, & iam multi anni fluxerant ab ipsa mundi origine. Nonne Cain memoratur fuisse agricola? Terram autē quis potest sine vsu alicuius ferrei instrumenti excolere? An lignis solis? At nec ligna nisi ferro scindūtur accommendentur & acuantur; seruire nequeunt. At non solet ea exprimere Scriptura quæ nullius sunt vtilitatis, possunt autem ingenii acumine & solertia facile coniectari. Satis est nobis supprimi hīc Habel defensionem: quia credibile est nullam fecisse, sed manibus parricidæ se quasi agnū ad victimam trucidari permisisse, & Christi figuram & exemplū nobis, quicunq; fuerimus ex Christi semine, reliquisse.

Matth. 23

Dicet quis, Nōne licita est suipsius defensio? An sit licita sui defensio?

sio? Fuerunt hypocritæ, qui negarunt licitam esse christiano in lege gratiæ defensionem propter verba Christi, & Apostolorū, & exempla Martyrum. Dominus enim prohibuisse eam videtur, cum percutienti maxillam iubet præberi & alteram. *Matth. 5* Et Apostolus ait: Non vos defendētes charissimi, sed date locum iræ. *Rom. 12.* Et iterum: Non malū pro malo, sed pro malo bonum reddentes. *ibid.* Verū qui rectius scrutantur Scripturas, clarè cernunt, quæ sunt perfectioris iustitiæ ea non esse in ordinem præceptorum trahenda: de quibus copiosius dicendum esset, sed suis locis opportunius seruantur. Hîc certè libenter admittimus, Habel non se defendisse, sed fide & patientia armatum libenter fudisse sanguinem, vt & ipse initium quoddam esset in semine quod est Christus, ad quod venientes alii deberent aspicere, quemadmodū ipse procul dubio ad Christum aspexit, & cępit triumphans voce sanguinis exclamare: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. *1. Cor. 11.*

Et ait Dominus ad Cain: Vbi est Habel frater tuus? Qui respondit, Nescio. Nunquid custos fratris mei sum ego? Dixitq; ad eum: Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me terra. Nunc igitur maledictus eris super terram quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratri tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit fructus suos, vagus & profugus eris super terram. Dixitq; Cain ad Dominum: Maior est iniquitas mea quàm vt veniā merear. Ecce eiicis me hodiè à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra. Omnis igitur qui inueniet me, occidet me. Dixitq; ei Dominus: Nequaquā ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur. Posuitq; Dominus in Cain signum, vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eū.

Et ait Dominus ad Cain: Vbi est Habel frater tuus?

Hoc in loco necesse est dicere Dominū externè fuisse loquutum & sensibiliter per ministerium Angeli, quod est valdè notandū. In illa enim mundi origine opus erat diuina instructione & modo super naturali, vt iacerentur fidei & religionis fundamēta: quoniā non satis erat doctrina paterna. Nam Deus semper in initiis rerum consueuit signis & prodigiis supra naturam fundamenta fidei constituere, vt patet quando populum sibi peculiarem adoptauit illum hebræum, & veterem legem dedit. Et item cum nouam postmodo, idest, Euangelium signauit in discipulis suis, per quos orbem terræ miraculis impleuit. Quo magis mirandum de perfidia & desperatione Cain, in quo benignitas Dei mansuetudinem ac pęnitētiam debebat operari, & tamen operata est cum infidelitate & obstinatione furorem, sicut accidit in Iudęis. Vnde Dominus vt ille ad semetipsum rediret ac tandē resipisceret, & quale quātumq; scelus patrauetat recognosceret, dixit ei.

Vbi est Habel frater tuus? Sunt qui existimāt Deum quasi Iudicis officio fungentem interrogasse Cain. Quapropter volens legitimā iudicii formam monstrare, interrogat etiam sciens. Iudicis enim est eorū quoq; quæ ipse apprimè nouit, per interrogationē à reo cōfessionem exigere, vt in confessum sententiā iuridicè proferat. At istud non videtur verū, quia nondum erat tēpus diuini iudicii. Vñ nec pronuntiata est vindicta in Cain, sed voluntate Dei seruatus fuit, q aliâs debebat mori. Hæc est enim debita homicidę pęna, vt q occidit, occidatur, sicut dixit Dñs. Alii ergo melius dicunt, hîc Dominum personam quasi clementis patris exercuisse, & illis verbis potius arguisse Cain de facinore tanq̄ de re iam comperta, vt prouocaret eum ad detestationem tam execrandi sceleris, & ad pęnitētiam & confessionem quæ fit coram Deo nō vt iudice, sed vt patre misericordiarū & Deo totius consolationis ad placandum illum. Quo in loco etiam summa Dei patris clemētia consideranda est, qui non secus agit nūc cum peccatoribus per Scripturas & exempla & prædicationes, quàm tūc illo familiari sermone cum Cain egerit, vt nullus se excusare valeat, nec dicere: Dominus non est me alloquutus, neq; reprehendit sicut Cain. Etsi enim tūc voce quasi miraculosa per Angelos alloqueretur, nunc tamen non minus firma voce per Scripturas & Ecclesiam alloquitur, quam innumeris roborauit miraculis. Nemo igitur dicat: Non alloquitur nos Deus sicut patres antiquos. Nam si eā Dei allocutionem credis, satis est tibi, nec vlterius miraculis eges. Si non credis, ausim dicere cum Domino, nec si miracula ederētur

& mortuorum fierent suscitationes, iis fidem esses adhibiturus. Quare attende, obsecro te, ad Cain, & considera quid illi profuit audisse eloquia Dei. Attende inquam, qua impudentia facinorosus homo benignam Dei vocem exceperit.

Grauitas peccati Cain. *Qui respondit: Nescio. Nunquid custos fratris mei ego sum?* Multa sub iis verbis crimina agnoscuntur. Primum est mendacium non officiosum, non iocosum, sed impudens, perniciosum valdè ac sacrilegum. Inficiatur factum, quod tamen recens erat & manifestū. Deinde mentitur ipsi Deo non hominibus, & (quod summum ingrati animi prodidit testimonium) mentitus est Deo post fusum sanguinem fraternum prouocanti adhuc ad pęnitentiam, & pollicenti misericordiam. Pręterea, his criminibus adiuncta est insignis illius perfidia, qui visus est putare Deū aut nescire, aut nullam habere rerum humanarū curam. Postremò, in ea responsione ostendit omnem inhumanitatem ac feritatem, primò in Deum ipsum cui tam ruditer & barbarè respondit dicens, *Nunquid custos fratris mei sum ego?* Quasi Deus exigeret ab eo quæ ad illum non attinerent. Secundò ostēdit crudelitatem in fratrem omni perfidia immaniorem, teste Apostolo qui dixit: Si quis suorū 1 Tim. 5. & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Quid ergo dicetur de illo qui nedum nō habet curam ad salutem, sed econuersò summam curam adhibet ad perditionem, quemadmodū iste fecit? Vide quid valeat superbia, quantum possit inuidia, quid non exerceat atrocitatis desperatus animus.

Sed nūc Dominum respondentem audiamus. Negat Cain se scire vbi esset Habel frater suus. *Dixitq; Dominus ad eum: Quid fecisti?* Non interrogat eum denuò, sed tanq̄ certò sciens quid fecerit, his verbis potius hominē vrget ad ipsius facti considerationem, nequitiam, & malignitatem, ac si clarius dixisset. Notum est quod fecisti, sed eius rei grauitatem atq; malitiam velim abs te pōderari, quā tu excæcatus non vides. Credibile est autē Dominum Deum sic illum fuisse alloquutū, vt simul intus lumine interiore ostenderit ei atrocitatem criminis atq; immanitatem: quem item fecit considerare non modò in fratrem, sed etiam in ambos parētes patricidium illud fuisse admissum, ad quod nulla iniuria prouocatus, nullo damno affectus irrupit, sed (quod est immensum scelus) quia vidit fratrē à Deo ob probitatem & eius opera iusta diligi: se autem & opera sua quæ maligna erāt, non probari. Sic enim testatur Dilectus in sua epistola. O' quanta hinc suppeteret inuehendi in flagitiosos homines materia, nisi nos cōmētaria, nō inuectiuas meditaremur.

Vt verò intelligeret Cain se esse deprehēsum, adiecit Dominus: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Ac si expressius verba Cain qui respōdit, Nunquid ego custos fratris mei sum? in hunc modum exciperet dicens: Verè scio te non fuisse custodem fratris tui, q̄ tam atrociter illum trucidasti. Ego custodiam abs te nunc non exigo: sed nūquid hoc abs te exigebam, vt sanguinem fratris tui tanta crudelitate effūderes? Si saluare noluisti, saltem non perdidisses. Tu verò virū iustum perdidisti infelix: ideò vox sanguinis clamat ad me de terra. Audio, audio inquā vocem calentis adhuc sanguinis, qui te accusat, qui vindictam implorat. Non est hæc vox patris aut matris quæ liberos suos accusare nescit, nec est vox fratris tui, quē tu atrociter interemisti. Nam ipse obmutuit & nō aperuit os suum, quin potius ipsum sanguinem pro salute tua maluisset esse effusum: sed est vox ipsius sanguinis quæ clamat ad me de terra illo innocenti sanguine consecrata, quo pollutæ sunt manus tuæ. Porrò hæc accusatio congruè tribuitur sanguini: quia in sanguine est anima hominis, quę dum quisquis is sit, iniuria priuatur, iure sanguis ipse clamare dicitur. Notēt hoc omnes homicidę qui fratrem suum occidunt (omnes enim fratres sumus in Christo) quoniam effusus sanguis clamat ad Deum qui aliquando seuerè vindicabit.

Nunc igitur maledictus eris super terram quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cogimur hoc in loco fateri, Dominū iudicis personam tenuisse. Quomodo ergo superius diximus non iudicis, sed patris potius, aut etiam medici partes egisse? Respondeo, non mutamus dictum. Neq; enim hoc in loco Deus se iudicem constituit, intelligēdo de iudicio æterno, sed partes iudicis temporales exercuit, cū nullus tunc adhuc esset præter solum Adam patrem, qui posset canonicam ac tēporalem exercere iurisdictionem. At noluit Dominus hoc dare patri, qui & ipse antè peccauerat: & quia pater erat, iccircò Deus dignatus est vicem hominis iurisdictionem habentis supplere. *Maledictus erit*, inquit, *super terram*, siue de terra. Vbi non maledicitur terra propter Cain, sed ipse Cain: sicut Serpens à principio maledicitur, vtpotè semen serpentis, nec iam dignus cui Christi sanguis in quem non credidit, prodesse

prodesse deberet. Videtur autem hæc Cain maledictio nihil aliud fuisse quàm eiectio ab ea terra quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem Habel de manu sua. Prohibitus igitur fuit ibi comparere, vbi tantum scelus patrauerat, cum omnino indecens esset vt vlterius nefarium illum hominem terra illa substineret, quæ de ipsius manu sanguinem fratris sui susceperat. Sic exterminati sunt impii Iudęi ab ea terra, vbi sanguinem fuderūt veri Habel fratris & domini sui IESV Christi. Spiritualiter autem à terra quæ est Christus, & ab Ecclesia congruenter hi segregantur, qui iustorum propter iustitiam ac testimonium fidei patientium, sanguinem fundunt, quem ipsa terra, idest, Christus & Ecclesia suscipit

Psal. 115. cum honore. Pretiosa est enim in conspectu Domini mors Sanctorum eius.

Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos. Alii vertunt, Non dabit vim suam aut virtutem suam: & idem est. Hebraicè desideratur relatiuum, Eam, sed si operatus fueris terram. Potest ergo fortè intelligi de quauis terra, quæ non erat reddítura colenti virtutem suā: quanquàm magis placet de eadem terra esse dictum à qua illum eiecit, hoc ipso facto reddens illi sterilem. Cogitur enim homo loca relinquere vbi non pascitur: & hoc allegoricè ac mysticè verum est. Nam spiritualiter illa terra Hierusalem facta est illis sterilis, cū careant templo & sacrificio, & iccircò miserabiliter vagi & profugi errant & exulant super terram. Ad hæc, terra illorum quæ erat Christus & ecclesia sanctorum, facta est eis sterilis, siquidem non vlterius ex ea proueniunt spirituales fructus iis excommunicatis, parricidis, & sacrilegis qui fratrem suum

Excommunicatio quàm metuenda. perdunt. Talis pęna est excommunicatio, quam nunc vulgus infidele non pertimescit. Priuatur enim per illam homo spiritualibus fructibus verę terræ lac & mel fluētis, hoc est,

Lutheri blasphemia. Christi & corporis eius. Lutherus semē serpentis & Cain, inter insanias quas euomuit, hanc posuit aliquando, uidelicet non solùm non timendam esse excōmunicationem, sed diligendam & amplectendam: quo dicto qd potest cogitari peruersius? Vulgus autem insanum nihil aliud se existimans quàm brutum animal, illud iam extulit in prouerbium. Etiam excōmunicati panem edunt. Sed mentitur in caput suum, ignorans hominem non posse de solo pane viuere, sed in

Matt. 3. omni verbo quod procedit ex ore Dei. In hoc quippe est vita vera, si facimus (teste Do

Ioa. 4. mino) præcepta Dei: Meus cibus est vt faciā voluntatem Patris mei. Hoc autē vero pane non vescuntur excōmunicati, ac propterea non sunt existimandi viuere. Aliud est si fortè Prælatus potestate abuteretur, nimisque facilis esset ad excomunicandum, cum sit pęna super omnem pęnam. Nos enim huiusmodi abusuū patrocinium nō suscipimus, sed vnumquenque sedulò admonemus, vt non propterea potestas q̄ Dei est contēnatur, & sacerdotiū honorabile qd cōstituit suo verbo Dñs.

Adiecit & aliam pęnam Dominus, dicens: *Vagus & profugus eris super terram.* Digna profectò pęna homicidio, vt qui per illud odiosus factus sit terræ, non queat ibi consistere. Septuaginta loco eius quod legimus, *Vagus & profugus*, substituerunt, suspirans & tremēs. Et ideo *Vagus & profugus*, hoc est, instabilis, vt qui ab vltione diuina vbique trepidet, cuius certè expectatio durissima est pęna, & meo iudicio etiam ipsa morte acerbior.

Dixitque Cain ad Dominum: Maior est iniquitas mea quàm vt veniam merear. Confessus est tandem non solùm quia vidit se deprehensum; sed quia vidit se iustè condemnatum. Post sententiam ergo, post sensum pęnæ, cuius pauor iam & formido in perturbata consciētia locum occupauerant, duo confitetur. Primum se peccasse, deinde maiorem esse iniquitatem suam quàm vt dignus esset venia. Sed quid ei prodest illa confessio? Nihil profectò. Sic vnicuique post iudicii diem eueniet. Hæc futura est vniuscuiusque damnatorū vox & clamor. Maior est iniquitas mea quàm vt veniam merear.

Videndum tamen hoc in loco primùm, an hæc verba sint animi qui ab omni spe deciderit. Hoc enim manifestum videtur, & sic interpretati sunt omnes ferè Doctores, tametsi quidam Hebræorum secus existimēt, qui legunt hæc verba interrogatiuè in hunc modum: *Nunquid iniquitas mea maior est quàm vt veniam merear?* Quasi dicat, Minimè. Sed hæc expositio nullo modo placet, cum sequentia verba minimè ei conuenire possint. Sunt ergo verba exacerbati & deiecti animi, quique prorsus omnē spem amiserit. Nunquid autem sunt verba vera, an potius mendacium? Quidam ex magnis Doctoribus putant esse mendacium. B. Chrysostomus verò & alii nonnulli contradicunt. Et reuera si verborum proprietatem attendimus, non video cur nō defendi possint esse verissima. Eousque enim processerat iniquitas Cain non solùm peccando in fratrem, sed etiam in Deum respuendo eius primam & secundam admonitionem & clementiam tam benignè oblatā, vt sit verissimum eum se indignū constituisse

Q iii

omni misericordia, quam iterum atque iterum contempsit. Aduertendum est namque non dixisse Cain, Maior est iniquitas mea quàm benignitas, aut pietas, aut misericordia tua. Hoc quidem mendacium fuisset: sed dixit, q̃ vt veniã merear, quod certè verissimum est. Quid enim misericordiæ meretur qui Deum offendit? Quantò minus qui peccauit peccatum grande in Spiritum sanctum contra oblatam misericordiam, vnde indignum se illa reddidit? Nam hoc peccatum cõtra bonitatem Spiritus admittitur, ideò non habet quicq̃ in meritis vt remittatur neque in hoc seculo, neque in futuro. B. Chrysostomus dicit, Ideò non merebatur iam tunc veniam, quam cum offerebatur recusauit, negãs peccatum quod postmodo intempestiuè confitetur. Itaque verum est, hominem peccatorẽ interdum ob diuinæ misericordiæ contemptum quam sibi sentit oblatam, eò se præcipitem dare, vt omnino reprobus fiat in hoc mundo, & hoc facit postremus eiusmodi cõtemptus. Sicut enim post mortem quando iudicium iam perfectum est, nullus relinquitur fructuosæ pęnitentiæ locus, ita & post illum contemptum accidit, qui constituit etiã terminum vitæ & iudicium quoddã Dei, nobis tamen occultum, post quod non datur ingratis resipiscere. Hoc peccatum est illud

1 Ioan. 5. ad mortem de quo Dilectus ait: Non pro eo dico vt roget quis. Vnde verè B. Chrysostomus dixit: Magnum aliquid & saluti nostræ plurimum conducibile licet addiscere, si voluerimus attendere. Et verè sic est. Hoc enim magnum est, discere non abuti benignitate & longanimitate Dei & patientia, & facere dies iudicis. Scimus & nos Dominum ad se reuertentem peccatorem non eiicere, modo tempestiuè & legitimè reuertatur. Fac igitur vt reuertatur: ipse est enim qui dat vt queat reuerti. Qui si non faueat, si te in sensum reprobum dimiserit, quomodo & quã-

B. Ambrosius. do reuerteris? Eleganter dixit hoc in loco B. Ambrosius: Nihil grauius quàm errãtem à Deo deseri, vt se reuocare non possit. Mors peccatoris finem peccandi affert. Vita autẽ diuino gubernaculo destituta præcipitatur, & in grauiora prolabitur, vt si pastor gregẽ relinquat, incursent bestiæ. Ita cum Deus deserit hominem, ingruit Diabolus. Hęc B. Ambrosius. Vide igitur quicunque es peccator, ne diuitias benignitatis eius contẽnas, & interim iram tibi thesaurizes in diem iræ. Etenim pęnitentia valet & salubris est, si tñ (vt diximus) fuerit legitima ac tempestiua.

Heb. 12. Esau non inuenit locum pęnitentię, licet cũ lacrymis eam cõquisiuisset. Et Anthiochus 2. Mach. 9. implorabat misericordiam non consequuturus, ait Scriptura. Sed ne aliunde petamus testimonia, respice hîc (quæso) ad Cain. Vidit infelix casum suũ, cognouit non dari sibi locum pęnitentiæ, & iam factum esse iudicium contra se, vt ait B. Chrysostomus. Ideò verba verissima & spe omni destituta (vt iustificetur Deus condemnans eum) protulit dicens: *Maior est iniquitas mea q̃ vt veniam merear.* Aut hebraicè, *Quàm vt leuetur*, quod eundem sensum reddit. Itaque à conscientia propria quisque damnabitur.

Ecce eijcis, siue eiecisti, me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra. Intellexit sententiam qua primò eiectus fuit à facie terrę, hoc est, illius terræ quam iusti sanguine coinquinauit. Et consequenter vidit se Dei familiaritate priuatum, vnde ait: *Et à facie tua abscondar*, hoc est, nunquàm vlterius vocabis me, nec ostendes te mihi benignum & misericordem. Non audiam vlterius vocem illam clementiæ quam spreui, cũ aiebas mihi beniuolus: Quid iratus es? Et quare concidit vultus tuus? Nonne si bene egeris recipies? Abscondar enim à facie tua: quia nec tu me videbis amplius oculo paternæ dilectionis, nec ego te q naccessibilis es, & nisi tu teipsum ostendas: at istud nunq̃ facies mihi in ęternum. Est autẽ maxime credibile, statutum fuisse Adæ certum manendi locum vbi Dominus sese ostendebat, & quò conueniebant ad cultum, à quo loco potissimum est eiectus Cain.

Et ero vagus, et profugus in terra. Hæc pęna quæ proculdubiò fuit temporalis, illam æternam mirificè significat. Hæc enim sũma erit dãnatorum pęna, cum eiicientur à terra, idest, ab Ecclesiæ consortio & corpore Christi, & Dominus se abscondet ab eis: & ita quasi errantes in æternis tabernaculis, vagi & profugi à cęlesti patria nullo loco consistent. Sic quando duritia sua Iudæi Christum volebãt lapidare, abscondit se ab eis, vt habet Euangeliũ: & nunc hanc illorũ pęnã oculis nostris cernimus assiduè. Ioan. 12.

Omnis enim qui inuenerit me, occidet me. Hanc consequentiã à Domini sentẽtia elicuit: quoniam vitæ suæ metuabat, & à conscientia arguebatur quæ dictat, occidentẽ hoc mereri vt occidatur. Verùm non est Dei iudiciũ in hoc tẽpore, vt præsenti vita quenq̃ ob vllũ peccatũ priuet. Habet enim & Ecclesia Dei sancta gladium, sed vult IESVS esse reconditum in vagina, sicut dixit Petro. Hoc igitur est Principum terræ vt gladiũ hunc exe- Ioan. 18.

rant,

rant, non autem Prælatorum Ecclesiç, quibus hoc vltimum dedit in terra, quo proteruos ferirent supplicio: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus, id est, hospes & peregrinus exclusus à regno Dei. Istud autem est longè deterius morte, licet infideles homines non credant, nec id mirum cum animales sint & non diiudicent spiritualiter corpus Christi. Quapropter Dominus subiunxit.

Nequaq. ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain septuplum punietur. Erat quæstio à quonam metueret occidi Cain, cum nullus esset super terram præter Adam, & ipse tamen dixit: *Omnis qui inuenerit me etc.* Sed iam ad hanc dubitationem superius respondimus: quoniam necesse est eo tempore fuisse iam multos homines super terram. Scriptura autem id non enarrat, quia non opus erat. Dominus ergo ait: *Nequaquàm ita fiet.* Non sunt hæc verba prophetantis, sed ne id fieret prohibentis, quod tamen videtur absurdum. Si enim qui occidit, meretur occidi, cur igitur prohibet Dominus ne occidatur? Respondeo, Nulla erat ab initio statuta expressa & particularis lex in homicidam qua temporaliter puniret, cum leges post patrata scelera scriptę fuerint. Et Dominus qui à principio personam ecclesiastici rectoris ac pastoris eum hominibus gerebat, noluit vti gladio temporali, vt dictũ est. Licet autem ipse non constituerit tunc istam gladii pęnam, non propterea vetuit eã statui à legislatoribus secularibus, quandocunq; concederet aut permitteret eis potestatem ac iurisdictionem. Quod autem hîc prohibuit, priuatis hominibus prohibuit, non magistratibus ne illum occiderent. Verũ id valde torquet multos, quod sequitur: *Sed omnis qui occiderit Cain septuplum punietur.* Nõ .n. dicit, Omnis qui quemcunq; occiderit: Sed omnis qui occiderit Cain. Nonne multò leuius peccatum erat occidere Cain parricidam & infidelem, quàm Habel iustum, vt sic nõ mereretur septuplũ puniri? Audi prudẽs lector. Dominus Deus cum ea plaga punierit Cain quæ erat morte ipsa maior, ob excellentiam criminis vetuit, ne quisq; eum occideret, quò continuum parricidæ suppliciũ omnibus pateret assiduè in exemplum. Tale enim relictum est Iudæis qui occiderunt Christum, ne occiderentur ipsi, sed vagi & profugi & miseri & peregrini essent cum ab Ecclesia, tum etiam à possessione & iurisdictione terræ expulsi. Quare Dominus ipse ait in psalmis: Deus ostendit mihi de inimicis meis ne occidas eos, ne quando obliuiscatur populus meus. Redde eos vagos in populo tuo, siue in fortitudine tua, & depone eos protector meus Domine. Cum enim pęnæ temporales debeant esse non in vindictam, sed in medicinam & exemplum, si mox fuisset occisus Cain, non tam efficax exemplum fuisset ante oculos positum. Ideò magna fuit causa prohibendi eius occisionem, vt cũ suo signo staret omnibus in exemplũ. Mitto non fuisse priuatorum hominum eum punire. Quòd si quandoq; oppositum legis in Scriptura, vt in historia Phinees, & quibusdã sanctorum exemplis, illa debent Spiritui Dei mouẽtis ascribi: alioqui nullus propria autoritate potest sontes homines occidere, aut quoduis scelus vindicare.

Cur Dominus vetuerit occidi Cain.

In Iudæos.

Psal. 59.

Notandum

Sed illud durum, Quanam ratione ab eo qui occiderit Cain, septuplũ exigatur. Huius quęstionis occasione varii sensus suborti sunt. Septuaginta dixerunt: *Qui occiderit Cain septem vindictas exoluet.* Quod sic exposuere quidam: Septem dabit pęnas, quas pro septem peccatis debebat Cain, cuius septem peccata enumerant. Et hic sensus videtur rationabilis, vt qui septem vindictas abstulerit à Cain, eas ipse luet. Alii verò dixerunt, Interfectorẽ Cain esse puniendum nõ septuplum comparatione Cain, sed septimùm, hoceft, vsq; ad septimam generationem. Alii inter quos Cyrillus, *Septuplum*, hoceft, perfecto supplicio vt verus homicida. Nam septenarius numerus in hanc significationem apud Scripturas sumitur, ne quis putaret licere priuato occidere reum atq; nocentem. Alii verò sic intelligunt: *Qui occiderit Cain.* Vt hîc sit punctũ, & more hebraico aliquid tale subintelligatur, Non impune scilicet fecerit, sed punietur vt homicida. Et quod postmodo sequitur, ad Cain referatur qui septuplũ punietur, id est, in septem generationes. Verùm ineptum satis hoc et penitus lacerare literã videtur. Quo circa locus hic (vt verum fatear) visus est mihi semper difficilis. Inter cęteros autem illa Cyrilli intelligentia mihi magis placet, quam & Caietanus sequitur. Nam & mox Scriptura testatur Cain septies puniendum.

Posuitq; Dominus signum in Cain vt non interficeret eum omnis qui inueniret eum. Quale autem signũ hoc fuerit, non exprimitur. Quidam arbitrantur illud fuisse signum, nimirum quòd tremens & vagus & profugus esset in terra, nullas habens in ea stabiles sedes. Talis est quoq; Iudæorum populus, vt diximus. Alii nouum aliquod signum volunt. Alii legunt non signum positum in Cain, sed Cain positum in signum, quod non est iuxta hebraicã

literam. Satis est Dominum Deum certo signo voluisse quocunque proficisceretur, cognosci illum vt nocentem & parricidam. Et ob eam causam meritò iubetur gestare signū Iudęi, vt parricidii illius, imò (si licet dicere) deicidii memores sint quod patrarūt. Quidam proponit dubitationē, cum Dominus per Mosen voluit licere cognato vindicare statim sanguinem propinqui sui, cur nō hîc similiter? Respondetur, aliud atque aliud in legibus diuersa tempora requirunt. Nam p Mosen multa concessa sunt ad duritiam ceruicis Iudæorum, quæ ab initio (teste Domino) non permittebantur.

Egressusq; Caín à facie Domini habitauit profugus in terra ad oriētalem plagam Eden. Cognouit autem Caín vxorem suam, quæ concepit & peperit Enoch: & ædificauit ciuitatem, vocauitq; nomen eius ex nomine filii sui Enoch. Porrò Enoch gēuit Irad, & Irad genuit Mauiael, & Mauiael genuit Mathusael, & Mathusael genuit Lamech qui accepit duas vxores, nomen vni Ada, & nomen alteri Sella. Genuitq; Ada Iabael, qui fuit pater habitantium in tentoriis atq; pastorum: & nomen fratris eius Iubal, ipse fuit pater canentium cythara & organo. Sella quoq; genuit Tubalcain, q fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri. Soror verò Tubalcain, Noema. Dixitq; Lamech vxoribus suis Adæ & Sellæ: Audite vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem meum; quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulū in liuorem meum. Septuplum vltio dabitur de Caín: de Lamech verò septuagies septies.

Egressusq; Cain à facie Domini, Hoc in loco satis ostenditur, reliquisse Cain locum Iudeę vbi Deus se ostendebat ab initio. Nec fortè temeraria est illa vulgaris persuasio, qua existimant non pauci, locum sacrificii Habel & Cain fuisse Hierusalem. Et sic effectus est Cain atheos, hoc est, sine Deo in terris, iacturam faciens eius benignissimæ prouidētię, quam solitus est benignissime in suos extendere. Tales sunt nunc Hebręi & adhuc nō sentiunt, qui perdidere sacrificium in terra, & suam Hierusalem, nullam de illa cęlesti spē habentes, de qua etiam parum aut nihil curant, sed ad temporale regnum auidissime aspiciunt & anhelant.

Habitauit profugus ad orientalem plagam Eden. In hebræis legitur, *In terra Nod*, quæ vox, teste D. Hieronymo, significat profugum & instabilem, vt habet interpretatio nostra. Nō enim erat terra, inquit ille, huius nominis Nod. Quòd verò ait, *Ad orientalem plagam Eden*, manifestè significat versus locum Paradisi. Ac mihi quidē credibile videtur, Cain eam partem inhabitare voluisse, quam pater Adam propter verbum Domini vetuerat, ne quisq; illùc accederet. Sic inquam opinor, vt notetur malus Cain animus, qui felicitatem in hoc mundo, vbi verè nulla est, requirebat: cum iam impossibilis esset illi redditus ad Paradisum aditus. Alii existimant assignatum illi fuisse à Deo locum illū quò acerbius torqueretur, cernens se prope voluptatis locū esse constitutum, quem tamen prohiberetur adire. Simili pęna torqueri Tantalum fingunt Poetæ.

Cognouit autem Cain vxorem suam, quæ concepit & peperit Enoch, & edificauit ciuitatem, vocauitq; nomen eius ex nomine filij sui. Quidam ex Lutheranis sic exponit, Vxorem suam, non matrē aut sororem, sed aliquam cognatarum. Caietanus econuersò, asseuerat fuisse sororem: quod longè credibilius est. Oportuit enim aliquem ex Adæ filiis iūctū fuisse sorori, alioq genus humanum fuisset extinctū. Cur ergo Cain primogenitus Adæ hoc nō fecerit, nulla profectò afferri potest idonea ratio. Alioq fuisset necesse illum expectare sobolē fratris, & sese nepti coniūgere, quod tunc non minus incongruum fuisset. Quare miratus sū quam hoc in loco Lutheranus ille circunspectionem habuerit.

Quęstio est in quem sensum verum dici possit Cain genuisse Enoch, & ædificasse cōtinuò ciuitatē eius nominis. Qui potuit hoc fieri, cum tam pauci essent homines in mundo, videlicet Adam & Cain & Enoch? Respondet B. Augustinus non fuisse Enoch primogenitum Cain, sed ferè vltimum. Verùm nec necesse est ita dicere, cum potuerit genuisse Enoch longè ante quàm sacrificauit, quod est magis vero simile. Itaq; tempore sacrificii credibile est multos iam liberos habuisse, *Quomodo Cain ciuitatem ædificare potuerit.*

habuisse quos aſi genuerat. De Habel aũt nihil dicit Scriptura, ex quo rationabiliter credi potest eum fuisse virginem, vt in illo virginitas cum martyrio sanctificaretur. Quo in loco conuenio Lutheranos: Habel habuit vxorem, an non? Si habuit, vnde tu id probas, qui nihil nisi expressum in Scripturis ad mittis? Si non habuit, quomodo commendatur à Domino vt iustus, qui stante tam recenti præcepto, Crescite & multiplicamini, vitam potius elegit cęlibẽ? Nec mihi respõdeant, non fuisse tum illi ætatem ad nuptias idoneam, cum adesset illi ætas idoneam ad sacrificandũ. Dicent fortè, Ille habuit hoc peculiare donum à Deo. At cur non dicũt potius illum fuisse propositum iis in exemplũ qui voluerint continere, & hanc elegerint viam castrandi seipsos propter regnum Dei? Non enim laudat Dominus Eunuchos tanq̃ eos ipse castrauerit, sed ait: Qui castrauerunt seipsos. Non quòd non sit donum Dei, sed quòd datur volentibus & optantibus ac petentibus, & ita quilibet est eius doni sibi ipsi quodammodo autor desiderio & oratione, quam lubenter exaudit Spiritus sanctus puritatis amator.

Habel fuisse virgine, credibilem.

Matth. 10.

Illud ad literam notandum, nõ ab re describi hanc genealogiam Cain, & cõmemorationem fieri ciuitatis, virorum, & artium. Primò igitur considerandũ est Cain ex vxore sua genuisse sibi Enoch, quæ vox significat dedicationem, & ædificauisse ciuitatem, eamq; nomine filii sui Enoch nominasse: qd profectò significat illum optasse ciuitatem nõ manentem quæ est in hoc mundo, vbi dedicationem fecit sui ipsius, & primogeniti sui, hoc est, vbi finem suum constituit. Finis .n. in intentione primus est, cuius gratia cætera agimus: & hic est primogenitus. Tales sũt omnes imitatores Cain qui sibi hunc mundũ pro ciuitate dedicant, quorum finis corruptio. Protenditur enim vsq; ad Lamech, qui interpretatur humiliatus, aut depauperatus. Qua in parte locum iure optimo habet diuina sententia, vt qui se in hoc mundo exaltauerint, in alio humilientur: & qui seculi huius diuitias dilexerint, depauperentur. Hic Lamech primus duas habuit vxores, & ita ius & sacramentum matrimonii violauit. Vna enim vnius esse debet, non plures.

Verùm Caietanus existimauit non esse natura indecens si vnus & idem vir plures habeat vxores, neq; in Scriptura prohibitum, nihilq; habere reprehensione dignum. Quã doctrinam ego detestatus, multis argumentis ac testimoniis reprobabilem demonstraui: Dominus enim dixit: Erunt duo in carnem vnam. Dixit, Duo, non tres, aut plures. Et Apostolus dixit: Propter fornicationem vnusquisq; suam, idest, propriam vxorem habeat: & vna quæq; suum, idest, proprium virum. Sic enim grecè legitur. Non erit autẽ proprius vir, qui fuerit etiam alterius. Idem B. Paulus consulit viro ab vxore soluto, ne quærat vxorem. Et ei qui alligatus fuerit vxori, ne quærat solutionem. At si licuisset habere plures, consuluisset etiam vt esset illa vna contentus, multò magis quàm quòd consuluit soluto vt contineret. Quoniam verò pro re scelerosa hunc casum habebat, ob eam causam nec admittebat consiliũ. Attende ad hæc acute lector, & probabis qd loquor. Scriptura item dixit: Masculum & fęminam fecit eos, & non dixit: Masculum & fęminas. Ex hoc enim colligit B. Chrysostomus non ego, vnam vnius debere esse cõiugem: quanq̃ hoc argumentum non valdè cogit reluctantem. Sed non semper requirendæ sunt mathematicæ demonstrationes. Innocentius Tertius ex verbis Domini conficit ineuitabile argumentum. Dixit Dominus: Qui dimiserit vxorem & aliam duxerit, mœchatur. Certè non mœcharetur, si plures liceret habere. At cum prohibeatur ne quis etiam dimissa sua vxore aliam accipiat, longè magis prohiberi censetur ne quis retenta prima superducat aliam. Addo, eiusmodi opinione proculdubiò violari sacramentum. Christus enim est vnus vnius spõsæ sponsus, non plurium. Adhæc, B. Paulus iterum ait: Solutus es ab vxore, si acceperis vxorem non peccasti. Attende acute lector, num tacitè econtrariò sequatur, Peccasti si non solutus acceperis: alioqui si licuisset non soluto accipere, quid poterat esse dubii soluto licere, nisi quia adeò erat odiosa digamia, vt solùm liceret soluto, non autem alligato? Ad hæc, Si vna mulier cui quis alligatur, habet ius in corpore mariti, sicut econuersò vir in corpore vxoris, quomodo vir quod vni semel dedit, tribuet alteri? Nota verba Apostoli: Mulier, inquit, sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter & vir corporis potestatem non habet, sed mulier. Nota inquàm quod ait: Vir potestatem non habet sui corporis. Et iterum quod ait, sed mulier. Nota item aduerbium, *Similiter*, Quomodo ergo dabit vir suum corpus alteri, cuius iam potestatem non habet, sed vxor? Quare hanc vxorem pluralitatem negar B. Thomas vlli vnq̃ Christiano fuisse licitam. Sancti patres & gloriosi Doctores

Contra pluralitatem uxorũ.

Matt. 24.

1. Cor. 7.

Matt. 19.

1. Cor. 7.

hanc indecentiam semper exhorruerunt. Ac nos iam oculos christianitatis amittimus, si has Mahumetis spurcicias admittimus: quã tantam excęcationem Deus à nobis auertat. Non ignoramus quidem ante Christi aduẽtum veteribus id fuisse permissum, quibus simul, & diuortia concedebantur pro tempore, & alia pleraq; quæ nunc minime tolerantur. Erat enim nox adhuc, & ideò dixit sapiens: Tempus nubendi, & tempus longè fieri ab amplexibus. Sed nunc vigent immũdi spiritus, qui vt christianæ puritati contumeliam inferant, ad adulteria, ad incestus, ad sacrilegia huiusmodi excitant homines carnis, & suadere conantur ea esse nedum licita, sed honesta etiam, quæ tamẽ sunt corã oculis Angelorum & sanctorũ Dei turpia, spurca, nephanda & abominabilia. At carnis oculus hæc non videt, & animalis homo nõ percipit quæ Dei sunt. Certè omnes sancti Doctores in hunc Lamech inuehuntur vt in primum digamiæ inuentorem. Quapropter (vt patet in Glossa ordinaria) illã digamiam adulterium suo merito nomine vocarunt.

Eccl. 3.

Nec putandum est, Scripturam sine causa tam diligenter & præter consuetudinem nomen illarum mulierum expressisse & fructus, *Nomen, inquit, vni Ada, et nomen alteri Sella. Genuitq; Adam &c.* Multas & eas quidem pulchras in interpretatione nominum consistere allegorias nemo, qui de Scripturis sapit, ignorat. Et tunc maxime cum (sicut hoc in loco accidit) vix quicquã apparet in litera ad ędificationem fidei aut morum faciẽs, nisi ad allegoriam recurratur. Quid enim ex hac historia de Ada & Sella, & earũ filiis accipis doctrinæ? Sed est etiam eruditis difficile veras propriorum nominum significationes inuestigare, vnde & à plerisq; sępe erratũ fuisse deprehensum est. Quo fit vt id negocii doctioribus libenter relinquã, certò tamen sciẽs posse hîc pulchra admodum considerari. Nos autem quibus nõ datur à notitia linguæ vberiora speculari, solùm annotabimus, hũc Lamech virum adulterum & homicidam genuisse mundo ex Ada primum filium Iabel, qui pater fuit, idest, primus autor habitantiũ in tentoriis atq; pastorum, in quo intelligitur instabilitas & ad omnem doctrinæ ventũ mutabilitas, vt ait B. Hieronymus. Deinceps Iubal qui fuit pater canentium cithara & organo. quod pertinet ad voluptatem aurium. Hebræi tamen tradunt non satis esse nota p huiusmodi voces genera ipsa instrumentorũ musicorũ, eaq; varii variè interpretantur.

Est autem musica ars modicæ vtilitatis, solummodo iuuat ad recreandos corporis sensus. Hanc Philosophus in. 8. Polit non pbat vt idoneam ad disciplinam, & quaformari in mente possit interius bona dispositio. Cicero tamen memoriæ prodidit, à Pytagora luxuriosum quendam per musicam fuisse frænatum. Habemus & in sacris literis Saulem per musicam à mali spiritus inuasione fuisse refocillatum. B. Thomas noster in Ecclesia Christi cantus quidem concedit, instrumenta autem non probat, quæ in veteri testamento data aut permissa fuisse docet cũ in figuram futurorum spiritualium, tum ppter duritiam illius carnalis populi: quæ rationes nunc cessare deberent. Et reuera magni sunt hodie etiam indigni in Ecclesiis abusus circa cantus & organa, quibus omnino diuinus cultus nõ solum opprimitur, sed magno sacrilegio coinquinatur per cantus & sonos lasciuos, & ad prophanos amores titillãtes & excitantes. O infelicem temporum cõditionem, & deplorandam christianorũ hominum cęcitatem. Nam quod pessimum est omnium, hæc nephanda illi curant & defẽdunt, ad quos ex officio pertinebat potius seuerè prohibere ac detestari.

Redeo ad Lamech qui ex Sella genuit *Tubalcain, qui fuit malleator et faber etc.* Secundum hebraicam literam potuit interpres sic vertere, *Qui fuit expolitor omnis opificij æris et ferri.* Inuentum erat proculdubiò æs & ferrũ ab initio, cum iam Adam cępisset terram excolere. Hic fortè primus extitit, qui cępit acuere & expolire æs & ferrum: ad quem verò vsum, vtrum etiam bellicum, non aperitur. Sunt qui id non existiment, non desunt etiam qui negent, rati nullum regnasse bellũ ante vniuersale diluuium. Hoc autem propterea dicunt, quia non legunt in sacris literis explicatum. Verùm quid prohibet fuisse bella, iurgia, & homicidia, cũ dicat Scriptura creuisse malitiam hominum vsq; ad summum? Nónne statim ab initio inuentus est parricida, & in sexta generatione alius homicida duorum, vt mox videbimus?

Non defuerunt autem hypocritę (suboriuntur enim semper in Ecclesia qui prætextu pietatis impugnant veritatem) qui nolunt esse licita inter christianos bella: sicut & christiano non licere quouis modo iurare asserunt, non intelligentes Scripturas, nec animaduertentes Sanctorum gesta verã esse Scripturarum interpretationem. Apostolus namq; nõ veretur testari & inuocare Deũ in animam suam si mentiatur: quod est spe- *An bellare liceat christianis*

cies

cies iuramenti. Multi autem christiani & religiosi Principes & bella indixerunt, & sustinuerunt etiam cum laude & probatione piorum. Aliqui cōcedunt hoc quidē licere Principibus secularibus: at Pontificum non esse educere gladium & præliari. Verè nos defendere nonnulla nequaquā possumus, quæ nostra ætate vidimus non decorè acta: Nec vnquā probabo versari in castris Episcopū, vel militantem, vel seruantem sarcinas, vel spectantem prælium, cuius arma ꝓpria & castra sunt lacrymæ & orationes & templum Dei, vbi vera sunt Angelorum castra. *Notandum de B. Gregorio.* Illud ꝑfectò dignum omni memoria de B. Gregorio, qui de seipso testatus est se potuisse quidem Longobardorum tyrannidem debellare ita vt ne vnus quidem in Italia remansisset, maluisse tamen cum cęteris iniquum sufferre iugum, quàm se Dei & Christi regis pacifici Vicarium sanguini admiscere. Nec .n. omnibus omnia conueniunt, sed plurimum interest quid à qua persona agatur. Scio ab animali & carnali homine egregium hoc & admirandum sanctissimi Pontificis factum facile iri vituperatum, attamen non ab eo qui seriò verba Domini considerauerit dicentis *Luc. 9.* duobus Discipulis suis Tonitrui filiis: Nescitis cuius spiritus filii estis. Et quod scriptum *Esa. 42.* fuit de ipso: Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum. Non contendet neq; clamabit &c. Neq; ꝓpterea reprehendo alios qui zelo domus Dei permoti contra infideles, aut hæreticos, aut schismaticos erexere Crucis vexilla, & in nomine Domini benedixerunt certantes, mō ipsi instar Moseos in pugna cōtra Amalech, graues & non remissas manus attollant in cęlum. Hæc obiter de illis dicta sint, quæ quidem esse licita ius habentibus lacessendi, aut (quod est longè excusabilius) se defendēdi, non debet in controuersia poni. Sed non omnia quæ licent, etiā expediunt. Finis bellorum omnium debet esse glora Dei & Christi, & illius sanctissimi nominis amplificatio. Nāq; cū innumerabilia mala è bellis sequātur, satius est plerunq; fraudem pati, quàm vindicare. Porrò in huiusmodi spiritus docet omnia, eos tamen qui ad suscipiendam doctrinam parati fuerint, vt quantum ad se attinet, iniuriam potius ferre uelint, nisi conturbaretur reipublicę tranquillitas & commune bonum. Bella itaq; etsi non sint peccata iis qui iustè vel inferunt vel suscipiunt, à malo tamen sunt, quemadmodum & iusiurandū *Matth. 5.* (iuxta Domini sententiam.) à malo est. Si enim Adam in innocentia perstitisset, hęc mala suborta non fuissent. Inuentores autem bellorum sunt filii Cain & Lamech.

Dixitq; Lamech uxoribus suis Adæ et Sellæ. Audite uocem meam uxores Lamech, auscultate sermonem meū: quoniam occidi uirum in vulnus meum, et adolescentulū in liuorem meum. Septuplum ultio dabitur de Cain, et de Lamech septuagies septies: Admirandus est ꝑfectò præsens hic Scripturæ locus, præterquā quod aliquot dubitationes continet. Primò quidem quæritur, cum Lamech confiteatur se occidisse virum atq; adolescentulum, fuerit ne vnus tantum homo quem simul virum & adolescentulum vocat, an potius duo. Et quisnam ille homo fuerit. Quidam existimant illum hominem fuisse Cain occisum à Lamech nepote suo quinto gradu distante, qui apud iurisconsultos atnepos dicitur. Sed quo pacto idem & vir & adolescentulus diceretur? Sunt qui sic accommodant, Cain dictum fuisse adolescentulum propter stultitiam, virum autem propter ætatem: quę expositio minime placet. Quidam autem duos fuisse quos occidit ipse Lamech, arbitrantur, nimirum Cain quem virum vocat, & alium quem vocat adolescentulum, à quo ipse Lamech quasi cęcus ducebatur. Dicunt enim illum venatorem fuisse, & cum eius oculi caligarent, habuisse adolescentulum ductorē. In venatione ergo volēs sagitta occidere bestiam, falsus occidit illum adolescentem: sed hæ sunt Iudæorum fabulæ. Quod autem occiderit Cain atauum, non est credibile. B. Augustinus & Theodoritus hoc reprobant. Quòd verò duos occiderit Lamech, manifestum est ex litera. Dixerunt alii, quos occidit, fuisse maritos suarum vxorum, & ob eā causam apud illas conqueritur. Sed neq; hoc vllo idoneo testimonio comprobatur. Quocirca potius respondendum arbitrarer, multa esse quæ nescire non est malum nec vituperio dignum, cum vix humana inquisitione deprehendi queant.

Inquirendum potius quid sibi vult, *Occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in liuorē meū.* Nōne istud, quòd illa & illa occisio conuersa erat ei in vulnus atq; in liuorem, idest, in damnum atq; detrimentum suum magis quā occisorum? Quod animaduertere omnes inferentes iniuriam debent, & hoc paradoxū interim à sacris literis discere, imò cordi vt verissimum & summè vtile infigere, uidelicet inferentem alteri iniuriam, sibi primùm & maximè inferre. Si quis dicat, hoc idem à Platone & nōnullis philosophorū dictū quoq; fuisse, Respondendum est & ipsos philoso-

phos Deo id monstrante didicisse. Est & alia quæstio, cur istam confessionē fecit vxoribus sui, & non Deo potius? Et quid momenti habet illud tantopere inculcatum, *Audite uocem meam uxores Lamech: Auscultate sermonem meum*. Quorsum hæc tendunt, nisi fortassis quia illarum gratia fuerat interfector? Mulier enim improbę facile ad multa mala viros impellunt. Potest etiam addi, maritos sua mala solere vxoribus capiendi alicuius solatii causa communicare. Quin etiam hoc proprium est delinquentium, ibi suum peccatū patefacere & fateri vbi non oportet. In hāc insipientiā venit Iudas proditor q dixit principibus sacerdotum & senioribus: Peccaui tradens sanguinem iustum. Vnde illi congruē responderunt. Quid ad nos? Tu videris.

Deniq; illud omnino ob sensus varios & contrarias sententias obscurum est, quid est quod ait: *Septuplum ultio dabitur de Cain. De Lamech uerò septuagies septies*. Sunt qui exponant de pęna Cain & Lamech infligenda: quoniā sumetur supplicium de Cain quidem septies, de Lamech verò septuagies septies. Qui sic intelligunt, diuiduntur. Quidam enim per ea verba maiorē pęnam colligūt in Lamech quàm in Cain, sicut est maior numerus septuagies septies, quàm septies tantum. Et ratio hius maioris supplicii in promptu esse videtur, cum iam præcessisset & datum fuisset ipsi Lamech exemplum cauendum, & Dei lex contra homicidas. Alii verò econuersò, maiorem pęnam interpretātur in Cain, quę significatur per numerum septenariū qui nō patitur solutionem, quàm in Lamech qui tenetur numero septuagenario simul ac septenario, qui patitur solutionem. Verùm an argutē potius quàm verē ista dicantur, sapiēs lector facile discernet. Qui si meminerit verbi Domini Dei in euangelio: Non vsq; septies, sed vsq; septuagies septies, palàm agnoscet maiorem numerum, maiorem veniā cōtinere, & ita maiorem culpam significare. (Matt. 18.)

Alii tandem aliter interpretati sunt, negantes hic agi de pęnis quibus & Cain & Lamech tenerentur, sed de pęnis quibus occisores Cain, & occisores Lamech puniendi essent. De Cain ergo, inquiunt, idest, de eo qui occidet Cain, vltio dabitur septies. De Lamech autem septuagies septies, idest, multò maior, cuius hanc rationem assignant: quia Lamech confessus est & pęnituit, non autem Cain qui desperauit. Hæc expositio mihi nequaquā placet. Neq; enim erat (vt mihi videtur) delinquentis cum aliorum sceleribus sua comparare ac eleuare, & insuper pęnas in vlto-res sancire: nisi verò hunc dixerimus esse prophetam, quod Scriptura non aperit. Crediderim ergo potius ipsum Lamech vt pungentis conscientiæ suum cum dolore exaggerasse flagitium, qui duos occidisset postq̄ nouerat Deum tantopere illud scelus abominari. Missum etiam facio facinus digamiæ, qnam & summus Pontifex Nicolaus Primus aduersus Lotharium vocat adulteriū in ipso Lamech. Hæc vel non vidit Caietanus, vel contempsit.

Hactenus vidimus generationem Adæ vsq; ad Habel. Verùm sanctior illa generatio ex qua Christus vēturus esset, erat quoq; indicanda. Certum est enim stirpem Cain meritò exclusam fuisse, quod ad hoc priuilegium attinet, ex quo descendere noluit. Habel autem defunctus est virgo, vt rectē creditur, & ita absq; sobole, cui tamen designatum semen videbatur. Nam Adam & Heuam id optasse credibile est, qui citra dubitationem resciuerunt illius sacrificium Domino placuisse. Quapropter hoc in loco aliam & nouam Adæ progeniem describit Scriptura dicens.

Cognouit quoq; adhuc Adam vxorem suam, & peperit filium, vocauitq; nomen eius Seth dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Habel, quem occidit Cain: sed & Seth natus est filius nomine Enos. Iste cępit inuocare nomen Domini.

Hoc semper fuit benignitatis Domini, vt cum bonorum semen per nos videt deficere, protinus illud instauret. Erat iam reprobatus Cain, & meritò ius primogenituræ incredulitate & operibus malis amiserat. Illud igitur erat in Habel transferendum, quem cōtigit esse occisum: quare debuit ad alium peruenire. Cognouit ergo postmodo Adam vxorem suam, & vt credibile est, statim. Danda quippe erat opera multiplicationi, iuxta Domini præceptum, ad replendā terram. *Et peperit filium, uocauitq; nomen eius Seth dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Habel*. Hīc primum notandum, nomina liberis frequenter imposita fuisse à mulieribus. Ecce Heua iam primo filio suo Cain nomen imposuerat, & nunc tertio Seth: Licet illud, *Et uocauit nomen eius Seth*, quidam referant ad Adam, sed non videtur congruē. De Habel non explicatur

Nomina filiorū quis antiquitus imponebat

plicatur quis ei nomen imposuerit. Sic vxores Iacob imponebãt filiis nomina, vt è Scriptura constat. Vnde & Elisabet prior nomen imposuit Ioanni: quanq̃ hoc prædictũ de cęlo fuisset. Certum est ius imponendi liberis nomina ad parentes attinere, vt eorũ arbitratu & voluntate nominentur. Verùm olim ab initio plerunq; nomina nõ sine mysterio & significatione imponebantur, vt hîc & alibi passim apparet, ita vt etiam de propriis virorum ac mulierum nominibus mysteria & pulchræ allegorię colligantur, quas ipsamet Scriptura nonnunq̃ docet. Vnde & interdum non ab re mutabantur nomina, vt de Sarai & Abrã & Iacob pater: & in nouo testamento de quibusdam Discipulis Domini. Tunc enim omnia in figuram contingebant: at nunc post iam fundatam Ecclesiã non ita est obseruandum.

Quæ nomina pueris iponẽda Vtcunq; autem se res habeat, eleganter hîc notat B. Chrysostomus etiã cũ consideratione imponenda esse filiis nomina, eorum qui clari fuerint veris virtutibus & sanctitate, vt eos imitentur & non glorientur in nomine, nisi imitatio pręclarorum gestorũ simul adfuerit. Qua in re multum aberrari à nostris videmus, qui exuscitarunt ethnicorum nomina, qualia sunt Achilles, Hectores Aeneæ, Camilli, Aemilii, Lelii, Scipiones, Pompeii, Cęsares, Salustii, Fabritii, & alia eiusmodi quæ signum quoddam gentilitatis, (ne dicam impietatis) & ignorãtiæ Christi Dei veri, & Sanctorum suorum præ se ferre videntur. Nã si veræ virtutes & fortitudo vera spectentur, & inter istos fiat comparatio, certè illi quamuis aliquo modo fortes & sapientes videri possint, nihil tamen ad nostros. Sed Deus huius seculi superbus Satan excęcauit oculos plurimorum, vt saltem hoc pacto idololatriam reuocent. Nam & illorum simulacra iam sepulta, iterum magna opera & impensa exquirunt, & ad illorum memoriã celebrandam erigunt.

Vocauit ergo Heua nomen huius tertii filii, *Seth*, quod interpretatur, *Positio*, latinè. Quidam dicunt, Resurrectio & surrogatio: sed hoc à re ipsa, non à vi nominis. Seth.n. positionem sonat, qui cum fuerit quasi resurrectio Habel & in eius locum surrogatio, iccircò & ad hoc extendit ea vox. Loquuta est ergo Heua prophetice: vbi pariter notãdum, Dominum Deum in illis fuisse quibus & gratiam restituerat, & in eis cõsistebat Ecclesia ab eis propaganda. Itaq; Seth pater Christi loco Habel processit, cui natus est filius quem vocauit Enos: quod non segniter prætereundum est. Qui enim loco Habel successit, rectè filium suum vocat Enos, cum ex Habel sumatur hæc doctrina. Enos enim hominem significat, & non simpliciter hominem, sed hominem grauatũ ærumnis, & circumuallatũ miseriis multis, vt agnoscat nullum verum bonum in hoc mundo reperiri. Sic Habel interpretatur vanitas, vt vel in ipso nomine illud Sapientis personaret: Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Verè, *Eccl. 1.* verè inquam omnia vanitas præter hoc vnũ, quod est iustificari in Christo. Ecce Habel *Habel et Cain comparatio.* sacrificat, litat, operatur bona, & frater illum præ inuidia persequitur, & mactat. Sic & seipsum Habel sacrificauit Deo sacrificio meliore. Considera pie lector, quàm dispar vtriusq; exitus in hoc mundo. Habel vanitas: Cain possessio. Iste ciuitatem post multa sua opera mala ædificat: ille tollitur ex hac luce propter opera sua bona. Iste fęcundus habet liberos: ille nullo herede relicto abiit sterilis. Sed finis vtriusq; summa æquitate rectè cuncta compensat. Tota Cain progenies obruta diluuio periit. Habel noster seruatur in Seth, cuius filius fuit Noe qui seruatur per arcam. Et nota de Enos dictum fuisse, quòd ipse cępit inuocare nomẽ Domini, quis ad Seth quidam referant. Hebraicè legitur, *Tunc cœptum est inuocare in nomen Domini*, illud nimirum nomen Tetragrãmaton. Et hinc, & ex aliis locis rectè colligunt, linguam illam priscam fuisse quæ apud Hebræos permansit. Dicitur autem tunc cęptum inuocari in nomine Domini: quia instauratus fuit cultus Dei iam intermissus à filiis Adæ. Aut fortè dicitur tunc cęptum, quia publicè & certis cęremoniis institutus est.

Sed quodnam erat hoc nomen Dei Tetragrãmaton, nisi quod donatum est Christo nostro? Ego quidem minimè dubito, neq; *Nomen Tetragrammatõ dici de Christo.* dubitandum esse censeo, quoties dicitur in Scripturis de inuocatione nominis Domini, intelligi debere de Christo, sicut declarat nobis Apostolus. Quomodo enim, inquit, inuocabunt nisi audiant? Alioqui absq; auditu poterat inuocari nomen Domini, si nõ fuisset intellectum de Christo, idest, de nomine illo in quo erat salus, cum nullum aliud sub cęlo nomen datum esset, in quo oporteat nos fieri saluos. In hoc ergo nomine oportebat inuocare.

Est autem ex traditionibus maiorum acceptum, Seth Adæ filium primum ad imagines adorasse. Quam rem Hebræorum q̃dam propter ignorantiam legis in qua gloriabantur, indoctè vituperarunt, & dixerũt

ab eo cęptam fuisse idolatriam. Quare hūc locum aliđ vertunt, & interpretantur tunc cęptum fuisse prophanari nomen Domini: qm̄ Domini nomen attributum fuit Idolis, vt volunt. Sed hic intellectus à Catholicis non recipitur, & meritò. Nam & ipsi Septuaginta ad sensum aspicientes, verterunt hunc locum vt vel de Seth, vel de Enos poſſit intelligi, in hunc modum: *Hic ſperauit inuocare nomen Domini*, ideſt, hic in ſpem venit quę eſt æternorum, ita vt inuocauerit pro æternis nomen Domini, ideſt, nomen Mediatoris ad æterna bona comparanda. Videtur ſpei proprium eſſe inuocationē parere, quæ innititur in miſericordia Dei, cōſequentibus tamen bonis operibus, quemadmodum alibi Scripturæ declarant. Quòd verò propter legem ſuam Hebræi adorationem ad Imagines vitupetent, quibuſcum & noui heræici ſentiunt, ab ignorantia legis proficiſcitur. Non enim capiunt quædā à Deo præcipi ut mala ex ſe, quædam verò vt afferentia occaſionem ad malum. In lege ergo prohibentur adorari falſorum Deorum ſimulacra, & ea omninò fieri vt colantur vel ſimulacra ipſa, vel ipſi in ſimulacris illis. Et vtrumq; prohibetur Iudæis in lege, cum eſſet vtrumq; ex ſe malum, videlicet & adorare Deos falſos, & ſimulacra eorum: quoniam eſſet mera & manifeſta idolatria. Erat autem alia prohibitio, ne fierent prorſus vlla ſimulacra quorūcumq;, non eorum modo quæ ſunt in terra aut ſub aquis, verùm etiam eorum quæ eſſēt in cęlo: vt propterea videatur prohibuiſſe Dominus nedum coli, ſed & fieri vllas imagines aut ſimulacra etiam cęleſtium & Beatorum. Hoc mandatum obiiciunt iſti nos tranſgredi, qui & Angelos & homines picturis & ſculpturis noſtris repræſentamus.

De ueneratione Imaginum. Tu verò acute lector conſidera, hoc mandato non prohiberi quod ex ſe malum erat, ſed quod tunc ad malum erat occaſio. Non enim eſt malum ex ſe per picturam repręſentari Angelos aut homines ſiue ad recordationem, ſiue ad informationem. Nam eleganter dixit D. Gregorius: Id ſunt picturæ idiotis, quod ſunt Scripturæ eruditis. Verùm quoniam (vt ſancti Doctores dixerunt) vigebat illo tempore idolatria, ad quā & ipſi Iudæi proni admodum erant, iccircò Dominus illud vetuit, ne ad idolatriam ea occaſione carnalis populus & incircumciſus corde, neſciens diſtinguere incitaretur. Illud quidem maximè fuit in cauſa, quòd antequā veniret Dominus noſter & appareret in carne, non erat quouis modo fas vlli alii ante illum deferri cultum. Oportebat enim prius venire Sanctum ſanctorum, & omnis ſanctitatis autorem. At poſtquàm idolatria data oſtentui periit, & Dii falſi ab Eccleſia cogniti ſunt: apparuit autem benignitas & humanitas ſaluatoris noſtri Dei, cuius amore ſancti plurimi dederunt ſanguinem, & ſcimus iam ſapienter diſtinguere genera aut ſpecies cultus, atq; reddere quod eſt Dei Deo, & quod eſt ſanctorum ſanctis, ceſſauit omne in idolatriam labendi periculum. Non enim vna adoratione Chriſtus & eius ſancti à nobis coluntur: & ſcimus item id quod repræſentat, ab eo quod repræſentatur ſecernere. Nam quis tam ſtupidus reperiri poteſt, qui ligna, & lapides, aut tabulas, & deniq; quod eſt hominum colendum putet? Sed quod per illas repræſentatur diuinum numen veneramur. Poteſt tñ hoc in loco nonnulla intercidere quæſtio propter ſcholaſticos, eorumq; loquendi modos. At huius rei tractationem alibi fuſius duobus libellis pertractauimus. Vno quidem aduerſus hęreticos qui omnem ſanctarum Imaginum cultum tollunt: Altero verò propter catholicos, qui etſi nemine diſerepante omnes cultum probent, de modo tamen adorationis variè loquuti ſunt. Senſum ipſum habent catholici omnes bonū, nec eſt vllus qui idolatriam non perhorreſcat. Cum hæc igitur ita ſe habeant, nulla ſupereſt vlterius ratio prohibendi ſimulacra, modo ſint ſimulacra veri Dei & Chriſti, & Beatorum quos adoramus. Scimus aliquando prohibitum fuiſſe depingi Agnum in ſimulacrum Chriſti: ſed temporis progreſſu aliter obtinuit cōſuetudo. Nec enim vllum eſt periculum ne Chriſtus fuiſſe animal exiſtimetur ex oue prognatum. Nec vertitur in aliquod Chriſti vituperium ſi ita pingatur, ſicut nec in eius vituperium, ſed in laudem cedit, quando ſic nominatur in Scripturis, nimirum Agnus Dei. Potius autem ea ex re doctrina ſalutaris capitur ex illa repræſentatione manſuetudinis & ſacrificii eius, quo mouētur homines ad imitandum. Sed zelatores miniſtri liuidi Serpentis vehementer cupiunt omnem à mente hominum ſummouere Chriſti & ſanctorum memoriam. Nec quicquàm afferunt quod ab aliis hæreticis non ſit iam olim productū, quorum cuncta argumenta velut friuola in ſacroſanctis conciliis dudum ſoluta ſunt, confutata atq; exploſa. Negare tamen non poſſumus magnos eſſe minimeq; ferendos in picturis Eccleſiarum abuſus, dum laſciua & fęda atq; obſcęna pinguntur, ad quæ pudici

piorum

piorum oculi non possunt sine cordis amaritudine respicere: quoniam gentilitatē potius referunt quàm christianitatem. Dominus Deus zelotes & puritatis spōsæ suæ amator dignetur aliquando,& nunc iamiam,tantam auferre à pictoribus & pictorum fautoribus, & pręsertim à speculatoribus Ecclesiarum cęcitatem, vt hæc seriò recognoscāt, & sedulò prouideant, Amen.

Caput .V.

HIC EST LIBER generatiōis Adā in die qua creauit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum & fęminam creauit eos: & benedixit illis, & vocauit nomen eorum Adam in die quo creati sūt.

RESVMIT MOSES ET paucis restringit vnde status & prima hominis cōditio valeat ab eius primæua generatione recognosci, vt cum illa iam cognita conferatur posterior generatio, quam primi illi homines ob propriam eorū culpam contraxerunt. Ait ergo: *Hic est liber generationis Adæ.* Hebræa vox quam interpres traduxit, *Liber*, idē significat quod enarratio vel recensitio. Nec legitur in hebræis codicibus, *Generationis Adam*, sed *Generationū Adam*: quoniam quicquid à Deo productum recitatur, ad Adæ generationem pertinet. Omnia enim propter hominem facta sunt. Potest etiam dici, duas hîc considerandas esse Adæ generationes. Prima est qua ipse fuit à Deo genitus. Secunda verò qua ipse alios genuit, & vtranq; hoc capite Propheta noster descripsit. Quod ergo ait, *In die qua creauit hominem*, manifestè declarat priorē illam eius generationem quæ fuit à Deo. Et quod ait, *in die*, tempus certum significat. Sunt qui animaduertunt de homine interdū dici, *Formauit*, seu finxit, *Deus hominem*: interdum verò, *Creauit*, vt intelligamus duas quodammodo in homine generationes. Primam respectu materiæ & corporis, cui congruit formatio ac fictio: alteram respectu spiritus, cui congruit creatio. Quare fortassis ob hanc causam scriptum est, *Generationum Adæ*, non generationis. Designatur autem huius primæ generationis nobilitas ex eo tātum, quòd ad similitudinem Dei fecit illum. Hoc iam superius declaratum est satis. Solūmodo recolendum est, similitudinem quam habet homo ad Deum secundum conditionem naturæ, esse admodum improriè similitudinem: nec est illa quam Scripturę commendant, nisi mens perfusa fuerit diuina gratia. Quapropter rectè apud B. Ambrosiū, & frequenter apud alios Patres legimus, Adā propter peccatum illam Dei imaginem ac similitudinem amisisse. Quidam tamen, vt B. Basilius, inter imaginem & similitudinem statuunt quandam differentiā, & dicunt Adā retinuisse imaginem quidem, similitudinem verò amisisse: sed longè communior est aliorum sententia. Mihi autem non est intelligibile, esse imaginem & non esse similitudinem, cum omnis imago similitudo sit, non econuersò. Vnde B. Thomas docet de ratione imaginis esse similitudinem, sicut & B. Augustinus in libro. 83.q. Verè igitur (quāq̄ nec perfectè) imaginem Dei habet hominis mens quùm perfusa est gratia. Verùm nec ipsa gratia qua anima mirificè illustratur, hāc similitudinem perficit, sed expectatur illius consummatio in gloria. Et propterea Dilectus: Videte, inquit, qualem charitatem dedit nobis Deus vt filii Dei nominemur: nec dum apparuit quid erimus. Scimus quòd cū apparuerit, similes ei erimus. Hæc illius verba. quibus aliam nobis & perfectiorem similitudinem manifestat. Ne quis autem existimaret virum solum fuisse huiuscemodi nobilitatis participem, non autem ipsam quoq; mulierem, adiecit. *Ioan. 3.*

Masculum & fœminam creauit eos. Nō enim erat bonum esse hominem solum. Et quod fuit in primo Adam terreno, qui non cogitat etiam in secundo cęlesti fuisse, idest, in Christo ad contemplandam inenarrabilem Beatissimæ Virginis dignitatem, nondum capit mysterium magnum quod est in Christo & Ecclesia. *Eph. 5*

Obiter non erit ab hoc loco alienum, nec viro pio ingratum, si hîc interseruerimus historiam. Quidam Ioannes Caluinus hęreticus, vna ex facibus orbis terræ & natiuum serpentis semen, tanquàm læsæ maiestatis crimine me reum ante patris sui Diaboli detulit tribunal exclamans, Indignum & sacrilegum facinus, quòd Christi Matrem, fidelissimam eius sociam & aduocatam no- *Odium caluini in B. Virginē.*

ſtram nuncupauerim. Hæc ſunt Caluinæ criminationis verba: Qui Catharini inſulſitates aliquando legerunt, neſcirent putridum illud cadauer adhuc ſpirare, niſi concionem in Synodo habitam legerent, vbi Chriſti Mater, fideliſſima eius ſocia vocatur: & aſſidere fingitur eius throno vt gratiã nobis impetret. Multi antehac impudentiæ ſuæ frę na laxarunt, ſed qui ſociam Chriſti nominaret, dum fictitiis titulis volunt ornare ſanctã Virginem, inuentum puto fuiſſe neminem. Et vocem adeo ſacrilegam in tali conſeſſu prolatam & exceptam non paruo fauore po ſteritas nunq̃ credidiſſet, niſi ab illis publicata fuiſſet oratio. Quid enim eſt Chriſtum lacerare, ſi hoc non eſt? Proinde, quod à Deo nobis aduocatam fuiſſe datam commemorat, perinde loquitur ac ſi quod de Chri ſto prædicant Apoſtoli, in illam dimidia ex parte competeret. Et ſe audet Simeoni cõparare hoc ſilicernium, cum ille venerandus ſenex in vnicum Dei ſalutare etiam nondum reuelatum toto animo intentus fuerit: huic autem Chriſtus vnus ſit ex turba aduocatorum. Hæc ille mortalium infeliciſſimus, quibus & ſi idoneè atq; eleganter pro me reſpõdiſſe D. Ioannem Coclæum virum optimè de catholica fide benemeritum non ignorẽ: quia tamen hic locus me interpellabat, coactus ſum iuxta Sapientis præceptum, reſpõdere ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam. Mittã quę aduerſus me furioſè effudit. Id enim magnę mihi laudi & gloriæ ſemper viri docti ac pii ducent, tum quod à perdito & ſycophanta deploratæq; ſalutis viro vituperari permagna laus eſt: tum quod hæc vituperia ab ore viperei ſeminis prolata, æquo animo tam claræ & pulchræ & catholicæ veritatis gratia tolerare, illuſtris corona eſt. Quis enim alius poterat ea verba tanq̃ blaſphemias accipere atq; arrodere, quæ de celeberrima illa Virgine Dei Matre & ſanctæ Scripturæ probãt, & Spiritus Dei qui Eccleſia eſt, cunctorum ore conteſtatur & celebrat, niſi canis rabie & perfidia miſerabiliter exagitatus? Vocaui ego Matrem Dei, fideliſſimam eius ſociam. Hoc tanq̃ inauditum & impium canis iſte arrodit. Quid ergo? An non fuit illa in terris & corpore & animo Chriſti ſocia, ſequuta illum quocunq; profectus eſt? Nonne fuit itẽ illi ſemper fideliſſima? Si hoc neget, quid non eſt negaturus? Si fatetur, cur non erit ſocia gloriæ in cęlis, quæ fuit ſocia paſſionum in terris? At hoc, inquit, inauditũ eſt. Quid eſt ergo quod ait B. Paulus: Sicut eſtis ſocii paſſionum, ita eritis conſolationum? Et quid Simeon Iuſtus plenus Spiritu ſancto de illa prophetauit dicens: Et tuã ipſius animam pertranſibit gladius? Quid ſibi vult ille gladius quo ſanctiſſimæ Virginis anima verberanda prędicitur, niſi ſocietatem paſſionis inſinuare? Quod igitur aliis promiſit Deus & præſtitit, hoc ſuæ chariſſimæ Matri denegabit? Quid eſt negare Chriſtum ſi hoc non eſt? Dixit idem Apoſtolus his qui recens ad Chriſti fidem venerant: Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii eius. Vocat ergo ſocios Chriſti ſecundum ſpiritum, homines fideles. Et hic filius Satanæ hanc ſocietatem tantæ Virgini, cuius ſpeciem Angeli admirantur & beatam prædicant, detrahere non horreſcit, vt perfectæ impietatis ac temeritatis exẽplum ſe nobis prodat. Nonne recognoſcis pie lector, inſitum in iſtius corde primæuum illud Diaboli odium in Matrem Dei? Dominus non erubeſcit vocare diſcipulos ſuos, amicos, fratres, filios, quæ certè nomina quidam etiam dulcius atq; honoratius perſonãt quàm ſocius. Et hic mihi tantopere ſuccenſet, quia ego præclariſſimam Dei Matrem & dilectiſſimam ſponſam, fideliſſimam eius ſociam dixerim. Sed id minime equidem mirum rectè cogitanti videri debet. Quomodo enim poterat is ſocietatem ſpiritus in tanta Virgine agnoſcere ac ſpectare, qui ab hac ſpiritus communione ſeipſum iamdudum præciſit? Simulat homo inſulſus ac fatuus, neminem vocaſſe illam Chriſti ſociam, ſurdam aurem adhibens ad veri Salomonis vocem vocantis illam ſponſam vnicam, perfectam, & ſingulariter electam. Si ergo ſponſa, quomodo non ſocia? Si primus Adam dixit: Mulier quam dediſti mihi ſociam, cur idem dicere non potuerit ſecundus Adam? Ille ſociam ſecundum carnem, noſter ſociã ſecundum ſpiritum appellauit. Sed nihil (vt iam dixi) ad hunc lucifugam atq; transfugã de ſocietate hac, qui in alias ſocietates (quas Scripturę nota ignominæ dãnant) ſeſe aſtrinxit, factus ſocius furum & ſocius ſtruthionũ. Et verè hic animarum fur quas orco acquirit, inter ſtruthiones honorabilem ſibi locũ meritò comparauit, qui pennis quidem, id eſt, volubilitate ſcribendi non caret: ſed volatum ſurſum (& ſi per hypocriſim nitatur) non habet.

Reprehendit me inſuper qui illam aduocatam à Deo nobis datam aſſeruerim: tanq̃ verò non ſit hæc diuturna Eccleſiæ catholicæ à Spũ ſancto inſtructæ vox. Et cum non poſſet nõ calũniari noſter Caluinus, eius filius

qui

Marginalia: Nota rabiem heretici. — Pro. 26. — Pro Virginis prærogatiuis in caluinum. — 2. Cor. 1. — 1. Cor. 1. — Cant. 2.

qui ab hac arte famosum sibi nomē comparauit, idest, diabolus, calūniatus est ita me aduocatam vocasse, vt intelligam tanq̄ ex parte dimidia illam exercere aduocationem cum Christo. O fili Diaboli, vir calumniose, audi sensum verborum meorum, etsi potes redargue. Cum ego te calumniatorem voco cum Diabolo, non intelligo calumniatorē ex parte dimidia, tanq̄ aliquid ipsi Diabolo demas ac tibi arroges, sed intelligo hāc perfectam in primo calumniatore artem etiā abs te in solidum exerceri, vt nihil propterea patri suo subtrahas, de cuius spiritu abundē hausisti. Simili modo Beatissima Virgo ita ē aduocata nostra, vt non quicq̄ huius officii adimat Filio suo primario Aduocato nostro, sed de eius plenitudine accipiens, post illum opus salutis nostræ vnā cum illo operetur ac perficiat. Aiunt infelices: An non satis est Filius in hoc munere? O ignaros mysteriorū Christi. Nonne quicquid membrum agit et valet, ex virtute Christi agit, & ex eius immensis meritis valet? Nulla igitur est iniuria Filio, nulla gratiæ illius & meritorū depressio, nulla muneris imminutio sed auctio, si & Matrem, & vnumquenq; alium iuxta mensuram datæ gratiæ ad hoc aduocationis gloriosum munus euexerit. Dixit Doctor gentium: Dei sumus adiutores. Quid hīc non clamas in Apostolum dicens, Blasphemauit, qui perinde loquitur ac si Deus ab hominibus indiguerit adiuuari? Quōd si Apostolum apertē reprehendere non audes, cur nō vis tandem intelligere, dare vos vituperio & detractioni quod est gloriæ Christi, dum q̄si rem absurdam excipitis, quæ diuinæ bonitatis perfectam laudem continet? Nam quantō nos magis ad celsiora dona extollit & sibi similes reddit, tantō se nobis meliorem ac benigniorem ostendit atq; commendat. Non inuidet nobis Deus sua munera: sed vos liuidi, quales estis vos & pater vester, talē esse cogitatis Deum. Quod si potestis quidpiā salutaris incantationis sufferre, ō surdi aspides, audite deuotissimum Abbatem Bernardum in hunc modum suos docentem discipulos: Aduocatū vis habere ad IESVM, ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modō pura ab omni cōtaminatione, sed & pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, Exaudietur & ipsa pro reuerentia sua. Exaudiet vtiq; Matrem Filius: & exaudiet Filium Pater. Filioli hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratiō spei meæ. Hæc D. Bernardus. Quid hīc potest respondere sacrilegus, nisi blasphemias? Maximām suā fiduciam, & totam spei suæ rationem vocat Sanctissimus ille Abbas Mariam. Et hic aduersus me, qui sociam Christi & aduocatam nostram appellauerim, indignatur. At quantō maius est vocasse illam, Fiduciā maximā & totam suæ spei rationem? Sed vocat nenias, & millies vsq; ad tædium refutatas, quæ doctissimi ac sanctissimi uiri Spiritu sācto inspirante effati sunt. Quid ergo frustrā disceptamus cum illo, cuius tantummodo recitasse sententias plusq̄ confutasse est? Nā quę contra Christi Vicarium blasphemus euomuit, nonne sunt propria viri cōtumacis & transfugæ? Valeat igitur cum patre suo. Et nos rem nostram alacriter Domino iuuāte prosequamur.

1. Cor. 3.

B. Bernardus in ser. Natiuitatis B. Virg.

Nota.

Iam diximus vt hanc arctissimam necessitudinem maris & fęminæ agnosceremus, cum in prima generatione primi Adæ, tum in secunda secundi Adæ dixisse Prophetam: *Masculum & fœminam fecit eos, & benedixit illis.* Iam satis de benedictionibus enarratū est superius. *Et vocauit nomen eorum Adam.* Nota & cōsidera quomodo sub vnō nomine, quod nihilominus fuit proprium viri, comprehēsa fuit & mulier, & consequenter omnes ex illis posteri prodituri. Adam enim vt caput omnium censitum fuit: & omnes sub illo cōtenti fuerunt in eo primo pacto. Et qualis fuit illa prima copula maris & fęminæ secundum carnem, tam arcta vt sub vno nomine ambo quasi vnum comprehenderentur: talis fuit & secunda illa copula secundum spiritū, videlicet Christi & Virginis, vt sub viro contineatur & mulier. Non ergo debet mirari vllus ex fratribus, si quæ sunt Christi prærogatiuę, etiam in illam Virginem ipsius Christi gratia transferantur. Et cum solus Christus à peccato excipitur, etiam ipsa B. Virgo excepta in illo significetur. Aduerte ēt illud, quōd quanq̄ Adam factus esset ad imaginem Christi, idest, non iam terrenus sed cęlestis, attamen voluit Dominus Deus eo nomine illos vocare quo terrena origo significetur, idq; commonitionis gratia, vt se metipsos quales essent natura considerarent: & quæ receperant dona non sibi, non suæ ipsorum naturę quasi debita elati & superbi tribuerent, sed diuinæ bonitati atq; clemētiæ. Qua in re facilē peccamus omnes: at hæretici in aliam partem inclinātes, id quod per Dei gratiam sumus negant, vt nec valeamus in Domino gloriari. Catholica autem veritas ad vtrūq; oculos nostros conuertēs, media regiaq; incedens via hoc agit, vt ex eo

quod nostrū est nos metientes, humiliemur coram diuina maiestate. Ex eo verò quòd à dono accepimus nos considerantes, glorificemus Deum, dignasq; illi gratias agamus, ac tantò magis subdamus animam nostram illi, cum timore sancto ac tremore operantes quæ illi placent, vt perficiamur spiritu, & securitatem sempiternæ salutis obtineamus. Vocauit autem Dominus illos hoc nomine, *Adam, in die qua creauit eos*, Vt intelligas etiam ante peccatum illos aliquando fuisse animales & terrenos secundum primam eorum generationem ex terra. Primò enim de terra fuit terrenus: postmodo verò de cęlo accipiens, participatione cęlestis etiam ipse cęlestis factus est.

Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit filium ad similitudinem & imaginem suam, vocauitq; nomen eius Seth. Et facti sunt dies Adam postq̄ genuit Seth, octingenti anni, genuitq; filios & filias. Et factū est omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est. Vixit quoq; Seth cētum quinq; annis, & genuit Enos. Vixitq; Seth postq̄ genuit Enos, octingentis septem annis, genuitq; filios & filias. Et facti sūt omnes dies Seth nongētorum duodecim annorum, & mortuus est. Vixit verò Enos nonaginta ānis, & genuit Cainan. Post cuius ortum vixit octingentis quindecim annis, & genuit filios & filias. Factiq; sunt omnes dies Enos nongenti quinq; anni, & mortuus est. Vixit quoq; Cainan septuaginta annis, & genuit Malaleel. Et vixit Cainan postq̄ genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis, genuitq; filios & filias. Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, & mortuus est. Vixit autē Malaleel sexaginta qnq; annis, & genuit Iared. Et vixit Malaleel postq̄ genuit Iared, octingentis triginta annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Malaleel octinginti nonagintaquinq; anni, & mortuus est. Vixitq; Iared centum sexaginta duobus annis, & genuit Enoch. Et vixit Iared postq̄ genuit Enoch octingentis annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Iared nongenti sexaginta duo anni, & mortuus est. Porrò Enoch vixit sexaginta quinq; annis, & genuit Mathusalam. Et ambulauit Enoch cum Deo: & vixit Enoch postq̄ genuit Mathusalam, trecentis annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Enoch trecenti sexaginta quinq; anni, ambulauitq; cum Deo, & non apparuit, qa tulit eum Deus.

Superius summatim Adæ generationem descripsit, non qua ipse genuit, sed qua ipse genitus est à Deo. Nunc eam narrare incipit qua ipse alios genuit. Huius autem generationis conditionem designans ait. *Vixit aūt Adā centū triginta annis, & genuit filium ad imaginem & similitudinem suam &c.* Non est autem existimandum ante hanc ætatem etiam post genitum Cain & Habel, non genuisse alios, & quidem plurimos. Hoc autem tacet Scriptura, vt in Adam ita & in cęteris: qa non intendebat omnium sobolem describere, sed Hebræorum potissimum rectè ab ipso Seth vsq; ad Noe procedentē, & à Noe vsq; ad Abraham, & ab Abraham vsq; ad Dauid, & à Dauid vsq; ad Christum. Hoc verò quod ait, *Genuit ad imaginem & similitudinē suam*, Sunt qui in bonam partem accipiant, vt imago & similitudo Dei in Adam, transfusa quodāmodo dicatur in Seth: quod mihi nequaquam placet. Puto enim omninò econuersò esse, videlicet imaginem illam quæ erat in Adam (ad quam genuisse filium dicitur) aduersam penitus fuisse illi imagini ad quam ipse genitus fuit à Deo, & in quam sua culpa se trāstulit, vt oportuerit denuò ac desuper eum renasci ac reformari. Talē ergo genuit filium, qualem ipsemet se constituit, idest, peccato obnoxium, & in ea necessitate renascendi, & in nouum pactum intrandi cum Deo per Christum, vt denuo per diuinam imaginem saltem in mente instauraretur, quod Pelagiani ignorarunt.

Quod

Quod verò dicitur, *Vixit autem Adam centum triginta annis*, non consonat cum interpretatione quæ fertur Septuaginta, vbi habetur, *Ducenti et triginta*. Et vbi nos legimus, Adam postquã genuit Seth, vixisse annos octingentos, apud illos legimus, Annos septingentos: vt quod adiecerunt annis Adæ ante generationẽ Seth, subtraxerint illi post generationem. Deprehendes huiusmodi varias lectiones etiã in aliis generationibus quę subsequuntur. Quo in loco prudens lector non debet ambigere standũ esse Hebræorũ codicibus, qui omnes mirificè hac in parte conueniunt & consonant: & caldaica siue paraphrasis, siue interpretatio itidẽ attestatur. Nec est dubitandum quin omnes codices & in omni terrarum loco fuerint gratis ab Hebræis viriati, vbi ad eorum perfidiam substinendam animaduerterunt nihil esse adiumeti. Quis enim nesciat hominum perfidorum rabiem, qui vbi semel à Deo iustissima sentẽtia ob ingratitudinem sunt in reprobum sensum traditi, nihil non moliuntur ad fouendam perfidiã & obstinati animi impietatem, quod nostris oculis cernimus assiduè, vt verè obiectũ sit illis à B. Stephano prothomartyre: Dura ceruice, & incircumcisi cordibus, semper Spiritui sancto restitistis. Quod vitiũ etsi omnes homines inuoluat, Iudęos tamen arctius possidere videtur, in quos sępius obiicitur & à Mose, & ab aliis prophetis. Nec magnoperè est mirandum apud Septuaginta aliter legi, cum vt B. Augustinus acutè & prudenter dixit, non ab illis hoc vitium in Scriptura acciderit, sed ab eo scriptore qui de archetypo primum traduxit exemplar, à quo cętera fuere descripta. Illud quoq; minime prętermittendum est, Septuaginta aliã cuiusdam Cainam generationem adiecisse, quæ in hebręis codicibus non habetur, quę tamen vitiose fuisse addita dici non potest, cũ illius B. Lucas in Euangelio meminerit. Quod factum quidem Caietanus in bonum aliquem sensum trahere conatus est, & excusare Euangelistam: sed re vera ita nititur excusare, vt periclitetur potius Scripturæ fides, & Spiritui sancto autori prorsus derogetur. Dixit enim: Excusatur Lucas, quia recensuit genealogias vt inuenit eas scriptas à Septuaginta, apud quos scripta legitur hæc genealogia superflua. Et meritò excusatur, quia tunc tẽporis interpretatio Septuaginta erat magnæ autoritatis apud græcos & nationes alias: hæc ille. Excusat ergo B. Lucã, sed *Notandum* Spiritũ sanctũ profectò non excusat qui permisit illũ falli & fallere autoritate hominũ deceptũ, perinde ac si Scripturæ sanctæ non diuina, sed humana autoritate niterentur. Prętereà, nonne callebat B. Lucas hebræã linguam? Equidem neminem arbitror suæ propriæ opinionis tam cupidum defensorẽ, vt id inficiari velit. Sed ne contentionibus vllum locum relinquamus, demus vltrò B. Lucam hebraicæ linguæ fuisse ignarum. At nunquid, obsecro, hoc ignorarunt Apostoli qui eius Euangelium & probarunt & commendarunt? Expressum habemus B. Pauli Apostoli, cuius idẽ Lucas perpetuus comes fuisse creditur, testimonium. Cuius laus est, *2. Cor. 8.* inquit, in euangelio. Quis igitur non persentit quantum fidei nostræ afferretur pręiudicium, si liceret vel leui coniectura arguere Euangelistas de aliquo lapsu & inscitia in cõscribendis Euangelii mysteriis & fidei nostræ fundamentis tradẽdis, quæ illibatissimæ & solidissimæ debent esse veritatis? Non sunt hę pii & sapientis viri cogitationes: nec verò excusatur si aliam statim solutionem adiecerit. Non enim illo pacto in dubium ponendum erat, quod certa fide ab omnibus recipiendũ est. Dicendum est ergo, quòd sicut B. Matthæus in catalogo generationũ Christi nonnullas omisit quæ mysterio numeri non seruiebant, ita etiam Mosen fecisse: nisi velimus (quod esset Spiritui sancto Ecclesiæ rectori contumeliam inferre) mendax facere B. Lucæ testimonium, qui ut cõpleret ipsum mysterii numerum restituit illum alium Cainã à Mose prætermissum. Ex quibus manifestè patet in computatione annorum mundi, si numerus ab his genealogiis educeretur, facilè posse in magnos errores incurri.

De primis mundi annis. Est & detrita quæstio, nunquid illi anni de quibus hîc Moses, essent anni quales nũc sunt, idest, trecentorũ sexaginta quinq; dierum & sex horarũ. Conturbat enim quosdã quomodo tam longam homines vitam illo tẽpore ptraxisse potuerint. Sed qui Scripturarũ apertum sensum negare non audẽt, etiam id concedere coguntur, cũ perspicuè apud Mosen appareat diuidi annũ in mensẽ, & menses in dies, vt efficacitet inde colligamus non alium & diuersum annũ ab eo quo nos hodierno die vtimur, significari. Hebræi enim qui mensibus lunaribus vtuntur, primo mensi tribuunt triginta dies, secundo vigintinouẽ, tertio triginta, quarto similiter viginti nouẽ, & sic alternatim vsq; ad duodecim menses. Verùm quia ad annũ solarẽ cõplendum desunt vndecim dies & sex horę, quolibet tertio anno obseruant tredecim lunationes, & geminant mensem duodecimũ,

quem vocant Adar. Quamobrē absq; dubio dicendum est, annos hoc in loco intelligi completos, quales & nos accipimus. Legimus enim inferius, Mense septimo, mense decimo, & die decimo septimo, & vigesimo septimo mensis. Sunt & aliæ perspicuæ rationes quas B. Augustinus affert aduersus eos qui secus existimabant, vt est istaquoniā si anni illi non excederent mensurā mensiū, inuenti essent homines ætatis circiter triū aut quattuor annorum qui filios genuissent (vt hîc facile colligitur) quod quidē existimare est prorsus ridiculum, & à naturali ratione alienissimum. Neq; tam longam vitā mero miraculo, vt quidam volūt, ascribendā puto, cum non sit incredibile longo annorū lapsu venisse mundum in senectutem, ac proinde delassari atq; effœtū reddi, quod in cunctis rebus corruptioni obnoxiis assiduè videmus accidere. Nonne & corporum staturas, & membrorum robur nō parum defecisse nostri senes qui hodie viuunt, facta ad suā ipsorum pueritiam comparatione testificantur? Quod si in tam breui vnius ferè ætatis hominis curriculo istud verum esse conspicitur, qd in aliquot annorum millibus censendum est labente (vt diximus) ad suam decrepitā ætatē mundo, & ad interitum paulatim vergente? Diluuium autem ob peccata hominū immissum, mirum in modum nocuisse vitæ hominum non est dubitandum. Vtrumlibet aūt dicat quis, siue miraculo, siue iuuentuti mūdi hoc ascribat, modo salua maneat Scripturæ veritas, non est hac de re scrupulosius disceptandum. Quisq; sua fruatur sententia, mō absit sēper pertinacia & praua vincendi cupiditas, qua plerūq; efficitur, vt non tam à disputantibus & Scripturas rimantibus quæratur veritas & quæstionum solutio, q̄ inanis gloriæ fumus & vmbra, quibus occæcantur oculi, fitq; vt (iuxta Apostoli sententiam) reperiantur quidam semper discentes, & nunquàm ad veritatis cognitionem peruenientes. Quam vanitatem Christianus lector omni conatu fugere debet.

Porrò de Enoch notandum, quomodo translatus est in Paradisum terrestrem, quem condidit Deus ab initio. Quod verò dicitur. *Ambulauit cum Deo*, nō est carnaliter intelligēdum, cum Deus sit immobilis qui neq; graditur, neq; ambulat: cuius viæ sunt à nostris longè diuersæ, neq; nobis imitabiles. Quapropter de ambulatione cum Christo Deo proculdubio intelligenda est Scriptura, cuius vestigia imitati sunt omnes iusti. Vnde Dilectus rectissime & saluberrime admonet vnūquenq; qui seduci nolit vana hæreticorū nostri temporis confidentia, aiens: Si quis dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare, idest, sectari vitæ illius tenorē in humilitate & patientia & charitate, bona agendo, & mala patiendo cum gaudio spirituali, quæ sunt virtutes non ad Iudęos carnales, non ad gentiles Romanos, sed ad Christianos viros & strenuos Christi milites pertinentes. Vnde Apostolus tanto spiritu prædicabat: Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV Christi, p quē mihi crucifixus est mundus, & ego mūdo. Et alibi testatur post cōsequutā de Christo veram cognitionem & fidem, reputauisse velut stercora quæcunq; prius æstimabat lucra & commoda. In hac imitatione consistit perfecta iustitia, quā Enoch assequutus est, cuius nomen dedicationē significat.

Et septimus ab Adam non ab re describitur, vt ostendatur & ipse quieuisse ab operibus suis sicut Christus à suis, vt in octaua fruatur perfecta felicitate in sanctificatione & dedicatione consummata. Nec illud Sapien. 4. vbi legitur: Raptus est ne malitia immutaret intellectum eius, pertinere ad ipsum Enoch arbitror. Ibi enim non de certo quopiā homine sermo haberi videtur, sed generaliter de quibusdam Deo dilectis, quos vult è medio tollere per mortem, ne grauioribus tentationū procellis imminentibus succumbant. Ob eam causam in Euangelio dixit: Sed ppter electos breuiabuntur dies illi, quod priuilegium non est omnium. Verùm hac de re alibi. *Matth. 24*

Vixit quoq; Mathusalam cētum octoginta septem Annis, & genuit Lamech. Et vixit Mathusala postq̄ genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Mathusalæ nongenti sexaginta nouem anni, & mortuus est. Vixit autem Lamech centū octoginta duobus annis, & genuit filium, vocauitq; nomen eius Noe, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarū in terra cui maledixit Dominus. Vixitq; Lamech postq̄ genuit Noe, quingentis nonaginta quinq; annis, & ge-

nuit

nuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Lamech septingenti septuaginta septem anni, & mortuus est. Noe verò cum quingentorum esset annorum genuit Sem, Cham, & Iapheth.

Vixit quoq; Mathusalam &c. Est quæstio de Mathusala, qui iuxta computationem annorum secundũ Septuaginta, & Methodium, & Iosephum, potuit inueniri viuus ẽt post diluuiũ. Sed quomodo non seruatus in Arca? Sunt ergo qui ad diluendum dubiũ dicant illam computationem falsam. Sed nec quidem cessat dubium secundum cõputationẽ quę fit ex hebraicis codicibus: si quidẽ oporteret fateri illũ hominẽ in ipso anno diluuii inueniri viuentem. Cœpit enim diluuium post annum quingentesimum nonagesimum nonum vitæ Noe exactum, secundo mense, decimoseptimo die mensis. Vixit autem Mathusalam post natiuitatẽ Noe, sexcentos annos. Quo pacto igitur iam incepto diluuio viuebat ille? Non enim secũdum verborum proprietatem rectè dicitur quis vixisse sexcentos annos, nisi illos iam aut compleuerit, aut ferè compleuerit. Quare non placet quorundam expositio dicentiũ, illum pauló ante quàm inciperet diluuiũ decessisse. Illud potius existimandum, aliquot generationes in hoc catalogo esse omissas, quæ ad mysterium numeri & personarum non faciebant, quod intẽdebat Spiritus sanctus, sicut eleganter B. Chrysostomus his verbis annotauit: Dici nequit quã multiplex thesaurus in verbis commodùm lectis recõditus sit. Et scio quidem quòd opinãtur aliqui nihil amplius dici, quàm illorum nominum enumerationem & appellationem: spectant enim tales ad solam superficiem. Ego autem omnes vos obsecro, ne simpliciter ea quæ in Scripturis sacris cõtenta sunt, transeatis. Nihil enim hîc scriptum est quod non multas sensuum habeat diuitias. Quando quidem diuinò Spiritu afflati prophetæ loquuti sunt: ideò vti à Spiritu sancto scripta ingentem in se continent thesaurum. Et ne mireris quòd in hac nominum enumeratione multas latentes'q; diuitias sententiarũ insitas esse pollicear. Neq; enim vel syllaba, uel apiculus est in sacris literis, in cuius profundo non sit grandis quispiã thesaurus. Proinde nobis opus est diuina gratia ducamur, & Spiritu sancto illustrante eloquia diuina adeamus. Neq; opus habet diuina Scriptura hominum sapientia vt intelligatur, sed reuelatione spiritus, vt hausto inde vero sensu, magnum nobis hinc lucrum accrescat. Non est autem nostra professio scrutari hîc sensa mystica: sed solùm ea confiteri & aspicere à longè.

Vixit autem Lamech &c. Hic est locus vbi minus conueniunt Septuaginta cum hebraica veritate. Quod enim dicitur, *Vixit Lamech postq; genuit Noe quingentis nonaginta qnq; ãnis*, apud Septuaginta habetur, *Quingentis sexaginta quinq;*. Et cum anni integræ ætatis Noe computentur hîc septingenti septem, illi legunt, Septingenti quinquaginta tres, quod scriptorũ vitio accidisse non est dubitandum, & verioremesse hebraicam lectionem, cui & caldaica astipulatur. Noe igitur decimus ab Adã ab aquis ereptus est tanquam iustus, qui decalogum diuinæ legis obseruans per arcam saluus factus est. Et ideò Noe vocatus est, quæ vox consolationem significat, proptereà dixit Lamech: *Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra etc.* Ad literam sunt traditiones Hebræorũ, Noe ante omnes primum docuisse modũ sulcandi terram aratro & iugo per boues. Et hoc pacto consultum fuit hominibus, ne id opera & labore manuum suarum agentes tantopere torquerentur. Verùm illustriorem sensum & altiorem hoc in loco postulat Spiritus. Iustus enim ille ostendens nobis modum salutis, nimirum per arcam, solatur nos eripiens ab operibus nostris vanis & mortuis, quæ lia sunt peccata: & à dolore qui est assiduus in hac vita, per solatium spei viuentis, donec cessantibus aquis perfectam requiẽ obtineamus. Hoc totũ opus est Christi qui in Noe significatus est.

Noe uerò cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, et Iapheth. Ex his tribus cunctę vniuersi orbis generationes processerunt, & hi fuerunt figura cunctorum hominum q per baptisma spiritus regenerati sunt. Et per Sem quidem genus electum significatum est. Per Cham verò ob peccata posteà contracta & impietatem, genus maledictum & reprobum. Per Iapheth autem eos q in media sorte cõsistunt, quorum permultus est numerus. Hoc autem quod dico, facilè potest ex ipsorum nominibus ac Dei benedictionibus post diluuium datis deprehendi. Postq̃ enim benedixit Deus Noe & filiis eius, & inuenta est impietas in Cham, dixit Noe: Maledictus Chanaam, seruus seruorũ erit fratribus suis. Dixitq;. Benedictus Dominus Deus Sem. Sit

Chanaan seruus eius. Dilatet Deus Iapheth', & habitet in tabernaculis Sem, sitq; Chanaan seruus eius. Quo in loco diligenter aduertit B. Chrysostomus, nō uideri benedictionem cadere super Sem, cum benedicatur potius ipse Deus. Sed cum hæc benedictio nō sit aliud quàm gratiarum actio, idq; propter Sem, præsupponitur miro modo benedictio ipsius Sem, quoniam Deus dicitur ipsius Deus. Quo dicendi modo significatur peculiaris erga illum diuinæ gratiæ prærogatiua, cui etiam subiicitur generatio Cham.

B. Ambrosius Quapropter B. Ambrosius hoc perpendēs dixit: Specialiter vocauit Noe Dominum Deum filii sui Sem, eo quòd Deus iustorum est, hoc est, montium non vallium, qui gratiam habeant virtutis excelsæ: hæc ille. Et hi excelsæ virtutis viri sunt illi electi ac prædestinati signanter. Nec propterea cęteri reprobantur qui in Iapheth subintelliguntur, quorum benedictio est vt dilatętur multusq; sit eorum numerus, & habitent in tabernaculis Sem, idest, non agnoscant hîc ciuitatē manentem, sed cum peculiariter electis & illorum imitatione futuram inquirant & sempiternam felicitatem: quibus similiter subiiciuntur filii Cham, idest, qui suo merito reprobi facti subiacuerunt maledicto æterno. Hæc adieci, vt hîc statum prędestinatorum atq; electorum prudens lector contempletur, per quos non excludimur si in classe secunda simus relicti. Igitur si non datur nobis esse in numero priorum, idest, filiorum Sem, non ob id animum despondeamus, sed firmiter speremus, & benedicamus sēper Deū Patrē qui nō exclusit nos à benedictione, modò non resistamus benedictioni, quatenus vt filii Iapheth habitemus in tabernaculis eius, & vitam possideamus sempiternam, Amen.

Benedictus Deus.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

NE mireris, amice lector, si librorum tituli præposterè uideantur inscripti, cum in fronte totius operis legas Autorem Archiepiscopum, in subsequentibus autem tractatibus Episcopum, quasi ex Archiepiscopo in Episcopum euaserit, cum ante absolutam Tomi integram editionem ex Pontificis Benignitate econuersò contigerit. Sed consilium eius fuit, vt ea prius ederentur quæ maturè possent ad S. Synodum Tridentinam transmitti, quēadmodū & factū est. Enarrationes igitur in Genesim quæ primo loco erant collocandæ, post reliqua omnia typis excusæ sunt. Et ne postremæ paginæ vacarent, addita est sequens disputatio superioribus diebus ob quendā puerū Iudæū baptisma postulātem suscepta, quem perspecta eius uoluntate et bona indole summus ipse Pōtifex ēt inuitis parentibus baptizari iussit.

IN SEQVENTEM DISPVTATIONEM PRAEFATIO.

NON DIV EST EX QVO IVDAEVM *puerum mandato* IVLII *Tertij Pontificis Maximi baptizaui. Explorauerat enim prius summus ipse Pontifex animum eius, desideriū, & desiderij causam. Vbi autem de sermone ac responsis eius animaduertit prudentiam, consilium sanum & constans, continuò idoneum censuit & dignum, qui salutari lauacro de sacro fonte expiatus fieret uoti compos. In eandem ego nesciens concurri sententiam, cum puerum interrogaui, similiter explorans num rationis compos esset. Nec tamen defuere qui sese opponerent, illam communem sententiam allegantes: Non licere tales pueros inuitis parentibus baptizare.*

Quibus etsi responderi potuisset, eo in facto non fieri illud inuitis parentibus, cum auus pueri paternus (orbatus enim erat patre) nequaquàm resisteret, sed solùm patruus, in cuius potestate non erat: attamen re uera Pontificis nostri sententia fuit, ut cunctis reclamantibus baptizaretur, inde (ut dixi) permoti, quia ætatem & prudentiam, præsertim ad hanc rem adeò fauorabilem, habere censebat idoneam, cum tam prudenter bono Angelo proculdubio suggerente, de sua salute cogitaret, & salutis remedium posceret. Ego autem quanquàm hac sola tanti Pontificis autoritate poteram me tueri, cum nemo nesciat quantum ille iudicio & legum peritia præstet, induxi tamen animum quæstionem illam, uidelicet, An Iudæorum pueri possint inuitis parentibus baptizari, et subtilius discutere & latius pertractare. Visum namq; est mihi sedulò cogitanti, quospiam in re proposita nimios esse in fauendo perfidis parentibus, diuinæ interim pietati ac gratiæ detrahentes in pernitiem liberorum. Exortus est itaq; hic libellus, ubi disputans (ni plurimum fallor) rem totam explico ad persuasionem cunctorum qui nolint proteruè ac pertinaciter hærere placitis. Nihil enim contra communem illam sententiam ibi probo: sed quo pacto sanè intelligi debeat, abundè declarare mihi uideor, ac ualidissimè demonstrare. Nec tamen eius ego ingenij sum, ut semel emissum uerbum nolim, ubi ipsa ex aduerso ueritas ostenditur, reuocare: quanq; in dies magis ac magis quod feci probo, cum assiduè uideam optimæ indolis puerum, elegantis ingenij, placidum moribus, pietatis ac diuini cultus amantem, & ad literarum studia minime ineptum, ac propterea dilectum Pontifici, cuius iussu domi illum custodiendum & erudiendum suscepi. Vnde optimam concipere spem haud temerè ualeam futuri magni profectus et fructus. Nunc CHRISTI nomine inuocato, libet [illegible] disputationem ipsam aggredi.

DE PVERIS IVDAEORVM SVA SPONTE AD baptismum uenientibus, etiam inuitis parentibus, recipiendis.

VARIAS ET INVICEM PVGNANTES circa quæstionem hanc fuisse opiniones, Canonum et Theologiæ mediocriter periti haud ignorant. Quidam enim Theologorum, ut Ioannes Scotus, Durandus, Petrus Aureolus, & alij plerìq; sectatorum ex Theologis: Item ex Canonistis, Ioannes Andreas, Archidiaconus, Antonius de Butrio, Dominicus de sancto Geminiano tenuerunt, quòd licet priuatæ personæ non possint nec debeant huiusmodi pueros inuitis parentibus baptizare, Principes tamen in suis regnis hoc nedum posse, uerùm etiam debere illos à suis parentibus abstrahere, & ut baptizentur iubere. Verùm quoniam hanc opinionem nec Ecclesia, nec cõmunis Doctorum sententia recipit, ego postremo loco relinquam.

Est ergo sententia B. Thomæ, quam meritò plurimi sequuntur, qui distinguit de pueris. Aut enim, inquit, habent usum rationis, aut non. Si habent, possunt: Si non habent, non possunt. Idq; his rationibus probat. Prima est, quia hoc non consueuit unquàm Ecclesia, cuius autoritatem ipse meritò magnificat, & præponendam censet etiam Sanctorum doctrinis, in hunc modum concludens: Et ideò periculosum uidetur hanc assertionem de nouo inducere, ut præter consuetudinem in Ecclesia hactenus obseruatam, Iudæorum filij inuitis parentibus baptizentur: huius ratio est duplex. Vna quidem propter periculum fidei. Si enim pueri nondum usum rationis habentes, baptismum susciperent, postmodum quùm ad perfectam ætatem peruenirent, facilè possent à parentibus induci ut relinquerent quod ignorantes susceperunt, quod uergeret in fidei detrimentum. Alia uerò ratio est, quia repugnat iustitiæ naturali. Filius enim naturaliter est aliquid patris. Et primò quidem à parentibus non distinguitur secundũ corpus, quandiu in matris utero continetur.

Postmodum uerò postquàm ab utero egreditur, antequàm usum liberi arbitrij habeat, continetur sub parentum cura sicut sub quodam spirituali utero. Quandiu etiam usum rationis non habet puer, non differt ab animali irrationali. Vnde sicut bos & equus est alicuius ut utatur eo quùm uoluerit secundum ius ciuile sicut proprio instrumento: ita de iure naturali est quòd filius anteq; habeat usum rationis sit sub cura patris. Vnde contra iustitiam naturalem esset, si puer antequàm habet usum rationis, à cura parentum subtrahatur, uel de eo aliquid ordinetur inuitis parentibus. Postq; autem incipit habere usum liberi arbitrij, iam incipit esse suus, & potest quantũ ad ea quæ sunt iuris diuini uel naturalis, sibi ipsi prouidere. Et tunc est inducendus ad fidem non coactione, sed persuasione. Et potest inuitis parentibus consentire fidei & baptizari: non autem anteq; habeat usum rationis. Vnde de pueris antiquorum Patrum dicitur, quòd saluati sint in fide parẽtum: per quod datur intelligi quòd ad parentes pertinet prouidere filijs de sua salute, præcipuè antequàm habeant usum rationis. Hæc D. Thomas & rectè.

Sed nunc illud uertunt in dubiũ, an si contra ius inuitis parentibus baptizentur, recipiant effectum baptismi, ut uerè baptizati dicantur, & obligati Ecclesiæ in professione christiana. Caietanus enim hoc asserit, & illud amplius, hoc esse ex doctrina B. Thomæ. *Sed in utroq; absq; dubio fallitur. Producendæ ergo sunt rationes eius primùm, et pòst confutandæ.* Prima et maxima eius ratio hæc est. *Quia ad recipiendum sacramenti huius effectum non exigitur uoluntas aut consensus eius qui baptizatur, sed satis est non ponere obicem, hoc est, non dissentire: quod in pueris fidelium patet. Ipsi enim non consentientes, consequuntur sacramenti effectum. Nec putandum est secus esse in adulto: quoniam (inquit ille) quicquid non est de essentia aut de necessitate sacramenti in uno, non potest dici de essentia aut de necessitate in alio.*

Et adiuuans hanc opinionem, ne quis diceret (quod tamen D. Thomas constanter dicit & B. Augustinus) *in pueris uoluntatem & consensum patris, esse interpretatiuè uoluntatem & consensum pueri, ac propterea necessariò uoluntatem requiri eius qui baptizatur saltem interpretatiuè, ut huic obstaret responsioni, ait: Voluntas parentum non est dispositio aliqua, sed sola appropinquatio patientis ad agens, puta ministrum conferentem sacramentum. Constat enim approximantẽ passiuum actiuo non esse necessarium ex parte patientis. Tum quoniam aliunde potest suppleri, puta ex approximatione agentis ad patiens, uel ex remouente obstaculum. Tum quoniam extrinsecum hoc est. Patet uerò uoluntatem parentis solummodo approximare passiuum actiuo offerendo infantem baptismo, ex eo quòd si Iudæus faceret filium baptizari non ut nutriretur Christianus, sed totaliter nutriendum Iudæum, ob solamq; corporis sanitatem infantem uellet baptizari, & hoc ipsum diceret ac compelleret ministrum ad baptizandum, uel ipsemet baptizaret, in ueritate infans esset baptizatus, & tamen tunc paterna uoluntas nec ex charitate, nec ex spe, nec ex fide nec ex Ecclesiæ uoluntate ibi compararetur: quoniam Ecclesia si sciret, resisteret tali oblationi. Nihil ergo facit oblatio pueri, nisi quòd approximat passum agenti, iniuriamq; paternæ tollit autoritatis, quæ illi irrogaretur si infans patre inuito baptizaretur. Sufficit ergo in baptizando non inueniri obicem uoluntatis contrariæ ad hoc ut characterem suscipiat ex baptismo.* Hæc ille, in quibus certè tot sunt errores penè quot uerba: quæ iccircò libuit recitare, ut qui huic autori plus nimio tribuunt, cogitantes absurda quæ hoc in loco protulit, discant cætera etiam cum iudicio expendere. Manifesto itaq; ipsos errores.

Primùm quod ait, absq; uoluntate & consensu adulti conferri sacramentum, omninò falsum est & contra rationem, & (quantum legerim) contra omnium sapientum doctrinam. Pono enim adultum dormientem baptizatum, ac propterea absq; eius consensu & uoluntate, profectò hic recipit sacramentum iuxta hanc Caietani doctrinam. Et quùm recepit sacramentum, inuenitur sub iurisdictione Ecclesiæ, & ideò obligatur seruare christianitatem quam uerè non est professus: & hoc concedit Caietanus. Ergo potest ab Ecclesia compelli ad seruandam christianitatem. Istud aũt

est quod

est quod ipse negat, & cum hoc concedit præmissa unde hoc necessariò sequitur. Si .n. ex ui sacramenti tenetur seruare christianitatem, cur ad hoc nequeat compelli? Ait, quia absurdum est *eum qui non consensit, posse compelli.* Imò non *absurdum, si ad hoc tenetur.* Compelli *.n. aliquē ad id ad quod tenetur, non est absurdum.* Sed *illud uerè absurdum quod* Caietanus *concessit, uidelicet talem absq; suo consensu obligari* Ecclesiæ *ad christianitatem seruandam.* Quo *concesso, sicut necesse est confiteri quòd obligatur* Ecclesiæ, *ita etiam confiteri necesse est quòd potest compelli.* Obsecro *te acute lector, considera monstra quæ in hac doctrina inueniūtur.* Primū, *Sine suo consensu quis obligatur* Ecclesiæ *ad seruandum quod non promisit seruare.* Secundū, *Obligatus ad seruandum non potest compelli.* Et *ut tertium monstrum agnoscas, quære ab illo: Nunquid nō est absurdum ut non consentiens obligetur ad seruandam christianitatem?* Fatetur *enim hoc ipse, sed respondet his uerbis:* Vno *inconuenienti dato, multa inconuenientia sequi possunt.* Et *ideò dato hoc inconuenienti quòd minister temerè baptizaret adultum neutrum, non est mirum sequi aliud inconueniens, scilicet quòd talis esset de iurisdictione* Ecclesiæ *ratione sacramenti, & non esset compellendus ad christianitatem seruandā, quia nunq; consensit, sed dormiens baptizatus est: hæc ille.* Tu *uerò insta, & dic:* Si *uno dato inconuenienti multa sequuntur, cur non concedis esse cōpellendum eum qui non promisit?* Hoc *est .n. inconueniens, uidelicet ut ille qui non promisit cōpellatur, non autem quòd non cōpellatur.* Præterea, Si *est inconueniens et absurdum quòd quis obligetur non consentiens, cur tu hoc absurdum & inconueniens admittis?* Ais: Hoc *absurdum ex alio sequitur, uidelicet quòd quidam temerè baptizauit.* Ergo *aliena temeritas me obligat absq; ullo meo consensu?* Quis *adeò immania atq; ingentia monstra poterit uel mente sanus admittere, uel nō proteruus defendere?* Videbat *ille homo ex iam suo dato ac posito sequi tot absurda, & tamen non ab eo recessit (ut debebat) secum rectius deputans ac statuens, non posse uerum esse & secundum diuinam legem, unde hæc tot ac tanta inconuenientia sequerentur.* Illud *uerò mirum, quòd afferat pro sua opinione* Innocentium *qui dixit, tunc imprimi characterem, quùm obex contrariæ uoluntatis nō inuenitur.* Innocentius*.n. manifestè præsupponebat requiri uoluntatem in adulto ad hoc ut baptismi sacramentum susciperet, & non erat ibi sermo de adulto qui nec dissensum, nec consensum ostendit.* Nam *ut imprimatur character in dormiente uel amente, palàm exigit ipse priorem uoluntatē eorum, nec aliter* Ecclesiam *consueuisse docet.*

Quòd *uerò à quolibet adulto qui baptizatur, requiratur eius intentio, uidelicet suscipiendi baptismum, manifestè* B. Thomas *tenet.* Vnde *ait:* Si *in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus.* Idē *probat &* Scotus, & Durandus, & Petrus de Palude, & Archiepiscopus Antoninus, *et* Sūmistæ *(ut existimo) cuncti concordes.* Rectè *ergo argumētatus est* Durandus, *ut probaret in pueris uoluntatē et cōsensum recipiēdi sacramentū esse de essentia sacramenti.* Si.n. *hoc in adultis, ergo in pueris.* Accepit.n. *pro re manifesta* ꝙ *in adultis eorū intētio requireretur.* Vnde B. Thomas *eū circa rem propositā disputaret, et de more argumentaretur primùm pro parte falsa, ad probandū inuitis parētibus pueros* Iudæorū *posse baptizari, aiebat:* Quilibet *homo magis est* Dei *q; patris carnalis.* Nō *ergo est iniustum auferri pueros à patribus carnalibus, & consecrari* Deo: Respondit *hoc pacto.* Homo *ordinatur ad* Deū *per rationem.* Vnde *puer anteq; usum rationis habeat, naturali ordine ordinatur in* Deū *per rationē parentū, quorum curæ naturaliter subiacet, et secundū eorum dispositionē sunt diuina agenda: hæc ille.* Et *iterum quærens utrū pueri sint baptizandi, et de more arguens pro parte falsa, qa in baptismo requiritur intentio et professio fidei & bonæ conscientiæ interrogatio in* Deū, *et concludens pro ueritate, quòd possunt ac debent baptizari, respondet argumentis.* Primùm, *quòd pueri anteq; usum rationis habeāt, quasi in matris* Ecclesiæ *utero existentes, per illā spiritualem recipiunt uitam.* Adducit *et* B. Augustini *sententias qui ait:* Mater Ecclesia *os maternum paruulis præbet, ut sacris mysterijs imbuantur, & rectè fideles uocentur: quia fidē per uerba gestantum quodam modo profitentur,*

B. Tho. 22.q. 10.art. 12.

B. Tho. in 3. q. 88. art. 9.

S

& pœnitentes habentur, cum per eorundem uerba gestantiũ Diabolo et huic sęculo abrenunciare monstrentur. Et ad Bonifacium ait: In Ecclesia Saluatoris pueri per alios credunt. Et ne quis diceret posse eos qui offerunt aut qui gestant, infideles esse, respondet hoc pueris non obesse: quia fides maiorũ q sunt in Ecclesia supplet pro eis, cum sit in ipsa Ecclesia cõmunio sanctorũ. Et per hoc possunt respondere qui sunt ministri, de conscientia puerorũ bona in Deũ, & id Ecclesia supplet. Certè in baptismo initur pactum cũ Deo, ut ritus ipse solennis docet: ergo mutuus cõsensus requiritur. B. Chrysostomus dixit: Sicut homo non potest facere bonũ nisi habuerit auxiliũ Dei, ita Deus non operatur bonũ in homine nisi ipse uoluerit. Quãobrem nequeo desinere admirari hãc aduersam Caietani doctrinã, & potissimũ illam falsam ipsius persuasionem, q putauit se loqui iuxta B. Thomæ sententiã, scilicet ut ex B. Thomæ doctrina eliciat, posse aliquem baptizari ẽt inuitũ. Inuiti .n. illi pueri censendi sunt, quũm sunt inuiti parentes, quorũ uoluntas, puerorũ esse uoluntas censetur. Sicut .n. si parentes consentirent, intelligeretur puer consensisse: ita dissensus parentum est putandus dissensus paruulorum. Nec dicat mihi quisq;, Etiam si sint inuiti parentes, tamen potest suppleri consensus & intentio & fides pro illis ab Ecclesia & maioribus Ecclesiæ, sicut diximus de infantibus Christianorũ, si fortè Christiani parentes prohiberent baptismũ ipsorũ. Nego hoc rectè cogitari: quia Ecclesia nõ supplet pro his qui foris sunt, et nõ sunt participes spiritus.

Nunc superest illa expedire quæ adiecit Caietanus ex proprijs, & illud primũ quòd uoluntas parentũ non est dispositio aliqua, sed sola appropinquatio patientis ad agens. Nam hoc unde probat? Similiter aũt dicetur in illum, quòd consensus adulti non sit dispositio, ac propterea ipse etiã inuitus posset baptizari: quod est absq; ulla dubitatione falsissimũ. Si .n. eius uoluntas nõ requiritur, eius (ut ita dicam) noluntas non deberet obstare, sicut non obstat paruulis qui inuitis parentibus baptizantur, quorũ parentũ uolũtas & noluntas, puerorum uoluntas & nolũtas interpretatiuè censetur. Præterea, Si consensus parentum est solũmodo appropinquatio passiui ad agens, certè agens non aget in passiuum sine appropinquatione passiui ad se. Nec ualet quod ait posse appropinquationem alio modo fieri, nimirum si ipsum agens appropinquet ipsi passiuo: quoniam tale agens, qui est Deus, ut agat in passiuum, exigit appropinquationem passiui ad se, sicut scriptũ est: Appropinquate Deo, & appropinquabit uobis. Cum .n. omnes simus natura alienati à Deo, inimici illi, & hoc sit obstaculũ quo minus nos illi appropinquare ualeamus, & ille nobis, nisi hoc obstaculum tollatur, nulla fiet appropinquatio. Sed sicut ab initio uolũtate sáltẽ parentum, quæ interpretatiuè fuit nostra, ab eo recessimus: ita & postmodo necesse est ut uoluntate saltem parentum, quæ nostra sit interpretatiuè, ad ipsum reuertamur. Quod ergo Caietanus adiunxit, Si Iudæus pater consentiat, aut ẽt cogat filium suum baptizari, aut ipsemet baptizet, intendens nõ aliud quàm eius sanitatem corporalem, & hoc insuper manifestat, ualere baptismũ, inauditum est, absonũ nimis & paradoxum, uidelicet sine ulla prorsus intentione uel baptizati, uel baptizantis, uel parentum, uel Ecclesiæ, sacramentum conferri. Quare indigna res est super qua ulterius fiat uerbum.

Concludendum est igitur, sine parentum uoluntate pueros Iudæorũ, aut quouismodo infidelium existentium extra Ecclesiã (de his .n. est sermo qui usum rationis non habent) baptizari non posse, nec si baptizentur ualere baptismum, nec aliter docuisse B. Thomam: sed hoc ex ipsius doctrina necessariò elici, quemadmodum Capreolus docet: licet secus uisum sit Archiepiscopo Florentino quasi D. Thomæ doctrinam sectanti. Syluester autem in sua summa fatetur se ignorare unde ex Thomæ doctrina illud elicuerit B. Antoninus. Et re uera utrũq; falsum, uidelicet & ipsum dictũ, & quòd ex doctrina D. Thomæ accipiatur. Non dubito inde tamen accipi, ubi ait: Periculosum esse illam assertionem de nouo inducere, ut filij Iudæorum inuitis parentibus baptizentur. Si enim ante usum rationis baptismum susciperent, esset periculum fidei ne reuerterentur ad uomitum: tanquàm si expressius dixisset B. Thomas, quòd si baptizarentur, esset in hoc periculũ fidei, quòd susciperent baptisma, & illud postmodo non seruarent. At uerò B. Thomæ doctrina è diametro

Super Matt. cap. 6.

pugnat. Disputat enim expressè cōtra illam opinionem quæ uolebat tales pueros baptismum suscipere. Et ostendens hoc esse absurdum & falsum, dixit: Si enim baptismum susciperent (conditionalis est hic sermo) quasi dicat: Si hoc esset uerum, sicut uos dicitis, tales pueros baptismum suscipere, postmodo quàm ad perfectam ætatem peruenirent, de facili possent fieri desertores. Illud hic omnino aduertendum est, quòd Archiepiscopus ille sanctus admittens tales pueros uerè baptismum suscipere, non tamen eò labitur ut more Caietani dicat, sine intentione ipsius baptizati saltem interpretatiuè id euenire, quia alij qui offerunt, tales loco parentum habentur. Sed in hoc fallitur: quia iuxta doctrinam aliorum ueriorem, quæ certè est ipsius B. Thomæ, & Petri de Palude, & Capreoli, & euidentem præ se fert rationem, non potest Ecclesia in his supplere qui non sunt eius aliquo modo, quod ualde erat considerandum.

Hoc igitur iam euicto & constituto, pueros usu rationis carentes inuitis parentibus non posse baptizari, nec si baptizati fuerint, baptismum recipere: Nunc illud sese obijcit quæstionis, unde hoc deprehendere ualeamus, uidelicet habere illos usum rationis, aut non habere. Duplex enim est uia ad hoc ipsum idoneè cernendum. Prior quidem est experientia, quæ respicit ad ueritatem. Non enim par est omnium in eadem ætate uigor mentis & intellectus: quoniam inueniuntur aliqui infantes quinq;, aut sex, aut septem annorum, qui ratione ac iudicio pares sunt multis qui octo, aut decem, aut etiam undecim annos excedunt. Et similiter multi sunt impuberes qui multos puberes prudentia superant & astu. Quamobrē si hac priore uia usus rationis ac iudicij in his quæritur, idest, experientia, tentandi sunt à maioribus & prudentibus qui eos interrogent de re præsenti, hoc est, de negotio in quo usus rationis quæritur, & à responsionibus eorum eruere quid sapiant. Altera autem uia est, qua non quid exactè uerum sit deprehenditur, sed quid communiter, & quod in pluribus contingat. Hac uia secantur anni in ætates. Est enim prima ætas pueritia, tum adolescentia, deinde iuuentus, uirilitas, & senectus. Et ipsa quidem pueritia prima ætas concluditur annis quatuordecim, quæ adhuc diuiditur in infantiam, quæ usq; ad septem annos procedit, et reliquum pueritiæ fluxum. Legum latores ergo, qui leges suas aptant ad ea quæ frequentius accidūt, ad excludendas ac semouendas lites & controuersias, crebrius hac secūda uia utuntur. Vnde regulæ iuris: Intra infantiam pueros nihil prorsus agere posse. Supra illā ætatem agere quidē posse, sed auctoritate maiorum, ut parentum, aut tutorum. Intra pubertatem, idest, annos quatuordecim, non cōdere testamentum, & alia huiusmodi.

Quærendum est igitur in casu proposito, quænam harum uia sit attendenda ad cernendum utrum puer habeat usum liberi arbitrij & discretionem, an non. Sumus quippe in diuinis, & his quæ ad Deum pertinent, & maximi momenti ac ponderis. Ac ego quidem non dubito, in huiusmodi incedendum secundùm priorem uiam, uidelicet ab experientia. Et nihilominus illud precipuè attendendum, pueros (quod attinet ad diuina) longè aptiores esse ac magis eorum capaces, quàm humanorum negociorum, ut eleganter B. Chrysostomus ostendit. Itaq; usum rationis & discretionis non ætate, sed ipsa experientia esse explorandum in his quæ ad Deum pertinēt, probatur tum autoritate, tum ratione. Autoritate quidem primùm, quoniam non ab re B. Thomas tradēs nobis suam doctrinam ad cernendum an puer habeat usum liberi arbitrij & discretionem, nō taxauit hoc per ætatem, aut certum ætatis terminum. Taxauisset autem proculdubiò ut certiorem nobis traderet doctrinam, si hac in re putasset esse definitos discretionis annos. Distinctio ergo illius nō hæc fuit, ut si sint intra annos quatuordecim, aut duodecim, aut alium quemuis annorum terminum, nō possint baptizari: sed ad rem ipsam & ueritatem aspiciens, dixit: Aut habent usum rationis, aut non habent, non audens definire certo annorum termino quando habeant, & quando non habeāt. Imò tunc habere usum rationis puerum declarat, cū nōnihil differt ab animali ueluti equo, aut boue. Et quod est attētè cōsiderādū, cōcludit tūc esse capacē baptismi inuitis parētibus, quàm incipit habere usū rationis. Certū est aūt puerum in quinquennio, aut sexennio, plurimū ab equo et boue distare, et ut

idem D. Thomas docet, incipit habere aliquem usum rationis. Ob eam gratiam Innocentius in Lateranensi Concilio, considerans hanc ueritatem in pueris, quòd in quibusdã citius, in alijs tardius usus liberi arbitrij & discretionis excitatur, obligans omnes quùm uenerint ad annos discretionis cõfiteri & sumere Eucharistiam, non taxauit certum annorum decursum: quod certè & ipse fecisset, si rei natura pateretur, nec præbuisset locum interpretibus commentandi ac diuersa opinandi. Nam quidam in extremo primi septennij putãt cõmuniter esse annos discretionis, ut teneantur pueri confiteri & Eucharistiam sumere. Alij octo uel nouem annos præstituunt, nõnulli decimum annum, quidam duodecimum. Qui aũt nimium exigunt, & certè aberrant (quorum meritò explosa sententia est) uolunt expectari pubertatem, idest, quartumdecimũ annum expletum. Verùm q tandẽ rectius sentiunt, hanc rem non certo annorũ termino definiri uolunt, sed certo experimento. Vnde Caietanus non ineptè in hunc modum scripsit: Iudiciũ de initio discretionis debet à parentibus & confessore fieri. A parentibus quidem, quoniam continua conuersatione experiuntur an filius seu filia discernere sciat panem spiritualem à materiali, & cum deuotione præparare se ad sacramentum. A confessore uerò, quoniam in ipsa confessione potest aduertere quantũ discretionis, aut deuotionis possit inesse. Et uideretur nimia cautela adhiberi à parentibus non exponentibus puellã decem annorum ad communionem. Dicunt enim quòd sunt nimis paruæ, cum tamen sufficientem habeant & discretionem & deuotionem. Et licet ipsi pueri & puellæ uideantur excusari retrahentibus parentibus, & confessore non præcipiente, quoniã disciplina ætatis illius exigit ut maioribus plus quàm sibypsis et credant et pareãt, parẽtes tamen non excusantur.

B. Antoninus circa ãnos discretionis, postq; uarias doctorũ sententias adduxit, citat Hostiẽsem qui dixit, quòd bonus iudex à signis exterioribus potest hoc potius deprehẽdere ex uerbis & responsionibus à puero ordinatè prolatis. Quòd uerò hoc sit potius seruandum, quàm certas metas (præsertim in rebus diuinis) pro cuiusq; prudentia constituere, manifestum facit ipsa opinionũ uarietas & pondus causarum de quibus agitur, quæ sunt de diuinis sacramentis, & in primis de baptismo, unde est uita æterna. In tanto enim periculo ac detrimento nõ est præsumptionibus iuris acquiescẽdum, quas in prophanis causis obseruari præcipiunt legumlatores, sed fauẽdum est bono puerorum spiritui. Certum est .n. non posse esse spiritum malũ, quo quis suadetur aut impellitur ire ad Christum. Adhæc, quòd infantes capaces sint spiritus quo afflantur, & diuinorũ, & in illis à primis annis instituti possint ac debeant, sunt Christi & doctorum sententiæ, & Scripturarum exẽpla quàmplurima. Primùm elegans est exemplum B. Ioannis Baptistæ, q in utero existens agnouit Dominũ et salutauit: et in desertis tenellus infans pœnitẽtiæ formã præbuit in seipso. B. quoq; Benedictus à primis annis cõuersatione christianæ professionis aggressus est. Legimus et. B. Nicolaum puerulum sexta feria abstinuisse à lacte. Dicet hic aliquis: Hæc rara sunt, imò etiam manifesta miracula, & ideò admiranda potius quàm in consequentiam trahenda. Et nos respondemus, trahi posse in consequentiam aliquo modo, nõ ut quod miraculo factum uidemus in uno aut altero nimis præcoci & immatura ætate, ẽt uelimus fieri secundum cõmunem legẽ in alijs: sed non desperemus fieri posse in multis iuxta mẽsuram suam, Domino per bonos Angelos q nemini desũt, inspirante, & absq; miraculo manifesto. Ecce dicimus mõstrasse nobis Christum formã ieiunij, quia ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Hoc ad illius exẽplum seruari deberet à cunctis qui legitimam excusationem nõ habẽt, & tamen nõ eo modo ut nihil penitus comedãt. Hoc .n. fuit singulare Christi, & perpaucorum. Similiter B. Ioannes puerulus, imò infans in utero instructus est, ita ut nosset Dominum suum & exultaret. Non poscimus ut sic fiat in alijs, quod est merè diuinum beneficium spiritus: sed cogitamus hanc ætatem post primos annos etiã aptari posse ad mysteria diuina per instructionem parẽtum & magistrorum, & per Angelos intus ineffabili modo inspirãtes, quod mundus ignorat. Legimus enim de Samuele, quem mater ubi primùm ablactauit, obtulit & sanctificauit Domino, qui in teneris circa diuina institutus ministrabat

bat in templo. Neq; istud quod ad exemplum proponitur, miraculo est ascribendū. Est mihi domi puer nōdum quinq; annorum, Iudæus secundum carnem, secūdum spiritū christianus, qui tanta ualet memoria, & tātæ est docilitatis & sagacitatis, ut sit mirum audire loquētem. Cœpit rudimēta prima Grammatices tanta facilitate addiscere, ut spes firma de eo sit, si uixerit, quàm ocyssimè peritum fore. Mitto quæ attinent ad prudētiam, q̄ mirè decorum discernat à turpi. Recitat psalmos, hymnos, & orationes diuinas, benedictionem mēsæ, & quæ sacerdoti respōdentur in Missa, gesta obseruās quæ decēt ad reuerentiam cultus, nōnihil ēt philosophans de Deo. Quid hic dicemus? An hunc comparabimus equo aut boui? Quid si huic duo anni accesserint, nōne speranda est in illo matura discretio? Quem si uel nunc interroges, de quauis re ita sapienter respondet ac prōptè, ut multos qui ex ephebis excesserunt promptitudine ac discretione antecellat.

Adhæc, dātur infantes qui possunt peccare mortaliter, ut exemplo patefactum est de puero quinq; annorum qui patre audiēte nec reprehendente consueuerat blasphemare Deum. Is .n. (ut narrat B. Gregorius in dialogis) à Dæmone in sinu patris mactatus est. Icircò B. Thomas cōcedit, ēt infantes posse peccare mortaliter: quod profectò dari nō posset, nisi usum rationis haberēt, & boni à malo discretionem. Quid igitur? Non erunt hi docendi confiteri peccatum, qui nouerūt peccare? Et nō erunt hi capaces sacerdotalis absolutionis? Quòd si eos sacramenti pœnitentiæ capaces confitemur, cur non multò magis baptismi? Adhæc habemus & in historijs, nōnullos pueros martyriū pro Christo pertulisse. Quid igitur? numqd absq; usu liberi arbitrij? Nequaq̄.

Et ut ad Euangelia ueniamus, quùm aliquando Dominus isset in Hierusalem, legimus acclamasse pueros: Osianna filio Dauid, Benedictus qui uenit in nomine Domini. Quod cum ægrè ferrent Pharisæi, respondit Dominus: Nunquàm legistis, Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Qua sententia perspicuè declaratur, paruulos infantes aptos ad rem diuinam & Dei laudem, quorum uoces benignè audit Dominus qui creauit eos.

Item, apud eosdem Euangelistas legimus oblatos fuisse pueros Domino & infantes: Discipulos autem iuxta hanc mundi sapiētiam increpasse cum ipsos pueros, tum illos qui offerebāt. Dominus autem dixit: Sinite paruulos, & nolite eos prohibere uenire ad me. Horum enim est regnum cœlorum. Quod apud B. Matthæum & Marcum legimus iuxta uocem græcam, Puerulos: apud Lucam legimus, Infantes, ut intelligamus etiam infantes iuisse ad IESVM. Si nulla esset ipsorum uoluntas, quo pacto id sanè dici potuisset? Itur enim ad Christum non tam corporis (ut B. Augustinus inquit) quàm animi gressibus. Animaduertendum etiam quòd ibi dicitur, Discipulos increpasse illos puerulos, qui certè increpationis capaces non fuissent, nisi usum liberi arbitrij habuissent & rationis. Quapropter ex his locis retunditur istorum sapientia qui in diuinis ad hoc ut accedant ad Christum per sacramētum baptismi, minus idoneam censēt ætatem impuberum, hoc est, minorum quatuordecim annis, cum hoc loco puerulos & infantes ad se uenientes Dominus non recusēt. Intelligo tamen infantes non unius anni, aut duorum, aut trium: sed quùm cœperint aliquid sapere, & institutionis capaces esse: quoniam nullum penitus est hic periculum ne fallantur. Credibile enim est, sicut erat fama, illos puerulos audisse de Christo, esse illū uirū sanctum, & Dei interpretem potentem opere ac sermone. Qua persuasione ducti, nihil hæsitantes aut disceptantes ibant ad illum sperantes de eius uirtutibus se participes fore: quanq̄ hæc explicitè nesciuissent proferre, sed instruentibus intus Angelis & inspirantibus, eam existimationē concipiebant, quam acceptabat Dominus ac probabat.

Prætereà, Ad confirmationis sacramentum accedunt infantes qui aliquid sapere uidentur: Cur non etiam ad baptismum? Adhæc, habemus exacta infantia pueros posse contrahere sponsalitia, & satis habere censentur usum rationis ut mutuò obligentur: Cur ergo non habebunt usum liberi arbitrij ad baptismi sacramentum suscipiendum, cum baptizari nihil aliud sit quàm quædam sponsalia cum Christo contrahere? Quinimò ipse B. Thomas .iiij. sentent. In calce septennij anteq̄

compleatur septennium putat ualere contracta sponsalia, quia quod parum deest, teste Philosopho, non consideratur. Et cum quæreret ille Doctor, quonam pacto illud parum esset cernendum, certisne diebus, an mensibus, respondet potius experientia secundum conditionem cõtrahentium esse deprehendendum: quia sunt qui liberi arbitrij usum citius habeant & ostendant q̃; alij.

Et paulò superius, distinguens quo ad usum rationis (iuxta Philosophi doctrinã) triplicem statum, concludit in fine primi septennij incipere aliquem usum rationis, & illa ætate pueros incipere capaces esse disciplinæ & instructionis. Est & doctrina eiusdem, pueros decem aut undecim annorum esse communicandos, si qua in eis appareant signa discretionis aut deuotionis: quod certè in multis apparet. Cur non multò magis baptizandos, si hæc signa discretionis appareant?

Ecce plurima adduximus ad probandum in pueris ante quartumdecimum annum esse usum liberi arbitrij & rationis, præsertim in his quæ ad Deum pertinent, ac propterea si sponte ad baptismum uenerint, etiam inuitis parentibus esse baptizandos: nec item taxandam esse ætatem in re tanti præiudicij, ut quidam faciunt, puta duodecim annorum, si forte in anno undecimo, aut decimo, aut nono, aut etiam anteriori appareat bona pueri uoluntas & discretio, quæ satis esse censeri possit ad initiandum puerum, ut Dominus IESVS Christus illum dignetur amplexari. Etenim quia uidebat fore qui aliter saperent, dixit: Sinite pueros uenire ad me, & nolite prohibere illos. Hoc Christi uerbum ego potissimum considerans, & religionis fauorem, & animæ periculum, pro qua dedit pretiosum sanguinem suum Dominus: & econuersò nihil detrimenti in paruulo, qui proculdubio de statu mortis in statum uitæ asseritur, non dubitaui Iudæum illum puerum baptizare non ephebum, sed fortè decem (ut fatebantur propinqui eius) aut potius duodecim annorum, ut puer asseuerabat, etiam renitẽtibus eius propinquis: quanq; auus ipse paternus, in cuius potestate erat, & cuius erat potius attendenda uoluntas, non reniteretur, ut ipse confessus est, & adiecit se ratum & gratum habere quod circa puerum suum actum est. Solum nescio quæ constitutio Martini Papæ obijciebatur, ubi tempus duodecim annorum taxari uidetur, ut ualeat pueri uoluntas ad assequendum baptismum contra uoluntatem parentum susceptum. Huic autem constitutioni si nihil aliud haberemus quod opponi posset, adest nobis de uiuæ uocis oraculo sententia IVLII Tertij Papæ q nunc uiuit, & Petri cathedrã tenet. Is ex certa scientia ac deliberatione hunc puerũ baptizari iussit. Si igitur quæritur autoritas, Papa est ut ille. Nec mirum est aut nouum si posterioris sententia opponatur decisioni prioris, ac meritò præualeat. Si autem iudicium, profectò hic noster superior est. Deniq; huic unico argumento mihi respondeari uelim, & dabo manus. Sit pater Iudæus christianitate donatus. Huic sit filius ætatis decẽ aut undecim annorum. Iubeat pater filio ut uelit christianus fieri. Renititur filius, ut nolit quouis pacto consentire. Nunquid, quæso, ex sola uoluntate patris inuitus filius baptizabitur? Absit. Non enim id unquàm consueuit Ecclesia. Nam cum casus iste paulò ante hic Romæ euenisset, nullus fuit qui adeò desiperet ut illud assereret. Erant enim duo impuberes Hebræi summæ perfidiæ, qui nec ulla asperitate, nec blanditijs ullis adduci potuerunt ut religionem suam mutarent. Si igitur mala puerorum & perfida uoluntas ualuit contra bonam patris uoluntatem, ut se priuarẽt bono baptismi, cur econuersò non etiam multò magis ualebit bona puerorum uoluntas contra malam parentum uoluntatem, ne priuentur ipsi fideles pueri sacramento baptismatis ac salutis? An non hic maxime uiget illa regula Iuris, Eius est nolle qui potest & uelle? Quis autem absurdum tam ingens, tam monstrosum admittat, ut eiusdem ætatis puer nolle possit & contra paternam uoluntatem, & in suum detrimentum, & is tamen uelle non possit in suam æternam salutem? Hem pie lector, sentis uim argumenti tam ualidi, tam manifesti? Credo sentis. Quid igitur restat, cur non omnes conueniamus in unum, præsertim cum fauor fidei idipsum efflagitet, & salus puerorũ, dicente Christo: Sinite pueros uenire ad me, horum enim est regnum cœlorum?

Superest modò ut iam eorum sententiam qui putauerunt posse, imò debere Iudæorum infantes

etiam

etiam inuitis parentibus posse iussu Principum baptizari, ostendamus meritò ac rationibus optimis esse explosam: quod satis fecerimus, si argumenta quibus mouebantur, nullius esse momenti detexerimus. Aiebant enim primùm, Si parentes uellent occidere filios suos, nonne liceret & pietatis esset eos de manibus parentum liberare? At prohibere ne baptizentur, quid est aliud quã inferre mortem, & illam quidem non temporalem, sed æternam? Adhæc, Nonne homo est res magis Dei, & sub eius potestate quàm parentum suorum? Haud dubium. Si igitur male sua potestate utantur parentes erga paruulos suos, cur Principes ministri Dei nõ possunt causam eius suscipere, & illos pueros illi reddere, & consecrare per baptismum Deo? Fingamus .n. esse Imperatorem, Proconsulem, & aliquem inferioris potestatis subordinatæ tamen, & hunc qui inferioris fuerit potestatis abuti illa in detrimentum Imperatoris: nõne ad Proconsulem pertinebit emendare factum, & eripere ab inferiore potestate, qua is male utitur contra Dominũ principalem? Adhæc, Si Deus uult omnes homines saluos fieri, numquid iniquitas patris potest nocere filijs suis, cum scriptum sit: Filius non portabit iniquitatem patris? Adhæc, Nonne certũ est, Iudæos esse seruos Christianorum? Hoc enim Canones de Iudæis testantur, cap. Etsi Iudæos. Quid obstat igitur quin christiani Principes possint inuitis parentibus filios ad baptizandũ impellere? Imò etiam si ipsosmet parentes possunt alienare & uendere, cur non in honorabilem libertatem per baptismum adducere? Nam (ut ex Toletano Concilio citatur) religiosissimus princeps uocatur Zizebutus, qui Iudæos compulit ad baptismum. Vnde commendari de eo facto uidetur à Concilio. Adhæc, paruuli fidelium possunt inuitis parentibus baptizari, & si sint in eorum potestate: cur non igitur & paruuli infidelium possint? Hæc ferè sunt quæ ab opinantibus pro illa sua sententia producta sunt: quibus sigillatim est respondendum.

Ad primum ergo respondentes, fatemur posse eripi filios de manu parentum Iudæorum uolẽtiũ illos occidere in eo scelere. Non enim utuntur naturali parentum officio: quoniam natura hanc illis non tribuit potestatem, sed contrà potius statuit, ut quem genuerunt, alant & seruent, non aũt perdant. At uerò non præstare consensum filijs ad baptismum, non est ab eis auferre uitam spiritus quam non habent, sed est tantum non adducere, aut non iuuare eos ad uitam, ad quod cogi non possunt. Si enim ipsi non possunt cogi ad consensum baptismi pro seipsis, ac propterea possũt sibiipsis præcludere uiam ad uitam ne adipiscantur salutem, quid mirum si consequenter etiam suis filijs hac parte possint non prodesse, cum filiorum consensus à patre in huiusmodi requiratur? Præterea, Si parentum factum ab ipsorum conscientia consideretur, longè diuersi sunt eiusmodi casus. Pater enim qui mortem corporalem intentat in filium, manifestè contra ius naturæ agit, & cõtra naturalẽ parentũ affectum. Et ideò nõ mirum si pietas & ius naturale suadet ut è manibus eorum eripiantur: quia nulla est naturaliter in hoc patris contra filium potestas. At uerò quùm non uult consentire baptismo filij sui, id agit non ut perdat eum, sed ut seruet potius, quia putat Christi religionem esse falsam. Ius ergo naturale parẽtes hoc pacto non uiolant, sed seruant si eorũ mens consideretur, cum non impendunt filijs quod putant illis noxium esse, et pro seipsis nõ eligũt.

Ad illud uerò quod secundo loco afferebatur, filios Iudæorum magis esse Dei quàm ipsorum parentum, quis neget? At hinc non propterea sequitur, quòd si parentes non curant eos ut debent, amittant ius ipsum curandi, & in alios deuoluatur: sed bene sequitur, tales esse omnino puniendos. Quis enim dixerit hominem malè usu rationis utentem, esse ipsa ratione aut usu rationis priuandum? Deus enim ab ijs qui ratione abutuntur, rationem uel usum rationis non aufert, sed eos dignis punit supplicijs. Quapropter cum natura comparatum sit, eiusmodi pueros consilio atq; arbitrio parentum regi debere, si fortè parentes sano consilio illis nõ prouident, nõ propterea ratio naturalis dictat ut loco parentum alij substituantur, quorum cura & cõsilio regãtur. Alioq infinitæ turbæ & seditiones concitarẽtur. Neq; similitudo illa de Imperatore & Procõsule & alio inferioris gradus cõgruit: quoniam nõ erat edictum Imperatoris nostri Dei, ut quisq; baptiza-

retur etiam inuitus, sed tãtum si uelit. Quamobrem sicut parẽtes ipsi à Principibus cogi nõ possunt ut inuiti baptizẽtur, ita nec eorũ filij, qui tum inuiti censentur, cũ illorũ parẽtes renituntur.

Nec ualet quod tertio loco afferebatur, Deum uelle omnes homines saluos fieri, et uocare omnes & inuitare. Vult enim salutem nostram Deus, si tamen & nos illam uelimus. Voluntatẽ enim nostram etiam requirit, ideò uocat & inuitat ut respondeamus. Puerorum autem uoluntas cum propriã non habeãt, à parentibus exigitur, quam si nõ præstent, inhabiles illi pueri ad consequendam salutem inueniuntur. Nõ ergo lex euangelica per hoc uiolatur, quòd deficiente cõsensu parentum impeditur baptismus & salus filiorũ: quoniam hoc in primis est euãgelicæ legis, ut nemo sine suo consensu saluus fiat. Consensus autem, aut dissensus parentum pro filijs, ipsorum filiorũ consensus aut dissẽsus, legis naturæ interpretatione cẽsetur. Nec filius portabit iniquitatem patris: quia pater ipse solus punietur de sua duritia. Filius autem ex antiquo peccato solum pœnam detrimenti, seu non lucri patietur: non autem pœnam sensus, ut est cõmunis Theologorũ sentẽtia.

Illud item quod quarto loco afferebatur, nõ rectè concludit. Sumebatur enim, filios Iudæorum non esse in potestate parentum suorum, cum parentes serui inueniantur. Verũ hæc ratio ualida ẽt esset ad probandum, eos quoq; ipsos Iudæos adultos cogi posse ad baptismum si serui sint. Quod sanè nemo potest asserere, ut Canones manifestè decernunt sub Titulo de Iudæis: & ex Cõcilio Toletano clarè accipitur, distinctione .xlv. De Iudæis. Nec est uerũ laudari Zezibuti factũ in eo Concilio, cum propria eius Synodi cõstitutione reprobetur, tametsi uocetur religiosissimus princeps. Potuit enim esse pietate quidem laudabilis, & habere zelum sed nõ secundum scientiã. Sed ad rem nostram. Hoc est quod dicebam, Si parentes ipsi non possunt cogi ad baptismũ, profectò nec eorum filij cogi poterunt. At certè cogerentur, si renitentibus parentibus baptismum susciperẽt. Et re uera nõ eius generis est seruitus Iudæorũ, ut queat uiolare euãgelicæ legis decreta & naturæ iura. Euangelium .n. cum solummodo qui uelit, baptizari decernit, nõ autem renitentem. Et naturæ ius dicit, consensum & dissensum parẽtum esse cõsensum ac dissensum liberorũ nõdum ratione utentium. Quo pacto igitur potest cõcedi baptismus? Nec obstat quod aiunt, Possit Princeps uendere filios Iudæorum. Nõ enim sequitur, ergo potest eos baptizare inuitos: quoniam alterius iuris est baptismus, qui suas habet leges desuper: alterius uerò iuris est Dominorũ potestas in corpus, quod nõ potest naturale uel diuinum ius tollere. Quanquàm nescio an talis sit Iudæorum seruitus de qua Scripturæ loquuntur, qualem isti fortè intelligũt. Sed hoc alterius disputationis esto. Illud nõ prætereundum, quædam indirectè fieri, quæ fieri directè nõ possunt. Exemplũ in re proposita. Si fortè uẽdantur pueri Iudæorum, & in alias regiones trãsferantur, ita ut usum potestatis ulterius parentes nõ habeãt habẽtes illos pro derelictis, & sic inueniantur quasi expositi sine patre, sine matre, quorum miseretur Deus: tunc Ecclesia suo iure quasi rem præoccupanti expositam, potest eos accipere & consecrare baptismo. Iam enim nõ fit iniuria patri, de cuius potestate ereptus est. Ac propterea nihil est miri aut noui si quædã (ut diximus) indirectè fieri possunt, quæ directè fieri posse negantur.

Quod uerò postremo loco adyciebatur, posse inuitis parẽtibus fidelibus liberos eorũ baptizari, nihil facit. Qui .n. professi sunt religionẽ christianã, Ecclesiæ placitis subdũtur. De his aũt q foris sunt (ait Apostolus) qd ad nos? Iudæi ergo parẽtes nõ sunt obligati Ecclesiæ, nec habẽt nexũ Spiritus cũ illa. Et ideò filij eorũ immũdi sunt et nõ sanctificati, nec per Ecclesiæ auxiliũ sãctificabiles parẽtibus ipsis resistẽtibus, sub quorũ cura naturali lege et ordine inueniũtur, quẽ lex euãgelica non aufert. Secus est de pueris Christianorũ, quorũ parẽtes iã obligati inueniũtur ipsi Ecclesiæ ad præbendũ pro filijs suis cõsensũ. Quod si nõ faciũt, Ecclesia et maiores supplent quod ipsi malignè subtrahũt filijs suis, qui ex ipso quòd in Ecclesia procreãtur, mundi dicuntur apud B. Paulũ, et sanctificati, idest, habiles redditi ad sanctificationẽ, ut possint de cõmunione sanctorũ participare. Et quia hæc à quibusdã nõ sunt cõsiderata, grauiter aberratũ est. Et hæc satis ad quæstionis resolutionẽ.

Assertiones

ASSERTIONES

QVATVORDECIM CIRCA ARTICVLVM DE CERTITVDINE INHAERENTIS GRATIAE AD SANCTAM SYNODVM TRIDENTINAM

AVTORE REVERENDO PATRE F. AMBROSIO CATHARINO EPISCOPO MINORIENSE.

AD LECTOREM.

Quantum conferat plenior hic Assertionum Tractatus cum ad ueriorem plurimarum scripturarum intelligentiam, tum ad clariorem multarum & grauissimarum quaestionum resolutionem, tum deniq; ad notitiam uberrimae gratiae & bonitatis Dei erga pios & iustos; unde & serenatio conscientiae multo amplior & fiducia, non illa haereticorum inanis, sed quae propria piorum est, multo fortior: Item animus et alacritas ad perficienda egregia opera multo promptior exoritur: pius, acutus, & candidi animi lector, qui non iurarit in uerba magistri, nec quicquam ueritati praeferre consueuerit; perfacile recognoscet.

INDEX ASSERTIONVM.

Assertio prima.

Non probari ex vllis scripturæ locis quę producuntur, Neminem citra specialem & priuilegiatam reuelationem posse ex fide certum esse suæ adeptæ gratiæ & iustitiæ.

Assertio secunda.

Irrefragabiliter de scripturis sanctis hanc certitudinem gratiæ, ex fide venientem, comprobari.

Assertio tertia.

Quòd nullus veterum Patrum repugnat certitudini præsentis gratiæ quam asserimus.

Assertio quarta.

Innumera esse sanctorum Patrum testimonia pro hac certitudine gratiæ quam defendimus venientem ex fide.

Assertio quinta.

Quòd hac de re Scholastici Doctores variè & obscurè docent: & D. Thomas & primi Scholasticorum potius negarunt certitudinem scientię (vt philosophi scientiam intelligunt) quàm fidei certitudinem.

Assertio sexta.

Quòd nulla est ratio qua illa incertitudo quam aduersarii prædicant, suadeatur.

Assertio septima.

Multa esse argumenta quæ ad certitudinem adeptæ gratiæ faciunt: & in primis sacramentorum finis testificatus nobis à Deo.

Assertio octaua.

Manifestari hanc gratiæ certitudinem non solum à virtute sacramentorum testificata per IESVM CHRISTVM, sed etiam ab ipsa illorum virtute, experimento ac sensu interno à nobis percepta.

Assertio nona.

A virtute Synderesis & conscientiæ certò deprehendi posse hanc certitudinem quam probamus.

Assertio decima.

A natura & excellentia ipsius doni, quod est charitas, satis persuaderi eius quoque doni certitudinem.

Assertio undecima.

Ex ipsa charitatis natura, quam nos docent scripturæ, posse hominem Dei sanctum facilè & certò nosse se esse in charitate.

Assertio duodecima.

Ab egregiis atque heroicis charitatis effectibus & operibus, his præsertim quæ habent promissionem, certò nosci posse inhęrentiam charitatis.

Assertio tertiadecima.

Quòd aduersus hanc certitudinem quam asserimus, nulla pontificia aut synodalis determinatio, nulla vniuersitatum seu Magistrorum censura militat.

Assertio quartadecima.

Quòd qui contra hanc certitudinem quam defendimus, scriptis contenderunt, ita disputarunt vt nostris partibus (quod veritati magnopere attestatur) multo magis fauerint.

AD REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. D. D. MARCELLVM CRESCENTIVM S. R. E. PRESBYTERVM CARDINALEM TITVLI S. MARCELLI & in Concilio Tridētino sanctę Sedis Apostolicę Legatum

ET AD REVER. DD. CVM EO PRAESIDENTES Dominum Sebastianum Pighinū Archiepiscopū Sipontinum & D. Aloisium Lippomanum Episcopum Veronensem ET RELIQVAM SANCTAM SYNODVM

Fratris Ambrosii Catharini Politi Episcopi Minoriensis in Assertiones suas

De certitudine inhærentis Gratiæ.

PRAEFATIO.

PROPTER QVOSDAM QVI NONVM caput Decreti de Iustificatione sanctę Synodi Tridentinæ in alium sensum accipiunt quàm Patrum mens tum fuerit & verba ipsa Decreti patiantur & Acta testentur, cùm res ipsa non nullius momenti, sed maximi ponderis sit ac præiudicii (quod hi soli non cernunt, quibus diuina gratia minus est curæ) necessarium mihi duxi, hac prę̨fatione admonere lectorem, & ea rursum hic prę̨mittere, quæ in interpretatione mea ad ipsum nonum caput olim sum præfatus: quam interpretationem ad ipsos Reuerendissimos eius Concilii Legatos, quorum alter nunc, Dei gratia, est Summus Pontifex noster IVLIVS TERTIVS, & ad ipsam vniuersam Synodum destinaui. Etenim in hunc modum scripsi: ANTEQVAM declarem verba Decreti, præmitto primùm, eam fuisse sanctæ Synodi mentem, nihil se velle decidere controuersum inter Catholicos, sed solummodo aduersus ea quæ vel veteres, vel noui hæretici dogmatizarunt. Nam præter id quod Bulla Summi Pontificis admonet, ad hoc esse conuocatum Concilium, videlicet ad extirpandas hæreses & erroneas doctrinas, non autem ad statuenda noua dogmata: certè ipsum Decreti proœmium hoc euidenter declarat, dum contestatur se prouidere contra erroneam de Iustificatione doctrinam nostro tempore disseminatam. Non autem temerè & sine magna disceptatione atq; euidentissimis argumentis & autoritate vel scripturarum vel Ecclesiæ iudicanda erant erronea quæ inter Catholicos hactenus & multo ante hæc tempora, salua charitate & pace, disputata sunt & pertractata. Addo quòd & sæpius hoc protestati estis ambo Vos Præsidentes, & specialiter in hac controuersia cùm in conuentu patrum, tum verò in congregatione Theologorum. Et ambos audiuimus contestantes, non videri sibi quęstionem hanc discussam satis ad decisionem. Imò

ipsamet sacrosancta Synodus bis declarauit, huius rei definitionem tunc omittendam esse & in aliud tempus seruandam, sicut in actis poterit apparere. Denique ipsemet titulus noni capitis hoc manifestat abunde, qui sic habet: CONTRA INANEM HAERETICORVM FIDVCIAM. Non autem est inanis ea fiducia quam nos prædicamus, quæ à serenitate conscientiæ & ab operibus bonis cum testimonio sancti Spiritus & à virtute sacramentorum elicitur, sicut & ipsimet confitentur qui contra hanc certitudinem obloquuntur. Mitto quòd & ego cùm sententiam meam exponerem in congregatione Episcoporum, planè sum contestatus, & clara voce dixi (nullo mihi contradicente) quòd admittebam illam adiectam particulam in eum sensum qui non faceret præiudicium doctrinæ Catholicorum: quem sensum illam particulam etiam facere confessus sum & confiteor, & simul contestor quòd si aliter accipitur, defendi Decretum rectè non potest. HAEC ego tunc, quæ iterum atque iterum in Expurgatione nostra & Disceptationum libello recensui & obieci, nemine vnquam Patrum reclamante, nemine obsistente: nouerāt enim me vera eloquutum fuisse. Adieci & alia quibus luce clarius manifestum feci, positionem nostram nedum non aduersari vllo sanctæ ipsius Synodi decreto, verùm contra potius eandem doctrinam exprimere quæ ibi tacitè continetur. Quòd autem cum quouis lutherano dogmate nihil habeat affine, etiam qui contra scripserunt ingenuè tandem confessi sunt: quod tamen ab initio negabatur. Quamobrem iure meo possem contemnere quoscunque vel maleuolos vel imprudentes ac temerè obloquentes in fratrem suum, & pro sua magistralitate, vt ita loquar, ne vel malignitate vel temeritate dicam, adeò facilè pronuntiant, Hoc hæreticum, hoc hæresim sapiens, illud scandalosum, illud erroneum, aut quid tale: cùm tamen suæ sententiæ rationem reddere, vbi vsus venerit, non sit illis in promptu, sed si exactius res tractetur aut subtilius disputetur, comperiunt postmodo ea se damnasse, quibus & scripturæ sacræ ac sancti Patres & ipse Ecclesiæ Spiritus adstipulantur: sicut circa hunc articulum puto me dilucidè, abundè, & euidentissimis rationib. demonstrasse: Vnde magna cum fiducia, iis tantis testimoniis fretus, hunc nouum librum eo titulo, videlicet Assertiones inscripsi. Verùm quoniam ante tantorum Patrum ac tantæ Synodi splendorem & autoritatem, superbum & inuidiosum est hoc assertionis vocabulum, sponte mea muto hic vocem, aut me ipsum potius interpretor, & protestor coram tantis Patribus, nihil me velle asserere nisi quod ipsi iudicarint meritò asserendum: nec vt verum & catholicum quicquam retinere, nisi quod ipsi tanquam tale probabunt: non dubitans nihil in eo consessu futurum tumultuosum aut absque matura consideratione & scripturarum scrutatione & testimoniorum collatione sanctorum Patrum decernendum. Liceat igitur mihi has vocare Assertiones ad illiusmodi magistros aspicienti, vt videant si quo modo valeant eas destruere. Propter hos enim licere mihi puto interdum paulò altius ac superbius in hac mea πληροφορίᾳ loqui, vt vel comprimatur audacia, vel excitetur eorum doctrina, vt, si valent, citra iniuriam ea publi-

ce redarguant quæ priuatim vituperant. Narrabo factum incredibile quidem, sed verum & propositum oculis cunctorum spectandum. Quidam ex huiusmodi magistris ac censoribus doctrinarum non obscuri nominis, postquam de Opusculis nostris, cùm essem Tridenti in Synodo, quinquaginta numero errores (sicut ille titulo prænotauit) excerpsit, & in catalogum redegit vt publicè damnarentur (non attinet rei exitum hic enarrare) ille inquam idem Magister ac Censor, dum ibidem ageremus, & de peccato originali tractaretur, & bona & magna pars Synodi intenderet vt declararetur, B. VIRGINEM ab eo peccato in gratiam Filii & meritis eius fuisse præseruatam, curauit magnis laboribus ac sudoribus vsque ad necem, edi librum quendam vt opponeret eum sanctæ Synodo. Libri autor, vt habet titulus, fuit celebris memoriæ vir Dominus Ioannes Cardinalis de Turrecremata cùm adhuc esset in minoribus. Idem ergo Magister accusator meus indicem illi libro attexuit, & signauit ibi quinquaginta & octo errores in fide, quos (vt habet indicis titulus) incurrunt qui B. VIRGINIS conceptionem ab illo originali peccato præseruatam volunt defendere. Ego igitur cùm hanc ipsam immaculatam Deiparæ conceptionem, Romanæ Ecclesiæ & totius christiani orbis ritum & cultum sequens defendam, iam centum & octo errorum per hunc virum reus deprehendor. Nam quinquaginta illi quos annotauerat, non attinebant ad hunc sanctæ conceptionis articulum. O quantam dicendi materiam hic locus mihi subministraret: sed parco illis, quos nolim irritare, sed conseruare cum eis omnem necessitudinem & fraternam charitatem & sodalitatem. Hoc tamen vnum attuli exemplum, quo liceat hoc hominum genus sectis addictum agnoscere. Nam per vnum multi loquuntur, vt si ille superet, omnes superasse videantur: sin autem ille meritò succumbat, non sit totius generis ignominia & honoris iactura. Quorum tandem vt (si fieri potest) os claudam, quæcunque scripsi vnquam, licet non sine doctorum virorum & criticorum examine in lucem venerint, & bonam ac magnam partem probauerit celeberrima illa Vniuersitas Parrhisiorum: nunc tamen specialiter (quod feci semper) examini ac iudicio Apostolicæ Sedis & vestro subdo atque suppono; & præsertim Assertiones has, quas non contra vllum mortalium, sed contra ipsum Diabolum Satanam scripsi, qui inuidiosè contra illud pretiosissimum Dei donum quod ipse amisit omnifariam molitur: quod est gratia & iustitia siue charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Nec.n. nullius ponderis est quæstio hæc, aut nihil ad nos attinens: sed ea est, quam Diabolus vellet manere perplexam, & hac incertitudine miseras lacerare & ad desperationem ducere conscientias. Docuerunt enim quidam aliquando, nullum esse hoc donum verè inhærens nobis, sed tantum esse Spiritum sanctum quo agimur. Hic error primum summopere placebat Diabolo: sed cùm exploderetur ab omnibus, subornauit nouos hypocritas qui dicant, Esse quidem gratiam & inhærentem charitatem in nobis siue iustitiam (nam apud B. Augustinũ idem sunt) sed non per eam fieri nos iustos, sed per illam quę fuit CHRISTI nobis imputatam per fidem.

ASSERTIONES R. P. F. Ambrosii Catharini Episcopi Minorien. circa articulũ

DE CERTITVDINE GRATIAE

Ad sanctam Synodum Tridentinam.

ASSERTIO .I.

Non probari ex ullis scripturæ locis quæ producuntur, neminem citra specialem & priuilegiatam reuelationem posse ex fide certum esse suæ adeptæ gratiæ & iustitiæ.

HAEC ASSERtio, quia non aliter ostendi potest quàm inductione eotũ locorũ quæ ab aduersariis potissimum allegantur, ideò ea singulatim inducemus.

Primus locus ex B. Iob cap. 9. Allegant primùm illud ex Iob: *Etiam si simplex fuera, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Quæ sententia vtinam sicut trita est, ita etiam sanè fuisset vulgò intellecta. Putant enim ex iis verbis nesciuisse Iob innocentiam propriam: quod adeò alienum est à veritate, vt (sicut D. Hieronymus, & vnanimiter sancti eius libri Interpretes contestantur) tota altercatio Iob cum amicis hęc erat, quòd ipse se iustum, illi verò eum impium pronunciabant. Vnde ipsemet in cap. xiii. inquit: *Si iudicatus fuera, scio quòd iustus inueniar.* Et cap. xii. contra sui ipsius derisores, de simplicitate sua testatur his verbis: *Qui deridetur ab amico suo sicut ego, inuocabit Deum, & exaudiet eum: Deridetur enim iusti simplicitas.* Et alibi ait: *Hæc passus sum absq; iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces.* Et cap. xxiii. de iudicio Dei inquit: *Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat. Proponat æquitatem contra me, & perueniet ad uictoriam iudicium meum.* Et paulò post: *Vestigia eius secutus est pes meus, uiam eius custodiui, & non declinaui ex ea. A mandatis labiorum eius non recessi, & in sinum meum abscondi uerba oris eius.* Et cap. xxvii. ait: *Donec deficiam non recedam ab innocentia mea. Iustificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram: neq; enim reprehendit me cor meum in omni uita mea.* Quid his verbis expresśius ad statuendam innocentiam suam? Et ne quis dicat, quòd Iob non loquebatur in his locis in persona sua, præter hoc quòd absque ratione & pro voluntate hoc diceretur, habemus B. Gregorium huic euasioni occurrentem, tanq̃ si eam præuidisset. Ille enim exponens hæc ipsa verba: *Si fuero iudicatus, scio quòd iustus inueniar,* sic ait: *Hoc ab eiusdem etiam B. Iob persona non discrepat, quando hoc ipse foris de seipso loquitur, quod de illo Veritas hosti eius interius dixerat: Vidisti seruum meum Iob, q̃ non sit ei similis super terram? Et quidem idem uir ualde est inferius quod de se memorat, q̃, quod de illo Dominus dixerat. Aliud est.n. iustum esse, aliud est ei similem non esse. Humiliter igitur de semetipso sensit; qui dum iustus sine cõparatione extitit, non se præ cæteris, sed iustum tantummodo inueniri posse memorauit.* Hęc ille. B. Gregorius. Quin etiam in hoc ipso nono capite, quod ait Iob: *Et multiplicabit uulnera mea sine causa,* Idẽ gloriosus doctor in hunc modum exposuit. *Nequaquam B. Iob percussus est ut in eo percussio uitium tergeret, sed ut meritum augeret. Vulneratum se itaq; sine causa asserens, hoc de se foris loquitur, quod de illo Veritas in occulto testatur dicens: Commouisti me aduersus eum ut affligerem eum frustra. Vir erga sanctus non superbè dicit quod ueraciter dicit: nec per hæc uerba à rectitudine discrepat, per quæ à Iudice non discordat.* Hæc ille. Et super cap. xxvii. manifestissimè probat apertis & claris verbis, quòd B. Iob attestatus ibi fuit innocentiæ suæ, quam toto tempore suæ vitæ seruauit: & q̃ nunq̃ consenserit ulli peccato, quod auferret iustitiam ac innocentiam. Quare ex his omnibus manifestissimum redditur, q̃ Iob conscius erat iustitiæ suæ: & proptereà in citato loco aduersum nos, non conueniebat illi vt contrarium diceret, illudq; pro regula etiam pronunciaret.

Verus ergo sensus est, quòd cum Deo loquens, id quod ipse sciebat de se, nolebat superbè agnoscere, & quasi iudicio cum illo contendere: sed demittere & accusare seipsum, & illum tanq̃ iudicem deprecari: quod est iustorum proprium. Vnde & præceptum legimus: *Non te iustifices ante Deum: quoniam ipse agnitor cordis est.* Hunc sensum eleganter B. Gregorius nobis expresśit his verbis ad literam: *Plerunq; si scimus bona quæ agimus, ad elationem ducimur: si nescimus, minime seruamus. Quis.n. aut de uirtutis* B. Gregorius super cap. 9. Iob. *suæ conscientia non quantuluncunq; superbiat? Aut quis rursum bonum in se custodiat quod ignorat? Sed contra utraq; quid superest, nisi ut recta quæ agimus, sciendo nesciamus? ut hæc et recta æstimemus & minima: quatenus & ad custodiam sensificet animum scientia rectitudinis, & in tumorem non eleuet æstimatio minorationis.* Vnde & alibi hunc sensum aperiens, & destruens omnes glossas quorundam ineptas, dixit capite xxv.

Habent itaq; proprium sancti uiri ut bona quidem quae agunt uideant, & tamen cùm peregerint, ab eorum memoria oculos auertant: non quòd non planè noriut NOTA *esse bona & acceptabilia Deo, sed ne elatione aliqua meritum amittant.* Vnde & alibi: *Sciendum uerò est, quia quamuis de se humilia sentiat animus iustorum, ea tamen quae agunt, quàm sint recta conspiciunt, sed de eorum rectitudine non praesumunt.* Haec sanctissimus ille Pontifex. Vnde patet, quòd non ignorabat Iob simplicitatem suam, sed sciens illam, scire coram Deo nolebat: hoc est, nolebat temerarius iactare, aut, quasi suam, obiicere illam in Deum illius autorem. Hic est proprius & egregius illius loci sensus: vnde tantũ abest vt id probet ad quod probandum affertur, vt è diametro aduersum concludat.

Illud profectò extra controuersiam esse debet inter scripturarum peritos, quòd Iob certus erat suae iustitiae, quam in toto illo libro passim praedicat. Quo magis miror & obstupesco, quòd cùm ille vir sanctus, tot locis adeò clarè suae simplicitati atq; innocentiae astipuletur, ad nullum tamen eorum aspicientes qui contradicunt, in hoc vno tantum figunt intuitum: qui tamen tam facilè eripitur eis è manibus, cum sensum tam praeclarum nobis reddat, iuxta Magni Gregorii expositionem. Caietanus autem, quoniam manifestè perspexit, quòd B. Iob non ignorabat innocentiam suam, quam & passim vel in eodem capite declarat, in eo versiculo voluit eum iis verbis, negare solum certitudinem euidentiç, non fidei. Ait enim: *Constans est Iob in prima sententia, quòd Deus afflixit eum non propter peccata eius.* Imo, vt rectè inquit B. Hieron. argumentum totius libri Iob id continet quod amici aiebant, illum propter sua crimina afflictum fuisse, ille negabat. Ex quibus omnibus latè patere potest, ex his verbis Beati Iob minime probari contra certitudinem gratiae quam defendimus.

Secundus locus ex Ecclesiaste. SEcundus locus ex Ecclesi. cap. vii. nec minus tritus adducitur, vbi legitur: *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit.* Qua sententia negari certitudinem praesentis gratiae pleriq; volunt. Nec perspexerunt si hoc negetur, simul certitudinem negari praesentis odii Dei. Nam sicut Sapiens dicit, *Nescit homo utrum sit dignus amore*, ita dicit, *Nescit homo an sit dignus odio:* Quod certe falsissimum est si sic simpliciter intelligatur. Nec obstat quod quidam dixere, Salomonem de iustis tantum locutum esse: Quoniam hoc & sine autoritate dicitur, & contra proprietatem verborum. Legimus.n. indefinitè: *Nescit homo:* non autem: Nescit Iustus. Praeterea, omnes autores quos legi (vidi.n. plurimos) illum locum secus exposuerunt: signanter B. Hieronymus ibi, & B. Bernardus in epistola. cvii. Est enim Beati Hieronymi expositio, quç vult, non quòd non posit sciri amor aut odium Dei, sed quòd non potest sciri ex fortuniis & infortuniis quç in vita contingunt: quoniam promiscuè contingunt bonis & malis. Huic autem intelligentiae fauere verba ipsa videntur, quae sunt hçc: *Sunt iusti atq; sapientes, & opera eorum in manu Dei sunt, & tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta, eò quòd uniuersa aequè eueniant iusto & impio, bono et malo, mundo & immundo, immolanti uictimas & sacrificia contemnenti: sicut bonus, sic & peccator: ut periurus, ita & ille qui uerum deierat. Hoc est pessimum inter omnia: quia eadem cunctis eueniunt: unde et corda filiorum implentur malitia et contemptu in uita sua: post haec ad inferos deducuntur.* Ecce vt clarè ibi ratio reddi videtur huius ignorantiae, quae est, quòd indifferenter contingunt haec externa bona & mala impiis pariter & piis. Hunc sensum Caietanus & recetiores qui studuerunt magis ex verbis autoris, quàm ex commentariis hominum sensa eruere, facilè comprobarunt. Diuus tamen Augustinus in Soliloq. & B. Bernardus in serm. de septuagesima, & super verbis B. Ioannis: *Tres sunt qui testimonium dant in caelo etc.* Et de Dedicatione V. Et in epistola illa cvii. Item B. Gregorius super Ezechielem homilia octaua: intellexerunt locum illum, non de notitia prçsentis gratiç, sed de notitia praedestinationis & reprobationis: quem intellectum nullus posteriorum reprobauit: cuius tamen meminerunt Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus, Ioannes Gerson in sua mystica theologia.

B. Hieronymus. *Eccles. cap. 9.* *B. Augu. D. Bernardus B. Gregorius.*

Est nihilominus & alius intelligendi modus, certè non ineptus, videlicet quòd homo, vt est homo, non potest scire amorem vel odium Dei in se: quia de vita futura & iudicio Dei non est certus. Qui ergo hçc scit ex fide, scit non vt homo, sed vt filius Dei. Vnde scriptum est: *A seculo non est auditum, & oculus non uidit, & in cor hominis non ascenderunt quae praeparauit Deus diligentibus se:* Hunc sensum videtur B. Bernardus quodam in loco probare, sicut in subiectis opportunius inducemus: ad quem locum relego lectorem. Addo hîc Rabbi Salomonem, qui multo rationabilius

locum illũ contrario modo interpretatur, videlicet id quod dicitur: *Et nescit homo*; non pertinere ad iustos & sapientes, sed ad fęcem vulgi. Supponit.n.iustos & sapientes scire posse. Et verè in scripturis sanctis hoc nomen HOMO, frequentissime significat hominem gratia destitutum. Vnde in psalmo: *Vt sciant Gentes quoniam homines sunt*. Et alibi: *Dominus nouit cogitationes hominum quoniam uanæ sunt*. Mille sunt loca huiusmodi, ne arguar quòd autoritate Iudei hominis innitar: quanq̃ vbi agitur de sensu literali, etiam ipsi Rabbini aliquem locum habent. Nam & B. Hieronymus & B. Thomas noster, & alii catholici non verentur illos interdum in autoritatẽ efferre: quin in hoc ipso loco etiam nostri, secuti sunt illius Rabbini sententiam.

Ex his autem suasum satis esse arbitror, non solum illum locum (iuxta tres expositiones, quæ reprobari nõ possunt) non aduersari nobis, verùm etiam nec eum sensum posse recipere, secundum quem illum in nos detorquent vt vidimus. Quapropter antiquiores de illo ne cogitarunt quidem. Gregorius.n.Neocæsariensis Episcopus in sua paraphrasi ad eum librum, istum sensum penitus non attingit. Nec Olympiodorus quidem, qui in eundem librum edidit enarrationes. Ambo.n. loqui Salomonem volunt de homine insipiente qui non habeat discretionem boni & mali. Quare nonnulli ex theologis qui de hoc articulo disputarũt in Synodo, vi perspicuæ veritatis compulsi, ingenuè confessi sunt tandem, illum textum ad rem propositam nihil facere.

Grego. Neocæsariensis. *Olympiodorus*

Tertius locus ex Psalmo.

TErtius ergo inducitur locus psalmi: *Delicta quis intelligit?* Quòd verò nec ex hoc loco habeatur incertitudo gratiæ præsentis, ex multis reddam manifestissimum non proteruienti. Primùm, ille locus iuxta B. Hieronymi & Augustini expositionẽ verificatur non de iustis, qui pauci sunt, sed de iniustis. Hi sunt.n.qui delicta non intelligunt. Ecce B. Augustinus sic ait: *Quis.n.delicta intelligit? Si uidentur tenebræ, delicta intelliguntur. Deniq; quando nos delicti pœnitet, in luce sumus. Nam quando quisq; ipso delicto inuolutus est, quasi obtenebratus opertisq; oculis, non uidet delictum*. Hæc ille. Beatus quoq; Hieronymus idem his verbis: *Delicta quis intelligit? Qui in delictis est, idest, in peccatis, iudicia Dei non intelligit, neq; sua peccata quandiu est in delictis*. Ecce quòd locus ille, iuxta expositionem tantorum luminum, nihil facit contra assertionem nostrã, sed pro illa potius.

B. Augustinus. *B. Hieronymus.*

Secundò, B. Bernardus intelligit eum locum, non de peccatis mortalibus, sed de prauis animi motionibus, quas etiam iusti sine culpa patiuntur, saltem mortali. Sic.n. exponit in Canticis: *Quantumlibet quis, secundum Salomonem, custodiat cor suum, & omnia quæ intra se mouentur uigilantissima intentione obseruet, etiam si diuturnum in his habuerit exercitium & frequens experimentum, non poterit tamen ad purum in se dignoscere & discernere ab inuicem malum innatum & malum seminatum. Nam delicta quis intelligit? Nec multum refert nostra scire unde insit nobis malum, dummodo inesse sciamus. Vigilandum potius & orandum, undecunq; sit, ne consentiamus. Deniq; orat Propheta contra utrunq; malum: Ab occultis meis munda me*. Hæc D. Bernardus. Vnde satis apparet, quòd non de peccatis grauibus loquitur, sed de his malis quibus non consentimus. Nescimus.n.quandoq; sint ne nata, idest, vi fomitis erumpant, an verò seminata, puta à Diabolo, vel à prauitate propria: quod tamen scire (inquit) non multum refert. Certum est autem quòd scire peccata, et præsertim grauia, multum refert. Adde quod idem sanctus ibi adiungit, quòd etiam ista mala ab his qui habent donum discretionis spirituũ dignoscuntur: quanto autem magis nota sunt peccata mortalia, quæ consensu contrahuntur?

D. Bernardus.

Accedunt etiam periti linguarum, qui, sicut D. Bernardus, locum istum psalmi intelligunt de ignorantiis & debilibus lapsibus & erroribus. Nam de mortalibus non puto intelligi posse: quoniam ista non latent nos, vt aiunt B. Ambrosius & Augustinus. Vnde Apostolus ipse ait: *Manifesta sunt opera carnis*. Qua voce intelligit omnia mortalia. Ecce ergo vtrouis modo locus ille intelligatur, nihil ad rem propositam facit. Ex abundanti autem dico, si etiam de delictis intelligeretur quæ auferunt gratiam, non propterea euincerent, neminem posse scire se esse in gratia: tum quia modus ille loquendi: *Quis intelligit?* non tam impossibilitatem sonat, quàm difficultatem: quod & multis exemplis ostendit contra hæreticos B. Ambrosius, quę in promptu esse possunt in sacris literis exercitato: vt est illud de diuite sine macula: *Quis est hic, & laudabimus eum?* tum verò quia, vt demus importunis esse ignorantiam delictorum etiam mortalium, non tamen cogimur dare, inde inferri ignorantiam gratiæ: quoniam hæc delictorum ignorantia nõ oportet esse quouis tempore respectu præsentis

delicti. Potest.n. aliquo tempore inueniri homo certissime sciens actualiter se non cogitare malum, sed bonum, etsi forte nesciat de tempore præterito: ne dicamus cũ Luthero, quod nemo scire possit se non assidue peccare, propter occultissimum superbiæ vitium: aut quod iustus in quouis actu suo peccet mortaliter. Si igitur aliquo saltem horæ momento scire possum me non delinquere, quomodo propter ignorantiam præteriti vllius delicti potest inferri incertitudo gratiæ? nisi simul probaretur, quod stante delictorum ignorantia, nõ possent illa dimitti contritione & sacramentis. Quod si esset, idest, vt occulta donec ignorarentur manerent & non remitterentur, ad quid igitur in psalmo subsequetur: *Ab occultis meis munda me*, si occulta mundari non possent? Quod si mundari possunt occulta, quid obstat possibilitati certitudinis gratię præsentis, si certi esse possumus de contritione & sacramento percepto, vt suo loco dicetur? Stat hic pro nobis Episcopi & Martyris autoritas D. Ioannis Roffensis, quem honoris gratia nomino. Ille.n. aduersus Lutherum dicentem: Cum nemo sua peccata cognoscat, quomodo potest sese vere contritum asserere?

D. Ioannes episcopus Roffensis. Respondet his verbis: *Ignoratio peccatorum nihil obstat quo minus quisq; uere conteri possit, nisi uelis cauillum ex uocabulu quærere. Neq;.n. dubito quin Maria Magdalena uere contrita fuerat; quam si Christus interrogasset, An uere fuisset contrita, potuisset respondere, uere se contritam esse de peccatis. Nec tamen est credibile, quod singula peccata, quæ prius tot uanitatibus admisit, integre uenerint in eius memoriam. Sed omittamus hanc, quæ singulare pœnitudinis exemplum fuerat: de communibus loquamur peccatoribus: Num aliquot ex his upinaris ad sacramentum absolutionis accedere cum uero dolore? Num adeo stupidos arbitraris ut non sentiant An uere & non ficte doleant? Quod si conscientia fuerit eis iudex, quod uere doleant, cur (te quæso) respondere non licet se uere dolere? Quid huic rei peccatorum obsistit ignoratio, cum pro cunctis dolere possint tam ignoratis, quam cognitis? Nam qui damni perpendit immensitatem, quam ex peccato conquisiuit, facile is odiet peccatum, & detestabitur tam in alijs, quam in se ipso: neq; minus id quod occultum est, quam quod agnitum est.* Hæc ille. Vt cognoscant qui ad hoc argumentantur vt concludant ab ignoratione peccatorum incertitudinem gratię, se hac parte cum Luthero sentire, & habere virum sanctum & in Ecclesia gloriosum heretico respondentem, & plane confirmantem quæ superius diximus. Itaq; hic locus dignus certe erat vt prætermitteretur, cum multis modis valeat declinari.

QVartus locus etiam nimis detritus est: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Vnde dicunt, quod B. Paulus dubitabat de semetipso & sua gratia. Quod ego cogitans, fateor non admiror tantum, sed perhorresco: cum B. Paulus testimonium conscientiæ suæ suam esse gloriam testetur. *Gloria nostra (inquit) est hæc, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, et in synceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo.* An sunt verba hæc, quęso, hominis de sua gratia hæsitantis, & non potius certo scientis, idq; de propria conscientia? Respondent quidam, Hoc fuit dictum postq̃ scripsit priorem epistolam: tunc enim (aiunt) habuit reuelationem de sua gratia, quando dictum est ei: Sufficit tibi gratia mea: quod certe nimis ineptum est: quoniam reuelationem huius rei habuit ab initio: & in loco citato non fundatur in reuelatione speciali, sed in testimonio conscientiæ suæ, & in experientia eius quod in corde suo sentiebat ex factis suis: sicut in omnibus suis epistolis passim de se prædicabat, videlicet Christum habitare in corde suo: & omnia sustinere propter Euangelium: & arbitrari cuncta tanq̃ stercora vt Christum lucrifaceret: & iam non se viuere, sed Christum in se: cuius stigmata gestabat in corpore suo, & propter quem crucifixus sibi erat mundus, & ipse mundo: & concupiuisse anathema esse à Christo pro fratribus suis: & tãto dolore alios parturire vt pareret Christo: & adimplere passiones quæ deerant in corpore Christi pro Ecclesia. Hæccine sunt, quęso, hominis ignorantis gratiam Dei in se? Legantur, obsecro, quę scribit in illamet eadem epistola prima ad Corinthios, vbi tanta passim profitetur, non dicam de sua gratia, sed de sua excellenti gratia, quãta (nisi plenissime certus fuisset) non potuisset sine magno peccato & impudentia tam asseueranter asserere, ita vt ausus sit dicere, se ad eos venisse, nõ iudicans se aliud scire, quam IESVM CHRISTVM & hunc crucifixum. Et: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Et: *Cum liber essem ex omnibus, omnium seruum me feci, ut Christum lucrifacerem.* Et: *Omnia omnibus factus sum, ut omnes facerem saluos. Omnia autem facio propter Euãgelium, ut particeps eius efficiar.* Et: *Sic curru non quasi in incertum: sic pugnu, non quasi aerem uerberans: sed castigo corpus meum, et in seruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim, ipse re-*

Quartus locus ex Apostolo.

1. Cor. Philip. Galat. Rom. Galat. Coloss.

probus efficiar. Verùm, quod magis mirandum est, in eodem ipso capite vbi dixerat, *Sed non in hoc iustificatus sum*: adiunxit hæc verba: *Puto quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit tanquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus. Nos stulti propter Christum, infirmi, ignobiles, esurimus, sitimus, nudi sumus, colaphis cædimur, peregrini, laborantes manibus: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus*. Legat cętera qui velit: nec ponderet quòd vsus sit verbo PVTO, quasi magis opinionem, quàm certitudinem volens exprimere. Est.n.eius mos, de certissimis ita dicere. Nam & alibi sic ait: *Puto hoc bonum esse propter instantem necessitatem*. Et iterum: *Puto quòd & ego habeam spiritum Dei*. Adde & quæ cap.xv. ait expresse: *Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia eius in me uacua non fuit, sed abundantius ego omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum*. Quid amplius poterat dici pro assertione suæ gratię? Et profectò, sicut de Iob dixi, mirabile est, quòd ad hunc vnum locum intendentes vt statuant Apostolum suæ gratiæ nescium, à tot aliis oculos auertant, vbi oppositum quammanifestissimè

NOTA probatur. Præterea, ipsimet confitentur quòd B. Paulus sciebat se esse in gratia per reuelationem. Quomodo igitur potuisset tunc hæsitare diffidentia, & maximè habita reuelatione, idque ab initio suę conuersionis, raptus in paradisum Dei, vbi audiuit arcana verba, quæ non liceat homini loqui? Vnde non per hominem, neque ab homine, sed à IESV Christo factus est Apostolus & Magister gentium, plenus assiduis & plenissimis reuelationibus & consolationibus Spiritusſancti ac responsis Dei. Hūc igitur audebimus asserere de sua gratia dubitantem? Quamobrem qui de hac re scripserunt post recessionem Concilii, agnoscentes ineptiam responsionis, recesserunt ab ea, confitentes quòd B. Paulus, in citato loco, non voluit declarare se esse nescium aut dubium suæ inhærentis gratiæ, sed solum, ex eo tantum quòd nihil sibi conscius esset, eā certitudinem se non habere: vt traderet regulam, quòd à propria cōscientia non venit hæc certitudo. Quem sensum si retinent & obiiciunt (quanquam falsum existimo) nihil aliud colligunt, nisi quòd nemo potest scire se esse in gratia ab eo quòd nihil sit sibi cōscius: non tamen per hoc negatur, ex aliis adiunctis multis & magnis argumentis posse conflari hanc certitudinem.

Ad hęc, quando Apostolus tot & tanta de seipso prædicat, non in reuelationibus innititur, sed in puritate conscientię, & in operibus insignibus: vt excludantur qui dicunt, quòd de sua gratia certus erat à reuelatione speciali, & non à conscientia suæ vitæ: cùm ipse passim contrà prædicet de se ipso, non reuelationem, sed opera & conscientiam obiiciens. Vnde & testatur conscientiam suam in Spiritu sancto, quòd optabat anathema esse à Christo pro fratribus suis. Homo igitur qui tanto spiritu, quod est summæ charitatis, asserit de conscientia sua, idque in Spiritusancto, erit nescius, aut dubitabit aliquando de sua gratia? Et hunc spiritū posse vel à natura vel à Satana prouenire contendet? Anathema mihi sit qui hoc dixerit.

At videamus nunc quomodo illi ex eis verbis eruant illum sensum, videlicet ex eo quòd quis nihil sibi conscius sit, eum nō esse consciū suę gratię: certè non ob aliud, nisi quia adiecit: *Sed non in hoc iustificatus sum*. At hæc verba non significant se non scire iustificationem suam, sed hoc tantum, quòd sua iustificatio non processerat à sua conscientia. Hoc est.n. quod ait: *Sed non in hoc*, idest propter hoc, *iustificatus sum*. Non enim quia nihil mihi sim conscius, ideò iustus sum aut iustificatus: sed contrà potius, quia iustus sum, ideò nihil mihi conscius sum. Verum vt eius loci veram ac germanam intelligentiam aperiam, idest, eam quam non dubito esse veram, & in commentariis nostris exposui, quęso candide lector & amator veritatis attende. Ortum erat schisma inter Corinthios, quia plerique sibiipsis magistrum & ducem seu caput constituebant, & secernebant ab aliis: ita vt alii dicerēt: *Ego sum Pauli*: alii, *Ego sum Apollo*: alii, *Ego sum Cephæ*: quod nō aliud erat, quàm iudicium ferre de ministris Dei et Christi. B. igitur Paulus volēs eos ab his temerariis iudiciis auocare, dixit: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo est ut à uobis iudicer, aut ab humano die: Sed neque meipsum iudico*. Hactenus horum verborum clarus est sensus, vt dicat se & Apollo & Cepham esse Dei ministros: à ministris autem quęritur vt sint fideles Domino. Quòd aūt aliter aliq vestrū, inquit, de me iudicent, atque ideò me spernant, pro minimo duco: quia dies humanus, idest, lumen humanum, non est idoneum ad iudicādum corda hominum, & consequenter ad iustificandum illos. Iustificatio.n.in scripturis, sępe

Nota germanā intelligentiā loci illius Apostoli, Nihil mihi cōscius sum & cætera.

numero pro ostensione ac pronũciatione de aliquo ꝙ sit iustus accipitur, cum id in controuersiam vertitur. In hanc significationem dicitur: *Humilem & pauperem iustificate.* Et: *Noli iustificare impium.* Vnde & Dominus Pharisęos vituperat, ꝙ iustificarent semetipsos coram hominibus, facientes se iudices iustitiæ propriæ, & insultantes aliis. Hoc autem cauens Apostolus, postq̃ dixit quòd non curabat ab aliis iudicari & pronunciari peccator: ne dicerent, Ergo tu iudicas te ipsum, Respondet: *Sed neq; meipsum iudico:* hoc est, non propterea me iudico, quia vestris iudiciis non conturbor. *Nihil.n.mihi conscius sum:* idest, conscientia mea non me reprehendit in aliquo: nec propterea me absoluo: quia non est serui, etiam quammaximè innocentis & innocentiam suam agnoscentis, se absoluere: sed Domini & Iudicis, à quo venit perfecta iustificatio: idest, vera pronunciatio de sui serui iustitia: cui pronunciationi omnes acquiescent. Quoniam verò Iudex non statim pronunciat, sed expectat dies suos, ideò expectemus omnes tempus illud, quando quilibet vel iustificabitur, vel damnabitur à iusto Iudice. Et hic est sensus verborum quæ sequuntur: *Sed non in hoc iustificatus sum:* hoc est, nón in hoc quia nõ me reprehendat conscientia propria, etiam si non decipiatur, aduenit iustificatio vt pateat iustitia mea cęteris. Nemo.n.seipsum iustificat: quia nullius est pro se ferre sententiam, sed eiusmodi iustificatio, hoc est, pronunciatio de cuiusq; iustitia, à vero & competenti iudice Christo est. Vnde rectè sequitur: *Qui autem iudicat me, Dominus est.* Hoc est, non ego cum omni bona & pura cõscientia mea possum me, meo iudicio, iudicare, hoc est, iustum legitimè ostendere & pronunciare vt sit euidens omnibus. Nec item vos contrà potestis me condemnare. Vnius.n.est omnium Iudex Dominus, qui iustificat ita, vt nemo contra eius iudicium condemnet. *Itaq; nolite ante tempus iudicare donec veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuiq; à Deo.* Hoc est, tunc verè erit iustificatus quilibet non à semetipso vel ab alio, sed à Deo, cũius sententiam nullus poterit non probare. Hæc mihi videtur vera & sine vllo scrupulo procedens huius loci intelligentia, cui quæ sequuntur Apostoli verba & latissima de semetipso testimonia de conscientia gratiæ suæ, valde astipulantur. Quare B.Ambrosius tractans illud: *Sed neq; meipsum iudico:* *nihil.n.mihi conscius sum,* sic ait: *Apertum est quia conscientiam puram habens, solicitus de se non erat.* Quomodo verò solicitus de se non erat, si à conscientia non serenabatur, & formidabat suam aliquam mortalem culpam? Nam aliæ culpę, quę humana fragilitate contrahuntur, non ita solicitant: tum quia vix vitantur, aut omnino impossibile est eas vitare, tum verò quia continuè Christi sanguine & bonis operibus purgantur & abluuntur. Exponens autem Idem Doctor quod sequitur: *Sed non in hoc iustificatus sum:* adiecit, *Nunc se humiliat, et loquitur ut homo, qui possit culpam incurrere.* Ac si manifestius dixerit, Reuera Apostolus à serenitate conscientiæ suæ instructus, non erat de se solicitus, quia noscebat se mortalem culpam non habere: & tamen voluit ad homines aduersarios & malè de ipso iudicantes loqui vt homo, idest, vt quilibet alius homo, qui posset culpam incurrere. Et verè sic omnes debemus dicere, propterea quòd à scientia quantacunq; innocentiæ nostræ non solum non sumus iusti, sed nec possumus pronunciare nos esse iustos, & hoc pacto iustificare nosmetipsos: quia vnus est Deus qui verè iustificat, tum infundendo iustitiam, tum pronunciando nos iustos. Et hoc est id quod dans gloriam Deo, subiunxit: *Qui autem me iudicat, Dominus est.* Ait ergo D. Ambrosius, quòd quæ adiecit Apostolus: *Sed non in hoc iustificatus sum,* tanq̃ homo, dixit, idest, tanq̃ in hac humana miseria constitutus, qui posset incurrere peccata leuia & quotidiana: cui sensui sequentia verba ipsius B. Ambrosii consentiunt. Theophilactus illud accepit dictum à Paulo, non tanq̃ in persona sua, sed quasi induens aliorum personam. Photius autẽ nostrum sensum egregie probans, sic ait: *Vt etiam sciatis ꝙ neque ipse possim diiudicare meipsum; nullius enim mihi conscius sum: quod maximum est, ac inuincibile testimonium: quandoquidem nullus nouit quæ sunt hominis nisi spiritus hominis qui in ipso habitat; quanq̃ hæc in me sint, inquit, non ob id iustificatus sum: adhuc enim communi Iudice opus est: illoq; à causa discedente, in certamine ac timore adhuc sum tanq̃ nondum iustificatus etc.* Hæc ille. Deniq; nemo antiquorum Patrum (quantum ego legerim) venit vnquam in hanc adeò absurdam cogitationem & repugnantem cunctis ipsius Apostoli de seipso testimoniis, videlicet ꝙ ipse metuerit ne aliquo peccato mortali esset obnoxius coram Deo. Vnde & D.Augustinus hunc locum tractans in libro de penitentia, sic ait: *Quomodo dubitaret Paulus se*

B.Ambrosius

Theophilactus

Photius in catena Græcorum.

B. Augustinus

peccare

peccare, qui sciebat Spiritum Dei se habere, & intentione mundissima ei seruire? Quod ergo dixit: *Non in hoc iustificatus sum*, propter leuia, & quæ humana fragilitas vitare non potest, intelligit ea verba dixisse: quod & B. Ber-

B. Bernardus nardus etiam in sermone LVI. super Cantica cõfirmauit, cuius hæc verba sunt: *Hac ergo Paulus sciebat se una lege teneri, quam carni suæ immobiliter insitam tolerabat inuitus. De cætero, inquit, nihil mihi conscius sum. Verùm quis similis Paulo? qui uidelicet interdum huic non consentiat peccato?* Hæc ille. A quibus nec abhorret B. Gregorius hunc Pauli locum tractans in libro V. moralium cap. xxiii. Erat ergo sermo ibi de iustificatione perfecta, quæ nec venialia admittit: de qua dicitur (vt sæpe B. Augustinus interpretatur) *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens*. Et hanc Apostolus iustificationem noluit sibi arrogare, vt sancti Patres senserunt.

Producta sunt & alia loca de scripturis sacris, quibus voluerunt probare suam quam defendebant incertitudinem: quæ possem, si cum peritis scripturarum tantum agerem, sine detrimẽto prætermittere: verùm quoniam possent imperitis facere phantasiam, breuiter afferam & explicabo.

Produxerunt ergo primùm ex Prouerbiis: *Quis potest dicere mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Sed quid hoc ad rem propositam? cùm (vt B. Hieronymus ait) ibi solum temeritas iactantiæ prohibeatur, non autem negetur conscientia iustitiæ. Verùm hebraica veritas hunc sensum magis declarat. Legitur.n. teste Caietano & aliis: *Quis dicet mundaui cor meum, purgaui à peccato meo?* Quem locum ille exponens eleganter ait: *Quasi dicat, Nullus. Non est.n. hominis operatio purgare cor, & purgare illud à proprio peccato.* Produ-

Alia loca ex Prouerbijs & ex Ecclesiastico. xerunt & ex eodem libro: *B. homo qui semper est pauidus*. Item de Ecclesiastico *De propitiato peccatorum noli esse sine metu, neq; adijcias peccatum super peccatum*. Hæc duo loca sic interpretantur; quòd quilibet, cui remissa sunt peccata; debet pauere & metuere, idest, dubitare aut formidare ne sint sibi peccata remissa. Cui intellectui, nec verba ipsa seruiunt: quia ibi metus & pauor præcipitur, non dubitatio. Metus autem non est de re præterita, sed de futura: & aliud est pauere ac metuere, aliud est dubitare. Obstat præterea ipsa perspicua veritas, quæ rem mirificè absurdam damnat. Quid.n. dici poterat aptius ad excruciandas miseras peccatorum animas? Quando pacatas conscientias habebunt christiani, si vtrum sit eis remissum peccatum perpetuò debeant dubitare, ac per hoc metuere damnationem, tanq̃ promeritam & imminẽtem? Non sic ait qui dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, & ego reficiam uos: tollite iugum meum super uos, & inuenietis requiem animabus uestris*. Requiem, inquit, quæ non habet metum: & perfecta charitas foras mittit timorem. Denique hic intellectus derogat mirum in modum sacramentis, sicut latius inferius demonstrabo. Verus ergo & peruius illius præcepti sensus est, ꝙ homo de propitiato peccato non debet securitatem nancisci ad peccãdum vlterius, tanq̃ dicens, pepercit iam mihi Dominus: parcet etiam si iterum peccauero: quod sequentia verba satis declarant. Verum hoc apertius secundum græcam lectionem, quæ sic habet, sicut noui interpretes reddiderunt: *Super data uenia ne sis securus ut peccata peccatis amplius accumules, nec dicas, misericordia Dei plurima est: copiæ peccatorum meorum ignoscet*. Græco nanq; in fonte sic habetur: περὶ δὲ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου, προστεῖναι ἁμαρτίαν ἐφ᾽ ἁμαρτίαις. Καὶ μὴ εἴπῃς ὁ οἰκτιρμὸς αὐτοῦ πολὺς, τὸ πλῆθος τῶν ἁμαρτιῶν μου ἐξιλάσεται.

Quod ad verbum sic verti potest: *De propitiatione ne sine timore sis, ad addendum peccatum ad peccatum, & ne dicas: Miseratio ipsius multa est: multitudo peccatorum meorum propiciabitur*. Vnde dixit Dominus: *Ecce sanus factus es, noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquit contingat*. Et in hũc sensum beatificatur homo qui semper est pauidus. Vide lector vt clarè apparet vndiq; veritas.

Sed adhuc insurgunt, quia dictum est Alius locus ex Danielle.
Nabuchodonosor: *Peccata tua eleemosynis redime: forsan ignoscet Deus*. Ergo sub dubio ponitur remissio peccatorum. Nos verò respondemus: Primùm quòd nõ omnes sunt peccatores mortaliter, vt queat illis esse dubia peccatorum remissio. Deinde, ꝙ sunt insignia quædam peccata, quale illud Nabuchodonosor, quæ difficilè veniam consequuntur, de quibus ait Dilectus: *Est peccatum ad mortem, non pro eo dico ut oret quis*. Et propterea dixit Daniel Nabuchodonosor: *Forsitan ignoscet Deus*: cùm ipse illi surripuerit diuinum honorem, quem sibi iusserat exhiberi. Sic B. Petrus dixit Simoni Mago propter excellens simoniç scelus: *Pœnitentiam age si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis*. Sic & B. Paulus orandum iussit pro his qui resistebant veritati, si quando daret Dominus eis pęnitentiam. At communiter peccatoribus non sic dicitur, sed absolutè promittitur

pœnitentia: nec septies tantum, verũ septuagies septies. Vnde idem B. Petrus dixit: *Baptizetur unusquisq; uestrum in nomine IESV Christi in remissionem peccatorum uestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti*. Verùm vniuersa scriptura clamat, & certam nobis Dei misericordiam repromittit. Vnde D. Bernardus hos meticulosos mirifico sermone corripit in hunc modum: *Apostolus dixit, quòd ignorantiam Dei quidam habent. Ego autem dico, omnes ignorare Deum, qui nolunt cõuerti ad Deum. Neq;.n. ob aliud proculdubio renuunt, nisi quia grauem, & seuerum imaginantur qui pius est: durum & implacabilem qui misericors est: ferum & terribilem qui amabilis est: & mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo quod non est ipse. Quid timetis modicæ fidei? Vt peccata nolit remittere? Sed affixit ea cruci cum suis manibus. Quia teneri & delicati estis? Sed ipse nouit figmentum nostrum. Quia male assueti & ligati peccandi consuetudine? Sed Dominus soluit compeditos. Forte ne irritatus immanitate & multitudine criminum cunctetur porrigere manus adiutorij? Sed ubi abundauit delictum, superabundare gratia consueuit. An de uestimento soliciti estis uel cibo, cæterisq; corpori uestro necessarijs, & propterea cunctamini relinquere uestra? Sed scit quia his omnibus indigetis. Quid ultis amplius? Quid iam impedit à salute? Sed hoc est quod dico, Deum ignoratis. Sed nec creditis auditui nostro. Vellem uos uel expertis credere: quia nisi credideritis, non intelligetis*. Hæc ille. Quibus profectò sententiis de mediis scripturis excerptis, horum doctrina qui tantam nobis obiiciunt trepidationem, obruitur & conculcatur.

D. Bernardus in Serm. 38. super Cant.

Psalm. 102.

Secundo loco produxerunt ex vulgaribus sententiis: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et ueritas in nobis non est*. Et Iob: *Si uoluero me iustificare, os meum condemnabit me*. Et, *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens*. Verùm hæc & si quæ sunt talia, si quid aduersus nos probarent, etiam illud probarent, quòd nullus potest esse iustus formaliter, quemadmodum noui hæretici dogmatizant. Sed longè aliter exponuntur sententiæ istæ à sanctis Viris, quorum ea expositio est, vel quòd nullus potest dicere se perfectè iustum, hoc est, absq; omni penitus delicto, quia nemo penitus est inculpabilis propter inhabitans peccatum & venialia delicta: vel quòd quicunq; est iustus, non debet de sua iustitia gloriari quasi non acceperit, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Sic exponit B. Augustinus frequenter & B. Hieronymus: Et D. Ioannes Chrysostomus in homilia propria super his verbis: *Quis gloriabitur mundum se habere cor?* Iuxta hos autem sensus nedum nobis non obstant adductæ sententiæ, sed etiam seruiunt. Augustini autem verba ibi adducentur, vbi eius sententiæ, pro nostra assertione de testimonio Patrum citabuntur.

Alia loca de scripturis.

Producunt & illud ex Iob: *Si uenerit ad me, non uidebo eum*. Quod cùm recipiat varias doctorum interpretationes, secúdum nullam earum nos ferit. Beatus Thomas 1.2.q.112. art.5. ex illo textu hoc solum accipit, quòd Deus non potest cognosci notitia quæ est euidentiæ aut scientiæ: quod nullus negat. B. autem Gregorius exponit, quòd per dona gratiarum, quæ gratis dantur, non cognoscitur Dei amor. Caietanus autem, quòd nõ cognoscitur per afflictiones, quas Deus ingerit. Igitur locus ille nõ pertinet ad propositum, modo sane intelligatur.

Locus item ex Iob.

Affertur & locus ex Ioanne vbi Dominus ait de Spiritu sancto: *Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis, sed nescis unde ueniat, aut quò uadat*. Et ex eã sententia (quam tamen aliter nobis non exponunt) eliciunt nullum esse posse certum suæ gratiæ: cùm ex vi verborum debuit potius oppositum colligi. Nam qui audit vocem spiritus, opinor quòd nouit eam, licet ignoret vnde veniat: hoc est, licet ignoret ipsam vocis originẽ: quia Deum sensibus non apprehendimus aut scientia, vt exponit D. Thomas. Et licet ignoret quò vadat, hoc est, finem eius, qui est gloria & vita æterna, quam nemo vidit vnquam: experimẽto tamen sancti Dei agnoscunt vocem Spiritus. At eius principium & finem, qui Deus est, experimento nondum cognoscunt, sed fide solùm tenemus. Beatus Bernardus hunc locum sic exponit, vt velit dicere, quòd notitia visitationis Spiritussancti, aut eius recessionis non apprehenditur sensu. Alibi tamen, hoc est, sermone LVIII. aliter exposuerat: sed ita vt nihil obsistat nobis, sed potius pro nobis assistat, sicut & inferius manifestabo.

Locus insuper ex Ioanne.

In Cant. Serm. 74.

Sint ergo hęc satis pro prima nostra assertione, vt relinquamus etiam idoneè persuasum, quòd in vniuersa scriptura nullibi euincitur neminem posse ex fide certum esse de adepta gratia, cùm ea quę potissimum ad hoc facere videbantur, ostensum sit aut nihil facere, aut etiam oppositum comprobare. Nunc addo aduersus disputatores, quòd ad omnia loca hęc quę producunt vt ignorantiam gratiæ persuadeant, vna communis responsio viget. Quoniam cum tãdem dent nobis aduersarii quòd scire possumus nos esse in gratia saltem certitudine probabili & coniecturali, quę satis sit coram Deo vt

NOTA etiam ad illum orantes posimus asserere q̃
tales sumus: imo (vt quidam ex illis scripto
fassus est, ac luculenter ostendit) possumus
esse certi de hoc certitudine plusq̃ conie=
cturali & probabili, deniq; tali quę omnino
omnem hęsitationem atq; formidinem ex=
cludat: profectò necesse est illis fateri, has
enunciationes, quas tamen à scripturis ac=
cipi arbitrantur, esse simpliciter falsas, vide=
licet: *Nemo scit utrum sit dignus amore*, idest,
vtrum diligatur à Deo, & hoc ipsum igno
rare animam iusti. Si.n.scit, & quidem tan
ta certitudine, falsum illud redditur ita sim=
pliciter dictũ: Nemo scit &c. Et, Omnis ani
ma hoc ignorat: & Debere hominẽ metue
re ac dubitare de propitiatu peccato=
rum, hoc est, an sibi sint remissa pec
cata. Et alia huiusmodi, quæ ta=
men ipsi longis disputationibus
comprobare nituntur, incon
stanter tamen loquentes.
At hoc est illorum qui
non innituntur veri
tate, cui omnia
consonant.

ASSERTIO II.

*Irrefragabiliter de scripturis sanctis hanc certitudi
nem gratiæ ex fide uenientem comprobari.*

PRIMO HAEC AS=
sertio suaderi potest
inductione & osten
sione multorum qui
in scripturis non so=
lũ iusti declarati sũt,
sed etiam conscii iu=
stitiæ suę. De Adam
.n.& Heua non pu=
to esse dubitandum quin certò cognoue=
rint iustitiam & gratiam suam, quam etiam
senserunt se perdidisse. Et ego etiam certò
credo eos ex fide cognouisse se restitutos,
non dico in illam originalem iustitiam, sed
in gratiam: sicut B. Augustinus testari vide
tur esse quasi cõmunem sententiã: et in lib.
Sapientiæ cap.viiii. in fine, & cap.x. bene
probatur: imò in lib. Genesis cap.iii. si di=
ligenter & secundum Dei sapientiam consi=
deretur: de quo ego satis in loco proprio.
Deinde Abel iustus etiam suæ iustitiæ testi
monium habuit in sacrificio sancto. Inde
Seth, & Enos, q. incępit inuocare nomen
Domini. Et ipse Henoch de seipso habuit
testimonium placere Deo. De Noe, qui
saluatus est per arcam cum filiis & nuribus
suis, & factus est hæres iustitiæ: De Melchi
sedech, qui sacrificauit Deo sacrificium san
ctum. De Abraham similiter, & Isaac, & Ia
cob, qui benedicti sunt, & in semine illorũ
constituta est benedictio gentium. De Lot
similiter, qui seruatus est ab excidio Vr=
bium. Et Ioseph, qui tanta passus est iniquè
à fratribus. De Mose item, & Aaron fra=
tre, & Iosue, & Phinees, De tot saluatori=
bus quos dedit Deus populo suo, Gedeo=
ne, Barac, Sampsone, Iepte: De Samue=
le, Dauid, & Salomone, Ezechia, Iosia re=
gibus. De Iob, de Elia & Eliseo. De Isaia,
Ieremia, Ezechiele, & Daniele, & duo=
decim Prophetis. De Esdra, Neemia,
Zorobabel, & vtroq; Thobia. De Sara,
Rebecca, Anna matre Samuelis, Iudith,
Ester, Susanna, & multis mulieribus san=
ctis. De tribus illis pueris, qui in camino
ignis laudabant & benedicebant Deum. De
Machabęis, & de Iesu & Onia sacerdoti=
bus: & aliis quos scriptura cũ magna laude
commemorat. De istis inquam omnibus
quid dicemus? An quòd non essent certi
de sua iustitia coram Deo, cùm tot signis es=
set illis probata, & tanta familiaritate cum
Deo ipso? Dicent fortasse, Habuerunt
isti omnes specialem de sua gratia reuela=
tionem. Admittamus quod aiunt (quan=
quàm hoc de omnibus probare non pos=
sunt) Quæro ab eis, sequestrata omni re=
uelatione, nonne poterant à puritate con=
scientiæ, & ab ardore fidei interius fragran
te, & ab operibus eximiis, quæ illi facie=
bant (audebo dicere) etiam firmius scire in=
ternam charitatis Dei virtutem, quàm à spe
ciali reuelatione? Sunt.n.nõnunq̃ & luci=
diora ac firmiora testimonia quæ à conscien
tia operum admixto spiritu habent sancti, q̃
quæ à reuelationibus istis peculiaribus, in
quibus potest facilius admisceri deceptio.
Imò harum reuelationum probatio sępenu
mero fit ab humilitate & charitate ac timo= NOTA
re sancto & aliis virtutibus, quæ quùm ad=
sunt, & seipsas in Dei lumine ostendunt,
non est periculum de illusione: sicut spiri=
tuales viri nouerunt & contestantur.
Præterea, quãdo Moses ille fidelissimus
& mansuetissimus inter homines, tanto spi=
ritu charitatis orabat pro populo, dicens:
Aut dimitte illis, aut dele me de libro uitæ, Nonne
habebat certissimum suæ charitatis sensum,
etiam omni seclusa reuelatione? Et de

Rege Ezechia quid dicent? Siquidem ipse orans Dominũ ausus est dicere: *Obsecro Domine, memento quomodo ambulauerim coram te in ueritate & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim.* Hæc autem quomodo non temerariè dixisset coram Deo, nisi certus fuisset suæ iustitiæ? Nec potest illa oratio vituperari (vt ausi sunt quidam) cùm eam probauerit Dominus, & exaudiuerit. Nec de speciali eius reuelatione quicq̃ in scriptura apparet, neq; ipse in verbis suis ostendit se reuelatione inniti.

Venio ad viros noui testamẽti. Primùm de Ioanne Baptista neminem credo posse venire in dubitationem quin semper fuerit certus suæ gratiæ, cùm etiam in ipso matris vtero repletus esset Spiritusancto. Non negauerim illum à multis reuelationibus certiorem redditum: Et nihilominus asseruerim meo periculo, quòd ardore fidei & plenitudine gratiæ hoc certissimè nouerat. De Apostolis quoq; quis dubitet? Quibus tñ ante aduentum Spiritussancti speciales reuelationes fuisse factas nulla scriptura commemorat: nisi cuncta Domini verba fuisse reuelationes speciales & internas quisq̃ existimet. Etenim quando de se ipsis audiebãt à Domino quòd complacuerat Patri dare eis regnum, nisi velimus diuinare, hoc non speciali reuelationis lumine accipiebãt, nec alio lumine credebant, quàm lumine communis fidei, qua etiam ipsum filium Dei credebant. Imò quia hoc primùm credebant, iccircò & illud ex illo credito consequebatur esse credendum: quod similiter de cæteris debemus dicere, quibus Dominus significabat remissionem peccatorum & salutem. Et certè quia tam passim multis Dominus non solum familiaribus, verumetiam penè cunctis aliis quos à morbis sanauit remissionem peccatorum & nouam gratiam significauit, non videtur congruum vt huiusmodi significationes debeant cõputari inter reuelationes quas vocant priuilegiatas. Imò quod in illis legimus factum sensibiliter, intelligere debemus fieri assiduè in Ecclesia per sacramenta spiritualiter.

De B. autem Petro legimus ternam sui erga Christum amoris confessionem, etiam à Domino commendatam, cui propterea credidit oues suas. Vana verò sunt quorundam commenta, qui eundem volunt in tertia responsione subdubitasse: quum idem bis prius confessum, etiam tertia illa vice, aduocato Domino ipso teste, confirmauerit.

Quid dicam de Dilecto discipulo? Quid item de Vase illo electionis, qui passim suam gratiam prędicabat, & postremo loco ait: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo repositа est mihi corona iustitiæ, etc.* Aient: Illa sciebat à reuelatione speciali. Imò ipse ex euidentia factorum & operum suorum illud se asserere ostendit, non autem speciali reuelatione innixus. Clara hęc sunt, & quæ nulla tergiuersatione valeant euitari. Vnde B. Gregorius de ipso Paulo testatur ex eo loco his verbis: *Securum se dormire iam nouerat, qui dicebat: Ego .n. iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certaui etc. Quia.n. contra multa transeuntia sine defectu decertauerat, de mansuris nimirum gaudijs sine dubietate præsumebat.* Ecce quàm manifestè declarat gloriosus Pontifex vnde erat illa Apostolo securitas ac præsumptio, nimirum à certamine, quod se certasse sciebat: et non à reuelatione, in qua magis potuisset inueniri deceptio. B. Gregorius

Sunt verò præter exempla sanctorum virorum, multę Scripturarum sententiæ, quibus clarè nostra positio manifestatur.

Est autẽ in primis testimonium ipsius Domini dicentis: *Qui facit ueritatem uenit ad lucem ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* Lux autem absq; dubio Christus est Iudex omnium. Qua verò confidentia aut fiducia ad illum quisq; ire potest vt manifestentur opera sua, nisi sciuerit ea esse bona & acceptabilia Deo, quod est idem ac si dicatur, Quia in Deo sunt facta? At qui facit iustitiã iustus est, ait Dilectus. NOTA

Est itẽ quod ipse dixit: *Cùm feceritis hæc omnia, dicite, serui inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus.* Quis autẽ potest dicere feci quod debui, nisi qui verè fecerit, & amplius qui etiã sciuerit se fecisse? Qui autem hoc sciuit, nónne certus fuit suæ gratiæ, cùm nemo sine gratia Dei possit facere quod debuit? Quare locus ille duos iugulat, Lutheranum, qui negat hominẽ implere posse mandata, & illum qui huius rei notitiam non concedit. NOTA

Est tertio, quòd ipse mandat nos vigilare, & præcinctis lumbis quasi ardentibus lucernis stare, ac similes esse hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptiis, vt cùm venerit & pulsauerit, confestim aperiatur ei. Quid est vigilare, nisi intendere toto animo ad ea quæ Dei sunt? Qui verò vigilat, scit proculdubio se vigilare: Et qui lumbis præcinctis expectat, cum desiderio stat & spe. Hoc autem est pro- Luc. 12.

prium eorum qui toto corde seruiunt Deo, & diligunt aduētum eius: quod quidem esse non potest, nisi conscii fuerint interim iustitiæ suæ.

Est & quarto apud B. Ioannē vbi Dominus ait: *Mandatum nouum do uobis ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos, ut & uos diligatis inuicem*. Et addit: *In hoc cognoscent omnes quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem*. Vide signum discipulatus. Discipulus enim Christi ille est qui sequitur & imitatur Christū: quod sine eius gratia fieri non potest. Signum ergo certum discipulatus est dilectio, hoc est, opera dilectionis. Hoc signo testatur Dominus quòd omnes cognoscent eos esse discipulos suos, idest, ꝙ habeant signum certum huius rei, quo clarè id cognoscere poßint. (de certa.n. notitia loqui Dominū credibile est, quemadmodum semper facere consueuit) Si igitur opera charitatis, quæ faciunt veri Christi discipuli, id efficiunt vt ipsi cognoscantur ab aliis ꝙ tales sint, quanto ergo magis à semetipsis cognoscētur esse tales, cum melius propriam ipsi conscientiam suam nouerint? Et ne quis diceret, hoc signum esse fallibile, occurrit hîc B. Thomas, & post illum Caietanus, dicens: *Ecce infallibilia apud omnes nationes signa discipulorum Christi: ecce insignia propria Christianorum, quæ utinam hodie apparerent*.

Caietanus.

Est & quinto apud eundem de efficacia aduenientis ac manētis Spiritus sancti super eos, vbi sic legimus: *Si diligitis me, mandata mea seruate: & ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, Spiritum ueritatis, quem mundus non potest capere, quia non uidet eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud uos manebit, & in uobis erit*. Et paulò post: *In illa die uos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, & uos in me, & ego in uobis*. Et adiecit declarans hęc: *Qui habet mandata mea et seruat ea, ille est qui diligit me: Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo (siue insinuabo) ei meipsum*. Quid his verbis poterat dici clarius? Manifestè.n. loquitur Dominus de notitia quam superueniens Spiritus sanctus & manens ingerit in cordibus eorum qui dilexerint & seruauerint mandata Dei. Vnde amplius hoc B. Iudę Apostolo & fratri suo declarans, ait: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus & mansionem apud eum faciemus*. Hæc proculdubio dixit vt declararet quo pacto se esset illis insinuaturus, nimirum per aduentum quendam nouum & mansionem. Qui igitur tantos habebit in se hospites manentes, nunq̄ eorum certum sensum habebit? Et ipsimet hospites volent semper latere vt nō sentiantur? Hoc si quis asserat, certè veritatis conculcat verba dicentis, *Et manifestabo ei meipsum*. Et: *Vos autem cognoscetis eum, quia apud uos manebit et in uobis erit*. Sentitur ergo pręsentia spiritus: sensu dico, spirituali per fidem certam, nō carnali. Vnde & D. Augustinus super illis verbis, *Vos cognoscetis eum, quia in uobis manebit, & in uobis erit*: *Ergo*, inquit, *inuisibiliter uidetur: nec si non sit in nobis, potest esse eius scientia. Sic.n. à nobis uidetur, & in conscientia nostra. Nam faciem uidemus alterius, nostram uidere non possumus: conscientiam uerò nostram uidemus, alterius non uidemus*: Hęc D. Augustinus. Caietanus autem ibi sic ait: *Ratio cognitionis redditur, mansio: ut intelligamus spiritum ueritatis manentem in animis Apostolorum, iam facere officium suum, faciendo eos cognoscere ipsum. Ipse.n. Spiritus testimonium reddit spiritui nostro ꝙ filij Dei sumus: unde notitia ab experientia in seipsis significatur*.

B. Augu.

Caietanus.

Admiratus sum (ne quid dissimulē) quosdam ex scholasticis, qui, ne cogerentur fateri certitudinem gratiæ, quia putabant obstare illam sententiam Ecclesiast. *Nescit homo etc.* hunc locum B. Ioannis penitus destruunt, dicentes, quòd homo potest scire Spiritum sanctum manere in corde suo, nō per gratiam gratum facientem, sed per gratias gratis datas. Et hac techna noui disputatores se putant explicare, quùm magis se implicent. Nam quis vnq̄ ex patribus sic interpretatus est? Nónne Christus manifestè se ipsum interpretatus est ibi, loquens de Spiritu qui ignem charitatis afferebat in corda? cùm hic sit Spiritus ille, quem mūdus nō potest accipere, & de illo Dominus loquutus se prædixit? Piget verò me atq; tędet de huiusmodi, quæ luce clariora sunt, disputare. Sed nunq̄ tanti viri hęc absurda dixissent, nisi decepti fuissent à positione falsa, quam pro vera accipiebant, propter scripturam malè tamen intellectam: idest, propter illud quod dixit Ecclesiastes, *Nescit homo etc.* Vide bone lector quàm sit verum quod dici solet, Ex vno absurdo recepto, multa sequi.

Est & sexto apud Matthęum & Lucam verbum Domini aientis: *Omni habenti dabitur, et abundabit*. Quæ verba, iuxta B. Augustini interpretationem, hunc habent sensum, & quidem illustrem, quòd homini qui accipit Dei dona, & illis bene vtitur, amplius etiam donatur. Hoc autē amplius est vt & quod habet se habere cognoscat & gaudeat, & amplius in dies proficiat. Vnde idem Doctor apud B. Ioannem capite xiiii. sic ait:

Habebant Spiritumſanctum diſcipuli & non habebant. Habebant minus: dandum erat amplius quod non habebant. Habebant occultè: dandus eis erat manifeſtè: quia hoc ad maius donum Spiritusſancti pertinebat ut eis innoteſceret quod habebant. De quo munere loquens Apoſtolus ait: Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Hæc Auguſtinus.

Accedit & pro hac veritate irrefragabilis Apoſtoli traditio ad Romanos cap. viii. vbi ait: *Quicunq; ſpiritu Dei aguntur, ij filij Dei ſunt. Non .n. accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater. Ipſe enim Spiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei.* Hic locus Apoſtoli neſcio qua tergiuerſatione poſsit eludi, quo minus probet gratiæ certitudinem in filiis Dei, qui ipſius ſpiritu aguntur, mortificantes opera carnis. Hîc .n. planè atq; explicitè dicitur ſpiritum illis teſtificari quòd ſunt filii Dei. Si teſtificatur illud Spiritus, Aut ergo poſſunt hoc teſtimonium ſentire in ſeipſis & accipere, & agnoſcere illud eſſe teſtimonium Spiritus, Aut non. Si non poſſunt, fruſtra igitur atteſtatur illis Spiritus ſanctus. Et quomodo in eo Spiritusſancti teſtimonio fiducialiter clamare poſſunt Abba Pater, ſicut ait Apoſtolus? Si autem poſſunt ſentire teſtimonium hoc in ſeipſis, & accipere, & agnoſcere eſſe teſtimonium Spiritus, quomodo non erunt certi ſuæ adoptionis & gratiæ? Nunquid .n. teſtimonium Spiritus poteſt mentiri, quod vel cogitare eſt blaſphemia? Nunquid ergo accipiens teſtimonium illud poterit abſq; impietate & perfidia dubitare de illo, aut deceptionem ſuſpicari? Hoc in loco dixerunt quidam, Non poterit certò ſcire quiſquam illud eſſe teſtimoniũ Spiritus. Nos autem reſpõdimus, hoc perinde eſſe ac dicere Spiritum non teſtificari. Qui .n. teſtem neſcit, neſcit & teſtimonium. Ad quid .n. teſtificatur Spiritus niſi ad notificandum? Sed nunquid notificabit per teſtimonium quod an

B. Ambroſius in epiſtola ad Horontianum lib. 5.

NOTA

ſit ipſius ignoratur? Hanc vero fugam B. Ambroſius illis præcludens in epiſtola ad Horontianum lib. v. ſic ait: *Teſtimonium autem hoc eſt Spiritusſancti, quòd ipſe eſt qui clamat in cordibus noſtris Abba Pater, ſicut ad Galatas ſcriptum eſt. Sed & illud grande teſtimonium quòd ſumus filij Dei.* Hæc ille. Ecce quàm explicitè ac diſertè duo teſtari Spiritum ſanctum docet, videlicet & ſeipſum eſſe qui loquitur & clamat, & hoc grande teſtimonium nobis reddere quòd ſumus filii Dei. Quid hîc fingi poteſt contra tãti Patris autoritatem in re præſertim tam clara? B. Bernardus, vt ſuo loco dicemus, hoc teſtimonium vocat reuelationem quam facit Spiritus. Si reuelatio eſt, & ex lumine ſuperno, quomodo non perſuaſio & certitudo? Cogita hęc frater chariſsime, & noli eſſe indocilis ac proteruus.

D. Bernardus

Verùm dicent aliqui, Qui ſic certiores fiunt à Spiritu, non propterea habent certitudinem fidei, ſed à coniecturis & ſignis humanam quandam certitudinem & probabilem: quidam tamen dixit leuem & puerilem coniecturam. Quoniam verò ſic dicentes, iniuriam faciunt Apoſtolo, quem vanas & pueriles coniecturas nos docuiſſe fateri eos oportet: & præterea confuſionem faciunt, vocibuſq; abutuntur: oportet hæc diligentius explicare. Et primùm noſſe, quum ab initio hæc quæſtio fuit propoſita, ſimpliciter à nonnullis poſita fuit. Quærebatur .n. ſimpliciter, An quis poſſet ſcire aut certus eſſe quòd eſſet in gratia, multis hoc negantibus ſimpliciter, aliis verò contrà aſſerentibus: & non explicabatur ſatis de quo genere ſcientiæ aut certitudinis eſſet quæſtio. Sed inter diſputandum, vt fit cùm veritas diſcutitur, tandem hûc ventum eſt vt cùm iam non negaretur aliqua certitudo, quæ nam eſſet illa certitudo diſquireretur.

Primùm ergo ſciendum eſt, nullo modo, naturali cognitione ſiue intellectus ſiue ſenſus, haberi poſſe, quenquam adeptum eſſe gratiam aut ſtare in ea. Nam nec ſenſus nec intellectus ſuapte natura & lumine poteſt in hanc aſcendere cognitionem, niſi fidei lumine fuerit illuſtratus. Deſcendit ergo de ſupernis (vt diximus) notitia hæc, nõ aſcendit: & à lumine Spiritus venit, cùm Spiritus ſanctus teſtatur animæ meæ, & ſuam illi reuelat ſalutem: ſicut rogat quilibet in Eccleſia, dicens: *Dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum.* Ex quo patet ſecundum ad rem propoſitam, videlicet hoc teſtimonium fide accipi. Si enim Deo nobis teſtanti credimus, fideles ſumus: ſin reſiſtimus, increduli iudicamur. Si ergo hoc teſtimonium homo accipit fide, certus redditur: quia & veritas in eo eſt, & firmitas adhæſionis gignitur, ac per hoc nõ poteſt dici opinio. Opinio .n. non habet certitudinem, ſed formidinem: nec à diuino teſtimonio gignitur opinio, ſed vera fides. Reſtat ergo vt ſit certitudo fidei. Poſſumus igitur certi eſſe de iuſtitia noſtra, & quidem certitudine fidei, vt locus ille Apoſtoli abſq; dubio inuictiſsimè probat. Vnde Caietanus in comment. ſuper ea verba: *Ipſe .n. ſpiritus teſtimoniũ reddit ſpiritui noſtro etc.* elegãter

Opinio.

Fides.

in hunc modum scripsit: *Testimonium hoc quod Spiritussanctus reddit simul cum spiritu nostro de hoc ꝙ sumus filij Dei, internum esse significatur, ex eo ꝙ ab utroq; interno spiritu perhibetur, non alijs, sed nobis ipsis. Et quoniam testimonium hoc non est de possibili, sed de facto, hoc est, non est de hoc, An scilicet possimus esse filij Dei, sed est de hoc ꝙ sumus filij Dei. ideò donum speciale est. Nam testimonium ꝙ possumus esse filij Dei, inter testimonia communia fidei comprehenditur. Testimoniũ autem quòd ego sum filius Dei, speciale donum est. Et quoniam nullius testimonij effectus est uidere seu scire rem testificatam, sed credere (non .n. inducitur testimonium, sed lumen aut ratio euidentiam faciens ad hoc ut uideatur aut sciatur res: sed testimonium inducitur ad hoc ut credatur res testificata, ad hoc ut uideatur esse credendum sic esse quod testificatur) ideò ex hoc testimonio Spiritussancti & nostri quòd sumus filij Dei, non intelligas me uidere aut scire, sed credere quòd sum filius Dei, sed uidere mihi esse credendum quòd sum filius Dei.* Hæc ille: quibus nihil expresśius dici poterat nec euidentius ad probandum, quòd de spiritu nostro & charitate infusa certificamur testimonio Spiritus sancti, vnde resultat non naturalis, sed solũmodo cognitio fidei: credere.n. est actus fidei. Et certè nõ potest aliud fingi, nec vlla responsio ad hoc rectè dari. Non est.n. hîc certitudo à reuelatione speciali. Nam ibi Apostolus manifestisśimè loquitur de cõmuniter iustificatis, iis tamen qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum.

Nota diligenter hæc uerba Caietani pro certitudine gratiæ ex fide.

Nec valet si respondeatur vt quidam argutulè magis quàm vere, videlicet illud testimonium Spiritus quod fide apprehenditur, non reddere certum hominẽ de sua gratia, quia (vt ipse idem Caietanus ibidem subiungit) Spiritus in hac sua testificatione quòd sumus filii Dei, vtitur quibusdam mediis, quæ ipse assumit simul cũ nostro spiritu ad significandum ꝙ sumus filii Dei. Hæc autem media regulariter duo sunt. Alterum est amor Dei promptus ad obsequẽdum Spiritui sancto: alterum experta continuatio diuinę gubernationis. Sed quia in his duobus mediis quibus vtitur Spiritussanctus ad persuadendum nobis, potest homo decipi, quia potest sibi videri amare cùm non amet: & simpliciter potest videri sibi expertum se esse benignam in se Dei prouidentiam, in quo & falli potest: redditur propterea hoc testimonium ita incertũ, sicut & media ipsa per quæ illud fit, sunt incerta. Hæc autem argutè dicta sunt, perplexè tamẽ: & minime secum constantia sunt. Resoluamus ergo nos, vt duo appareant manifestè: Alterum, hũc sensum apertè esse contra ipsam Caietani doctrinam ibi: alterum uerò, ꝙ hic sensus (vt dixi) perplexus est & semetipsum expugnans, & iccircò longe abest à vera intelligentia. Et quo ad primum attinet, recensebo verba Caietani quibus ille innititur, nempè hæc: *Media autem quibus utitur Spiritussanctus, quæ assumit Spiritussanctus simul cum uostro in testimonium ꝙ sumus filij Dei, sunt regulariter duo. Alterum est amor Dei promptus ad obsequendum Spirituisancto, quem efficit Spiritussanctus in ijs qui spiritu Dei agũtur: aliaqui non agerentur spiritu Dei, nisi forte ad momentum: Alterum est experta continuatio diuinæ gubernationis, custodiendo à damnabilibus, illustrando, inspirando, excitando, mouenda, fouenda, et huiusmodi. Nam cùm experimur tam promptè nos diligere Deum, et tali tantáq; cura gubernari à Deo, testimonium à Spiritusancto & nostro habemus sufficientissimum ad hoc ut credamus ꝙ sumus filij Dei.* Hęc ille. Ex quibus colligo, posse hominem experiri se promptè diligere Deum & magna cura gubernari ab illo: Et eum qui hæc experitur, testimoniũ habere à Spiritu sancto & suo sufficientisśimum ad hoc vt credat se esse filium Dei, & clarè videt id sibi esse credendum, nempe filium Dei se esse. His igitur stantibus, in hũc modum texo argumentum. Quicunque habet à Spiritu sancto testimonium sufficientisśimũ vt credat ex fide, & clarè videat hoc esse credendum, videlicet se esse filiũ Dei, & hoc testimoniũ ille fide recipiat, certus est suę gratiæ, quicquid sit de mediis quibus vtitur Spiritussanctus ad certificandum. Etenim ad inducendam infallibilem certitudinem satis mihi est ꝙ ipse Spiritus testificatur, & ꝙ ille cui testificatur, id credat ex fide. At istud est quod à nobis ponitur, & ab Apostolo reuelatur, videlicet Spiritũ multis filiis qui ipso Dei spiritu aguntur testificari hoc, & illos etiã id credere. Quid igitur obstat quin audacter dicamus eos quicunq; sint illi, certos esse Spiritum Dei se habere in seipsis inhabitantem per gratiam? Testimonium.n. hoc Spiritussancti purum est, & non conditionale, quasi testetur nobis quòd filii Dei sumus si promptè diligimus, aut si verè Deo est cura de nobis. Hoc.n. nunq̃ nobis quicq̃ probaret, quia non possumus (vt isti volunt) vnq̃ scire, an verè diligamus Deum, & an ille de nobis solicitetur quasi de filiis. Inane igitur esset hoc Spiritus testimonium cõditionale, nempe conditione nunq̃ adueniente in hoc seculo. Vnde & contra Apostoli verba est, quæ Spiritus testimonium declarant esse purum & absq; vlla conditione, quòd sumus filii Dei. Et ex his patet perplexitas contradicentium, qui dum permittunt Spiritum san-

Caietanus.

ctum testificari, ac ipsum Spiritus testimoniũ fide accipi, atq; simul sciri Spiritum sanctum esse qui nobis testificatur, cum his tamen nõ confitentur certam esse notitiam rei testificatę à Spiritu sancto, sed solùm probabilitatem quandam: quæ certè secum nequeunt constare. Adde quòd cùm in oratione, sicut ait B. Thomas, profiteamur fidẽ nostram, & in ea dicamus ex spiritu Pater noster (nam tales quærit Pater qui adorent eum in Spiritu & veritate) quomodo poterit esse in eo dicto deceptio? Quod ergo subdit Apostolus: *Ipse.n.Spiritus reddit testimonium etc.* exponit S. Doctor his verbis: *Ostendit idem ex testimonio Spiritus sancti, ne fortè quis dicat quòd in nostra confessione decipimur.* Hæc ille. Quid clarius? Non hîc patitur esse deceptionem S. Doctor in eo qui credit Spiritui cõtestanti. Vide quantum interest tractare scripturas, & docere scholastica. Nam sæpe cogimur veritati attestari quam ignorabamus. Sic D. Thomas hoc in loco ex verbis Apostoli huic certitudini quam probamus coactus est attestari.

D. Thomas NOTA

Nicolaus Gorran.

Nicolaus Gorran similiter de hoc teste Spiritu sancto & de eius testimonio in eo loco pulcherrimè enarrat. De ipso quidem teste, quòd est omni exceptione maior: de testimonio autem, quod certificat hominem qui eo spiritu agitatur. Et post hæc addit: *Qui habet tale testimonium saluabitur, non damnabitur.* Et concludit: *Ecce ergo spiritus obligans, agens, adoptans, & testificans. Obligatio debitores, agitatio reddit nos obedientes & promptos, adoptio amantes & deuotos, testificatio gaudentes & securos.* Hæc ille. Et propterea nõ ab te dixi, aliud esse scrutari scripturas, aliud in scholis disserere. Hîc mitto alios, præsertim Patres veteres, qui hunc locum non aliter acceperunt. Multa enim seruantur inferius producenda.

Est autẽ alius in Apostolo locus vnde superiora cõfirmantur, vbi ait: *Quis.n.nouit homo nũ quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in eo? Sic quæ sunt Dei nemo nouit nisi spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Ecce quomodo vult vt à nobis cognoscantur Dei dona, quorum maximum est charitas. Neq; verò me latet B. Thomã in Summa hoc in loco nobis occurrere, eò quòd agat ibi Apostolus (vt putat) de donis gloriæ, quæ per fidem certissimè cognoscimus; non de dono gratiæ inhærentis. At hæc solutio nõ dat quietem, vnde nec ipse B. Thomas in ea persistit: quia spiritus Dei datur nõ tam ad cognoscenda gloriæ dona, quàm ipsa dona gratię quę prẽsupponũtur ad gloriã. Potuisset ergo dicere B. Thomas, aliud esse scire donum gratiæ, aliud verò quòd illud donum sit in me, aut in illo signatim: & primum dixisse Apostolum, non secundum. Verùm nec hoc satisfacit. Primo quidem, quoniam verba illa: *Accepimus Spiritum qui ex Deo est*, non significant eos, fidem solùm accepisse vt per illam cognoscantur Dona: sed quòd acceperint præcipuè charitatem, & quidem eximiam charitatem. Spiritus enim charitas est: & illa voce nunq̃ significatur sola fides. Scrutentur scripturas, & probẽt quod dicimus. Qui ergo dicit se accepisse Spiritum, ipsam certè charitatem se accepisse asserit: quod non potest asserere qui ignorat se accepisse. Deinde verba illa Apostoli: *Vt sciamus quæ data sunt nobis*: de donis gloriæ pręcisè non possunt intelligi, cum illa donata non essent manentibus in hac vita, nisi in arrha, quod est donum gratiæ: quo cognito, & illud gloriæ futurum simul cognoscitur. Sensus ergo Apostoli verus est, nimirum ex notitia doni præsentis, quod vocat Spiritum Dei, quem accipiunt christiani, haberi notitiam supernorum, quę nos manẽt. Ad hoc.n. vt ea noscamus, accipimus spiritum gratiæ velut arrham. Verum est tamen quòd B. Paulus ibi videtur loqui de illa Spiritus abundantia, quam habuerunt ipsi principes & duces nostri Apostoli Christi. Sic illum locũ exponit B. Augustinus apud Ioannem cap.xiiii.& alibi. Sic plerique alii veterum. In eundem etiam modum Caietanus, cuius hæc verba sunt: *Vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Ecce effectus Spiritus quem accepimus, non impetus, non furor, non ecstasis nescientium quid patiantur, aut agant: sed vt sciamus. Non dicit vt credamus: quia Spiritus sanctus infusus Apostolis causauit in illis notitiam certam donorum Dei in eisdem.* Hæc ille. Neq; somnianda est hîc alia reuelatio specialis. Illa.n.est prophetica nõ manens. Hæc verò notitia de qua Apostolus, est à Spiritu immanente in homine per donum illud cęleste.

Caietanus.

Est item & grauis illa eiusdem Apostoli in quosdam reprehensio, vbi ait: *Vosmetipsos tentate si estis in fide: uosmetipsos probate. An non cognoscitis uosmetipsos quòd IESVS Christus in uobis est? nisi fortè reprobi estis.* His autem verbis cum de fide viua loqueretur Apostolus, vt solebat quoties absolutè fidem dicebat, videtur non solùm fateri, posse hominem nosse inhabitantem in se Christum per spiritum suum, verũ etiam quòd hoc ipsum debeat scire, cùm hoc scire eius intersit, nisi fortè sit reprobus. Vnde vult quòd homo probet, ten-

tetque semetipsum, & hanc inde notitiã eruat. B. autem Bernardus iuxta Apostoli doctrinam dixit, periculosissime hoc nesciri.

D. Bernardus in serm. 17 in Cantica.

Non me latet quid hoc in loco dicât quidam scholasticorum. Sunt.n. qui volunt locũ illum intelligi de coniecturali notitia, & non fidei certa: quod est diuinare, & contra morem scripturarum, quae de fidei notitia in huiusmodi semper loquuntur. Alii ergo intelligunt de fide informi, quam sciri posse per suum actum confitentur, cuius oppositum dicunt esse de charitate. Et quidã huius differentiae rationẽ assignat, *qa assensus (inquit) intellectus ex nulla diuina acceptatione dependet, & ideo notissimum unicuique persuasum habere Euangelium. Gratia verò Dei & amicitia in diuina beneuolentia & acceptatione consistit, quae nobis est ignota.* Haec ille. Quae aut falsa sunt, aut nihil resoluũt, aut ego non intelligo. Ineptè.n. primò dicitur, gratia Dei & amicitia in eius beneuolentia & acceptatione consistit. Si.n. gratia pro habitu quem habemus à Deo accipitur, quo pacto dicitur cõsistere in acceptatione Dei? Nunquid.n. per habitus meremur, vt oporteat Deum acceptare illos? Et quomodo acceptantur ab eo qui donat? Profectò in beneuolentia Dei nõ minus habitus fidei quàm charitatis consistit: quoniam ex ipsius beneuolentia nobis etiã fides contingit. Oportet ergo pro clariore intelligentia videre quid fidei appellatione & charitatis intelligãt, vtrũ actum, an habitum. Nam si de habitu sermo est, iterum distingui oportet, an de habitu infuso, an verò de acquisito, vt quaeratur: An habitum fidei infusum à Deo possimus noscere per actum suum. Quod si asseritur, in prõptu est vlterius quaerere, quonam genere notitiae talis habitus cognoscatur. Nam si ex aliqua coniectura solùm quę certitudinem non constituat, non stabit ea differentia quam ponunt inter fidem & charitatem: quoniam etiam charitatis habitum pari modo ex coniecturis possumus cognoscere, vt ipsi fatentur. Sin autem volunt habitum fidei infusum certò cognosci certitudine fidei per actum suum: charitatis autẽ non sic, vt certè videtur ex doctrina B. Thomae deduci, sicut ibidem manifestè Caietanus declarat: tunc obstabit ratio: quoniam non videtur quòd per actum fidei magis ego nosse possim habitum sitne infusus desuper, an verò acquisitus, quàm per actũ charitatis nosse ipsum dilectionis habitum similiter an sit infusus necne. Ratio verò illa, quòd actus Charitatis ideo ignoratur an sit ex habitu infuso, quoniã nescitur an sit acceptus Deo, quod requiritur ad hoc vt noscatur esse ab habitu infuso, nihil valet: quoniam ex fide recipimus actum charitatis acceptũ esse Deo & prius natura est esse actum charitatis, quàm quòd sit acceptus. Nec enim per hoc est actus charitatis, quia Deo acceptus: sed ideò acceptus, quia est actus charitatis. Vnde ad noscendum actum charitatis, non oportet ex eo quòd sequitur cognoscere, cùm illud sequatur necessariè.

Sed dicent, non est alia uia ad cognoscendum, quia per actum tunc cognoscitur habitus, cùm talis est actus qui nequeat nisi ab habitu illo produci. Sed actus charitatis possunt produci à dilectione Dei acquisita, aut per motionem Dei gratuitam absque habitu: Non igitur per hoc nosci possunt. Sed nos id falsum esse dicimus quod sumitur. Et nihilominus respondemus, non secus esse de habitu fidei: quoniam actus fidei homo potest & pari modo producere, videlicet vel ab habitu acquisito, vel à gratuita motione diuina. Ergo vndique nutat haec doctrina, nisi dicatur & quòd per actum fidei noscitur infusa fides, & similiter per actus charitatis infusa charitas: Quoniam fides & charitas innouant hominem & transmutant in aliam superiorem naturam. Et est summè inconueniẽs tales habitus adeò nobiles & supernaturales; quibus in alios quodammodo transferimur, nobis esse ignotos, & non habere illos actus suos proprios, eosque naturę facultatem similiter excedentes: cùm alioqui superuacui videri possint. Imò reuera ipsa viua, nõ mortua fides per opera probatur, & per patientiam passionum, non incerta probatione, sed certa. *Sicut aurum* (inquit Princeps Apostolorum) *quod per ignem probatur.* Et nisi velimus proteruiter repugnare, illa Apostoli efflagitatio cum tanta energia vt seipsos Corinthii tentent & probent ad cognoscendum an in seipsis Christus inhabitet, profectò non videtur velle eos opinionem tantum exculpere à tentatione & probatione illa quã requirebat, sed notitiam certam ac firmam, quam heroica opera reddunt, ut B. Anselmus, quem paulo post citabimus, eo in loco eleganter enarrat. Propter quod & B. Iacobus dixit: *Ostende mihi fidem tuam absque operibus, & ego ex operibus ostendam tibi fidem meam*, hoc est, fidem viuam, non mortuam. Nam & in ipsis operibus ex viua fide factis quiddam viuum conspicitur: quod melius ille nouit qui intus sentit. Vnde & B. Ambrosius egregiè hoc in loco dixit: *Qui habet fidei sensum in corde suo, hic scit Christũ* DESVM *in se esse.*

B. Ambrosius.

Quid amplius desideramus? Et quidem veterum Patrum nullus est qui locum illum interpretetur de fide informi. Petrus Lombardus proculdubiò de fide & bonis operibus interpretatur.

Est & alius Apostoli locus in eadē Epistola secunda ad Cor. cap. 1. vbi ait: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Ecce in quo erat B. Pauli gloria, nimirum in testimonio conscientiæ. Nec solùm quia nihil sibi conscius erat mali, sed quia simul conscius erat multorum bonorum quæ fecerat, nimirum qui in simplicitate cordis, & synceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersatus erat in hoc mundo. Vide lector quanta confidentia de sua innocentia Apostolus contestatur. Et ne quis notitiam ex reuelatione somniaret, testimonium conscientiæ propriæ & acta sua manifesta, non Dei reuelationem profert. Verùm de hoc erit sermo inferius, ubi de virtute conscientiæ tractabimus à scripturis & doctoribus sanctis.

In eodem capite in fine ait Apostolus: *Qui confirmat nos vobiscum in Christum, & qui unxit nos, Deus: qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Cùm ergo dicat Apostolus, quòd Deus signans nos dat pignus Spiritus, siue potiùs arrham Spiritus, velim cogitari ad quidnam illud detur nisi vt certus fiat homo & securus de fide dantis, qui etiam sua die verè exhibebit quod promisit. Qui autem pignus vel arrham accipit, si nescit se accepisse, quomodo certus erit promissionis? Et tamen arrha ob hoc ipsum accipitur, vt accipiens certus sit & securus promissionis à certitudine arrhæ iam acceptæ. Vnde hoc videns ipse Caietanus, ibidem in hunc modū scripsit: *Ecce tertium donum ab eodem Deo. Et sumitur Signauit, pro obsignauit, tanq̄ imprimendo sigillum. Et hoc ad firmitatis signum spectat. Apostolica gratia tum in uirtute miraculorū, tum in dono linguarum, tum in imitatione charitatis & patientiæ Christi, uelut sigillum erat in testimonium uerorum ministrorum Euangelij. Et dedit pignus etc. Ecce quartum donum, quo profitentur se habere certitudinē futuræ fœlicitatis æternæ, habēdo in proprijs cordibus spiritualē arrham. Arrha.n. tam spōsis, q̄ negotiatoribus datur in securitatem contractus. Certitudo ergo spei tanta diffusa est in eorū cordibus, ut cognoscant se habere arrhā Spiritussancti de æterna fœlicitate.* Hæc ille. Si igitur per arrham nascitur spei certitudo, quæ est futurorum bonorum, necesse est vt & ipsius arrhæ sit certitudo, & cognoscat homo (vt ait Caietanus) se illam habere arrham in corde suo. Alioqui quomodo per id quod est incertum certificari quidpiam possit? Quòd si arrham quis noscit se certò habere, oportet eundem etiam certò nosse se habere charitatem, quæ est arrha ipsa. Vide si quid potest fortius euincere certitudinem quam probamus.

Caietanus.

Sunt & pro hac veritate testimonia illius Dilecti discipuli, qui audet dicere: *Et scimus quia uerum est testimonium eius.* Ipse ergo in sua prima Epistola cap. 2. sic ait: *In hoc scimus quia cognoscimus eum, si mandata eius obseruamus. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit: mendax est, & in eo ueritas non est. Qui autem seruat uerbum eius, in hoc charitas Dei perfecta est. In hoc scimus quoniam in ipso sumus.* Hæc Dilectus. Quibus quid copiosius dici poterat, vt intelligamus quòd possumus certi esse nos esse in in Christo, & quòd ipse diligit nos? In hoc, inquit, scimus quòd cognoscimus eum, & q̄ in ipso sumus, si seruamus mādata eius. Non dicit, conijcimus: non dicit, opinamur: sed SCIMVS. Quod verbum, extra controuersiam, certitudinem importat. Si igitur hoc verum est, sicut oportet nos confiteri ob testimonium tanti Apostoli, quòd per obseruantiam mandatorū scimus nos esse in Christo, hoc nobis Spiritu testificāte, etiam illud absq; vlla dubitatione consequitur, scire nos posse an eius mandata obseruemus: quod tamen isti negant. Si enim scire non possumus an eius mandata seruemus, nec illud item scire possumus an simus in illo. Quemadmodum enim quòd sumus in illo, ex obseruantia mandatorum est: ita scientiam hanc quòd sumus in illo, de scientia illa quòd eius obseruamus mandata gigni oportet, quam Deus in nobis confirmat Spiritu suo. Vnde ipse idem confirmans ait: *Scimus quòd translati sumus de morte ad uitam.* Ecce certitudo adepta gratiæ. Et ne quis diceret hoc Dilectum ex reuelatione speciali sciuisse, adiecit subitò causam firmitatis notitiæ, dicens: *Quoniam diligimus fratres.* Vnde benè dixit B. Gregorius: *Probatio dilectionis, exhibitio est operis.* Neq; video quid hîc responderi possit, nisi per glossas quasdam synceritatem scripturarum destruentes. Dicunt enim quidam esse certitudinem non fidei, sed moralem. At Caietanus claritatem apostolicę sentētiæ videns, hunc locum tractando, sic ait: *Est sermo de notitia affectiua, quam efficit fides infusa, quæ per dilectionem operatur. Dicendo itaq;: Et in hoc scimus quòd cognouimus eum (proculdubio Deum lucem) perinde est ac si dixisset: Et in hoc scimus quod ambulamus in luce, si mandata eius obseruamus.* Hæc ille. Et paulò post: *Intendit siquidem Ioannes ad literam monstrare signum infallibile internæ lucis diuinæ in no-*

Caietanus.

bis esse, si mandata eius seruauerimus. Et propterea di-cit: *Et in hoc scimus, scientia experimentali.* Hæc Caietanus. Nota signum infallibile internę lucis diuinæ in nobis esse, & scientiam affecti uam ac experimentalem, quam tamen ait ex fide infusa oriri. Et rectè id quidem dicit: quoniam sic loquuntur passim scripturæ, vt ea nos scire dicant quæ magna fide tenemus.

Est & alius locus eiusdem Apostoli clarissimus, vbi ait: *Filioli, non diligamus uerbo neq; lingua, sed opere & ueritate. In hoc cognoscimus q ex ueritate sumus, et in cōspectu eius suadebimus corda nostra.* Nota verba candide ac prudens lector. Euidenter enim per hæc docemur, ex eo nos habere notitiam quòd sumus ex veritate, dum opere & veritate proximum diligimus. Ne autē existimes hanc notitiam nō esse certam, adiecit: *Et suadebimus corda nostra*, hoc est, vt Beatus Augustinus rectè exponit, suadebimus cordibus nostris in conspectu Dei. Quid est autem id quod suadebimus cordibus nostris in conspectu Dei, nisi quòd sumus in veritate, idest, in CHRISTO qui est veritas? Suadere autem nobisipsis in conspectu Dei quòd sumus in veritate, quid est aliud, nisi habere de hac re certissimam persuasionem ipso Deo præsente ac sua luce testificante? id quod alio modo dixit Apostolus Paulus vbi docet, Spiritum sanctum contestificari cum spiritu nostro quòd filii Dei sumus. Et tunc est quies animo, gaudium, & pax in Spiritu sancto: quæ nobis precabatur idem Apostolus. Est verò hæc notitia proculdubio à lumine fidei, in quo non potest subesse falsum. Quapropter Caietanus ea verba: *In hoc cognoscimus etc.* diligenter ita exponit: *Apparet quòd non de notitia euidentiæ, sed de notitia fidei dixit In hoc cognoscimus. Ex illa enim oritur ut suadeamus intimis nostris non ficte, non blandiendo, sed in conspectu Dei.* Hæc ille. Et elegans scholiastes dominus Ioannes Gagnæus insignis doctor ad eundem sensum declarauit his verbis: *Si non uerbo tantum & lingua, sed corde & opere fratres diligimus, persuasissimam & confidentem & securam reddemus conscientiam nostram coram Deo.* Hæc ille. Videant igitur qui aduersantur quo pacto suam incertitudinem defendāt contra tanta tamq; præclara lumina, & scripturarum testimonia. Sed attēdamus ad reliqua. Pergit.n. Dilectus & ait: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus accipiemus ab eo, quia mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita corā eo facimus.* Nota quid est quo creatur fiducia. Certè non illa inanis hæreticorum fides, sed conscientia pura: quæ sanè tunc pura est, quūm cor nostrum (legitimè tamen exploratum, vt suo loco dicemus) nos non reprehendit, idest, quūm synderesis non extimulat neq; damnat per conscientiam. Certa igitur fiducia surgit hoc ipso quòd cor nostrum non reprehēdit nos. Admiscet enim se illi, Apostolo teste, Spiritus contestificans de amore Sponsi. Et est tāta fiducia vt possimus oratione quęcunq; petierimus impetrare. Cuius ratio est, quia si cor nostrum nō reprehendit nos, certum est quòd custodimus mandata eius: & qui sic diligit Deum, diligetur ab eo: qui & insinuabit seipsum illi. Et ideò quęcunque petierit, impetrabit. Clara hæc sunt, nisi velimus torquere scripturas. Sed qui torquere voluerit intelligat quàm acerbè aliquando torquebitur ipse: & quod vult ignorare, perpetuò ignorabit.

Neq; dicat mihi quisq;, Potest homo esse peccator, & tamen non reprehendi à conscientia propria. Quis.n. poterit hoc coram Deo asserere, se in Deum peccasse, & intus nō fuisse reprehensum? Alioqui frustra hoc nobis signū declarasset Dilectus. Non ignoro, postq̄ callum obduxit conscientia, & obscuratum cor, & lumen illud quod in nobis effudit Deus factum est tenebræ, eò nos tandem perduci vt dicamus nonnunq̄ bonum malum, & malum bonum. Sed non peruenitur illuc repentè absq; medio peccati & cōscientia peccati & consuetudine peccandi ac voluntate spontanea, & libidine atq; delectatione absq; timore. Alioqui nunq̄ Deus subtraheret lumen suum quo cerni valeat quidnam bonum, quidue malum sit. Concludimus ergo, id quod ait Dilectus: *Et in hoc scimus quòd manet in nobis, ex spiritu quem dedit nobis*, non aliud esse quàm quod dixit B. Paulus, ipsum Spiritum internè iis q diligunt in veritate, testificari eos esse Altissimi filios: de cuius testimonio fide accepto qui negauerit venire certitudinem, profectò nescio quid huic valeat esse certum.

Additur & alius locus ex Apocalypsi B. Ioannis, vbi ait Dominus: *Vincenti dabo manna absconditum, & nomen nouum, quod nemo nouit nisi qui accipit.* Manna autem illud absq; dubio videtur esse quoddam gratiæ augmentum, in quo homo certior redditur diuinæ gratiæ & amicitię, quam cum Deo nanciscitur quicunq; superat tentationes, & hoc pacto quasi per ignem probatus elucet: vnde venit illa pax, de qua ait Propheta: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Illa est pax Dei, quam Apostolus testatur

Caietanus. Gagnæus. NOTA Ioan. 14. NOTA Rom. 8.

exuperare omnem sensum, siue omnem mentem: quam pacem Christus solus donat, & mundus dare non potest: cui attestatur mūdissima conscientia, ex qua claritas & certitudo redditur diuini doni. Quis ergo dicere ausit hominem hoc tanto donatum munere per victoriam tētationum, non cognoscere gratiam Dei in semetipso, cum & fide & experientia certò norit à semetipso nihil fieri potuisse? Profectò ista sunt prorsus inopinabilia. Verùm hunc locum disputator qui postremò scripsit, hoc pacto declinat, ꝙ manna illud non significat gratiam vel augmentum gratiæ, sed gloriam duntaxat, quod est premium victoriæ. At B. Thomas. 1. 2. q. 112. art. 5. de gratia illum locum exponit. Et reuera si vox illa MANNA consideretur more scripturæ, non potest aliud significare nisi quod de cœlo descendit & pluit in terras.

Nec dicat hìc mihi quisꝗ, hæc quidem signa esse & coniecturas assistentis gratiæ, non tales tamen quæ certum penitus hominē reddant: aut, hanc certitudinem, quæcunq; illa sit, imperfectam esse, vt ibidem ait B. Thomas. Nam & nos pariter fatemur hæc esse signa & coniecturas, sed quæ accedente superiore lumine non opinionem, sed fidem gignant, quæ habet certitudinem non euidentiæ, sed fidei: non venientis à lumine naturali solùm, sed à diuino, quod nunc (vt docet Apostolus) est imperfectū. Videmus.n. per speculum in ænigmate: & quùm venerit quod perfectum est, euacuabitur hoc imperfectum. Est.n. fides argumentum non apparentium. Argumentum autem hoc à posteriori est: vnde & coniecturam possemus dicere, cum videamus nunc per speculum in ænigmate, idest, non euidenter, sed obscurè. Quia tamen ab infallibili testimonio venit vera fides, iccircò certitudinem affert. Et fatemur in huiusmodi dispectione atq; discretione super obiecto non iam in Ecclesia constituto & firmo, posse esse deceptionē: quoniam pôtest quis credere se ex Deo habere, quod tamen non habet ab eo. Fateor hoc: nec inde sequitur, Si potest esse deceptio, ergo est deceptio: quoniam potest & hic assensus à fide procedere. Nec item sequitur, Ergo non potest esse vera certitudo in iis qui non decipiuntur. Quemadmodum quia in syllogizando ex principiis potest esse deceptio, non iccircò conuincitur esse in omnī syllogismo deceptionem, ita vt etiam rectè & scientificè syllogizans non possit certitudinem assequi rectè syllogizatę cōclusionis.

Occurrunt & aliæ plurimæ scripturarum cum veteris, tum noui testamenti sententiæ, quibus abundè probatur hæc gratiæ certitudo. Non citabo autem alium particularem locum, sed in primis integrum librum psalmorum, qui nihil aliud est quàm colloquium & oratio ad Deum, vbi multa dicuntur quæ certò significant certam orãtis & supplicantis notitiam suæ iustitiæ. Hęc sibi quotidie sumit Ecclesia orans. Quòd autem à nullo ea dici possint orando cum veritate, & in spiritu certitudinis de seipso, profectò durissimum est, & grãde pìudicium faciens fidei nostræ. Si quis illud nō sentit, satagat vt sentiat quando canit & sæpe repetit Deum exaudiuisse orationem suam, & deprecationem suscepisse. Alibi ait: *Iudica me secundum iustitiam meam*. Et: *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius*. Et: *Custodi animã meam, quoniam sanctus sum*. Et alia plura huiusmodi. Ne verò quis ad respondendum promptulus neget hæc loca ad vllum mortalium pertinere, B. Augustinus occurrit, qui passim declarat esse non solùm ipsius Christi, sed etiam sanctorum voces. Vnde verba illa: *Custodi me Domine, quoniam sanctus sum*, sic exponit: *Cùm audio sanctus sum, uocem Domini agnosco, & hic separo meam. Certe inseparabiliter à corpore suo loquitur cùm sic loquitur. Et audebo ego dicere, Quoniam sanctus sum? Si sanctus tanq; sanctificans, & nullo sanctificante indigens, superbus & mendax. Si autem sanctus sanctificatus, secundum id quod dictum est: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum: audeat & corpus Christi, audeat & unus ille homo clamans à finibus terræ cum Capite suo & sub Capite suo dicere, sanctus sum. Accepit.n. gratiam sanctitatis, gratiam baptismi & remissionis peccatorum. Et hæc quidem fuistis, ait Apostolus, sed abluti estis, sed sanctificati estis. Si ergo sanctificatos dicit, dicat & unusquisq; fidelium, sanctus sum. Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati. Si enim dixerit te sanctum esse ex te, superbus es. Rursus fidelis in Christo & membrum Christi si te non dixeris esse sanctū, ingratus es*. Et paulò post: *Etenim ex alio latere incipis iniuriam facere ipsi Domino nostro IESV Christo. Si enim Christiani omnes & fideles baptizati in illo, ipsum induerunt, sicut Apostolus dicit, Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Si membra sunt facti corporis eius, & dicunt se sanctos non esse, Capiti ipsi faciunt iniuriam, cuius membra sancta sunt. Iam uide ubi sis, & de capite tuo dignitatem cape. Etenim eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Fuistis aliquando, inquit, tenebræ: sed nunquid tenebræ remansistis? Ad hoc Illuminator uenit ut & tenebræ remaneretis, an ut in illo lux fieretis?* Hæc ille, doctè quidem ac sanctè ad rem propositam.

B. Augu. in psalmos.

NOTA

NOTA

Ephe. 5.

Vt autem

Vt autem fortius eam adhuc confirmem, assero insuper librum illum integrum Cãtici canticorum, vbi ferè à primo verbo vsq; ad postremum passim hæc certitudo nobis insinuatur. Loquitur.n. sponsa: *Osculetur me osculo oris sui*. Et: *Trahe me post te*. Et: *Introduxit me Rex in cellam suam*. Et: *Nigra sum, sed formosa*. Et: *Fulcite me malis, stipate me floribus, quia amore langueo*. Et: *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Hæc & alia huiusmodi multa, quæ absq; dubitatione cõgruunt animæ vehementer Deũ diligenti, haud quidem possent ei conuenire absq; amplissima certitudine suę gratię: pręsertim cum audiat versa vice sponsi vocem suauissimi erga se amoris plenissimam. Nullus hîc fingendi aut respondendi cuiquam, nisi admodũ ineptè, relinquitur locus.

ASSERTIO III.

Quòd nullus veterum Patrum repugnat certitudini præsentis gratiæ quam asserimus.

PROFECTO nobis erat in animo omittere plura quæ allata fuerũt aduersus hanc certitudinem quam probamus, eius esse generis illa existimantes, quæ hominem vel mediocriter instructum mouere nõ possent. At postquam illa etiam editis libris quidam attulerunt quasi contra nos militantia, cogimur ea in medium adducere, ac simul ostendere potius illorum opinionem, quàm sententiam nostram prorsus infringere.

Producunt ergo in primis B. Bernardũ in serm. 2. de verbis illis Dilecti: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo etc.* vbi hæc leguntur: *Quis verò scit hominum si est dignus amore vel odio? Quòd si (ut certum est) certitudo nobis omnino negatur, etc.* Hæc ille. Ecce, inquiunt, quod omnino certitudinem negat ille sanctus Abbas, quam vos defenditis. At si præcedentia & sequentia verba eius sancti Abbatis adduxissent, facilè declarabatur illum minime loqui de certitudine præsentis gratię, sed de ea quę est prædestinationis ac salutis. In hunc.n. modum scribit: *Quando enim sine testimonio electos suos deserat Deus? Aut certè quænam est esse poterat consolatio inter spem & metum sollicitudine anxia fluctuantibus, si nullum omnino electionis suæ habere testimonium mererentur? Nouit Dominus qui sunt eius: & solus ipse scit quos elegerit à principio. Quis verò scit hominum si est dignus amore vel odio? Quòd si (ut certum est) certitudo nobis omnino negatur, nunquid non tantò delectabiliora erunt, si qua fortè electionis huius signa possimus inuenire? Quam.n. requiem habere potest spiritus noster dum prædestinationis suæ nullum adhuc testimonium tenet?* Hæc ille. En vt manifestè totus ille sermo declarat de certitudine electionis & prædestinationis eum sensisse. Et mirum est quomodo ea quæ inferius pro certitudine præsentis gratiæ in eodẽ sermone tam planè asseruntur non animaduerterunt. Ait.n. *Seruus peccati est qui peccatum facit, ut si deinceps continere potuerit, & iugum abijcere miseræ seruitutis, certissimum sit testimonium redemptionis, quam operatur sine dubio sanguis Christi.* Et paulò post: *Sanè nouam superuenisse Spiritum certissimè conuersatio noua testatur.* Hęc ille. Nota verba. Non ait certum, sed certissimum testimonium. Non ait certè, sed certissimè testatur: vt agnoscas tantum abesse vt certitudinem quam defendimus neget, vt etiam pro ea magnificè, nomine superlatiuo vsus, contestetur, quò omnem penitus formidinem & hæsitationem tolleret.

Certitudinem prædestinationis negat D. Bernardus, nõ autem gratiæ præsentis.

NOTA

Non hîc addam q̃ frigidè aduersarii ad hæc respondeant, ne & mihi & lectori simul pariam tædium. Quis non perpendat quòd si B. Bernardus circa pręsentem gratiam negasset omnino certitudinem, quemadmodũ sonant superius citata verba de incertitudine prædestinationis, nunq̃ postmodo eam in eodem sermone tanto spiritu confirmasset?

Citarunt de eodem ex epistola cvii. vbi videtur similiter nobis huius rei certitudinem adimere. Quo in loco etiam falluntur mirificè: Ipse.n. postq̃ manifestissimè dixerat, ab homine pręsentem gratiam sentiri posse, quę tamen non erat perfecta notitia perfecti erga se diuini amoris; quia à percepta gratia non sequitur certò futura gloria: declarans hoc ipsum sic ait: *De qua tamen percepta fuimel ex parte notitia interim quidem glorietur in spe, nondum tamen in securitate.* Ac si apertius dixerit, tametsi quis sentiat in se pręsentem gratiam, nõ propterea habet suæ fęlicitatis notitiam, nisi ex parte pro præsenti tantum tempore. Et ideò non potest gloriari tanq̃ habeat perfectam fęlicitatem: sed gloriari potest in spe, nondum in re, quando erit securitas. Hoc est quod dixit: *Glorietur in spe.* Certe non potest

gloriari quiſq̄ in ſpe, niſi qui habet interim arrham, & ſe habere illam ſentit. Hæc eſt gratia ſiue charitas, qua tamen interim non eſt ſecurus de præmio: ſiquidem perſeueranti datur corona. Perſeuerantia autem adhuc manet in incerto, quamuis interim ſit in gratia. A negatione igitur ſecuritatis perperam concluditur præſentis gratiæ negatio, cum præſens gratia neminem faciat eſſe de fine ſecurum. Idem Abbas in eadem epiſtola longo ſermone manifeſtat quod dico. Nam de homine iuſtificato ſic ait: *Audit ſe uocari, cùm timore concutitur. Sentit & iuſtificari, cùm amore perfunditur: & de magnificatione diffidet?* Ponderentur, quæſo, verba. Sentit, inquit, ſe iuſtificari. Quomodo ergo quod ſentit non certò cognoſcat? Et multo poſt, de homine à vitiis ad virtutes conuerſo, quàm clarè & quàm magnificis verbis teſtatur illum habere Spiritum teſtificantem ſibi quòd eſt filius Dei, ita vt dicat iuſtificationem eſſe ipſam teſtificationem.

D. Bernardi uerba diligenter notanda.

Habes (ait) o homo huius arcani indicem Spiritum iuſtificantem, eúq; ipſo teſtificantem ſpiritui tuo quòd filius Dei et ipſe ſis. Et poſt pauca. *Nemo itaq; ſe amari diffidat qui iam amat. Libenter Dei amor noſtrum quem præuenit ſubſequitur. Nam quomodo redamare pigebit quos amauit et necdum amantes? Amauit inq̄, amauit. Habes.n.dilectionis pignus Spiritum: habes & teſtem fidelem IESVM, & hunc crucifixum. O geminum, ipſumq; firmiſſimum Dei erga nos amoris argumentum; Chriſtus moritur, meretur amari: Spiritus afficit & facit amari. Ille facit cur ametur: iſte ut ametur. Ille ſuam multam dilectionem in nobis commendat: iſte & dat. In illo cernimus quod amemus: ab iſto ſumimus unde amemus. Charitatis igitur ab illo occaſio: ex iſto affectio.* Hęc ille. Quid his verbis fortius ad certitudinem quam prædicamus ſtatuendam? Qui enim Dei geminum ac firmiſsimum teſtimoniũ habet, quomodo poterit (niſi perfidus ſit) dubitare?

Fortè dicent aliqui: Ecce ipſe B. Bernardus argumentum vocat; ergo non eſt fidei certitudo. Quaſi verò & Apoſtolus nõ declaret, fidem eſſe argumentum rerum non apparentium. Et quid eſt quod ait, firmiſsimum argumentum? Nunquid quod firmiſſimum eſt, infirmabitur per iſtorum cõmenta? Nec tamen nos ſtatuimus certitudinem abſolutæ euidentiæ, ſed eam quæ eſt ex fide aſſerimus. Hoc quia nõ intelligunt quidam, conturbantur dum audiunt nos dicere certò ſciri. Non autem ita turbarentur ſi diceremus certò credi: neſcientes ꝙ quę certò credimus, ea etiam ſcire dicimur in ſcripturis vt eſt apud B. Ioannem in Euangelio, & paſsim in epiſtolis: & hoc quia fides noſtra habet certitudinem. Alii verò dixere, D. Bernardum ibi conſtituere non fidei certitudinem, ſed eam quæ habetur à reuelatione: non attendentes ꝙ reuelatio de qua ibi B. Bernardus, non ſpecialis erat, de qua ipſi intelligũt: ſed ordinaria, & de lege communi, quam fides iuſtorum ſuſcipit. Quare tanq̄ ſpiritu præuidiſſet hanc fugam, ibidem ſic dixit: *Iuſtus autem quis eſt, niſi qui amanti ſe Deo uicem rependit amoris? Quod non fit niſi reuelante ſpiritu per fidem: quæ ſanè reuelatio non eſt aliud quàm infuſio gratiæ ſpiritualis, per quam, dum facta carnis mortificantur, homo ad regnum præparatur, quod caro & ſanguis non poſſident: ſimul accipiens in uno ſpiritu & unde ſe præſumat amatum, & unde redamet, ne gratis amatus ſit.* Hæc ille, & alia plura pro hac veritate, quæ miror, imò obſtupeſco vel non flectere intelligentes, vel latere poſſe legẽtes.

Tertius locus citatus eſt ex Epiſtola eiuſdem S. Abbatis xlii. vbi ait: *Prauum eſt cor hominis & imperſcrutabile, ita ut nemo ſciat quæ ſunt in homine, niſi ſpiritus hominis qui in eo eſt. Sed nec ipſe plenè. Nam cùm Apoſtolus diceret: Mihi pro minimo eſt ut à uobis iudicer, aut ab humano die, adiecit: ſed nec ego meipſum iudico. Quare? Quoniam non poſſum, ait, ratam uel ipſe de me proferre ſententiam. Ego .n. nihil mihi conſcius ſum, non tamen in hoc iuſtificatus ſum. Non ex toto credo me uel ipſi conſcientiæ meæ, quippe cum ne ipſa quidem queat me cõprehendere totum.* Hæc ille. Ecce, inquiunt, quomodo Apoſtolus non erat certus de corde ſuo, iuxta D. Bernardi doctrinam: nec ex toto credebat conſcientiæ ſuæ, cùm nemo poſſit eam cõprehendere. Attendatur primò hîc fallacia conſequentis manifeſta, quę eſt, A negatione vnius cauſæ negare effectum qui ab aliis cauſis poteſt produci. Nam & ſi demus à notitia ſuæ conſcientię nòn poſſe quenq̄ cognoſcere gratiam ſuam (quod tamen nõ damus, quia repugnat ſcripturis & ſanctis patribus, ſicut iam diximus, & ſuo loco amplius dicturi ſumus) minime tamen ſequitur, aliis modis cognoſci non poſſe: puta à virtute ſacramẽtorum, ab excellentia operum charitatis & eius efficacia. Deinde cognoſcat vigilans lector, B. Bernardum non negare poſſe ſciri præſentiam gratiæ à vi mundæ conſcientiæ, ſed ſolum non poſſe hominem ex toto cognoſcere ſemetipſum, ac propterea non ex toto iudicare, idq; ob minutula quædam latentia peccata & naturale vitium immanẽs, quæ gratiam & iuſtitiam minime tollunt. Vnde in ipſamet Epiſtola paulò ſuperius ſic ait: *Beati qui in ueritate dicere poſſunt: Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Non poteſt dicere niſi humilis, qui (iuxta uulgare) & oculos campi*

metuere, & syluarum aures soleat habere suspectas. Hactenus expendamus quod ait: Humilis potest dicere: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ: & qui potest hoc dicere, beatus est. Sed nemo beatus qui non est verè mundus corde. Qui ergo hoc dicit, se mundum corde esse per inhabitãtem fidei & gratiæ spiritum cognouit. Quapropter S. Abbas in eadem epistola ita magnificat testimonium conscientiæ, vt clarè dicat hominem qui post pęnitentiam peccatorum etiam postmodo ab eis se abstineat, vtriusq; virtutis bene conscium, securè posse iam seipsum deserere & quodammodo perdere, vt alios lucrifaciat. Et de humilitate inquit: *Bona humilitas, quæ & in præsentiarum ab huiusmodi mordacibus curis mentem facit esse quietam, & à minacibus pœnis in futuro securam reddit conscientiam.* Ecce igitur quàm manifestè redditur probatum, D. Bernardum non solùm non oppugnare nostram sententiam, sed contrariam opinionem potius refellere, penitúsq; destruere vel in ipsis locis in quibus tamen nitũtur ipsi aduersarii. Quid igitur erit in aliis multis, vbi penitus ab hoc sancto viro confodiuntur? Id in sequenti Assertione patebit.

B. Hieronymus.

Instant & ex D. Hieronymo super Micheam, vbi verba illa: *Dominus quærit à te utiq; facere iudicium; et solicitum ambulare cum Deo tuo etc.* Sic interpretatur: *Præcipitur ut parati simus ambulare cum Domino Deo nostro: nulla hora dormire, nullo tempore securi esse debemus, sed semper expectare patremfamilias uenientem, & diem formidare Iudicij, & in nocte huius seculi dicere: Ego dormio, & cor meum uigilat.* Hæc ille. Ecce, inquiunt, nullo tempore securi esse debemus. At hoc est quod præcipitur præsertim iustis & suam iustitiam non ignorantibus quò adhuc amplius iustificentur: ne in sua iustitia securi, ab illa excidant vel ipsa securitate dormiendo & nõ ambulando cum Deo suo. Securus.n. is dicitur qui tranquillus est, non amplius cogitans de periculo, quasi seorsum à cura: id quod prohibet scriptura. Et reuera hic locus egregiè in illos militat. Nam qui in nocte huius seculi dicere potest: *Ego dormio, & cor meum uigilat*, certus est suæ gratiæ, iuxta ipsius B. Hieronymi sensum. Dormire quippe in nocte huius seculi, quid est aliud quàm non curare temporalia? Vigilare autẽ corde est satagere pro futura gloria: quod iustorum proprium est, iuxta Domini præceptum aientis: *Vigilate similes expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptijs.*

Producunt rursus eundẽ super illud Ioelis cap. 3. *Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus? ideo*, inquit B. Hieronymus, *ambiguum ponitur & incertum, ut dum homines sunt dubij de salute, fortius agant pœnitentiam, & magis ad misericordiam prouocent Deum.* Quis autẽ ex hoc loco queat elicere regularem propriç iustitiæ incertitudinem, cum de magnis peccatoribus apertè loquatur, quibus erat dubia etiam facultas pęnitentiæ? Nec tamen ibi dicitur, post actam dignam pęnitentiã manere adhuc incertitudinem illam: quin potius contrà docet ipsa historia.

Produxit præterea quidam B. Augustinum tanq̃ aduersum nos pronunciantem & ait: *Neque minus apertè à uobis stat fortissimus ille hæreticorum malleus Augustinus. Passim quidem is asserit neminem in hac uita posse se certò asseuerare esse iustũ. Et quod magis urget, lib. 1. de pecc. meritis & remiss. cap. 9. & 10. manifestè affirmat, occultissimam esse gratiæ spiritalis communicationem & remissionem peccatorum: neq; esse quippiam tam occultum, neq; tam incertũ.* Hæc ille. Nos autem respondemus, nedum non passim, sed nullo in loco asserere illum Doctorem, q nemo in hac vita queat asseuerare se esse iustũ: cũ alibi ipse eum qui baptismum suscepit hortetur vt dicat: Custodi animam meam, quoniam sanctus sum. Qui.n. potest se sanctum dicere, cur non itẽ iustum? nisi fortè sit sanctitas absq; iustitia. Hoc autem est quod ait passim B. Augustinus, Neminem natura esse iustum, sed gratia. Et neminem tanta pollere gratia vt viuat omninò absq; vllo peccato, tametsi absq; crimine. Et quicũque talis fuerit, eum vetat posse gloriari quasi non acceperit, aut quasi sit perfecta iustitia: quam si cum rigore expenderet Dominus, nullus esse posset in iudicio tutus. Oportet ergo semper hominem quantũuis iustum et sanctum imperfectionem suæ iustitiæ recognoscere & coram Deo fateri. Nam hoc perfectorum est proprium, agnoscerè scilicet & confiteri imperfectiones suas: quicquid verò iustitię habent, pręedicare donum Dei esse, & cum Apostolo dicere: Gratia Dei sum id quod sum. Hæc est passim B. Augustini doctrina, quam & nos vltrò prædicamus, quia à nobis stat. Quod verò ille bonus pater addit, Beatum Augustinum in citato loco affirmare occultissimam esse gratię spiritualis communicationẽ & inspirationẽ, nihil penitus aduersum nos facit: nam ibi de ipsius rei natura est sermo. Donum enim illud gratię est ex se nobis occultum, & eius infusio seu inspiratio occulta: quoniam & habitus est supernaturalis, & insensibiliter infunditur, ita vt sola fide apprehendatur, nõ sensu. Et hoc nos docebat Apostolus aiens:

B. Augustini doctrina.

Quæ sunt Dei, nemo nouit nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Ecce q̃ plane exponitur eius doni natura, quod non potest nisi Dei spiritu cognosci. Hoc ipsum ille gloriosus doctor tradidit, nisi velit quis proteruire.

Illud verò quod adiecit de remissione peccatorum quasi dictum ibi à B. Augustino, & quod addidit, Neque esse quidpiam tam occultum & tam incertum: ille pater de suo attexuit. De his.n.apud B. Augustinum ibi nullum verbum penitus. Quare & nos grauamur & lector, quum sic minus fideliter citantur autores.

Verùm instat disputator adhuc, quoniam idem Doctor super psal. 50. interpretans illũ versiculum: *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*: de remissione peccati exponit, vt nihil sit occultius atq; incertius quicquam. Quo in loco prouoco primùm ad pium lectorem vt meminerit Apostolici symboli, vbi inter primarios fidei nostræ articulos remissio peccatorum annumeratur. Et isti volunt nihil esse nobis illa occultius neq; incertius. Respondebunt fortasse, In genere quidem & in vniuerso certã esse: at in particulari in illo vel in illo esse occultam. Ego verò mitto quod possem respondere, malè scilicet persuaderi certitudinem vniuersaliter, si in nullo particulari queat ostendi. Illud nunc meo iure ab his viris exigo, vt secum saltem
NOTA consentent. Nam cum nobis iam dederint, certum hominem esse posse suæ gratię, atq; ita certum vt nullus sit locus dubitationi aut formidini: quo pacto nunc autoritate tanti viri moliuntur euincere tantam huius rei incertitudinem vt nihil sit illa incertius? Quod.n. ita est incertum vt nihil sit eo incertius, profectò neq; coniecturam vllam, neq; probabilitatem, nedum certitudinem, quam isti tamen confitentur, admittit. O lux veritatis, q̃ sæpenumero iis absconderis qui te non vbi es, sed vbi illi te esse volunt, sibi præstituunt.

Nunc pro intelligentia verborum B. Augustini recolat lector quod iam dixi, esse peccata adeò insignia, quæ vel sui atrocitate ac malitia, vel quia securè mente pessima & malignissima absq; vllo Dei timore patrãtur, nullã ex se misericordiam Dei merentur. De his ergo loquitur D. Augustinus, quorum anteq̃ appareat pœnitentia & contritio, incerta est remissio & diuinum beneplacitum miserendi. Tunc ergo est incertitudo hæc, quando nondum humiliatio, nondum contritio excitatur, nondum lacrymosa confessio, nõdum sacerdotis absolutio, nondum fructus pœnitentiæ apparent. Alioqui post hęc omnia transacta asserere adhuc esse occultissimã & incertissimam remissionem peccatorum vt nihil sit incertius vel occultius, pace omniũ dixerim, non solùm est falsum, sed perniciosum, sed hęreticum dogma, vtpote contra illum articulum remissionis peccatorum, & derogans virtuti sacramentorum, & sanguini Domini nostri IESV Christi, & ad nihil aliud valens, q̃ ad illaqueandas infirmorum & simplicium conscientias. Et nisi calori disputationis quo solent accendi contradicentium animi, id ascriberem, longe duriore obiurgatione rem tantam prosequerer.

Quòd aũt is quem exposui sit illius gloriosi doctoris sensus, patet primùm ex eo peccato cuius facta est Dauidi remissio, cum tam insigne fuisset adulterium simul & homicidiũ excogitatum viri optimi ac fidelissimi. Verè poterat ille Rex tantis donis honoratus ac sublimatus, tam ingratus Deo, habere incertam miserationem diuinam. Patet idem ab exemplo de Niniuitis, quorum iam completę erãt iniquitates, & iam euersio ciuitatis decreta. Deniq; patet ex verbis ipsiusmet doctoris, quibus quid senserit declarauit, nempe his: *Sed quia magna peccata erant Niniuitarum, dixerunt, Quis nouit? Hoc incertum patefecerat Deus seruo suo Dauid, etc.* En vt manifestè seipsum declarat, à magnitudine scelerum incertam reddi remissionem. Ob hoc dictum fuit Simoni mago à B. Petro: *Pœnitentiam age, et roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Et Daniel Nabuchodonosori iuxta editionẽ nostram: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum: forsitan ignoscet Deus delictis tuis.* Alioqui dum hominum peccata sunt vulgaria, patet misericordia Dei supra modum, sicut iam diximus. Stat.n.ille ad ostium & pulsat, cuius miserationes sunt su- Apocalyp. 3.
per omnia opera eius. Et ipse miris & multis Psalm. 144.
modis clamat: *Conuertimini, et agite pœnitentiam ab* Ezech. 18.
omnibus iniquitatibus uestris, et nõ erit nobis in ruinã iniquitas. Proiicite à uobis omnes præuaricationes uestras in quibus præuaricati estis, et facite uobis cor nouum et spiritum nouũ. Et quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortem morientis dicit Dominus Deus. Reuertimini et uiuite. Sed volumen iustum conficerem, si verba Domini per prophetas suos enunciata recensere velim, quibus Dei misericordia propensissima offertur peccatoribus.

Illud obiter gratia lectoris qui paulò circũspectior fuerit, animaduertendũ adiicio, vtrũ satisfaciat B. Augustini expositio ad illum locum. Mihi quidem, vt verum fatear, longe

magis placet D. Chrysostomi interpretatio. Et certè ad verba illa psalmi: *Incerta & occulta sapientiæ tuæ*, satis frigidè talis sensus aptatur. Lõge melius meo iudicio B. Gregorius, qui locum illum ita exponit, vt mirificè aduersarii confutentur. Proponit ergo primùm verba psalmi: *Incerta et occulta etc.* tum ait: *Equidem ante aduentum Christi incertum fuit si grauiter lapsi possint habere ueniam: & peccatorum remissio complures latuit: sed Dauid qui Redemptorem mundi ut peccata tolleret futurum præuiderat, de peccatorum indulgentia non dubitabat etc.* Et tandem inquit: *Hæc sunt incerta & occulta diuinæ dispositionis consilia omnibus gentibus per Dei sapientiam reuelata. An non Niniuitis incerta erant, qui pœnitentiam agentes, super prædicatione Ionæ hæsitando dicebant, Qui scit si conuertatur & ignoscat Deus?* Hæc D. Gregorius: ex quibus patet, eam incertitudinem quam isti prædicant, meritò explodi tempore gratiæ quum redemptio & propitiatio nostra apud Patrem agnoscitur.

Erat mei consilii pleraq; eorum quæ aduersus nos ex illorum commentis produximus, præterire, ne me & lectorem simul nimio fastidio, vt iam antea dixi, ac tędio afficerem, præsertim cum in subsequenti assertione satis superq; satis de Patrum doctrina patebit; quæ in illos ita militabit, vt nullus eis relinquatur fugæ aut tergiuersationi locus. Sed propter ingenio tardiusculos, & q̃a in refellendis huiusmodi argutiis nonnunq̃ lectu & scitu digna indicantur: illud interim vigilans lector attendat (& inde poterit penè omnes cauillationes istorum retundere) A

NOTA securitate quam sancti Doctores negant esse posse in via, non sequi incertitudinem præsentis gratię. Nam qui præsentem gratiam sentiunt, non propterea sunt securi de gloria, cum possint ab ea excidere. Ob eam caus-

Rom. 11. sam dictum est ab Apostolo: *Tu fide stas, no-*

1. Cor. 10. *li altum sapere, sed time etc.* Et: *Vide ne cadas.* Illud quoq; considerãdum, etsi sancti Patres

Nota dicant non posse hominẽ penitus intima sui cordis penetrare, non inde sequi vt scire non possit quæ actu cogitet & quæ velit, & vtrum quid concupiscat cõtra legem Dei, & vtrum cõtrito & humiliato sit corde: quæ satis sunt ad notitiam superuenientis Spiritus & gratię.

Daniel. 3. Alioqui qua fronte orantes illi tres pueri rogassent suscipi orationes suas factas in animo contrito, & spiritu humilitatis? qua oratione in sanctissimo altaris sacrificio omnes sacerdotes vtuntur.

Non est omittendum quod idẽ Reuerendus pater ex B. Gregorio contra positionem nostram adduxit. Ille.n. cuidam Cubiculariæ Augustæ, quæ ab eo postulauerat vt ex reuelatione significaret, Vtrum sibi essent dimissa peccata, his verbis respondit: *Rem difficilem etiam & inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum cui reuelatio fieri debeat. Inutilem* B. Gregorius in Reg. lib. 6. *uerò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi* epistola 22. *cùm iam in die uitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime ualebis. Quæ dies, quousque ueniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare. Certè Paulus Apostolus iam ad tertium cœlum ascenderat: in paradisum quoq; ductus fuerat, arcana uerba audiuerat, quæ homini loqui non liceret: & tamen adhuc trepidans dicebat: Castigo corpus meum, & seruituti subijcio, ne forte alijs prædicans; ipse reprobus efficiar. Adhuc timet qui iam ad cœlum ducitur, et iam timere non uult qui adhuc in terra conuersatur? Perpende dulcissima filia, quia mater negligentiæ solet esse securitas: Habere ergo in hac uita non debes securitatem per quam negligens reddaris. Scriptum est.n. Beatus uir qui semper est pauidus; Et rursus scriptum est: Seruite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. In pauco ergo huius uitæ tempore mentem uestram necesse est ut tremor teneat, quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodum exultes.* Hæc ille. Vnde contra nos illud primum colligi videtur, neminem posse in tota vita esse securum sibi esse dimissa peccata, cum iubeamur omnes metuere vltimum illum diem, qui debet omnibus esse suspectus, & semper trepidi metuere culpas & assiduis lauare lacrymis. At hoc non esset si possemus certi esse de gratia, per quam proculdubio culpa remittitur. Tu verò acute lector animaduerte, vt illius sapientissimi doctoris prudentiam simul ac doctrinam intelligas. Scripserat ad B. illum Pontificem mulier in Imperatoris curia Augustæ cubicularia, quæ (vt tenor literarum videbatur porrigere) magna peccatrix fuerat. Sed quia recens illam cęperat pęnitere, quasi esset altera Magdalena optabat oraculum, & postulabat curiosè à sanctissimo viro vt impetraret à Deo reuelationem, an essent sibi dimissa peccata. Cui Pontifex rem & difficilem illam postulasse & inutilem respondit. Probat autem inutilem, q̃a non intererat eius fieri securam de peccatis, nisi tum demum cum in extremo constitutis vlterius flere non datur. Quoniam verò re- *Remissio peccatorũ duplex* missio peccatorum est duplex, prima qua remittitur offensa tantum, altera qua etiam pęna: non hìc intelligendum est de remissione offensæ solùm, sed etiam pęnæ: quæ remissio fit satisfatione per lacrymas, orationes, ieiunia & eleemosynas. Non interest autem in diebus pęnitentię vt imperfecta anima sciat perfectam remissionem pęnatum,

ne veluti prorsus secura ab opibus satisfactionis quiescat: quod est eorum proprium, qui adhuc perfectam charitatem non habent, sed eum timorem qui pœnam habet. Talis erat ea mulier, vt ex ipsius D. Gregorii verbis apparet. Volebat.n. secura fieri de pœnis, vt cessaret ab operis satisfactionis, & expulso timore pœnarum ociosior fieret, ac minus timeret offensam quàm par esset. Itaq; hanc ad peccandum dispositionem ab illa amouere volebat sapientissimus Pontifex. Quòd aũt de perfecta remissione esset sermo, inde patet, quoniam ad exemplum Magdalenæ volebat audire, Dimissa sunt tibi peccata: quod certè de perfecta remissione intelligebatur. Quòd item non vellet eam dubitare de remissione offensæ seu culpæ, sed solùm ne cessatione pœnitentiæ in alia peccata prolaberetur, illud est argumento, quòd exemplo B. Pauli illam hortatur ad sui corporis castigationem. Certum est enim Beatum Paulum non castigasse corpus suum propter antiqua peccata, quæ certò sciebat deleta esse penitus baptismo, sed ne caro lasciuiens ad noua pertraheret, vnde reprobus fieret. Propterea & timorem suadet, qui est de futuro, & adiecit scripturam: Beatus homo qui semper est pauidus. Et: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quę pręcepta proculdubiò ad eos pertinent, qui iam sunt iusti. Nam reuera non beatificatur homo qui semper pauet & dubitat de remissione peccatorũ, sed is qui veretur omnia opera sua, ne quid in eis insit quod displiceat Deo in cursu vitæ huius laboriosæ: quod propriè est iustorum. Et hoc est seruire Domino in timore, & exultare ei cum tremore. Nam qui dubitat, hæret, & pœnam habet, & nõ exultat. Et verè mirum est quàm in vniuersa disputatione sua non sibi constent aduersarii. Modo enim volunt hominem esse dubium & timentem ac pauidum ne fortè peccata sibi non sint dimissa: Modo concedunt iustos meritò posse absq; dubitatione esse de hoc & securos & pacatos & absq; formidine: ita vt quicquid dicant, contra seipsos dicant tandem: quia contradictoria dicunt.

Illud insuper mirandum est, quomodo ii qui de superiore epistola D. Gregorium contra nos producunt, non eundem pariter cõ-
B. Gregorius in Reg. lib. 6. epistola 23. tra se adducant in epistola sequenti, vbi ad personam, quæ dignos iam fructus egerat pœnitentiæ, sic ait: *Duo sunt compunctionis genera, sicut scitis. Vnum quod æternas pœnas metuit: aliud quod cœlestibus præmiis suspirat: quia Deum sitiens anima, prius timore compungitur, post amorę. Ante.n. semetipsam in lacrymis afficit: quia dum malorum suorum recolit, pro his perpeti supplicia æterna pertimescit. At uerò cum longa mœroris anxietate fuerit formido cõsumpta, quædam iam de præsumptione ueniæ securitas nascitur, & in amore cœlestium gaudiorum animus inflammatur. Et qui prius flebat antequã duceretur ad supplicium, postmodum flere amarissimè incipit quia differtur à regno. Contemplatur etenim mens qui sint illi Angelorum chori, quæ ipsa societas beatorum spirituum, quæ uisio internæ charitatis Dei: & amplius plangit quia à bonis perennibus deest, quàm flebat prius cum mala æterna metuebat: sic'q; fit ut perfecta compunctio formidinis trahat animam ad compunctionem dilectionis.*

Hæc ille: vbi planissimè se declarat, & (quod sæpius probat) confirmat ab homine faciente iustitiam auferri prorsus pœnarum metum, quia perfecta charitas foras mittit timorem, & formidinem consumit. Neq; metuit lucem (vt ait Dominus) sed venit ad lucem vt manifestentur opera sua, quia in Deo sunt facta. *Ioan. 3.* Et hic est qui semper est pauidus, nõ iam metuens pœnam, sed offensam. Nec propterea se facit securum dum est in via, quandoquidem quid sit cras futurum nescit. Talis enim securitas cum superba sit & stulta, facilè hominem ad casum ducit. Vnde ipse B. Gregorius super Iob verè dixit: *Sæpe mens dum de uirtutis suæ securitate resoluitur, insidiante aduersario inopinatæ culpæ telo perforatur.* Quapropter oportet semper timere timore illo sancto, qui permanet in seculum seculi, & non diffidere de bonitate Dei, qui omni ingemiscenti pronus est ad parcendum. Vide igitur prudens lector sanctissimi Pastoris prudentiã, & quàm salutari discretione aliter admoneat recenter à peccatis surgentem, aliter eos qui iam digna pœnitentię opera perfecerunt.

✣ ✣
✣

ASSERTIO IIII.

Innumera esse sanctorum Patrum testimonia pro hac certitudine gratiæ quam defendimus uenientem ex fide.

TOT SVNT PATRVM sanctorum sententiæ, etiam præter eas quas superius obiter recitauimus pro nostro dogmate, vt mirer quomodo præterire multos potuerint: præsertim cum tales sint vt videantur ad destruẽdas omnes aduersantium vel calumniosas obiectio-

nes, vel ineptas tergiuersationes de industria compositæ. Primum autem à nostris, hoc est, à latinis incipiam.

B. Ambrosius. B. Ambrosius in serm. 2. de fermento, postq̃ exposuit fermentum illud de quo Dominus in parabola, esse ipsum Dominum, adiecit: *Quisquis illi fermento adhæserit, efficitur et ipse fermentum, tam sibi utilis, quàm idoneus uniuersis, & de sua certus salute, & de aliorum acquisitione securus.* Hęc ille. Vsus est verbo SALVTIS, proculdubio ad id aspiciens quod habemus interim dum sumus in spe: Spe.n. salui facti sumus. Quid hic dicent qui negant certitudinem, quam citra vllam dubitationem tantus doctor affirmat? Pleraq; alia ex hoc autore grauissima testimonia possem producere: sed quia iam superius nonnulla adducta sunt, & inferius adducentur, volo hoc solum interim satis esse, quo nescio quid clarius dici posit.

B. Augu. Est verò D. Augustinus, qui in locis innumeris ita potenter probat positionem nostrã, vt iustum volumen ex omnibus simul collectis possemus conficere. Quare nunc de multis aliqua excerpemus. Tractans acutissimus ille doctor illud psalmi: *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis*, sic exponit: *Quid est in cubilibus suis? In cordibus suis. Audi Apostolum Paulum exultantem in cubili suo. Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Rursum timendum est ne quisquam apud seipsum fiat sibi placens, & quasi de conscientia sua superbus glorietur. Debet enim quisq; cum tremore exultare; quia donum Dei est unde exultat, non meritum suum. Etenim sunt multi sibi placentes, & iustos se esse arbitrantes, et procedit aduersus illos alia pagina dicens: Quis gloriabitur castum se habere cor? Aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Est ergo quidam modus gloriandi in conscientia, ut noueris fidẽ tuam esse synceram, ut noueris spem tuam esse certam, noueris charitatem tuam esse sine simulatione. Sed quoniam multa sunt adhuc, quæ possunt fortè offendere oculos Dei, lauda eum qui tibi ista donauit, tunc perficiet quod donauit. Propterea cum dixisset: In cubilibus suis, ne quasi sibi placentes uiderentur, adiunxit statim: Exultationes Dei in faucibus eorum. Sic lætabuntur in cubilibus suis ut non sibi tribuant quod boni sunt, sed illi tribuant à quo acceperunt quod sunt, à quo uocantur ut perueniant ad quod nondum sunt, & à quo sperant perfectionem, cui gratias agunt quòd inchoauit.* Hęc ille. Quibus non video quid clarius dici posit ad probandum quòd possumus certificari non solùm de fide nostra syncera, verum etiam de spe certa, & charitate non simulata. At hoc est quod defendimus.

NOTA

Addo item eũdem Patrem nobis attestantem, & ita attestantem vt obstruat penitus os aduersariorum. Verba eius sunt hæc: *Si quis spiritum Christi non habet, non se fallat, hic non est eius. Ecce adiuuante ipsius misericordia spiritum Christi habemus, & ipsa delectatione iustitiæ, integra fide, catholica fide, spiritum Dei in nobis esse cognoscimus.* In serm. 6. de uerbis Apostoli propè finem.

Nota verba lector, integra fide, catholica fide. Sileant ergo qui tanta promptitudine negant esse fidei certitudinem, aut nõ mereri nomen fidei, aut esse fidem moralem vel humanam, quam non dicerent esse integrã, ac multo minus catholicam. Vocauit autem hoc in loco catholicam fidẽ acutissimus Doctor, non ꝙ obiectum sit catholicum, sed ꝙ ab his quæ catholicæ fidei sunt, educatur. Nota diligẽter

Ipse idẽ Doctor tractatu 75. in Ioan. super illis verbis: *In illo die uos cognoscetis etc.* sic tandem ait: *Tunc erit ut possimus uidere quod credimus. Nam & nunc est in nobis, & nos in illo: sed hoc nunc credimus, tunc etiam cognoscemus: quãuis et nunc credendo nouerimus, sed tunc contemplando noscemus. Quandiu.n. sumus in corpore corruptibili quod aggrauat animam, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, non per speciem.* Ecce q̃ clarè fidei notitiam explicat, qua noscimus Deum in nobis & nos in illo: & eius fidei, de qua Apostolus inquit ꝙ per eam ambulamus in patriam. At hæc vera fides est & diuina, non humana aut moralis, quæ sit alia quàm fides vera sicut isti volunt.

Iterum in lib. xiii. de Trinitate, de hac fide loquens, ait: *Fidẽ ipsam uidet quisq; in corde suo esse si credit, uel non esse si non credit.* Et quidem de integra fide loquebatur, quę habet comitem charitatem. De ea enim sancti Patres intelligunt, quùm simpliciter de fide loquuntur. Nam & ipsemet de charitate sic ait: *Qui diligit fratrem, magis nouit dilectionem qua diligit, quàm fratrem quem diligit.* Neq; hic oportet dictum restringere ad actum dilectionis quo ad substantiam facti tantum, vt quidam volunt. Nam de dilectione quam Dominus præcipiebat loquebatur manifestè, quę est actus proprius productus à gratia. Mitto alia ex diuitiis tanti viri testimonia: si enim non satis ea sint quę iam citauimus, nihil quod vlterius adderem sufficeret: quanquam superius alia produximus, & inferius producemus.

Accedit B. Gregorius, qui item locis innumeris hoc nobis probat. In principio.n. B.Gregorius. sui Dialogi sic ait: *Mens quæ diuino spiritu impletur, habet euidentissima signa sua, uirtutes scilicet & humilitatem: quæ si utraq; perfectè in una mente conueniunt, liquet quòd de præsentia sancti Spiritus testimonium ferant.* Quid his verbis abundius? Siquidem res quę ab euidentissimis signis deprehenditur, certò deprehenditur. Nam si ab eis non

certò deprehenditur, euidentissima signa non sunt.

Idem gloriosus pontifex passim in suis moralibus huic attestatur veritati. Quapropter lib. 31. cap. 23. in hunc modum scribit: *Iustus quasi leo confidens absq; terrore erit. In occursu bestiarum ideo Leo non trepidat, quia praeualere se omnibus non ignorat. Vnde iusti uiri securitas Leoni cōparatur, qa contra se cum quoslibet insurgere conspicit, ad mentis suae confidentiam redit, & scit quia cunctos aduersantes superat: quia illum solum diligit, quem inuitus nullo modo amittat.* Haec ibi: & in eodem libro talia multis locis. Idem in homilia super Ioannem, sic ait: *Qui uerè Deum diligit & eius mandata custodit, in eius corde Dominus uenit, & mansionem facit: quia sic eum diuinitatis amore penetrat, ut ab hoc amore tentationis tempore non recedat. Ille ergo uerè amat, cuius mentem delectatio praua ex consensu non superat. Nam tanto quisq; à superno amore disiungitur, quāto inferius delectatur. Vnde & adhuc subditur: Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Ad uosmetipsos ergo fratres charissimi introrsus redite. Si Deum uerè amatis exquirite: nec tamen sibi aliquis credat quicquid sibi animus sine operis attestatione responderit. De dilectione conditoris lingua, mens, & uita requiratur. Nunq; est Dei amor otiosus: operatur enim magna si est. Si uero operari renuit, non est.* Haec ille. Vnde satis superq; colligere potest non somniculosus lector, hominem non solum certiorem reddi posse de amore, quo verè erga Deum afficitur, sed & hoc ipsum debere à semetipso exquirere & probare. Quod si ita esse existimet, potest non temere certò credere se in lumine fidei id existimare, modo lingua, mens, & vita tali existimationi respondeant.

Idem tractans ea verba Iob: *Annunciat de amico suo, q possessio eius sit, & ad eam possit ascendere*: in hunc modum exponit: *Amicus ueritatis est rectae amator actionis. Vnde & ipsa Veritas discipulis dixit: Vos amici mei estis, si feceritis quae praecipio uobis. Amicus quippe animi custos dicitur. Vnde nō immerito qui custodire uoluntatē Dei in praeceptis illius nititur; eius amicus uocatur. Hinc est quòd rursum eisdem discipulis Veritas dicit: Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecūq; audiui à Patre meo, nota feci uobis. De hac igitur luce aeternae patriae amico suo Deus annunciat, quòd possessio eius sit, ut nequaq̄ infirmitatis suae fragilitate desperet, nequaq̄ hoc quòd creatus, sed quòd recreatus est penset: sed tanto certius sciat quia illius lucis claritatem possideat, quanto nunc uitiorum pulsantium tenebras uerius calcat.* Nota verba, TANTO CERTIVS SCIAT, inquit, vt veram certitudinem in duabus illis vocibus possis agnoscere. Scire enim per se certitudinem importat: quantò igitur magis cum certo scire aliquem pronunciamus?

Et alibi super illis verbis: *Vos dixi amicos, quia omnia quaecunq; audiui à Patre meo nota feci uobis*: sic ait: *Omnia quae nota facit seruis suis sunt gaudia internae charitatis & festa supernae patriae, quae quotidie mentibus per inspirationem sui amoris imprimit. Dum.n. audita coelestia superna amamus, amata iam nouimus, quia ipse amor notitia est.* Haec ille. Quae eius verba etiam citat S. Thomas in comment. in Ioan. cap. 15. Sunt & aliae plurimę huius sancti Pontificis sententię pro hac nostra veritate, quas nos breuitatis gratia hic omittimus: nam & multas iam adduximus, & occurret vt commode alibi differentes, inferius commemoremus.

Est praeter enarratos iam doctores B. Cyprianus, qui plerisq; in locis hanc seruorum Dei certitudinem, veluti propriam Christianorum conditionem extollens, procul omni dubio videtur asserere. Etenim ad Demetrianum, quò agnosceret quid intersit inter verè iustos & iniustos, quod maxime in ferendis patienter aduersis conspicitur, in hunc modum scribit: *Non ergo idcirco compares uobis & aequales sumus, quia in isto adhuc mundo & carne constituti, mundi & carnis incommoda uobiscum pariter incurrimus. Nam cum in sensu doloris sit omne quod punit, manifestum est eum non esse participem poenae tuae, quem uideas tecum aequaliter non dolere. Viget apud nos spei robur, & firmitas fidei: & inter ipsas saeculi labentis ruinas, erecta mens & immobilis uirtus, & nunq; nisi laeta patientia & de Deo suo semper anima secura, sicut per Prophetam Spiritus sanctus loquitur, & hortatur, spei ac fidei nostrae firmitatem coelesti uoce corroborans.* B. Cyprianus Vide reliqua, quae longum esset recensere, vnde hanc certitudinem & securitatem facile potes elicere. Tum audi eundem B. Martyrem de effectu sanctissimi sacramenti loquētem in tractatu de cęna Domini, vbi post multa praeclara & huic nostrae doctrinae cōsentanea, de sacerdote dignè celebrante, vtpote expertus, in hunc modum testatur. *Vide quomodo his qui Christi commemorant passionem inter sacra officia; quasi per quosdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & super omnes delicias lacrymis nectareis anima delectatur, quātam suauitatem animae inquirenti ubi sit Deus suus, suspiria contemplationis eliciant. Non illos imbres procellosae tempestatis deponunt: ros matutinus est de coelestibus stillans, et quasi unctio spiritus mentem deliniens. Gemitus illos pietas excitat, & inter diem & noctem retro & ante se affectio intuens, inter data & condonata se diuidens, gratias agit tam uberis beneficij largitori, & se sanatam & sanctificatam agnoscens, fletibus se abluit, & lacrymis se baptizat etc.* Et paulò inferius. *In huius praesentia non superuacuae mendicant lacrymae ueniam, nec unq; patitur contriti cordis holocaustum repulsam.* Hęc ille.

Vide quàm confidenter dicat: *Et se sanatam et sanctificatam agnoscent*. Id.n.propriè agnoscitur, quod familiarius repræsentatur. Mitto hic quæ de effectu baptismi expertus protulit de semetipso: nam ea suo loco proferemus.

B.Leo Papa. Est & sanctissimus Leo Papa, qui in serm. de festo pascali secundo sic ait: *In Euangelio Dominus dicit: In hoc cognoscent omnes quòd mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Et in epistola eiusdem Euangelistæ legitur: Charissimi diligamus inuicem, quoniam charitas ex Deo est: & omnis qui diligit, ex Deo natus est & cognoscit Deum: & qui non diligit non nouit Deum: quoniam Deus Charitas est. Discutiant ergo se fidelium mentes, et intimos sui cordis affectus uera examinatione dijudicent, ut si repositum aliquid in conscientiis suis de fructibus charitatis inuenerint, Deum sibi inesse non dubitent. Et ut magis magisq; tanti hospitis sint capaces, fiant perseueranter in misericordiæ operibus ampliores*. Hæc ille. Non dubitet, inquit. Qui verò certus esse non potest, is profecto dubitare debet. Sola enim certitudo rationabiliter dubitationem non admittit.

Addo & aliud eiusdem grauissimum testimonium in Serm. viii. de Epiphania, vbi sic scribit: *Qui autem experiri cupit an in ipso Deus habitet, de quo dicitur: Mirabilis Deus in sanctis suis: si uero examine cordis sui interiora discutiat, & sagaciter quærat qua humilitate resistat superbiæ, qua beneuolentia obluctetur inuidiæ, quàm non capiatur adulantium linguis, quamq; bonis delectetur alienis: an pro malo non cupiat malum reddere, maliq; multas obliuisci iniurias, quàm imaginem sui Conditoris amittere, qui omnes ad cognitionem sui generalibus incitans donis, pluit super iustos & iniustos, & solem suum oriri facit super bonos & malos: ac ne multis laboret solicitæ discretionis inspectio, ipsam matrem uirtutum omnium charitatem in secretis suæ mentis inquirat: & si in ea dilectionem Dei & proximi toto corde intentè repererit, ita ut etiam inimicis eadem uelit tribui quæ sibi optat impendi: quisquis huiusmodi est, Deum rectorē sui esse non dubitet, quem tam magnifice ntius receperit, quanto magis non in se, sed in Domino gloriatur*. Hæc ille. De quibus verbis plusq̃ manifestè conceditur vnicuiq; christiano non quælibet suæ gratiæ notitia, sed notitia experimentalis, modo ea obseruet quæ sanctus ipse Pontifex mōstrat. Etenim ipsius verba hæc sunt: *Qui autem experiri cupit, an in ipso Deus habitet etc*. Ecce ꝙ experimentum vocat. Et vt claudat os dicentis experimentum fallax, adiecit, Non esse dubitandum. Notet hæc amator veritatis, & quiescat.

B. Anselmus. Est & D. Anselmus, qui illud B. Pauli ad Rom. *Ipse Spiritus perhibet testimonium etc.* in hunc modum exposuit. *Per hoc quòd Spiritussanctus charitatem nobis infundit, qua nos facit imitatores esse diuinæ bonitatis ut diligamus inimicos nostros, & benefaciamus ijs qui oderunt nos, sicut Pater cœlestis qui facit Solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos et iniustos: euidenti testimonio declarat menti nostræ nos esse filios Dei, cuius bonitatem pro modulo nostro sequimur*. Hæc ille. Vbi nota verba: euidens vocat Spiritus testimonium. Quomodo aūt euidens, si de testimonio hæsito? Et quomodo non hæsitem de testimonio, si non sim certus de teste? Quòd si de teste nō hæsitem, quomodo ergo non faciet certitudinem fidei?

Idem in ea verba: *Vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis etc. Spiritus Dei*, inquit, *mentem quam replet illuminat. Spiritus autem mundi excæcat: quem qui habent, non intelligunt Dei dona quæ perceperunt. Sed nos per spiritum eius nouimus et dona eius nos habere; & ab eo accepisse*. Item super ea verba: *An non cognoscitis uosmetipsos quia Christus IESVS in uobis est?* sic ait: *Qui fidei sensum in corde habet, hic scit Christum IESVM in se esse: et nos ita scitis eum in uobis esse, nisi fortè reprobi estis. Hoc est enim reprobum esse, nescire fidem professionis suæ. Et uos cognoscitis, quia per sensum fidei & affectum dilectionis ac strenuitatem rectæ actionis est Christus in uobis, nisi fortè reprobi estis, idest, ab eo quod prius cœpistis retro conuersi, & ab eo reiecti*. 1. Cor. 2. NOTA 2. Cor. 13.

Est & Venerabilis Beda, qui per omnia sequitur B. Augustinum in Euangelio, & in prima epistola B. Ioannis, vbi clarè eandem confirmat sententiam. Beda.

Est & B. Bernardus plurimis in locis, de experientia magis loquēs quàm de libris. In Serm. 5. dedicationis, dum tractaret discipulorum Domini quæstionem: *Quis poterit saluus esse?* Et respōsionem ipsius Saluatoris dicentis: *Apud homines hoc impossibile esse, non apud Deum*, adiungit hæc verba: *Hæc tota fiducia nostra, hæc unica consolatio nostra, hæc tota ratio spei nostræ. Sed de possibilitate iam certi, de uoluntate quid agimus? Quis scit si est dignus amore uel odio? Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Hic iam fidem planè nobis subuenire necesse est: hic oportet succurrere ueritatem, ut quod de nobis latet in corde Patris, nobis per ipsius spiritum reueletur, & spiritus eius testificans persuadeat spiritui nostro quòd filij Dei sumus. Persuadeat autem uocando & iustificando gratis per fidem. In quibus nimirum uelut medius quidam transitus est ab æterna prædestinatione ad futuram magnificationem*. D. Bernardus NOTA

Ecce vt explicat certitudinē, quia Spiritussancti testimonium operari persuasionem in spiritu nostro affirmat: & hoc esse fidem quàm manifestissimè declarat. Onerosum verò est & meram tergiuersationem sapiens, fidem hîc humanam seu moralem intelligere, ac per hoc non veram fidem, & quę non mereatur fidei nomen, vt audent quidam scribere.

Idem super psalmũ, Qui habitat, ser. 16. volens ostendere eos qui æquo animo tribulationes ferunt habére certum testimonium assistẽtiæ diuinæ, sic ait: *Vnde scimus ꝙ nobiscum sit in tribulatione? Ex eo utiq; ꝙ in ipsa tribulatione nos sumus. Quis.n.substineret? Quis subsisteret? Quis persisteret sine eo?* Addo eũdem in Cant. ser. 59.

NOTA vbi ait: *Nos scimus qui translati de morte ad uitam per uiuificantem Spiritum, certo & quotidiano experimento, ipso nos illuminante, probamus uota & gemitus nostros ab ipso uenire, & ad Deum ire, illicq; inuenire misericordiam in oculis Dei. Quando enim sui Spiritus uocem irritam faceret Deus?* Vide lector vt potenter certitudinem asseuerat. Certo experimento, inquit, & à probatione vocis Spiritussancti, quæ irrita esse non possunt.

Et Cant. 37. post multa ad hanc rem pertinentia, ait: *Omnis in nobis qui hæc sentit intra se actitari, scit quid loqtur Spiritus, cuius uox atq; operatio*

NOTA *minimè inter se nunq̃ dissentiunt. Propterea ergo intelligit quæ dicuntur, quoniam quæ foris audit, intus sentit.* Et post alia multò etiam clariora pro hoc testimonia, sic ait: *Hac ergo in nobis gemina præeunte notitia, iam ea quæ fortè supererenerit scientia minime inflat, utpote quæ nihil afferre ualeat terreni commodi uel honoris quod non sit sanè inferius spe concepta, lætitiáq; spei iam altius radicata in animo. Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritumsanctum qui datus est nobis. Ideo illa non confundit, quia ista infundit certitudinem. Per hanc.n.ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro*

NOTA *quòd filij Dei sumus.* Quid his verbis fortius? Nota singula, *Quæ foris audit, intus sentit.* SENTIT, inquit, vt certitudinem significet. Et geminam notitiam vocat, vt firmam ostendat: quia in ore duorum vel trium stat omne verbum: ita vt non valeat vir Dei de spe concepta confundi, quia charitas certitudinem infundit. Hęc adeò aperta sunt, vt qui super his facere quęstionem velit, proteruum se & contentiosum ostentet.

Ad hæc ipse idem gloriosus Abbas in epistola 107. loquẽs de peccatore verè conuerso, tot & tãta tãmq; clarè effatur pro illa gratiæ certitudine quã defendimus, vt proteruus sit qui ausit contra quicq̃ mutire. De illo.n. ait, quòd ad tantam visitãtis se dignationem respirans, sole illucescẽte iustitię, incipit pręter spem gloriari in spe gloriæ filiorum Dei; quam propius reuelata facie in nouo lumine speculatur, & dicit: Signatum est super nos lumen vultus tui Deus: dedisti lętitiam in corde meo. O Domine quid est homo ꝙ innotuisti ei! Confidit enim amari, quoniam sentit se amare: imò quia amari præsentit, non redamare confunditur. Et paulò post ad hanc certitudinem probandam adducit Spiritum testificãtem spiritui hominis ad Deum conuersi, quòd est filius Dei, cuius iustificatio est diuini consilii reuelatio. Et concludit his verbis: *Nemo itaq; se amari diffidat qui iam amat. Libenter Dei amor, nostrum quem præuenit subsequitur. Amauit inq̃, amauit. Habes.n.dilectionis pignus Spiritum: habes & testem fidelem IESVM, & hunc crucifixum.* Et post pauca: *In illo cernimus quod amemus: ab isto sumimus unde amemus.* Et infra: *Quisq; accipit in sui iustificatione ut incipiat & ipse cognoscere sicut & cognitus est.* Nimirum notitia quam vocant affectiuam: Vide si placet longum ibi pro hac nostra veritate deuoti Abbatis sermonem. Sed multo latius & passim in Canticis hanc diuinæ gratiæ certam notitiam prædicat. In sermone octauo quùm de sponsi osculo tractat, sic ait: *Scientia ergo quæ inflat cum sine charitate sit, non procedit ex osculo: sed nec qui zelum Dei habent & non secundum scientiam, sibi ullatenus arrogent illud. Vtrunq;.n. munus simul fert osculi gratia & agnitionis lucem, & deuotionis pinguedinem. Est quippe Spiritus sapientiæ et intellectus, qui instar apis ceram portantis & mel, habet omnino & unde accendat lumen scientiæ, & unde infundat saporem gratiæ. Neuter ergo se osculum percepisse putet, siue qui ueritatem intelligit nec diligit, siue qui diligit nec intelligit. Sanè in osculo isto nec error locum habet, nec tepor.* Hæc ille ibi. Et amplius. *Fœlix osculum per quod non solùm agnoscitur Deus, sed & diligitur Pater, qui nequaq̃ plenè cognoscitur, nisi cùm perfectè diligitur. Quæ in uobis anima sensit aliquando in secreto conscientiæ suæ Spiritum Filij clamantem Abba Pater,*

ipsa, ipsa paternu se diligi præsumat affectu, quæ eodem se spiritu quo & Filius affectam sentit. Confide quæcunq; es illa, confide nihil hæsitans. In spiritu filij filiam cognosce te Patris, sponsam filij & sororem. Hæc ille. Quæ proculdubio iugulant aduersantium sensum, qui non sine hæsitatione ac dubitatione testimonium Spiritus vult esse recipiendum. NOTA

Verùm vt dem cæteris locum, afferat hic noster sanctissimus Abbas postremum testimonium de serm. 69. vbi cum quæstionem proposuisset, Vtrum verba illa sponsæ: *Dilectus meus mihi, & ego illi,* quæ proculdubio de Ecclesia verificantur, possint & de aliqua particulari anima verificari in sensu etiam eminenti, quem priore sermone exposuerat tractans efficaciam mansionis Spiritus sancti in anima sancta: Et cum indixisset fieri orationes vt Deus illi veritatem huius rei reuelaret, tandem in hunc modum pronunciauit: *Quanta putas ex hac mansione inter animam et Verbum familiaritatis gratia oriatur? quanta de familiaritate sequatur fiducia? Non est, ut opinor, quòd iam talis ani*

ma dicere uereatur : *Dilectus meus mihi, quæ ex eo quòd* NOTA *se diligere & uebementer diligere sentit, etiam diligi nihilominus uebementer non ambigit, ac de sua singulari intentione, solicitudine, cura, opera, diligentia, studióq; suo incessanter et ardenter inuigilat quemadmodum placeat Deo, æquè hæc omnia in ipso indubitanter agnoscit, recordans promissionis eius : In qua mensura mensi fueritis, remetietur nobis: nisi quòd redhibitionem gratiæ prudens sponsa ad suam magis cauta est trahere partem, sciens se potius præuentã à Dilecto. Inde est quòd illius opera præfert : Dilectus, inquiens, meus mihi, &* Nota *ego illi. Ergo ex proprijs, quæ sunt penes Deum agnoscit, nec dubitat se amari quæ amat. Ita est: Amor Dei amorem animæ parit, & illius præcurrens intentio, intentam animam facit, solicitudóq; solicitam. Nescio enim qua uicinitate naturæ, cùm semel reuelata facie gloriam Dei speculari poterit, mox illi se conformari necesse est, atq; in eandem imaginem transformari. Igitur qualem te paraueris Deo, talis oportet appareat tibi Deus. Cum sancto sanctus eris, & cum uiro innocente innocens eris. Quidni æquè & cum amante amans, & cum uacante uacans, & cum intento intentus, & solicitus cum solicito? Deniq; ait: Ego diligentes me diligo: & qui manè uigilauerint ad me, inuenient me. Vide quomodo non solum de amore suo te certum reddat siquidem tu ames illum, sed et de solicitudine sua quam pro te gerit, si te senserit solicitum sui. Vigilas tu, uigilat & ille. Consurge in nocte in principio uigiliarum tuarum, accelera quantumuis etiam ipsas anticipare uigilias, inuenies eum, non præuenies. Temerè in tali negotio uel prius aliquid tribuis tibi, uel plus: & magis amat & antè. Si hæc omnia scit, imò quia scit, miraris ꝗ illa maiestatem quasi cætera non curantem soli sibi intendere glorietur, cui soli ipsa, postpositis curis omnibus, tota se deuotione custodit? Sermo finem desiderat, sed unum dico spiritualibus qui in uobis sunt, mirum quidem, sed uerum: Animam Deum uidentem haud secus* NOTA *uidere, quàm si sola uideatur à Deo. Ea ergo fiducia dicit illum intendere sibi, séq; illi, nihil præter se & ipsum uidens. Bonus es Domine animæ quærenti te: occurris, amplecteris, sponsum exhibes qui Dominus es: imò qui es super omnia Deus benedictus in secula, Amen.* Hæc ille gloriosus Abbas. Notet, obsecro, verba benignus lector qui diuinæ charitatis certitudinem diligit & Spiritussancti mansionem, vt possit & ipse dicere certo sensu & experimento: *Dilectus meus mihi & ego illi*. Notet, inquam, tanti Abbatis verba, *Sentit se diligere* : *Etiam diligi uehementer non ambigit* : *Indubitanter agnoscit* : *Agnoscit nec dubitat se amari quæ amat*. *Scit*, *Certa redditur*. Hęc & alia verba, quę ora, nisi pertinacium, nõ occludant? Verùm adhuc maiora seruantur huius sancti viri testimonia, quæ nobis passim seruient in aliis assertionibus.

Caietanus. Nolo silentio Caietanum præterire, non ut scholasticum, sed vt illum qui postq̃ cępit scrutari scripturas, ab ea doctrina, quam in scholasticis versans tradiderat, recessit. Ipse.n. vbiq; clare & cõstanter nostrę sententiæ astipulatur. Nam ad verba illa Domini apud Ioannem cap. 14. *Quia apud uos manebit, et in nobis erit*, hanc expositionem attexuit: *Ratio cognitionis redditur mansio, ut intelligamus Spiritum ueritatis manentem in animis Apostolorum iam facere officium suum faciendo eos cognoscere ipsum. Ipse n.* NOTA *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd filij Dei sumus. Vnde notitia ab experientia in seipsis significatur. Dat. n. Deus etiam hoc, ut sciamus quæ à Deo nobis donata sunt. 1. cor. 2.* Hæc ille. Deinde super illis verbis: *Et manifestabo ei me ipsum*, sic ait: *Ecce effectus in quo quilibet participabit promissionem reditus IESV. Apostolis dixerat quòd uisuri essent ipsum & cognituri etc. cuilibet diligenti ipsum promittit non quòd se manifestabit, sed quòd se insinuabit. Dictio. n. græca significat uelut tacitè & clàm indicare: quoniam IESVS cuilibet diligenti se indicat seipsum intus interna illustratione et inspiratione diuersimodè, prout electi experiuntur, accipientes manna absconditum, quod nemo nouit nisi qui accipit.* Hęc ille ibi. Quæ verò in comm. epist. ad Rom. de testimonio illo Spiritus pro nobis scripsit, iam superius recitauimus. Non tamen hîc pigebit afferre quid in comm. epist. B. Ioãnis cõmentus est tractans ea verba: *In hoc scimus quoniam cognouimus eum*. Ait. n. *Est sermo de notitia affectiua, quam efficit fides infusa*. Audin tu qui hunc virum autorem habes? Sed audi quod subdit paulò post. *Intendit siquidem Ioannes ad literam monstrare signum infallibile internæ lucis diuinæ in nobis esse, si mandata eius seruauerimus. Et propterea dicit: Et in hoc scimus, scientia experimentali*. Vide quàm clarè notitiam hanc affectiuam & experimentalem venire à fide infusa affirmat, & ab infallibili signo: & tamen isti fidem humanã & moralem nobis obtrudunt quæ dubitationem secum ferat & periculũ fallacię. Et cap. 3. ea verba: *In hoc cognoscimus quòd ex ueritate sumus*, sic exponit: *Ioannes hoc in loco dicit quòd in hoc, scilicet in dilectione exhibente opus, cognoscimus quòd sumus ex ueritate. Ecce testimonium internæ nostræ natiuitatis manifestatum ab ipso Ioanne, quo quisq; potest seipsum seruari. Et in conspectu eius suadebimus corda nostra: pro, cordibus nostris. Ex eo quòd non dicit quid suadebimus, subintelligenda est res cognita. Et est sensus, quòd diligendo opere, non solum cognoscimus nos esse ex ueritate, sed hoc ipsum, quod est nos esse ex ueritate, suadebimus cordibus nostris non fictè, non blandiendo, sed in conspectu Dei. Vnde apparet quòd non de notitia euidentiæ, sed de notitia fidei dixit: In hoc cognoscimus. Ex illa. n.* NOTA *oritur ut suadeamus intimis nostris coràm Deo, ꝗ sumus ex ueritate, quòd accendantur ad opera cumulanda, ad*

confidendum in Deo. Audin fidei notitiam, quã superius etiã nominauit infusam? Nunquid infusa fides est fides humana vel moralis? Deniq; verba illa cap. 5. *Scimus* ꝙ *ex Deo sumus*, exponit: *Scientia experimentali cognoscimus quòd sumus ex Deo. In persona non solùm Apostolorum (qui uirtute Dei utentes miracula faciebant) sed etiam in persona omnium electorum uerificatur* SCIMVS, *diuersimodè tamen: quoniam illi certa experientia, reliqui autem electi communiter certa fide*.

Nota

Hæc ille, & rectè: quia inter notitiam perfectorum & imperfectorum magna differentia est. Non sic enim directè & internè testimonium Spiritusſancti notitiam ingerit. Hæc libuit producere ex hoc Doctore, quoniam eius autoritas apud nonnullos magna est, cui nec nos inuidemus, nec detrahere volumus: sed libenter concedimus, modò salua sit fides, & ne iuuenes autoritate hac seducti, impingant in errores damnabiles: cui ego periculo occurrere pro virili sum ausus.

VEnio nunc ad Græcorum testimonia pro hac sententia. Est in primis Beatus pater Dionysius Areopagita, qui in lib. de diuinis nominibus, cap. 7. ita feliciter scribit: *Profectò si scientia, cognoscentium & cognitorum coniunctrix est: ignorantia uerò mutationis semper & ex se ignoranti suæ diuisionis est autor, eum qui in ueritate credit, iuxta scripturæ fidem nihil remouebit à ueræ fidei autore: in quo constantiam immobilis identitatis habebit. Nouit.n. penitus is qui ueritati coniunctus est, quàm bene se habeat, etiam si plures illum corripiant quasi amentem & extra se factum. Fugit enim (quemadmodum & par est) illos quomodo uelut ex errore per intemeratam fidem ueritati unitus extra se fit, ecstasimq; patitur.*

NOTA

Porrò nouit ipse seipsum ueraciter non (quod illi aiunt) insanire: sed ab instabili ac uariabili circa latissimam erroris uarietatem motu, per simplicem et semper secundum eadẽ et eodẽ modo se habẽtem ueritatem, euasisse liberum. Ita deniq; nostratis diuinæ sapientiæ Principes ac Duces, pro ueritate moriuntur, omni die testimonium perhibentes (ut dignum est) & uerbo & omni opere, singularis christianorum ueræq; scientiæ omnibus, hanc esse & simpliciorum & diuinorum, imò ipsam esse solam ueram & unicam & simplicem diuinam notionem. Hæc ille magnus theologus, cuius verba proculdubio commentitiam istam moralem siue certitudinem siue fidem prorsus exterminant. Ipse.n. ait: Nouit enim penitus is qui veritati cõiunctus est, quàm benè se habeat, etiam si plures illũ corripiant. Non satis fuit illi dicere, Nouit: sed dixit, Penitus nouit. Nouit, inquit, q̃ benè se habeat. Non autem bene se habet qui sine charitate Dei est. Et adiecit, quòd illa talis coniunctio quam habet sanctus Dei cum veritate, vnde ipsa sui ipsius notitia venit, fit per intemeratam fidem. Nunquid fides humana & moralis apud veros theologos meretur fidei nomen? Quanto ergo minus nomen intemeratæ fidei?

B. Athanasius

B. Athanasius illud Apostoli ad Rom. 8. *Spiritus testimonium perhibet etc.* his verbis exponit: *Paracletus ipse suo testimonio gratiam astruit, quæ nobis est data. Non enim ultrò Abba illud sine alterius assertione pronunciamus. Sed Paracletus est donum, & ipsemet per spiritum instruxit, idest, per gratiam, ut ita precando dicamus Abba Pater*. Hęc ille. Quibus verbis manifestum redditur, quòd instructio iustorum, qui dicunt Abba Pater, à Spiritus sancti dono est: quod donum est gratia, quam habentes, habent in ea testimonium sui status. At Dei Spiritus non mentitur, nec fallere nouit.

B. Basilius.

B. Basilius in libro regularum, quas breuiores appellat, cum sibi proponeret interrogationem, qua ratione persuaderi posit animæ cupiẽ à peccatis eam liberã esse & expurgatam, postq̃ nonnulla certa huius rei signa prescripsisset, in hæc verba conclusit: *Quandocunq; igitur quis uel suis uel in alienis peccatis eo modo, quemadmodum supra initio diximus, animo affectum se esse animaduerterit, tunc sine dubio credat se liberum esse à peccato*.

NOTA

Hæc ille. Nunquid docet hæsitare de propria innocẽtia, vt isti volunt: an potius omne dubium ab animo excutere? Verba clarissima sunt, quibus vir tantus monet vt perspectis illis quæ ipse indicat signis, sine dubio christianus vir se liberum à peccato credat.

Idem B. Pater super psal. 32. in hunc modum scribit: *Propheta hic iustos adhortatur istam sentire dignitatem, quòd talis domini serui esse meruerint, & exultare in illius famulitio ac seruitute cum gaudio inenarrabili & tripudijs cordis, uelut per nimium aspirationẽ subsilientis ac sensũ diuinæ dilectionis*. Lege reliqua & illud præsertim vbi ait: *Iusto autem quòd in ipso insideat inhabitétq; Spiritus, perpes suppetit ei diuina cœlestisq; letitia. Inter præcipuos uerè Spiritus fructus charitas, gaudium, pax numerantur*.

Cyrillus.

Cyrillus quoq; lib. 10. cap. 3. in Ioannem exponens illa Domini verba: *Ad eum ueniemus & mansionem apud eum faciemus*, sic ait: *Cùm non rectè à discipulo intellecta uerba sua Christus uideret, petit rursus quod dixit, dilucideq; docet, non solum cognitione ista communi amicis se suis manifestaturum, sed excellentiori quodam fulgoris modo. Nam rudiores ab impiorum idolorum cultu ad cognitionem Dei uocati, solummodo per fidem discunt* ꝙ *unus Deus qui nos creauit colendus sit. Qui uerò omni uirtute mentem suam purgando apti iam ad maiora facti sunt, Spiritus illuminatione recepta, oculis animi habitantem in ipsis Deum ui-*

NOTA

debunt

debent. *Non est communis sanctorum cognitio, sed exi- mia et certa, longeq; à communiore illa differens.* Hęc ille. De cuius præclara doctrina etiam illud patet, esse in huiusmodi notitia latitudinem. Nam eorum qui summè Deum diligunt, obedientes humiliter mandatis eius, non communem quandam iustorum habent suæ gratiæ notitiam, quæ potest facilè obumbrari atq; subobscurari, sicut & D. Gregorius eleganter docuit: sed eximiam & certam, & ab illa, quę bonorum communis est, longè differentem. Quo etiam in loco illud animaduertendum, quomodo huius tantæ notitiæ ratio est mansio Spiritus sancti in cordibus huiusmodi electorum. Non est igitur specialis & priuilegiata reuelatio, quæ immanens non est.

D. Chrysostomus. D. etiam Chrysostomus multis in locis hanc gratię certam notitiam egregiè asserit. Et quidem super eodem cap. 8. ad Rom. ita scribit: *Quando Spiritus testatur, quænam relinquatur nobis ambiguitas? Quòd si homo quispiam uel Angelus aut etiam Archangelus aut alia certè huiusmodi quædam potestas aliquid promitteret; meritò quispiam dubitaret. Suprema uerò illa Essentia, quæ et hoc ipsum quod promittit atq; adeo etiam orare iussit, testimonium nobis* NOTA *perhibente, quisnam de dignitate hac deinceps dubitare poterit?* Hæc ille. At iuxta istorũ doctrinam quisq; dubitare deberet, si non certò sciretur esset'ne Spiritus testis. Multa quoq; alibi sparsim scripsit hic gloriosus Doctor, quibus hęc gratię certitudo facilè potest ꝑsuaderi. Vnũ modò afferam. Ipse ad verba illa Apostoli: *Probet autem seipsum homo etc.* sic ait: *Hoc est quod in secunda epistola ait: Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi uos probate. Non quemadmodum nunc facimus temporis gratia accedentes, ut in solemnitatibus simus etc.* Et postq̃ ostendit quòd homo debet semper probatus accedere, & ꝙ tunc securè accedet omni tempore, & non solum quando vrget solemnitas, in hunc modum docet. *Solemnitas est bonorum operum demonstratio, animæ puritas, uitæ certitudo: quæ si habueris, semper celebrare poteris solemnitatem, & semper accedere. Propterea inquit: Probet autem seipsum homo, & sic edat, etc.* Ecce quàm manifestè ponit à probatione sui ipsius venire posse certitudinem de propria conscientia, de puritate animæ, & de vita & operibus bonis. At hinc profectò certissimo argumento colligitur gratiæ certitudo.

Origenes. Origenes itidem cap. 8. ad Rom. sic ait: *Ipse Spiritus adoptionis, per quem quis adoptatur, reddit testimonium & confirmat spiritum nostrum quòd filij Dei sumus, postq̃, à spiritu seruitutis in adoptionis spiritum uenerimus: cùm iam nihil insit timoris, idest, nihil pœnarum gerimus, sed propter amorem Patris cuncta perficimus.* Hæc ille: quibus similiter probatur nos à Spiritus interno testimonio certam habere nostræ à Deo acceptæ gratiæ notitiam, cũ dicat illo nos testimonio cõfirmari. Opinio enim formidinem, non confirmationem secum gerit: certitudo aũt est quę confirmat.

Theophilactus. Theophylactus quoq; in eisdem Apostoli locis, idem quod B. Chrysostomus docet, & fauet plurimum huic nostræ sententiæ: Eius verò vtemur testimoniis in posterioribus assertionibus.

Theodoritus. Theodoritus super illis verbis: *Probet autem seipsum homo, ait: Tu tuipsius arbiter esto, & eorum quæ in uita gessisti iudex: non indiligens conscientiam tuam scrutare, & tunc Dei dona securè suscipe. Neq; enim sufficit rectè de sacramento isto sentire, nisi puram à peccato mentem afferas.* Hæc ille. Quomodo autem posset homo huic præcepto obtemperare, vt puram afferat à peccato mentem, si hoc scire non posset? Alioqui dubius exponeret sese in nouum peccati periculum: Ipse verò manifestè ait, hominem si non indiligenter conscientiam suam scrutetur, idoneum sui ipsius esse iudicem, vt queat Dei dona securè suscipere. Et hæc satis, vt unum spiritum omnium patrum esse, quo hæc certitudo gratiæ comprobatur, prudens lector apertè agnoscat.

✠ ✠
✠

ASSERTIO V.

Quòd hac de re scholastici Doctores uariè et obscurè docent: & B. Thomas & primi scholasticorum potius negarunt certitudinem scientiæ (ut philosophi scientiam intelligunt) quàm fidei certitudinem.

BEATVS THOMAS quæstionem proponit his verbis: *Verum quis possit scire se habere gratiam.* Tum demore argumẽtatur pro ea parte cui non solet subscribere: & cõtinenter affert ꝑ parte opposita scripturã Ecclesiastes: *Nemo scit etc.* Postmodo quæstionem distinguendo resoluit (ad quod maximè est attendendum) his verbis. *Triplicitèr aliquid cognosci potest. Vno modo per reuelationem. Et hoc modo potest aliquis scire se habere gratiam. Reuelat.n. Deus hoc aliquando aliquibus ex speciali priuilegio, ut securitatis gaudium etiam* B. Tho. 1.2. q. 112. art. 5

in hac uita in eis incipiat, & confidentius & fortius magnifica opera prosequantur, & mala præsentis uitæ sustineant: sicut Paulo dictum est 2. ad Cor. 12. Sufficit tibi gratia mea. Alio modo homo cognoscit aliquid per seipsum, & hoc certitudinaliter: & sic nullus potest scire se habere gratiam. Certitudo .n. non potest haberi de aliquo nisi possit dijudicari per proprium principium. Sic.n. certitudo habetur de conclusionibus demonstratiuis per indemonstrabilia uniuersalia principia. Nullus autem posset scire se habere scientiam alicuius conclusionis si principium ignoraret. Principium autem gratiæ & obiectum eius est ipse Deus, qui propter sui excellentiam est nobis ignotus: secundum illud Iob. 36. Ecce Deus magnus uincens scientiam nostram. Et ideò eius præsentia in nobis & absentia per certitudinem cognosci non potest: secundum illud Iob 9 Si uenerit ad me, non uidebo eum: si autem abierit, non intelligam. Et ideo homo non potest per certitudinem dijudicare utrum ipse habeat gratiam, secundum illud 1. ad Cor. 4. Sed neq; meipsum iudico: qui autẽ iudicat me Dominus est. Tertio modo cognoscitur aliqd coniecturaliter per aliqua signa. Et hoc modo aliquis cognoscere potest se habere gratiam, inquantum scilicet percipit se delectari in Deo, & contemnere res mundanas: & inquantum homo non est conscius sibi alicuius peccati mortalis. Secundum quem modũ potest intelligi quod habetur Apoc. 2. Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo nouit nisi qui accipit: quia scilicet ille qui accipit, per quandam experientiam dulcedinis nouit, quam non experitur ille qui non accipit. Ista tamen cognitio imperfecta est. Vnde Apostolus dicit 1. Cor. 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Quia ut dicitur in psalmo: Delicta quis intelligit? Ab occultis, etc.

Hæc D. Thomas: ex quibus clarè apparet ab illo S. Doctore vnum tãtùm modum certitudinis excludi, quo negat haberi posse notitiam suæ gratiæ, hoc est, illum qui venit à principiis demonstratiuis, vnde scientiæ certitudo euidens exoritur. Non ergo negat certitudinem fidei.

Verùm hìc se opposuit quidã suis scriptis dicens propterea omisisse B. Thomam ibi hoc membrum de certitudine fidei, quoniam habebat pro re certissima & quæ cadere in disputationem non posset. Quasi magis possit cadere in disputationem, an per viam scientificã haberi posit huius rei certitudo: quod est inopinabile. Et tamen ausus est asserere B. Thomam satis negasse certitudinem fidei, cùm negauerit certitudinem scientiæ. Maior.n.est, inquit, fidei certitudo, quàm scientiæ. Quo dicto nescio quid absurdius cogitari queat. Quis enim nesciat eorum propriè esse fidem, quorum non est euidentia vel scientia? Ita vt, iuxta D. Thomæ doctrinam, si quæ prius credo, postmodo demonstratione accipiam, fides cesset. Et nota candide lector, egregium genus argumenti, scilicet à negatione scientię negari fidem, aut fidei certitudinẽ. Vnde planè consequeretur nos nõ scire certitudine fidei Trinitatem, neq; exordium mundi, neq; Christi incarnationem, neq; mortuorum resurrectionem, & cętera quę sunt propriè fidei: quoniam his de rebus non habeo scientiæ certitudinem, quæ est minor certitudo. Hęc ex huius magistri doctrina. Nec pręuiderat, quòd & si simpliciter certitudo fidei sit maior q̃ scientię, non tamen quo ad nos: id quod oportebat considerare: saltem admonitus cõcessisset veritati. Notandum.

Sed ad rem nostram. De sancto Doctore iam illud exploratò compertum ostendimus, illum certitudinem fidei non exclusisse: sed aut omisisse (quod Thomistę non concederent) aut certè sub postremo membro inclusisse: vbi planè cõfitetur posse hominem per coniecturas & signa habere suę gratię cognitionem, quam tamen imperfectam vocat, nec nos negamus: non quia sit prorsus incerta, sed quia comparãdo hanc certitudinem cum illa certitudine quę habetur ex propriis principiis, iam non dicitur certitudo, sed coniectura & notitia per signa. Est.n.fides (vt sępius dictum est) argumentum non apparentium. Vnde restat considerare, vtrum illa signa & coniecturę sint adeò euidentes, quales esse nonnunq̃ possunt, vt nobis afferant certitudinem positis fidei principiis. Nihil enim prohibet esse quędam signa certa & euidentia, vnde & certitudo ex eis accipitur, sicut dicit Euangelista Lucas de Domino, quòd prębuit se discipulis post resurrectionem viuum in multis argumentis apparens eis. Gręca vox est Τεκμηρίοις, quę significat non quęlibet, sed euidentia signa ad probationem, vnde certò coniicitur & colligitur veritas: & tamen non est certitudo euidentię aut scientię, quę est à priori, quam solam D. Thomas excludit. Nam hanc, voce secundum philosophos propriè accepta, certitudinem vocat. Ecce eius verba: *Certitudo enim non potest haberi de aliquo, nisi possit dijudicari per proprium principium.* Quid ad mentem eius aperiendam dici poterat clarius? Itaq; idẽ S. Doctor dum proponit signa quę gratię cognitionem faciunt, non vult istam cognitionem non esse certam certitudinę fidei, sed non esse certam absolutè ea certitudine de qua ipse locutus erat, quę solum habetur à notitia principiorum. Nam sic fit scientia verè, ita vt demonstratio quę est à posteriore non dicatur propriè scientiam facere. Et valde atq; attente est considerandum, quod non dicit ibi hominem

non cognoscere illa signa in seipso certitudinaliter certitudine interni sensus & experientiæ, cum dicat quòd percipit homo se delectari in Deo, & contemnere res mundanas, & se non esse conscium peccati mortalis. Nota

NOTA quòd ait: Percipit: & non ait: Opinatur: quod formidinem importat. Et licet hoc certò percipiat, & inde trahat hanc consequentiam, Ergo ego sum in gratia (scilicet à maiore quæ est ex fide: quia natura non producit tales effectus) attamen dicit quòd etiam ex hac experimentali signorum notitia quam supponit percipi, & ita sine dubio esse certam (certum est.n. quod in nobis experientia percipimus) non habetur certitudo gratiæ, nempe illa certitudo de qua vt philosophus erat ipse loquutus. Quia certitudo hæc experimentalis non à priori, sed à posteriori concludit gratiam existentem: & ideo non est dignatus vocare certitudinem huiusmodi imperfectam notitiam, docens philosophicè, sicut probatum est abundè ex eius præmissis. Ipse.n. definiuit cognosci certò illud solummodo, quod à principiis demonstratiuis eductum fuerit. Et hoc esse verum, manifestatur à solutione tertii argumenti. Argumentatus enim fuerat S. Doctor, quòd debebamus potius scire certò gratiam, quæ est lux, q̃ peccatum, quod est tenebræ. Respondet autem dicens: *Peccatum habet pro obiecto bonum commutabile, quod nobis est notum. Obiectum autem uel finis gratiæ est nobis ignotus propter sui luminis immensitatem, secundum illud 1. Timoth. ultimo: Lucem inhabitat inaccessibilem.* Ecce igitur quàm clarè apparet non de certitudine fidei posse intelligi: quia manifestè secundum lumen fidei potest Deus cognosci & sciri, etsi inhabitet lucem inaccessibilem. Meritò igitur fidei certitudo quæ coniecturalis est & per signa, non excluditur: quia in huiusmodi cognitionis modo qui est euidentiæ (quem solum modum D. Thomas excludit) non concluditur.

Vocat ergo cognitionem hanc imperfectam, sicut Apostolus: *Nunc ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus.* Et: *Videmus tanq̃ per speculum in ænigmate:* quod & ipse idem B. Thomas expressè docet in com. Ioan. cap. 14. vbi ait: *Distinguenda est duplex cognitio mysteriorum diuinitatis. Vna est imperfecta, quæ habetur per fidem: alia uerò perfecta quæ habetur per speciẽ etc.* Ecce quomodo notitiam, quæ habetur per fidem, vocat imperfectam.

Addo ꝙ ibi in responsione ad primum & ad quintum non negat posse scire hominem Dei gratiam in se experimentaliter. At experientia reddit nos certos eius quod experimur, vnde possumus educere certitudinem fidei nos esse in gratia, cum id quod manifestè experimur, certò arguit adesse gratiã posita maiori ex fide. Verbigratia: In illo Abrahæ egregio & singulari facto immolationis vnigeniti filii sui Isaac, ipse Abrahã ex eo quod certò fecit, & certo sciebat se fecisse propter Deum, potuit nouisse timorem Dei, & ita charitatem Dei in se habitantem, sine qua illud facere non valuisset. Hoc D. Thomas minime inficiatur. Posse autem ex eius doctrina colligi sententiam nostram multis modis, equidem minime dubito. Sed sparsim suis locis singula memorabuntur.

Quòd verò B. Thomas ad secundum respondens argumentum admittere videtur, posse quidem certò scire hominem se habere fidem: charitatem autem & gratiam non: & tamen argumentum quo concludit de charitate, militat etiam de fide (Nemo enim certitudine scientiæ, videlicet ex principiis propriis, potest certò scire se habere fidem, cum ignoret Deum causam & autorẽ & obiectum ita fidei sicut charitatis) non tam pertinet ad me, q̃ ad eos qui volunt in cunctis ipsum B. Thomam defendere. Ego enim si per actus fidei potest certò cognosci habitus fidei, non intelligo quomodo minus per actus charitatis queam certò cognoscere charitatis habitum: sicut naturaliter non minus scio quod diligo, q̃ quod credo. Sed non hîc locus hac de re longiore sermone disserendi. Satis nunc sit, ex resolutione B. Thomæ & argumentis eius nihil aduersus nos, sed pro nobis potius concludi.

Adduxerunt & contra nos Alexandrum de Hales super 2. distinc. 12. q. 20. qui tamen si diligenter consideretur, pro nobis militat in quæstione sequenti. Ipse.n. postq̃ iam concluserat ꝙ homo per viam naturalis scientiæ non poterat cognoscere suam gratiam, ponens secundam quæstionem, Vtrum saltem experimentaliter posset, in hunc modũ concludit: *Concedendum quòd per scientiam experimentalem possumus scire nos habere gratiam. Habemus in illo psalmo: Cum inuocarem etc. ubi fit quæstio: Multi dicunt, Quis ostendit nobis bona? idest, homines quærunt à fidelibus, unde certi sint quòd sint accepti Deo, ex bonis quæ faciunt. Et Propheta respondendo colligit tria, ex quibus colligitur experimentum, per quod sciunt quòd sunt accepti Deo, & quòd habent gratiam. Primum est: Signatum est super nos lumen uultus tui Domine. Secundum: Dedisti lætitiam in corde meo. Tertium: In pace in idipsum dormiam & requiescam. Hæc sunt tria ex quibus colligitur experimentum, per quod anima sancta experimentaliter cognoscit se habere gra*

Alexander de Hales.

NOTA

tiam, scilicet lumen, lætitia, & pax. Lumen apud uim rationalem: pax est apud irascibilem: lætitia apud concupiscibilem. NOTA *Quando. n. ista tria sunt in anima sancta, secundum illas tres uires, uerè certum est experimentum quod anima habeat gratiam. Et benè dico, uerè, quia per hoc differt anima sancta ab hæretica. Vnde nunquam habet uerum lumen in rationali, nec ueram in irascibili pacem, sicut habet anima Christiana perfecta, quæ habet lumen radiantis ueritatis super uim rationalem, in quo mirabiliter delectatur ratio.* Hæc ille. Ex quibus facilè quorundam argumentantium cauilli soluuntur. Manifestè enim vult, notitia experimenti quæ certitudinem facit, hominem scire posse suam sibi inhærentem gratiam: & sic hac de re respondere pagano & infideli confidenter. Hæc autem experimenti certitudo proculdubio esse non potest nisi ab interiori fidei lumine, quo illustramur & probamus in corde nostro vera esse ea quæ dicunt scripturæ, videlicet illud lumen, illam lętitiam, illam pacem non posse dari à mundo, sed esse Spiritussancti fructus habitantis in cordibus fidelium.

B. Bonauentura. Attulerunt & Beatũ Bonauenturam: adduxerunt & Scotum, quem tamen ipsius sectatores nostras partes tutari scripserũt. Certe ex illius doctrina hæc certitudo euincitur. Nam eo supposito quod ex fide habemus, Legitimè paratos ad sacramenta obtinere gratiam per illa: est doctrina Scoti manifesta, Legitimè eos esse paratos qui non ponunt obicem. Eos autem non ponere obicẽ confitetur, qui habent volũtatem suscipiendi gratiam sacramenti, & non habent vllam actualem voluntatem peccandi. Loquens. n. de secunda via qua per sacramenta obtinemus gratiam, hæc in 4. dist. 14. art. 3 ait: Scotus. *Ad secundam autem non requiritur nisi uoluntaria susceptio baptismi et sine fictione, hoc est, cum intentione suscipiendi quod confert Ecclesia, & sine actu uel uoluntate peccati mortalis.* Et paulò post: *Sed non habens tale actum qui sufficiat ad meritum de congruo, sed tantum habens uoluntatem suscipiendi sacramentum Ecclesiæ, & sine obice peccati mortalis actualiter sibi facto uel in uolunetate inhærentis, recipit non ex merito, sed ex pacto diuino effectum illius sacramenti, ut sic parum attritus etiam attritione quæ nõ habet rationem meriti ad remissionem peccati, uolens tamen recipere sacramentum pœnitentiæ sicut dispensatur in Ecclesia, & sine obice in uoluntate peccati mortalis in actu, in ultimo instanti illius prolationis uerborum, in quo scilicet est uis sacramenti istius, recipiat effectum sacramenti, scilicet gratiam pænitentialem, non quidem ex merito, quia dispositio interior non erit sufficiens per modum meriti, sed ex pacto Dei assistentis sacramento suo ad effectum illum ad quem instituit sacramentum. Alioqui non appareret quomodo sacramentum pœnitentiæ esset secunda tabula si nunquam per ipsum, ut sacramentum est, posset recuperari secunda gratia amissa, sed tantum per attritionem tanquam per primam dispositionem, & per contritionem tanquam per dispositionem completiuam.* Hæc ille. Quod autem nemo seipsum, etiam diligenter explorans, possit certò scire se non posuisse obicem, perinde est ac si quis dixerit, Nemo potest scire verũ viuat. Mitto quod supponit Apostolus vt rem manifestam, spiritum hominis nosse quę sunt interna hominis. Sed si Scoti autoritas quæritur, ipsemet in eodem lib. dist. 5. art. 1. ait: *Si ex bonitate ministri dependeret baptismus, nunquam posset aliquis esse certus se uerè recepisse baptismũ: quod est inconueniens. Et si obijcias quòd nec modò potest esse certus, quia nescit dispositionem suam propriam: hoc non obstat, quia satis potest nosse certitudinaliter, sicut requiritur certitudo, quòd ipsemet intendit recipere baptismum: & hoc sufficit ex parte eius.* Hæc ille. Et Gabriel manifestè hanc ex ipsius Scoti doctrina conclusionem facit, quod si satis esset ad pręparationem ad sacramentum pęnitentię non ponere obicem, seu, quod est idem, non fictè accedere, quod ad hoc pertinet, homo posset esse certus adeptæ gratiæ: quia homo potest scire certo se obicem non posuisse. Gabriel Biel. Solum tamen hoc restat quoniam ministri intentio requiritur, quæ (vt aiunt) non certo scitur, sed tantum probabiliter pręsumitur. At hoc dictum pro suis meritis accipietur & tractabitur in alia assertione ex doctrina sanctorum Patrum & B. Thomæ nostri. Nunc illud satis, quòd Scotus in hoc nobis assistat docentibus posse hominem nosse legitimè se præparatum accedere ad sacramenta, pręsertim baptismi, ex quibus absque dubio confertur gratia pręparatis.

Sunt et & alia loca apud Scotum similiter nostrę sententiæ attestãtia, vt est quum (iuxta Philosophi doctrinam valde rationabilem & omnem non proteruum intellectum vincientem) Absurdum esse ait latere nobiles habitus habentes illos. Quapropter vult hominem habentem fidem scire notitia fidei se habere fidem, & similiter charitatem posse per actum interiorem & exteriorem ostendi. Et de charitate quidem hæc eius sunt verba: Scotus in 3. dist. 24. *Charitas potest ostendi & actu interiori quo inuenit homo se promptum ad diligendum Deum, & exteriori quo feruet in actibus extrinsecis pro aliquo dilecto: Sicut aliqua scientia ostenditur actu in interiori intelligendo, & exteriori in bene docendo.* Et de fidei notitia in eodem lib. dist. 23. hęc amplissima verba effudit: *Sed quid dices de fide infusa quòd non possit demonstrari inesse, cum Augustinus 13. de Trinitate cap. 1. dicat, quòd homo fidem suam tenet firmissima scientia & certissima,*

eámq; in se uidet: quia rerum absentium fides est praesens: & rerum quae foris sunt, intus est fides: et rerum quae non uidentur, uidetur fides. Respondeo quod accipiendo fidem prout dicit habitum generatum inclinantem in aliquid non euidens ex se tanq; in uerum, & hoc determinatè ut assentit illi tanq; uera, sic potest aliquis scire se habere fidem, generaliter loquendo de fide: sicut potest scire se habere scientiam, arguendo habitum esse in se ex ipsis actibus: sed quòd aliquis sciat uel scire possit se habere fidem certam determinatè inclinantem in uerum, ita quod sciat fidem esse ueram, et illud in quod inclinat esse uerum, ita quod facit assentire uero & non solùm inclinat in aliquid tanq; uerum secũdum primum modum: sic nullus scire potest in hac uita nisi reueletur sibi. Probatio huius, quia nõ possum scire me assentire uero, nisi prius sciam esse uerum illud cui assentio: Scire aliquem articulum esse uerum impossibile est pro statu isto de lege communi. Ideò sicut credo Deum esse Trinum & Vnum, & non scio nec scire possum illud pro statu isto: sic credo me habere fidem infusam inclinantem in illud sicut in uerum quod est in se uerum. Hæc ille: quibus quomodo respõderit disputator posterior tædet recitare. Prouocat enim supplex ad æquitatem, ne rigorosè verba Scoti accipiamus. Quomodo verò iuxta æquitatem ipse exponat non afferam, ne in friuolis & nimiũ manifestis tempus teram: quoniam illa expositio manifestè repugnat dictis ipsius Scoti ibi. Quòd verò in primo dist. 17. doceat nõ posse nos scire quod habeamus charitatem ex eius actibus: vel de scientia loquitur quæ sit supra fidem, vt superiori loco de ea loquitur, vel si placeat fatebimur illum sibiipsi aduersum: quod non est nouum. Et hęc de Scoto satis.

B. Bonauentura. Scotus. De B. Bonauentura certũ est, dum negat certitudinem, de certitudine euidentiæ manifestè loqui. Concedit tamen quandoq; certitudinem & notitiam, quam vocauit affectiuam, hoc est, experimentalem, quam proculdubio ipse erat expertus.

Ioãnes Bachõ. De Ioanne Bachon ord. Carmelitarum certum est eum stare à nobis: nec autoritate tantum sua, sed rationibus inuictis. Vocat autem hanc notitiam gratiæ, cognitionem non naturalem, sed quæ sequitur fidem. Vnde & certitudo fidei dici meritò potest. Miratus autem ego sum vehementer hos nouitios scriptores & assertores incertitudinis gratiæ, quo nam iudicio alter hac parte hunc doctorem reprobauerit, alter verò probauerit: nisi vt intelligat lector prudens signum esse magnum non compertæ veritatis, quum qui idem defendunt, non tamen secum satis constant. Nec enim in hoc tantũ non conueniunt, uerum etiam in multis, sicut suo loco monstrabimus.

D. Io. Episcopus Roffensis contra Lutherũ de lib. arb. Non est autem ocium nec operæpretium aliorum scholasticorum explorare sentẽtias, etiam si fortè nobis aduersentur: quoniam duo adsunt nobis præsidia quibus defendimur. Primum est multo maior veterum sanctorum Patrum autoritas & concordia, qua propulsantur. Sic enim sanctæ memoriæ D. Ioannes Episcopus Roffensis & martyr dixit, qui aduersus Patrum sentẽtias non esse admittendas argutias scholasticorum asseuerat. Alterum verò est, quod satis patet eorum error in fundamento. Ipsi enim ad eam opinionem adducti sunt maximè propter illam scripturam: *Nescit homo utrum amore etc.* At nunc persuasum puto esse omnibus, exceptis proteruis, quòd ille locus & reiicit istam expositionem, & alias recipit, quas superius enarrauimus: quod nonnulli ex aduersãtibus nequaq̃ valuerunt inficiari.

ASSERTIO VI.

Quòd nulla est ratio qua illa incertitudo quam aduersarij prædicant, suadeatur.

GAVDEO NOS AD rationum momenta tãdem peruenisse. Hîc potissimum dari mihi attentum lectorẽ velim. *Prima ratio aduersantium.* Prima ratio & fortissimus aduersus certitudinẽ pugnantium Achilles hic erat: Certitudo hæc quæ proponitur si in veritate daretur, noxia homini esset. Faceret enim, inquiunt, remissiorem pigrioremq; in operibus bonis, minusq; timentem Deum. Deniq; faceret pharisęum & arrogantem, vt qui in semetipso confideret. Quare si hoc prẽstaret Dominus Deus, perinde esset (sic quidam eorum dixit) ac si petenti panem vel piscem vel ouum, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, & pro ouo scorpionem porrigeret: quod est impium cogitare de Deo. *Responsio.* Nos autẽ hoc totum quod isti ab hac certitudine produci aiunt, audacter pernegamus. Nam si verum esset, non ita passim & tam multis, imò verò cunctis q à Christo absoluti sunt à peccatis in Euan

gelio memorantur, hoc manifestasset. Sic enim cuidam dixit: *Ecce sanus factus es: uade & noli ulterius peccare*. Et Peccatrici dixit: *Remittuntur tibi peccata tua, & fides tua te saluam fecit*. Et idem Seminifluę, & Chananeę, & Adulterę, & Cęco nato similiter suam restitutam sanitatem enunciauit. Et Nathanaeli dixit: *Ecce uerè Israelita in quo dolus non est*. Et cuidam per Apostolum Dilectum dixit: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*. Qui.n.dixit, Tene quod habes &c. ponit eum aliquid habere quo possit obtinere coronam. Istud autem quid est nisi gratia? Certum etiam est, Dominum sępenumerò discipulis suam ipsorum gratiam aperuisse etiam ab initio, quibus dixit: *Nolite timere pusillus grex: quoniam complacuit Patri uestro dare uobis regnum*. Et septuagintaduobus discipulis dixit: *Gaudete, quia nomina uestra scripta sunt in cœlis*. Zachæo item dixit: *Hodie salus huic domui facta est*. Similiter de Beata Maria Magdalena, quam bonum opus operatam esse palàm testatus est. Sæpius etiam restatus est discipulis suis quòd præter vnum tantùm mundi essent, cum tamen eos erudiret quasi pueros & nouitios vsque ad illud tempus. Consideretur ergo quàm piè fecisset Deus si hæc faciens, esset pro pane lapidem, pro pisce serpentem, & pro ouo porrigere scorpionem. Orat etiam Psaltes aiens: *Dic animæ meæ, Salus tua ego sum*: non aliud volens, quàm diuinum intus diuinę gratiæ responsum. Et in hunc modum orare facit Ecclesiam Deus. Est autem omninò falsum quòd à notitia charitatis diuinæ oriatur per se negligentia, aut excludatur timor ille sanctus in Deum, efficiaturque ob id homo arrogans & pharisæus: cum hęc notitia potius oppositū operetur. Probatur.n. hoc à ratione charitatis & eius præstantia. Qui.n. cognoscit se habere charitatem, scit illam esse diuinum donum, ac per hoc agnoscit donatorem: & propterea ardentius erga illum afficitur, quàm si nesciret se amari ab eo. Innaturale.n.prorsus est vt qui sentit se amari, minus extimuletur ad respondendum in amore, quàm qui id non sentit, aut de eo est dubius, aut formidat. Qui hoc negat, abeat, neque iam mecum disputet. Testimonium enim ego illi perhibeo de ignorantia prauæ dispositionis: siquidem semen amoris est ipse amor. Quin nostra erga Deum charitas in hoc fundatur, quia ipse prior dilexit nos & illud scimus, vt ait discipulus ille dilectus. Nam B. Augustino teste, non est nostrum propriè amare Deum, sed redamare. Quis autem vnquam redamabit qui se amari nesciat? Et nunquid non magis & magis ad redamandum excitabitur, qui etiā magis magisque amari se nouerit? Quis, modo sanæ mentis fuerit, dubitare potest? Dixit enim Dominus: *Cui minus dimittitur, minus diligit*. Pari modo qui minime dimissum sibi cognouerit, minus habet causam diligendi. Si igitur qui nouit se amari vehementius ad amandum excitatur: etiam magis ad operandum quæ grata sunt amico animabitur, cum operis mercedem maiorē speret. Quare nec segnis redditur nec piger: sed contrà potius, testante B. Gregorio: Si amor est, magna operatur.

Ad hæc, Si magis excitatur ad amorē, etiā magis excitabitur ad timorem, dico timorem sanctum & pium: non autem timorem pęnę seruilem, quem assiduè charitas mittit foras, illumque sanctum & pium parit, conseruat, & nutrit. Quapropter magis timet offendere Deum, quem tam beneficum erga se expertus est: magis quoque timet amittere ipsam charitatem quam habet, sciens et æstimans magnitudinem doni. Non secus atque qui scit se habere thesaurum, magis metuit ne perdat eum, ac propterea maiori studio & uigilantia custodit eum, quàm si nesciret, aut si dubitaret: præsertim existimans quòd etiam quęrēs illum, nunquam tamen ita sit inuenturus vt se inuenisse cognoscat. Quis enim diligentem curam ad eam rem custodiendam adhibeat (vt ait B. Gregorius) quā se possidere ignorat? Sed ille, ille inquam serio custodit, qui nouit quidnam sit quod custodiat, & se possidere intelligit. Audit enim verbum Dei dicentis: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*. Non.n. putandum est illi soli dictum ad quem sermo primum dirigebatur: sed omnibus dictum, qui similiter experimento agnoscerent in se gratiam Dei. Viuus est enim sermo Dei, & semper loquitur.

Nec propterea fit arrogans aut pharisęus homo gnarus suæ gratiæ: imò potius arrogans & pharisæus ille propriè efficitur, qui charitatem non habet. Charitas enim eum in quo est, inflari non sinit si benè illa vtatur. Scientia, inquit Apostolus, inflat: charitas aūt ædificat. Alioqui quāto quis esset in charitate præstantior, tanto minus deberet scire de sua charitate, ne inflaretur. Sed quia tanto magis quis nouit se Deum diligere, quantò magis eum diligit: tantò plus haberet de pharisęo, quantò plus diligeret, si uera isti dicunt: quod est absurdissimum. Pharisæi .n.non à charitate vel eius notitia, quam non habebant, erant pręsumptuosi cęterorumque contemptores: sed ab operibus mortuis, &

à falsa propriarum virium persuasione: quoniam, vt ipsemet Dominus testatus est, con-
Luc. fidebant in semetipsis & spernebant cæteros. Nec dicat mihi argutior quis, quod charitas quidem non inflat, sed charitatis agnitio ipsa est quę inflat. Imò nec ipsa charitatis agnitio: quoniam si quis se amari nouit, & hinc amat (vt est omnis qui est in gratia) considerans se non esse priorem in dilectione, sed prçuentum à diligente, magis humilis fiet coram dilectore, cui acceptum refert omne datum optimum, & omne donum perfectum.

Ad hęc, qui nouissimè scripserunt, tandem victi rationibus confessi sunt, viros per-
NOTA fectos posse meritò habere certitudinem suæ gratiæ coram Deo, ita vt nec dubitent, nec hæsitent, nec formident: quanquam hanc certitudinem moralem vel humanam vocent. At hoc ipsum cur concedunt, si interest eorum non esse certos, ne efferantur ac superbiant?

Ad hęc, si propter metum inflationis non deberet quis certus reddi suæ adeptę gratię, multò minus certior reddi deberet de aliis donis gratuitis, quę non faciunt ex se hominem dilectorem Dei sicut charitas, quale est donum scientiæ, quę inflat. Item donum fidei, donum prophetię, & alia quęcunque huiusmodi. Et tamen omnes fatentur hęc dona certò à possidentibus agnosci. Experientia.n. certos facit possessores.

Denique hoc istorum argumentum refel-
B. Thomas in loco supra citato. litur à D. Thoma, qui sic ait: *Reuelat Deus suam gratiam aliqbus ex speciali priuilegio, ut securitatis gaudium etiam in hac uita in eis incipiat, & confidentius magnifica opera prosequantur, & mala præsentis uitæ sustineant.* Hęc ille. Ex quibus clarè patet, tantum abesse vt hæc notitia gratiæ sit noxia, vt etiam speciali priuilegio detur (iuxta B. Thomę doctrinam) ad securitatis gaudium, ad operandum confidentius non qualiacunque, sed magnifica opera: denique ad tolleranda istius ærumnosę vitę incommoda.
B. Augustinus Addo & B. Augustini testimonium iam superius citatum, qui de Apostolis planè dixit, ad maius donū Spiritus hoc pertinere vt eis innotesceret quod habebant. Quare mirabor si quis ad hęc aduertens ausit dicere non expedire homini habere notitiam huius doni cęlestis, quod est charitas, aiente B. Augustino scire hoc ad maius donum Spiritus pertinere, & B. Bernardo quòd periculosissimè ignoratur: quod & B. Gregorius prius docuerat. Et ideò probamus sapientius esse credere, quod inter cętera multa dona hoc quoque munus addiderit clemētissimus atque optimus Pater cęlestis, vt amici sui etiam cognoscant in se ipsis hoc donum, quo nullum est præstantius. Denique, si hoc donum agnoscere, quo diuinæ naturæ consortes reddimur facit hominem pharisæum & arrogantem, cur exclamans Beatus Leo nos adhortatur, in-
quiens: *Agnosce O christiane dignitatem tuam, et diuinæ consors factus naturæ noli in ueterem uilitatem degeneri conuersatione redire etc.* Vide igitur prudens lector, quàm facile ruit hæc prima & potissima aduersariorum ratio, vt posset ex opposito in illos ratio conflari. B. Leo in sermone denatiuitate Christi.

Secundò, dixere quidam, quod hoc donum gratię siue charitatis nullo modo sciri certò potest vlla via. Nam ex se quidem sciri nequit. Secunda ratio. Est enim, vt ait D. Augustinus, donum ipsum immanifestum & occultissimum. Item nec à priori discitur, idest, à principiis indemonstrabilibus. Cùm enim, vt B. Thomas docet, à Deo procedat, Deus autem ipse non videatur, non est dubium quin à priori sciri non possit. Beatus etiam Paulus hoc elegantius probare videtur, dum indicat hoc donū descendere à voluntate Dei. Nemo autem potest eius voluntatem nosse, nisi Spiritus qui est in illo & illius profunda scrutatur reuelauerit. Porrò manifestum est à priori nō esse huius doni notitiā. Sed nec à posteriori, idest, ab eius effectibus siue actibus: quoniam nullus est (aiunt ipsi) charitatis siue gratiæ actus, qui non valeat etiam naturaliter procedere à potentiis vel habitibus acquisitis, saltem cum speciali auxilio Dei.

Quoniam verò huiusmodi ratio non solū Responsio. est fallax atque inefficax, verum etiam periculosa, & manifestè contra rationes, contra scripturas & verbum Dei, paulò diligentius considerandà est. Primò.n. dicimus verè hoc donum absque reuelatione sciri nō posse: Sed non requiritur reuelatio specialis ac priuilegiata: sed satis est si vel fides infusa, vel Spiritussanctus intus inhabitans suis charioribus amicis assiduè cōtestetur. Pręterea, id quod aiunt, omnem actum qui potest à charitate proficisci, prodire etiam posse à naturali potentia vel habitu acquisito, profectò superuacaneum reddit hoc Dei donum, idest, habitum charitatis. Habitus enim propter actus sunt. Gratis igitur venit Dominus IESVS ad acquirendum nobis illud donum. Quòd si quis dixerit, facilius prodibit actus per charitatem, non euitabit hac responsione damnatum Pelagii dogma, qui hoc solum aiebat Pelagianū dogma damnatum operari in nobis charitatē & gratiam vt quod alioqui naturę viribus potuissemus, facilius possimus adiuuante gratia. Quare falsum NOTA omnino & hęreticum puto, asserere non esse

actū aliquem charitatis, qui non posit aliūde naturaliter prodire. Homo.n.absq; gratia & charitate Dei infusa non potest Deum super omnia diligere, & proximum sicut seipsum. Nec potest verum sustinere martyriū propter Deum & Christum, idest, vero & syncero illius amore. Nec item alios multos effectus parere, qui à sola charitate producūtur, quale est gaudium, & pax interna quæ exuperat omnem sensum, & quam mundus dare non potest. Illa profectò tametsi imperfecta pax, cui nihil deest nisi possesio sperati boni, fructus est Spiritussancti, & non naturæ. Tale est gaudium verum & spirituale, quod nemo nouit nisi qui accipit, & nemo illud dare potest nisi Christus p spiritū suum. Hæc est proculdubio omnium Patrū & scripturæ sanctæ doctrina, vt suis locis abūdius ostendemus.

Interim respondeant mihi, quæso, ex vera existimatione, & non ex contradictione: Quis alieno & inimico propriæq; vitæ persecutori benefaciet ex corde? aut bene optabit ex vlla naturç potentia aut virtute quæsita? Et quis optabit, aut non metuet mortem subire pro illo & illius salute? Dominus ipse dixit: *In hoc cognoscent omnes quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem*. Perpendamus, quæso, quid dicat Dominus, & videamus tantæ virtutis notam. Ipse enim non solùm eos qui habent dilectionem ad inuicem ex charitate, ab eius fructibus nosse talē in se amorem prædixit, verum etiam alias gentes infallibili hoc signo idem esse cognituras. Vnde Caietanus ibidem sic scribit ad literam: *Ecce infallibilia signa discipulorum Christi: ecce insignia propria Christianorum, quæ utinam hodie apparerent*. Beatus Thomas ante illum ibidem sic scripserat: *Quòd & si Apostoli multa dona à Deo acceperint, nulla tamen fuerunt infallibilia signa discipulatus præter hoc unum charitatis donum, unde mutua inuicem dilectio. Nam reliqua bona poterant esse communia bonis et malis*.

Caietanus.

D.Thomas

Ad hæc, Dominus instituens discipulos suos dixit: *Diligite inimicos uestros, benefacite his qui oderunt uos, & orate pro persequentibus et calumniantibus uos: ut sitis filij Patris uestri qui in cœlis est*. Ecce quàm manifestè Dominus ostendit hæc opera & hos actus esse proprios filiorū Dei. Et superius expressè docuit non esse ethnicorum & hominum peccatorū. Hoc vidēs B. Thomas eleganter dixit: *Dilectionis amici potest esse alia ratio quàm Deus. Sed dilectionis inimici solus Deus est ratio*. Et B. Gregorius lib. 22. Mor. cap. 10. dixit: *Omnipotētis Dei nos esse discipulos sola custodia charitatis probat. Hinc est.n. quòd per semetipsam Veritas dicit: In hoc cognoscent omnes quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Quæ nimirum dilectio si cor nostrum ueraciter replet, duobus modis ostendi solet, scilicet, si & amicos in Deo, & inimicos diligamus propter Deū*. Et alibi super Euāg. hom. 38. *Ille ergo*, inquit, *securè amat, qui propter Deum illum amat à quo intelligit se non amari*. Hæc ille. Verum & de hoc suo loco dicturi sumus fusius.

B. Gregorius

Tertio, fuerunt alij qui perspecto superioris iam à nobis confutatæ positionis periculo, moderatius loquuti non probarunt ꝙ actus charitatis parum differant ab actibus naturalis amoris, cum naturalis amor sit amor sui vsq; ad cōtemptum Dei: charitas autē amor Dei vsq; ad contemptum sui, sicut locuti sunt sancti Patres à scripturis diuinis edocti: sed dixerunt quòd omnes actus qui imperantur à charitate secundum sui substantiam, non tamen secundum suas circunstantias, possunt prodire naturaliter vel ab habitibus acquisitis: sicut patet de actu martyrij qui videtur esse excellentissimus. Nam visi sunt aliquot ex hæreticis huiusmodi extrema etiam libenter pati: & similiter facultates suas in pauperes liberaliter profudisse, & talia multa fecisse, quæ similiter à nostris fiunt. Et ideò propter hanc actuū similitudinem nō potest certò & infallibiliter discerni verus charitatis habitus à falso. At nos contrà audacter asserimus posse hominem absq; deceptione ex multis signis à Deo nobis assignatis, pro aliquo saltem tempore, colligere suæ gratiæ certitudinem ab ipsis actibus & effectibus, qui vel sunt charitatis, vel eos consequenter & necessariò subsequitur charitas. Neq; nos mouet instātia quæ de hæretico adducitur, qui (vt volūt) patitur martyrium propter Christum & Ecclesiam, eo nomine quòd se putet esse in vera Ecclesia. Vnde aiunt isti: Cur pari errore duci non posit aliquis in vera tamen Ecclesia existens, vt sibi persuadeat se propter Christū martyrium perpeti, & nihilominus vanç alicuius laudis cupiditate illectus, vel phantastica quadam impulsus apprehensione, siue quauis alia de causa præter spiritum charitatis ad supplicium feratur? Respondeo, multa inuolui in proposito casu, quæ omnino extricari est necesse vt vera pateat ad obiectionē hāc solutio. Dico ergo de hæretico, in quo non potest esse vera charitas, si exactè suam ipse scrutaretur conscientiam, non posset ei videri se pro Christo pati & Ecclesia. Nam certò scire posset, si ad lucem veritatis rediret, se sua sponte ab Ecclesia segregatum, & proprio iudicio, vt ait Apostolus, condemnatum. Qui si fortè ita sit excęcatus, vt caute-

Tertia ratio.

Responsio.

riatam habens conscientiam hoc sibi etiā videatur, quid, obsecro, ad nos de huiusmodi obstinatis & prorsus à Deo derelictis? Nunquid propterea alicuius momenti erit hoc argumentum: Hæreticus potuit in eo statu errare, imò de facto errauit putās se pari ex charitate: Ergo similiter errauit christianus, aut etiam errare potuit, si tamen debitè suam exploret conscientiam? Certè illud falsissima & theologo indigna consequētia colligitur. Non inficior posse & catholicos ob inanem gloriam pęnas martyrii sustinere: sed hic finis eos non latebit. At qui perfusus est Spiritu Dei verus christianus, veram nouit Ecclesiam, & hoc ex fide. Nouit verum Pastorem & vocem eius: quia ex fide hanc habet discretionem. Vnde Dominus aiebat: *Qui ex Deo est, uerba Dei audit*. Et: *Oues meæ uocem meam audiunt & sequuntur me*. Nec est vllum in hac sequela periculum: quia lumen vident, & nō possunt errare. Vnde ipse dixit: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ*. Et alibi: *Qui ambulat in die non offendit: quia lucem huius mundi uidet*. Et scriptura ait: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*. Qui aūt tales sunt, certitudine plena quæ est experientiæ ducuntur, certissimi se vero Christi amore, & non cuiusq̄ alterius rei cupiditate cum gaudio ad martyrium & alacres currere: aut oblatum fortiter sustinere, nihil dubitantes, nihil hæsitantes aut trepidantes, sed exultantes & gaudentes. *Ibant.n.Apostoli* (vt scriptura inquit) *gaudentes à conspectu concilij, quia digni habiti sunt pro nomine* IESV *contumeliam pati*. Experiebantur.n.vim & efficaciam illius diuinę pollicitationis: *Ego dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij uestri. Nolite in illa hora cogitare quid, aut quomodo loquamini. Dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini*. Itaq; non potest à similitudine actus esse deceptio. Etenim tantum interest inter actum veri martyris sustinentis pro Christo clarè cognito, & actum falsi martyris patientis pro sibi conficto & falso Christo, quantum inter profundissimas tenebras & splendidissimam lucem. Alioqui valdè miserum esset, hominem extrema pati pro Christo, & hoc ipsum eum latere. Quo dogmate quis non deterreretur à martyrio? Quis.n.velit cuiquam cum dispendio vitę seruire, & ignorare aut dubitare vtrum illi, an potius hosti seruiat?

Quarta ratio. Quartò, argumentati sunt quidam sumentes hoc tanquā dignitatem, videlicet Lumen fidei non extendi ad huiusmodi particulare & contingens & consistēs in aliquo facto nostro. Id se manifestissimè probare opinātur exemplo hostiæ quæ ostenditur adoranda. Fides.n.adorantium & credentium esse corpus Christi in hostia consecrata, non respicit illam vel illam particularem hostiam, sed vniuersaliter dicit: In hostia ritè consecrata est corpus Christi, vt docet B. Thomas. Ita ergo ad rem propositam. Fides dicit ꝙ ritè baptizatus accipit gratiam. Quòd autem hic vel ille sit baptizatus ritè, id non dicit fides, & consequenter non dicit talem esse in gratia. Similiter & de cæteris sacramentis, vnde assistentiæ gratiæ colligi posset. Hæc illi. Et nos contrà asserimus eos euidenter falsum assumere quasi dignitatem, videlicet ꝙ ad particularia & quę in facto consistant, non valeat extendi fidei lumen, vt illud credamus ex fide. An nō, quæso, tenemur credere Christum crucifixum fuisse à Iudæis, & Iudam illum tradidisse, & Antichristum venturum, & alia innumera particularia facta & contingentia? Verùm aiunt: Ista continentur in scripturis iam reuelata. Non debuit ergo assumi illa vniuersaliter, Fidem non posse extēdi ad particularia facta: sed adiungi debuit illa exceptio, pręter illa particularia quę habemus in scripturis reuelata: & tunc apparuisset non ideò fidem ad particularia facta mini me extendi quia particularia sint (vt videbantur velle) sed quia non reuelata in scripturis: quod tamen etiam falsum esse multis inscitiis euincitur. Nam cum Abrahę multa particularia fuissent particulariter à Domino reuelata antequàm fuissent scripta & Ecclesiæ nota, nónne prius ea recepit fide? Cui dubium? Hoc ipsa scriptura testatur: *Credidit*, inquit, *Abraham Deo*. Vnde & fidelis vocatus est: quod & de aliis facile persuaderi potest. *Responsio.*

Porrò de hostia consecrata verum est ꝙ fides non respicit illam vel illā hostiam: quoniam incertum est de consecratione. At si omnibus certum esset illam vel illam hostiam esse ritè consecratam, omnes proculdubiò qui de consecratione certi essent, sicut sunt ipsi sacerdotes qui consecrant, hac certitudine constante illis de facto, proculdubiò tenerentur ex fide recipere ibi esse corpus Christi. Neq; hoc vnq̄ negauit B. Thomas, neq; negare potuisset. Illud verò ridiculum & omnino explodendū, ꝙ olim extendebatur quidem infusæ fidei lumen ad particularia non contenta in scripturis, nunc verò non: vt sit alia fides veterum Patrum à nostra: quod est absurdissimum.

Verùm ad rem redeundo, Possent fortasse hoc pacto argumentari. Huius particularis, videlicet ꝙ tu sis in gratia, non est vlla

reuelatio diuina. Fides autem innititur diuinæ reuelationi: Ergo &c. Respondemus, hoc primum pmittentes, duobus modis posse quempiam scire ex fide se esse in gratia Dei. Et vno quidem modo directè siue immediatè à reuelatione interna per testimonium Spiritussancti, cui assentiuntur qui in seipsis vocem Spiritus audiunt contestantis eorũ spiritui quòd filii Dei sunt. Hoc testimonium recipientes, certi sunt notitia fidei ꝙ sunt in gratia Dei, & securè possũt dicere, Pater noster: quia hoc illis reuelat Deus, vt iam diximus autoritate Apostoli & Christi, cum dixit: *Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*. Quæ postrema verba exponens Caietanus, & accipiens *Manifestabo*, pro, *Insinuabo*, sicut significat græca vox, sic ait: IESVS *cuilibet diligenti se indicat seipsum intus interna illustratione & inspiratione diuersimodè, prout electi experiuntur, accipientes manna absconditum, quod nemo nouit, nisi qui accipit*. Hæc ille. Quare secundum hunc modum agnoscendi gratiam, dicimus hominem certò posse scire se esse in gratia: quia hoc particulariter ei reuelatur. Falsum est igitur assumptũ illud, nullam esse huius veritatis reuelationem.

Duobus modis potest iustus scire ex fide se esse in gratia.

Alter verò modus sciendi præsentiam gratiæ suæ non est ex hoc interno Spiritus testimonio & directa illustratione, sed ex aliis certò reuelatis, iunctis his quæ sensu & experimento sentiuntur, certò concluditur. Verbi gratia, Beato Ioanni Baptistę fuerat reuelatum: *Super quem uideris Spiritum descendentem etc. hic est qui baptizat*. Non enim cognoscebat de facie Christum. Postea vidit eum venientem, & Spiritum descendentem super illum. Hoc autem non ex noua reuelatione accepit, sed certo sensu discreuit. Conclusit autem ex priore reuelatione illum quem baptizauit, esse Christum: quod & ex fide credidit. Et ita anteq̃ esset clarum in Ecclesia quæ erat tunc in Iudæa, IESVM Mariæ filium esse Christum, multi particulariter à scripturis educere illud poterant, & credere ex fide. Vnde & non credentes conuicti sunt de perfidia. Poterant. n. id ex factis illius colligere, præsuppositis tamen scripturis sanctis, quæ illum designabant, per ea quæ ante oculos videbant ab eo admiranda fieri. Licet enim non haberent particularem internam reuelationẽ directè & immediatè sibi indicantem & dicentem, Hic est Christus, qualẽ habuit B. Ioannes Baptista, habebãt tamen Mosem & prophetas qui prænunciauerant de eo multa, quę propriis oculis videbant in ipso IESV impleri: & credentes ipsi Mosi, sicut tenebãtur, inde colligere facilè poterant, ipsum esse Christum, & hoc à lumine fidei, quod habebant de scripturis sanctis & Mose. Quod si verum non esset, non potuissent à Domino accusari tanq̃ perfidi, & increduli. Nec dixisset Dominus: *Si crederetis Mosi, utiq; crederetis et mihi: Moses enim loquutus est de me*. Et iterum: *Si non uenissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent*, videlicet incredulitatis & perfidiæ. Et: *Si non fecissem signa, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Ecce ergo quomodo vna particularis conclusio non immediatè reuelata, ex ipsis tamen iam reuelatis, & adiunctis his quæ sensibus erant euidentia, concludi potest vt & ipsa quodam modo reuelata credatur: quoniam in suo principio vnde deducitur, reuelata est. Et tamen vt res propius inspiciatur, & redarguatur is qui prior hac de re scripsit, & quasi dignitatem constituit, Fidei lumen non extẽdi ad hæc particularia: Fingatur sacerdos aliquis peritus legis, qui puerum baptizauerit. Hic profectò ex fide tenetur credere infantem illum baptizatum gratiam adeptum esse. Nec ipse disputator id inficiatur, cum per se sit clarissimum: quia si sacerdos ille id non crederet, perfidus haberetur velut q fidei articulo resisteret. Non. n. crederet Verbo Dei: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*. Aut rationẽ reddere cogeretur cur non crederet, postquàm certò sciret se infantem ritè ac iuxta morẽ Ecclesię baptizasse. Et tamen hoc huius fidei obiectum est particulare, & non reuelatum in se ipso, sed in sua vniuersali.

Quomodo ex una propositione de fide & altera de euidentia, sequitur conclusio de fide.

Ad hæc, Ponatur iterum sacerdos ritè cõsecrans hostiam, & hoc certò sciens, & propterea certò credens ibi esse corpus Christi. Quæro de illo sacerdote, habet'ne hoc certum fidei certitudine, an non? Si primum asseritur, habeo quod peto: quoniam de re particulari, Ecclesię non reuelata, est fides. Si negatur: tunc pono eundem non credere ibi esse corpus Domini, tametsi certò sciat se ritum Ecclesiæ in consecrando seruasse. Et quæro, est'ne iste hæreticus non credens? Si negatur, nihil moror. Si conceditur, & nõ potest esse hæreticus nisi qui non credat aliquid ad fidem pertinens: Ergo necessario credens, illud ex lumine fidei credit. Et planè stultum est ponere, sacerdotem non obligari ad credendum in ea hostia esse corpus Christi, eo ꝙ de seipso non certo sciat (vt aiunt) vtrum sit verè sacerdos, vtpote non consecratus fortè ab homine potestatem habente, aut ordinandi intentionem. Hic certè cauillus est merus & nimis periculosus ac su-

perstitiosus, cum satis apparenter cognoscitur ritum Ecclesiæ seruatum esse, secundum egregium B. Thomæ doctrinam, de qua suo loco dicemus. Absit ergo (nisi fortè p aliud manifestè appareat aliquid quod scrupulum iniiciat) vt aliquis sacerdos possit dubitare de adepto ordinis ministerio ac potestate, ac propterea non teneatur credere ex fide, sub hostia quam ipse nouit rite à se consecratam, corpus Christi verissime esse.

Ad hæc, quid dicent de Apostolis, qui certo sciebant se rite à Christo fuisse ordinatos? Nunquid non illis erat necesse ex fide credere in illa hostia quam consecrabant, esse corpus Christi? Ad hunc igitur modum dicimus hominem adultum baptizatum posse certo scire ex lumine fidei se adeptum esse gratiā, cum possit certo scire se sine fictione ac dolo ad baptismum accessisse. Non .n. potest hic fingi quicq̄ à baptizando requiri, quod præstare non possit, aut quod ita difficile sit præstare, vt impossibile, seu difficile scitu sit an ipse præstiterit, nisi vero eousq; velimus facere homines lapides, aut belluas, vt nequeant de sua intentione iudicare. Hoc sane ita est dictu absurdum, vt non solum responsionem nullam, sed derisoriam explosionem iam mereatur. Sic.n. & fides nostra facile irrideretur, quæ in omnibus p̄supponit aliquam notitiam sensus. Scimus nos teneri ad credendū determinata ab Ecclesia, & cuncta quæ in scripturis habentur. Quòd autem ab Ecclesia sit aliquid determinatum, in facto cōsistit, & non à fidei lumine apprehenditur. Et similiter ea quæ leguntur in scripturis verti possent in dubium, an scripturæ verè sic habuerint, aut si falso aliquid additum sit. Posset ergo aliquis nos eludere, & negare hoc esse determinatum aut scriptum in sacris literis. Si autem illi ostendas ex verbis cōcilii aut scripturarum, posset obiicere: Quid scio ego

NOTA an hæc sint verba concilii & scripturæ, an vero sint adiecta, an scriptor errauerit, an tu & ego bene legamus, an Diabolus fascinet oculos nostros, & an illi qui visi sunt esse Episcopi & sacerdotes in concilio vere tales fuerint, aut Papa verus Papa? Et sic his multis aliis modis euadendo nihil haberemus ex fide firmum.

Quod vero quidam attulerunt, non posse nos esse certos an satisfecerimus præcepto præparationis nostræ, qui nec scimus quid ad præparationem requiratur, cum variæ sint circa hanc rem doctorum sententiæ: omnino falsum & periculosum est, & seipsum destruens. Sugillatur enim diuina prouidentia, quæ requirat aliquid a nobis, & illud non sit manifestum, in re præsertim tanta vbi agitur de salute. Vere non valeo interdum nō stomachari dum hæc audio, maxime cum a quibusdam efferuntur tanq̄ irrefragabilia argumenta. Et tamen nunc iam in ipsa iustificationis doctrina patefactum est satis, aut potius quod patebat declaratum est, quid præparationis exigat a nobis Deus ad primam iustificationem in baptismo: quæ tā clara sunt, & adeo factu facilia, vt merito censere possimus non esse hominem mentis tam stupidæ, qui cum hæc fecerit, ignoret se illa fecisse. Obstinatos potius crediderim illos appellandos qui velint hæc defendere, videlicet q̄ nemo certo posset nosse de conscientia sua, vtrum syncere, an ficte accedat ad sacramentum. Nam vere hæc doctrina videtur mihi (vt iam dixi, & sæpius dicendum est) non aliud q̄ illaqueatio animarum, & conscientiarum cruciatus, vt etiam ad insaniam infirmi & pusillanimes redigantur, vnde vel periculosa scrupulositas oritur, vel cōtemptus pernitiosus.

Quinto instant: In his quæ sunt fidei non potest subesse falsum. In hoc autem quòd tu vel ille sitis in gratia potest subesse falsum, quia potest cuilibet homini videri se esse in gratia, cum non sit. Non ergo ex fide sciri hoc potest. *Quinta ratio.*

Ego vero huiusmodi argumentum in aduersarios conuertens, primū dico: Nónne vos asseueratis hominem ex speciali diuina reuelatione posse certo scire se esse in gratia? Modo quæro a vobis, Nónne etiā in huiusmodi specialibus reuelationibus potest esse deceptio? Certe multi de facto fuerunt decepti. Imo vosipsi disputatores hoc in exemplum adduxistis, ne quis a lumine fidei putet se certo scire posse præsentiam diuinæ gratiæ, cum multi qui se habere reuelationes prætendebant, elusi sint a Diabolo. Itaque hoc eorum argumentū non tam contra nos concludit non posse haberi hanc certitudinem a communi lumine fidei, q̄ contra illos q̄ neq; a speciali reuelatione possit haberi. Vtroq; siquidem modo potest esse deceptio. Quod si dixerint, vbi vera fuerit reuelatio, non poterit subesse falsum. Et nos similiter dicimus: si vere fuerit testimonium Spiritus, & vera baptizati pœnitentia, quæ facile nosci potest, etiam non poterit subesse falsum. *Responsio.*

Ad hæc, Vna est instantia, quam superius aduersus hæc omnia argumenta adduximus. Certum est.n. apud B. Augustinum & Thomam, q̄ homo habens fidem cognoscit certitudine fidei se habere fidē, & quidem

illam infusam. Quomodo vero hoc, cum quod ego habeam fidem infusam non sit mihi reuelatum ab Ecclesia, & sit quoddam factum particulare, & pari modo contingens (sicut habere gratiam) & tale sit in quo possit homo etiam errare? Nam & hæretici dicunt se credere & certò scire quod credūt. Multis itē quos propria conscientia (malè tamen explorata) decipit, videtur quòd credant, & rectam fidem habeant. Validè igitur retunduntur hæc argumenta, quę non solùm contra veritatem manifestè concludunt, verum etiam contra eam ipsam, quam ipsi argumentatores fatentur B. Thomæ doctrinam.

Vt ergo latere deceptionem in argumento intelligant, istud est animaduertendum. Quando dicunt: In eo quod proponitur ex fide credendum non potest subesse falsum, rectè dicunt. Et cum subsumunt: sed in eo quod alicui apparet se esse in gratia potest subesse falsum. Negatur si supponatur illi verè hoc apparere ex lumine fidei, sicut asserimus posse contingere. Quemadmodum nihil prohibet ponere aliquē, cui verè lumen fidei illuceat, & de illo dicere: Hic si crediderit lumini, non potest decipi: & in eo particulari sic circunstātionato (vt ita dixerim) non potest subesse falsum. Alioqui nullum verum sciri ab vllo posset per syllogismū: quia posset esse deceptio in ratiocinatione, cum & multi decipiantur paralogizantes. Simili modo nec posset esse vlla scientia de particularibus & contingentibus, quæ aliter se possunt habere, cùm scientia sit vniuersalium, & eorum quæ sunt æternæ veritatis. Et tamen rectè dicitur etiam particulariū esse scientiam, inquantum in ipsis inuenitur atque inspicitur ipsum vniuersale & necessarium. Sic igitur ista quæ sunt facta particularia & contingentia, & si possint suapte natura recipere fallacias ac deceptiones, & subesse in eis falsum: inquantum tamen subsunt lumini fidei, certissimæ & infallibilis sunt veritatis: quia testimonium habent diuinum. Hoc igitur debebāt probare, nimirum ad hæc obiecta particularia non extendi communis fidei lumen, sed solùm reuelationis specialis, & tunc obtinuissent. At hoc probari non poterat, cum sit manifestè falsum, & certis retundatur exemplis, sicut superius ostensum est.

Sexta ratio. Sexto instatur: Si posset sciri gratiæ pręsentia absque reuelatione, frustrà igitur quibusdam ex priuilegio ac prærogatiua hoc reuelasset Deus: vt de B. Paulo dicitur & de aliis. *Responsio.* Respondemus, Absque reuelatione nō posse sciri assistentiam gratiæ in nobis, imò nec gratia ipsa an sit, potest sciri absque reuelatione: quoniam lumine naturali est impossibile percipi hoc quod supernaturaliter infunditur, & est supernaturale donum. Sic ait Propheta: *A seculo non audierunt etc.* Et Apostolus: *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum. Spiritus.n. scrutatur omnia, etiam profunda Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Si ergo quæcunque tenemus fide, à reuelatione accipimus: & è conuerso quæcunque à reuelatione habemus, fide apprehendimus: primò falsum redditur quod quidā aiunt, videlicet certitudinem gratiæ haberi posse ex reuelatione, non tamen certitudine fidei, cū omne reuelatum accipiatur fide. Nam cum multa peculiariter essent priscis patribus reuelata, atque ipsi ea credidissent, cōmendati sunt de fide: vt Abraham & cæteri prophetæ & multi sancti & nouissime B. Petrus præ cęteris Apostolis, qui Patris cęlestis reuelationem suscipiens, à Domino ita est de fide commendatus, vt beatificari meruerit quia credidit. Et Virgini immaculatæ nónne dictum est: *Beata quæ credidisti?* Quare & Dauid: *Credidi, propter quod loquutus sum.* Et postmodo B. Paulus: *Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod loquutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur: scientes quod qui suscitauit IESVM, et nos cum IESV suscitabit.* Malè igitur & imperitè potest negari fidei certitudo si reuelationis certitudo statuitur: si quidem reuelatio fide suscipitur. Est tamen duplex reuelatio diuina: quædam specialis & priuilegiata, quę nullis subiacet regulis: quędam verò communis, quæ certas sequitur rationes, vt quæ communiter datur venientibus ad Christum vt iustificentur, aut manentibus in Christo, vt amplius iusti fiant. Quę reuelatio sequitur sacramentorum susceptionem, aut heroicorum operum patrationem: vnde certus fit homo suæ gratię.

Verùm aiunt: Quid ergo oportuit speciali & priuilegiata reuelatione facere hos certos, qui alia & communi uia iam certi erant? Respondemus primùm, illis viris illustribus, quibus reuelata est ex priuilegio eorū gratia, non solùm reuelatam esse secundum præsentem iustitiam, quam aliis modis in se agnoscere poterant, verum etiam secundum prædestinationis beneplacitum, sicut ipse B. Thomas declarat, & ipsimet arguentes cōcedunt. 1.q.23.art.1.ad.4. Et pter hoc, nihil prohibet quin illud quod vna via intelligo, alia, vel etiam eadem via possim clarius intelligere. Alioqui frustrà ostensus fuisset B. Petro Christus in monte

gloriosus

gloriosus, vt agnosceret eum esse filium Dei verum & viuum, cum ipse iam accepisset hoc à paterna reuelatione & credidisset, ac tam gloriosa confessione professus esset. Similiter cum Dominus iã multa suis discipulis dixisset de se & regno suo, cur addidit Spiritum sanctum mitti oportere, qui illis ea suggereret, nisi vt quod alias norant, firmius tenerẽt? Infirmissimum certè est hoc argumentum, quo tamen etiam posteriores qui scripserunt nituntur, vt facilè declarent quale sit totum ædificium, cuius talia sunt fundamenta. Sciebat proculdubio & B. Paulus à scripturis sanctis Antichristum venturum, & tamen de eodem habuit speciales reuelationes, quibus etiã idem resciuit, sed clarius, & cum circunstantiis quibusdam, quas non ita à scripturis valuisset eruere. Innumera hîc possent afferri huiusmodi exempla ad hoc argumentũ euertendum. Itaq; solutio argumenti hæc tandẽ sit, nihil prohibere, imò nec insolitum esse, scientibus aliquid aliqua via, illud idem etiam specialiter reuelari, vt vel aliquid amplius norint, vel vt illud idem clarius accipiant, ac firmius retineant.

Septima ratio. Septimo, dicet aliquis. Ea quæ habentur ex fide non certò sciri, sed credi. Multo enim aliud sonare videtur eis hoc verbum, *Credere*, q̃ hoc quod dicimus, *Scire*. Non ergo dici potest sciri gratiam certitudine fidei, cum fides non pariat scientiam. Non me latet multos hoc argumento illaqueari. *Responsio.* Attendunt enim morem loquendi philosophorũ, aut etiam idiotarum qui durè accipiunt, dum audiunt certò sciri posse hoc donum Dei, quod in seipsis non sentiunt: quibus non videretur ita durum, si audirent posse rationabiliter certò credi. Nam cum scientiam audiunt, euidentem notitiam intelligunt, quam fidei lumen non gignit. Quamobrẽ debent considerare, aliter à theologis & scripturarũ scrutatoribus, aliter à philosophis & vulgo sæpenumero solere easdem voces accipi. Nam quòd ea sciri etiam dicantur quæ fide credimus, scripturę passim nos docet. Apostolus de Abraham ait: *Plenissime sciens quòd quæ promisit Deus, potens est & facere.* Et Iob: *Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die etc.* Et Dominus: *Quo ego vado scitis, & viam scitis.* Et Beata Martha: *Scio quòd resurget in resurrectione in nouissimo die.* Et iterũ: *Scio quòd quæcunq; poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Et B. Paulus: *Vt sciamus quæ à Deo nobis donata sunt.* Et iterum: *Scio cui credidi.* Et Dilectus: *Scimus quòd cum apparuerit, similes ei erimus.* Et: *Scimus quòd translati sumus de morte ad vitam.* Hæc & alia multa testimonia ex iis sunt, quæ probant ea sciri quæ absq; vlla prorsus dubitatione credimus. Verum hoc non est genus illud scientię quod quidam mente concipiũt: ideóq; paulò duriores sunt ad concedendum certò sciri posse gratiæ assistentiam, quàm ad cõcedendum certo credi. Sed voces in qualibet disciplina ac doctrina perinde sunt accipiendæ atq; quælibet earum postulat. Nos autem secundum theologiam & sacras scripturas loqui & respondere oportet.

Octauo, argumentati sunt hoc pacto: *Octaua ratio.* Quandocunq; aliqua conclusio educitur è duabus præmissis quæ sint variæ qualitatis aut quantitatis, siue modi aut dignitatis, ipsa conclusio sequitur debiliorẽ & indigniorem partem. Verbi gratia: Si vna præmissarum fuerit negatiua: sit conclusio negatiua. Si particularis: etiam conclusio particularis. Si contingens: conclusio etiam erit contingẽs, quamuis altera sit necessaria. Simili modo, cum ista cõclusio quòd ego sim in gratia, colligatur ex duabus præmissis quarum vna sit certa certitudine fidei, altera autem certitudine naturali, puta experientiæ, non potest dici absolutè talem conclusionem certam esse certitudine fidei, sed experimentali aut naturali: quoniam illa fidei certitudo maior est & dignior. Et nos iterum dicimus, Cum duobus *Responsio.* modis possimus habere notitiam nostræ inhęrentis gratiæ, & vno quidem modo ex lumine directo afflante animam & testificãte spiritui nostro quòd sumus filii Dei absq; ratiocinatione syllogistica, iuxta B. Pauli Apostoli doctrinam: absq; dubio argumentum non tendit aduersus hunc sciẽdi modum, sed aduersus alterum quo arbitramur nos posse scire media via sacramentorum, aut aliorum à nobis factorum quæ habent testimonium Dei, quòd vel per ea consequimur gratiam, vel ipsa certa sunt signa & propriũ effectus gratiæ. Verùm si aduersus hunc modum cognoscendi gratiam procedit argumẽtum, facilis est resolutio. Fatemur .n. quòd quoties ex duabus præmissis infertur aliqua cõclusio quantificata, aut qualificata, aut modificata, (vt ita loquar) ipsa conclusio qualitatem & quantitatem & modum sequitur debilioris propositionis pręmissarum. Quo concesso, negatur istud esse verum vt certitudo sensitiua & experimentalis sit minor aut debilior certitudine fidei quo ad nos. Hoc inde manifestè apparet, quoniam eorum quæ sensu percipimus, nõ est fides. Vnde & de B. Thoma Apostolo dicitur: *Aliud vidit, aliud credidit.* Quia ergo de certitudine non simpliciter & secundum ipsius rei naturam agimus, sed de

certitudine quo ad nos: ideò certitudo fidei cedit certitudini sensus in nobis. Non quasi ista dignior sit aut maior, sed quoniam quo ad nos ratione certitudinis quæ videtur eidē tiam importare, minor est fidei certitudo (vt docet B. Thomas) propter debilitatem intellectus nostri. Cognoscimus enim nunc ex parte, & in ænigmate. His addo, Si aliter dicimus, nihil fere haberemus certum certitudine fidei: quia etiam ipsos fidei articulos, & quæcunque sunt determinata ab Ecclesia, syllogisticè cognoscimus attinere ad fidem, & ex lumine fidei esse recipienda. Sumimus enim semper aliquid quod sensu apprehenditur, aut etiam intellectu extra fidem: quemadmodum potest facile inductione patere. Astipulatur & huic sententiæ nostræ Scotus, qui dixit: Si vna præmissarum sit propositio naturalis, & altera fidei: quæ ex illis conclusio infertur, erit fidei.

D. Thomas. Scotus.

Non imus tamen inficias, Quantumuis certi esse possimus nostræ gratiæ certitudine fidei, non tamen eam nos certitudinem asserere in conclusione quæ est in maiore tum quia semper principia certiora sunt q̄ conclusiones: tum quia minor non est certa ex fide, sed experientia, quæ fallax est. Attamen si minor omnino certa supponitur, & de qua oriri dubium nequaq̄ posit, iam certa redditur conclusio, & eius certitudo innititur in lumine fidei. Sic accidit in scientia particulari: Nam posito aliquo ad sensum certo triangulo, ab ipsa scientia de vniuersali ꝙ habet tres, cōtinuò scio de ipso sub sensum posito ꝙ habet tres, & potest dici conclusio scientifica: quanq̄ contingentium & particularium proprie non sit scientia, sed sensus. Verum quatenus in eis est aliqd vniuersalitatis & necessitatis, scientia est. Etenim dum est triangulus, oportet habere tres &c. Et ita cogitandum est in proposito. Nam quantò fuerit certior, aut minus certa propositio minor, tantò ipsa conclusio vel certior vel minus certa reddetur: quia certitudo maioris assumptę per ipsam minorem ingreditur in conclusionem.

Nona ratio. Nono obiiciunt: Si tu certus es te esse in gratia, & hoc certò habes ex fide, posses ergo absque vllo scrupulo iurare te esse in gratia. Nemo verò sapiens iurabit se esse in gratia; quia temerarium esset, vt ait summ. Pontifex Innocentius: Ergo &c.

Responsio. Respondeo, verū quidem esse ꝙ nemo sapiens iuraret se esse in gratia: quia simpliciter nemo sapiens, etiam si notitiam suæ gratiæ haberet ex speciali reuelatione Dei, deberet tamen vel iurare vel asseuerare, nisi forte vbi expediret vel oporteret: alioqui proculdubio esset iactantiæ. Quamobrem B. Paulus iureiurādo quadam affirmat de se ipso, vnde manifestè eliciebatur eum esse in gratia: quia sic expediebat, & sic ad corroborandum testimonium fieri oportebat. Præterea, potest in multis contingere vt interno lumine afflati gratiam suam fide credant, nec tamen certò constituant se ex fidei infusæ lumine illud habere: quare nec auderent illud iureiurando asserere. Est & in multis infirmitas fidei, qualis in eo q rogatus an crederet, respondit: *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* Vnde nō ab re rogabant discipuli: *Domine adauge nobis fidem.*

Eisdem fere modis respondebitur ad argumentum quo obiiciunt: Si habes ex fide te esse in gratia, teneris pro hac veritate etiam sustinere martyrium. Falsum enim (vt iam diximus) assumunt. Neq; enim pro omni notitia quam ex fide habeo, teneor sufferre martyrium: sed pro his quæ vniuersaliter docet Ecclesia tanq̄ articulis notis, & meritò ab omnibus suscipiendis, & quæ possum certò scire me habere ex fide. Imo fieri potest vt quædam ex fide habeam, quę tamen aliis nō sint pandenda, & peccarem si ea patefacerem. Vt ille qui dicebat: *Secretum meum mihi.* Nonne Dominus aliquando iussit discipulis ne de se prædicarent? Et illis tribus præcepit ne quam viderant in monte gloriam suam vlli dicerent anteq̄ ipse resurgeret à mortuis.

Addo tamen ꝙ si hoc, idest, me esse adeptum gratiam, esset aliquo modo reducibile ad catholicam fidem, nihil prohiberet fateri martyrium esse pro huiusmodi veritate subeundum. Quidam enim diaconus Sanctus nomine (vt Ecclesiastica narrat historia) pro hac sola controuersia martyrium sustinuit atrocissimum ꝙ se Christianum profiteretur. Et tamen secundum istos hoc scire ex fide non poterat. Male igitur fecit, qui tamen de hoc genere martyrii collaudatur.

Eusebius cæsariensis.

Decima ratio. Denique adoriuntur nos tandem nonnulli & dicunt: Tu ergo quid de te dicis? Certus ne es te esse in gratia Dei? His ego audacter respondeo: Scio me aliquando fuisse, cum de sacro fonte baptizatus infans inter christianos descriptus sum. Et pro hac veritate si ad quæstionem deduceretur, & ad rem catholicæ fidei pertineret, spiritu Dei me adiuuante, etiam martyrium substinere nō dubitarē. Hoc idem nunc facerem, si modo recēs ascēderem de fonte baptismatis, & scirem quę scire deberem de fide & quæ scio nunc, videlicet ritè baptizatos accipere gratiam, & mihi con-

Responsio.

scius essem carere me omni dolo. Etenim cuicunq; roganti ac torquenti, intrepidè responderem me esse gratiam cōsecutum: neq; vllo modo vererer ne in ea confessione aut mendax, aut elatus essem, aut arrogans, aut superbus, qui nihil meum prædicarem, sed quod fuisset meræ gratiæ diuinæ. Potius si non confiterer, ingratum me esse reputarem; sicut B. Augustinus & Ambrosius me docuere. Item si tunc protinus accederem ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, cibatus eo cibo multò magis me esse gratiam adeptū mihi certissimè persuaderem, & hoc à fidei lumine propter verba Christi: *Qui manducat me, habet vitam æternam.* Sic enim testatur D. Ambrosius.

Sed inferunt: Eiusmodi certitudo non est certitudo fidei catholicæ. Nec hoc dicimus nos, sed quod ex hac certitudine quòd ego sim baptizatus, & baptismo obicem non posuerim (quæ res est mihi euidens) iuncta hac fide catholica quòd quilibet sic baptizatus cōsequitur gratiam: consequor certitudinem me esse adeptum gratiam. Non est autē certitudo fidei catholicæ, quia conclusio ipsa nō est fidei catholicæ. Sed iterum dicunt: Tu nescis an ritè fueris baptizatus, quia ignoras intentionem ministri. Huic obiectioni ad satisfactionē suo loco respondebitur. Onerosa enim est & superstitiosa ac permolesta nimis noua hæc hominum doctrina, quam certè Patres antiquiores ignorarunt.

Si quis adhuc vrgeat & roget: Quem ergo teipsum facis nunc? Nunquid talem vt certò possis statuere te esse in gratia? Respōdeo: Nunquid ego sum regula cæterorum & mensura? Quid si hoc in me ob meum aliquem torporem non sentiam? Tales'ne igitur oportet esse reliquos omnes, & eos potissimum qui charitatis spiritu feruentes omni studio diuina mandata exequuntur? Verùm quia etiam atq; etiam instant, & me cogunt esse insipientem, eis liberè respondeo: Si ego diligerem Deum puro corde, & eius mandata pro mea facultate implerem, sicut multi fecerunt, absq; dubio haberē in me Spiritus sancti testimonium de amore suo. Et iterum vt insipiens dico, quando renunciaui omnibus quæ possidebam, & vota perfectioris status iustitiæ syncerè ac simpliciter voui, absq; dubio me à Domino Deo benedictionem accepisse credidi & credo. Et postmodo in omni tepiditate & ingratitudine mea quoties accedo ad illud superuenerandum Eucharistiæ sacramentum, etiam si fortè non sim tunc in gratia propter illam ingratitudinē meam ac tepiditatem, attamen quia doleo me offendisse Deum & mandata eius contempsisse, & piget tepiditatis meæ, & nō sentio quicq; malæ voluntatis in corde meo aduersus fratrem meum, sed ex animo cognosco me remittere omnibus quicūq; in me deliquerunt siue detractoribus, siue calumniatoribus meis, & ex corde etiā pro illis oro, sperans de bonitate & misericordia Dei, qui mihi quoq; remittet peccata: dum sic, inquam, formatus actualiter (quod sæpenumero accidit) aut saltem virtualiter (quod per Dei gratiam nunq̄ non contingit) ad illam superbenedictam hostiam accedo, dico me certò & absq; vlla dubitatione credere propter verba Christi, quòd aut denuò accipio, aut iam acceptam cōseruo gratiam Domini mei in memetipso: de qua re etiam sæpenumerò doleo q̄ illi gratias dignas vt oporteret nō ago. Sed in eo verbo rursum recreor, quòd frequens erat in ore magni Antistitis D. Ambrosii, videlicet Habemus bonum Dominum. Isti autem ostentant eum nobis nimis durum & austerum, & à nobis etiam exigētem aut ea quæ nescimus, aut quæ præstare non valeamus. Ecce fui insipiens: illi me coegerunt. Interpretentur autem alii meam confessionem vt volunt. Ego ob id non abiicio gratiam & dona Dei, quæ confiteri, teste Raphaele Archangelo, honorificum est.

Et hæc satis quantum attinet ad rationes aduersariorum aduersus nos.

ASSERTIO. VII.

Multa esse argumenta quæ ad certitudinem adeptæ gratiæ faciunt: & in primis sacramentorum finis testificatus nobis à Domino.

HAEC ASSERTIO manifestari pōt duplici modo. Et primo quidem ab ipso fine in genere, ad quem ordinata sunt omnia sacramenta. Altero verò sigillatim descēdendo ad singula. Clementissimus enim Dn̄s Deus & Pater cœlestis volēs hominem lapsum in amicitiam & gratiam suam restituere, cum nō deceret illum post peccatū ad priora primæui

status dona erigi decreuit hac via, hoc est, mediis sacramentis munera illi suæ gratiæ impartiri. Antea.n. quàm peccasset, quia supra humanam cõditionem in familiaritatem Angelorum euectus erat, & immediatè per angelicas inspirationes de diuinis instruebatur, non erat illi opus his sacramentis, quæ sunt sensibilia signa venientis de cęlo gratiæ.

Cur instituta sacramenta. At postq̃ ab eo tam fœlici gradu cecidit, & restitutus est sibiipsi & naturæ suæ humanæ quæ per sensus eruditur, instituit Dominus sacramenta, vt per illorum mysteria agnoscens homo peccatum suum, humiliaretur, & subderet intellectum suum in obsequium fidei, exercens ipsam fidem in sacramentis dum credit promissionibus diuinis, vt isto pacto ea quæ non videt, illi fiant visibilia, ipsa nimirum dona & virtutes quas Dominus in sacramentis infundit, quæ in seipsis abscondita nobis sunt. Homo igitur per sacramenta ista miro eruditur modo, vt quod sensibiliter videt in se fieri, illud etiam effici spiritualiter ab ipso Deo firmissimè credat. Nam lumen fidei inditum, illud quod latenter in nobis à Deo agitur, verũ esse ostendit. Ne igitur putaret homo se in incertum currere, aut pugnando aerem in vacuum verberare, accepit sacramenta à Domino instituta, & Christi sanguine magno testimonio comprobata, vt sint ei certissima diuinæ fidelitatis, ac per hoc suæ gratiæ signa. Hoc .n. significat vox ipsa, Sacramentum, nimirum sacræ & occultę rei signum, illud per sensibilia indicãs, p res.l. & voces, quod insensibiliter Dominus operatur in nobis. Hæc est doctrina omnium Patrum & catholicorum doctorum, non illius aut illius, sed omnium. Vnde tanq̃ rem ve-

B. Augustinus hementer absurdam reiicit D. Augustinus, si quis ita sacramenta acciperet vt ex illis certitudo adeptæ gratiæ non proueniret, cum ab ipso Deo ob hoc ipsum inuenta & præcepta sint, vt qui ea suscipit, per visibile signum

B. Thomas. certus fiat inuisibilis susceptæ gratiæ. B. Thomas vocat signum demonstratiuum eius quod in nobis efficitur. Quomodo autem esset demonstratiuum signum si nulli rem præsentem demonstraret, aut si nullus accipere posset demonstrationem, quam Deus per sacramentum facere intendit?

Dicent, Scimus q̃ ex parte quidem sacramenti fit significatio atq; ostensio, licet is qui suscipit non accipiat eius significationẽ. Hoc certè dici posset si poneretur defectus ex parte suscipientis. Nõ .n. tũc fugillaretur Deus si ponenti obicem non fieret demonstratio. At posito eum qui suscipit, bona fide & cum syncerítate suscipere, quid vetat ne sacramentum sit certum signũ adeptæ gratiæ? Nónne si secus dicimus exinanimus testimonium Dei in nobis & ad nihilum redigimus? Audiat, quæso, æquus arbiter, aut iudex prudẽs rem mirificam. Deus significat & demõstrat nobis per sacramenta se conferre nobis gratiam, & tamen nemo accipit, imò nemo accipere potest significationem & demonstrationem, nisi fortè probabilitatem & opinionem quandam humanam, aut (sicut quidam ex disputatoribus dicere ausus est) leuem & puerilem. Itaq; hoc pacto in opinionẽ atq; humanam probabilitatem redigimus nostram fidem, & si illi credimus, etiã in leuem ac puerilem probabilitatem. Beatus Thomas huius argumenti vim sentiens, pro vehementi absurdo accipit dicere, piè accedentem ad sacramentum non posse habere certitudinem suę salutis per hoc quòd non posset illi esse notũ an sacramentum susceperit. Et verè sic est. Sed de hoc fusius disputabo inferius.

Nunc solummodo producam circa hoc querelam Domini. Ipse enim cum Dei cõsilium manifestaret, q̃ scilicet via sacramentorum volebat Deus hominem erigere in salutem, videns duritiam nostri cordis ad credẽdum efficaciam illorum, his verbis conquieritur. *Amen amen dico vobis quia quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis.* Quodnam, quæso, erat quod loquebatur tunc Dominus? nisi quòd qui natus erat ex carne, caro erat, quæ inepta inueniebatur ad regnum Dei possidendum. Vnde oportebat renasci & accipere Spiritum, in quo Christus testificatur homini renascentiã ipsius, quam ipse sciebat & prædicabat, & illi attestabatur signis & prodigiis magnis. Verũm hoc illius testimoniũ quod fide suscipitur nolebant Iudæi suscipere. Quapropter subiũnxit: *Si terrena dixi uobis & nõ creditis, quomodo si dixero uobis cœlestia credetis?* Hæc nimirum terrena sunt, quæ sunt in terris, & in terris aguntur. Est .n. in terris peccatum, est & carentia gratię. Hoc certè possumus agnoscere ex nobisipsis, quoniã natura sumus mali, nisi velimus nosmetipsos decipere. Hoc ergo dictũ à Domino suscipere debemus, quoniam terrenum est, & cognosci facilè potest: neq; enim situm est in cęlo, sed in membris nostris. Est & aliud terrenũ quod agitur in terris. Hoc autem est renouatio, ac ipsius regeneratio, quã nos deberemus fide accipere: quia fit in nobis per sacramenta testante primum ipso Christo ac deinde Spiritu suo sancto. Et cum huius rei sensum ex

parte habeamus, conqueritur Dominus paucos esse qui hæc (vt oportet) animaduertant & cogitent. Sed contrà sunt plurimi qui (sicut ait Frater Domini) comparantur homini consideranti in speculo vultũ natiuitatis suæ. Considerauit enim & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. Tales profectò sunt qui in seipsis virtutem sacramentorum non considerant nec exercent, vt assiduè seipsos contemplentur, & quales sint agnoscant. Ecce prima ratio, quæ probat certitudinem gratiæ à susceptione sacramentorum, quæ sunt certissima gratiæ signa, quæ nobis per illa confertur.

Iacob.

Verùm quoniam non absq; doctrina erit de singulis disserere sacramentis, & vt etiam superiorẽ assertionem fortius cõprobemus: primùm de baptismo considerandum propono. Sit homo qui accedat ad baptismum sine vlla fictione credens ꝓmissionibus Christi, & cum animo apprehendendi gratiam & iustitiam, & ambulandi in præceptis Dei, sicut illi præcipitur: quod totum homo sibiipsi conscius non ignorat. De hoc sic baptizato quæro: Nónne sciet se assequutum esse gratiam? imò nonne tenetur hoc ipsum ex fide credere, cum dixerit Dominus: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, hic saluus erit?* Et cum non requiratur ad suscipiendam baptismi efficaciam (D. Ambrosio teste) neq; luctus neq; planctus, nec opus aliquod, sed solùm ne accedens ponat obicem, & ne fictè accedat, nũquid ignorabit homo si non fictè accedat, se non fictè accedere, sed cum fide nouam professionem facere? Dicunt, Nemo scire potest an ea afferat quæ necessaria sunt vt quis ad baptismũ disponatur. Cur ergo baptizandus in sacramẽti collatione rogatur de singulis quæ requiruntur; & respõdet sigillatim in omnibus assertiuè? Interrogatus.n. Quid petis? Respondet: Fidẽ. Interrogatus: Quid tibi præstat fides? Respõdet: Vitam æternã. Erit ita interrogatus: Credis in Deũ Patrem omnipotentem &c. Respondet: Credo. Et sic de singulis. Si hæc non potest scire sibi inesse; cur interrogatur? Et cur permittitur respõdere perinde ac si norit, vt ritè vel rectè valeat baptizari? Imò dicat mihi aliquis, Nunquid baptizari deberet interrogatus an crederet, si responderet, Opinor me credere, non autem diceret assertiuè, Credo? Eunuchus ille baptismum petẽs à Philippo audiuit: *Si credis ex toto corde, licet.* Non ait: Si opinaris te credere: sed, si credis ex toto corde. Nec ille respondit: Nescio an credam, tamen opinor me credere, sed dixit: *Credo filium Dei esse* IESVM *Christum*. Cum ergo nouerit homo se cuncta fecisse quæ iussus est facere, idq; sine dolo, poterit'ne iste baptizatus dubitare de gratia in baptismo recepta, & nõ certò sciet (modo credat verbo Domini) acquisitionem suæ gratiæ? An non hîc mihi liceat dicere, oportere eum esse infidelem prorsus qui hoc non crediderit? Imò licet hoc dicere, quia & hoc prius B. Pater Augustinus dixit. Loquens.n. de oratione dominica, & de verbis: *Dimitte nobis debita nostra*, sic ait: *Non ea dimitti precamur quæ iam in baptismo dimissa sunt nobis, quæ nisi dimissa credimus, de ipsa fide dubitamus.* Audimus quid dicat tantus doctor? Dubitare (inquit) dimissa esse nobis peccata in baptismo, esset dubitare de ipsa fide, & ideò peccatum infidelitatis esset orare pro peccatis baptismum ipsum præcedẽtibus. At istud necesse esset fieri, si sola esset probabilitas de effectu baptismi in particulari, & non certa & constans fides.

De Baptismo.

A. 8

B. Augustinus

Attamen videamus, obsecro, q̃d hîc à quibusdam respondeatur. Nescimus, inquiunt, an satis præparati accedamus, cũ baptismus teste Apostolo Petro, requirat pęnitentiam, & nemo queat scire quam pęnitentiam, & ꝓpterea ignorat vtrum verè pęniteat, sicut Dominus requirit. At si vera hæc sunt, certè miserrima omnino est Christianorum cõditio. Nunquàm.n. tutò quisquam accederet, cum scire non posit vtrum id expleuerit quod ab eo requirit Deus. Quòd si dicant: Satis est si probabiliter arbitretur se præparatũ: illis ego obiiciam. Nũquid ergo tali probabiliter hoc putanti debet gratia denegari quum suscipit sacramentum? Si id admittãt, & tam duram & miserã Christiani conditionem ponunt, valeant, & quibuscũ litigent quærãt. Non est.n. hęc doctrina Patrũ, nec quidem B. Thomæ, sed illi directò opposita. Est autem palàm sugillare Dominum qui pręcipiat vt nos præparemus, & tamen non indicet nobis modũ pręparationis: aut si forte indicat, nunq̃ tamen posimus certò scire, an eo modo quem exigit, simus legitimè præparati. Hoc certè est crudele, & longè distans à Domini clementia ac pietate summa erga genus nostrum.

Illud verò penitus intolerabile, quod quidam ex recentioribus qui hac de re copiosissimè pertractauit, ausus est respondere, aiens: Non esse certum hæc sacramenta, videlicet baptismi & pęnitentię, conferre primam gratiam, & pari modo de cęteris: quanq̃ oppositã huic sententiam multò probabiliorem ipse credat. Cur igitur nos hac afficit molestia

opponens nobis quæ ipsemet non probat, & quæ verè hæresim sapiunt? Quid est.n.quod dicit Dominus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto.etc.* Et Beatus Paulus qui baptismum vocat Lauacrum vitæ, per quod mundatur Ecclesia, & Christum induit, & per quod salui facti sumus, vt potè per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti? Et cur damnata fuit illa Lutheri positio quæ ait: *Hæretica est, sed usitata sententia, Sacramenta nouæ legis conferre gratiam non ponenti obicē?*

Ephes.

Tit.

Cauillus de intentione ministri sacramētu

Verùm est alius huiusmodi cauillus: Etsi certò sciamus præparationem nostrā, tamen an baptizans habuerit intentionem baptizandi nescimus: quæ tamen requiritur ad sacramentum. At si ad istum modum respondere licet, nullum certè erit tam efficax argumentum cui non facilè respondeatur. Sed dicant nobis, obsecro, primùm: Apostoli qui creduntur à Christo fuisse baptizati, nunquid poterant dubitare ne fortè defuisset baptizātis intentio? Aut etiam qui ab ipsis Apostolis baptizabantur, quos ex fide recipere tenebantur veluti Apostolos Dei & Spiritu sancto plenos, eodem Spiritu sancto testificante in signis & prodigiis: nūquid illi saltem poterunt nō certi esse de suo baptismo, quin ritè processisset? Quid igitur illis obstabat ne de sua gratia certi essent? Si fateantur hos fuisse certos, quid ergo vlterius requirunt supernam & peculiarem reuelationem ad certitudinem? Sic enim ex vi sacramenti nemo certò sciret se esse baptizatum. & ita se initiatum esse in Christo & esse Christianū: cùm tamen certò sciant omnes quæcunq; aliam suā conditionem, videlicet vtrum serui sint an liberi, & cuius nationis, cuius item patriæ, cuius dignitatis & gradus, cuius officii, cuius artis. Solus'ne christianus in foribus hærebit, & in dubium vocabitur an sit christianus: & consequenter vtrum sit sacerdos aut Episcopus, idq; propter alienam fraudem, quia scilicet potuit initiator nō habere intentionem?

Audiant hæc piorum aures, & meditentur an ferre valeant vocem prædicatoris talia prædicantis. Ponamus multos venire adultos ad baptismum, quemadmodum nūc vsu venit in nouo Orbe: & baptizatus concionator sit, aut doctor, qui dicat eis: Audite charissimi, & attendite. Nemo vestrum quantacunq; deuotione & fide ad baptismum venerit, potest nisi opinatiuè aut morali quadam & humana, idest, fallaci certitudine probabiliter scire se esse christianum. Potest enim esse vt nullus vestrum sit christianus, quia neq; de se certus est an voluerit verè baptizari, aut

Fructus sermonis prædicantis gratiæ incertitudinem.

an posuerit obicem: neque certus esse potest de me, vel de alio baptizante, an cum intentione baptizauerimus. Nihilominus bono animo estote, quia opinabile & probabile est sic esse, non tamen fide certum. Prædicetur, inquam, hoc Indis, Turcis, Iudæis, & aliis qui velint ad fidem conuerti, & dicatur eis: Venite ad Christum, recipite Spiritum & lumen gratiæ. Ne quis tamen vobis imponat, scitote q̄ nunq̄ scietis an eum in hac vita receperitis. Solùm habere poteritis quandam opinionem probabilem, fallacem tamen, quæ nunq̄ faciet vos certos in tota vita vestra. Si hæc trāquilla mente pensare, & non affectionibus obscurare velimus iudicium ad pertinaciam, nónne iure ac meritò fatebimur eos qui talia sint audituri, veráq; esse credituri, mox indignatione succensos aut cōquestum iri (si iam essent baptizati) se à Deo esse delusos, & ita blasphemarent Deum, qui eorum iustificationem & ingressum in Christum, & consequenter totam salutem sic incertam cōstituerit, & posuerit in aliena vel synceritate vel fraude? Aut si hoc pacto ad baptismum inuitarentur, nonne mox retrocederent & dicerent prædicatori vel catechistæ, Vale? At nō sic prædicabat ipse Dominus IESVS, quin potius in hunc modum: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, et inuenietis requiem animabus uestris etc.* Quis autem potest inuenire requiem animæ suæ, nisi primùm certò nouerit diuinę gratiæ se factum esse participem, & perfectam valeat tandem sperare & obtinere salutem & requiem? Hæc.n.diuina gratia est arrha futuræ quietis & pacis. Testamentum enim ipsius, testamentum est pacis.

Sed, vt dictum est, iniiciunt scrupulos de intentione ministri. At quis priscorum sanctorum Patrum venit vnq̄ in istam cogitationem? Nónne Apostolus ex ipso baptismo certam infert iustificationem & salutem? Ait .n. scribens ad particulares homines: *Sed ablui estis, sed iustificati estis.* Nullum hîc adiicit dubitationis scrupulum. Et Ecclesia sancta Dominica in albis, Missam pro renatis sic intonat: *Quasi modo geniti infantes, lac sine dolo concupiscite etc.* quæ verba minime ipsa diceret, nisi esset certa de illorum renouatione, & alia quidem certitudine quàm humana. Isti autem certitudinē humanam in rebus fidei cōmenti sunt, & certitudinem in eo admittunt quod probabilibus, nō certis colligitur signis & coniecturis. Verum cur non potius hîc iterum audiamus B. Augustinum sic de homine baptizato statuentem? *Audeat unus ille*

B. Augustinus

homo clamans à finibus terræ cum capite suo et sub capite suo dicere: Quoniam sanctus sum. Accepit.n.gratiam *sanctitatis baptismi & remissionis peccatorum. Vnde Apostolus ait: Sed abluti estis, sed sanctificati estis. Si ergo sanctificatos dicit, dicat & unusquisq; fidelium, Sanctus sum. Non est ista superbia elati, sed confessio nõ ingrati.* Recole reliqua, bone lector, quæ superius iam recensuimus de thesauris tanti Doctoris, quibus nescio quid clarius aut quid fortius pro certitudine gratię possit afferri. Quis enim cum Deo loquens veraciter dicat, Sanctus sum, nisi suæ sanctitatis certitudinẽ habeat, & hoc ex fide? Aliunde quippe in hoc statu haberi non potest: & quæ in Dei cultu loquimur sunt fidei nostræ protestationes, vt rectè docent D. Augustinus & Thomas.

NOTA

B. Ambrosius.

Addo & D. Ambrosium in libro v. de sacramentis, cap. 2. qui de anima per baptismũ lota testatur, eam videre se ab omnibus peccatis esse mundatam, & dignam quæ ad altare Christi possit accedere. Quid fortius, quid apertius desideramus? Videt, inquit, se mundatam ab omnibus peccatis. Vsus est verbo significante sensum certam nobis notitiã præbentem. Sed & sequenti cap. eundem hominem baptizatum & cibatum pane vitæ in hũc modum alloquitur. *O homo, faciem tuam non audebas ad cœlum attollere: oculos tuos in terram dirigebas; & subitò accepisti gratiam Christi, omnia tibi peccata dimissa sunt: ex malo seruo factus es bonus filius: ideò præsume non de operatione tua, sed de Christi gratia. Gratia enim saluati estis, Apostolus ait. Non ergo hic arrogantia est, sed fides: prædicare quod acceperis non est superbia, sed deuotio. Ergo attolle oculos ad Patrem qui te per lauacrum genuit, ad Patrem qui te per Filium redemit, & dic, Pater noster. Bona præsumptio, sed moderata. Patrem dicis quasi filius: sed noli tibi specialiter aliquid uendicare: solius Christi specialis est Pater: nobis omnibus in commune est Pater: quia illum solum genuit, nos creauit.* Hæc ille. Vide vt uno & eodem testimonio & nobis assistit, volens hominem præsumptione bona, non mala, de sua per sacramentũ adepta gratia præsumere: & aduersariis etiam resistit, qui humanæ arrogantiæ & superbiæ tribuunt, si quis firmiter persuasum habeat se esse in gratia. Occurrit.n. ille validissimis sententiis aiens: *Ideò præsume, non de operatione tua, sed de Christi gratia. Gratia.n. saluati estis. Non ergo hic arrogantia sed fides: prædicare quod acceperis non est superbia, sed deuotio: non mala præsumptio, sed bona.* Et cur non dixisti Beate Ambrosi, sicut quidam volunt: Time, caue, dubita. Non est certum an acceperis gratiam, quia nescis de tua mente, & an forsan cum debita fide accesseris, aut satis deuotè sicut exigit sacramentum. Et hæc etiam si sciueris, nescis tamen vtrum is qui te baptizauit, baptizandi te habuerit intentionem. Hanc doctrinam ignorauit B. Ambrosius, quia sciebat ipsam ministri intentionem satis exprimi in obseruatione ecclesiastici ritus, qui est manifestus, quicquid sit de interna fide aut volũtate, aut alia ministri intentione. Nam intentionem bonam, vt docet B. Thomas, Ecclesia supplet: modo ille solum faciat quod de more facere consueuit Ecclesia. Et iccirco nec B. Ambrosius, nec veteres sancti Patres considerarunt huiusmodi cauillationes, quę certè non erant considerabiles. Benignus est Deus, nec agit nobiscum cauillationibus istis, cuius immensa bonitas nunq̃ pateretur cuiq̃ immerito ex aliena fraude venire detrimentum. Audi amator veritatis B. Chrysostomi verè auream sententiam, & intellige quid solum requirat à ministro Dominus, vt conferat sacramentum, nempe linguam & manus: quod faciens, satis illud facit & facere intendit quod fieri mandat Ecclesia. Vt verò habeat mentem bonam non fraudulentam, id ab illo ad hunc effectum minime exigitur, ne sit in eius potestate subtrahere diuina & pretiosa dona vocatis à Deo & Christi fidem cõfitentibus. Si humanæ leges non admittunt, quenq̃ ex aliena fraude damnum pati, quid credendum de ęquissima prouidẽtia Dei optimi maximi? Sed audi ipsum Chrysostomũ hoc totũ paucis & aureis verbis perstringentem: *Neq; Angelus neq; Archãgelus quicq; in his quæ à Deo data sunt efficere potest: sed Pater et Filius, et Spiritus sanctus omnia facit. Sacerdos et linguã et manus præbet. Neq; enim iustum est propter alius malitiam, ad salutem nostram accedentes offendi.* Hæc ille. Desiderabit fortè aliquis etiam B. Augustini testimonium hac de re certius. En illud profero, quod & posterior incertitudinis defensor producit, & ingenuè cõfitetur aduersum se è diametro pugnare. Differebat ille acutissimus Doctor in Donatistas negantes in ministro improbo & prauo facultatem conferendi sacramenta. Aiebant.n. Conscientia dantis attenditur, q abluat accipientis. Augustinus verò hac sola, vt potè inuictissima ratione dictum expugnat, videlicet quòd si dantis cõscientia attenditur, salus spiritalis incerta redditur; nec quisquam posset esse securus quãtũs daret operam sedulam vt à bonis baptizaretur ministris. At hoc, videlicet auferre certitudinem & securitatę à baptizatis, tanq̃ ingens & detestandum absurdum reiicit Augustinus, & illorum insanum dictum diuinis verbis retundit. Cum.n. illi instarent: Conscientia dãtis attenditur, qui abluat accipientis: ipse

Intentio ministri quo pacto requiratur.

B. Thomas in 3. parte q. 64. art. 8.

D. Chrysost. in hom. 85. super Ioannem.

NOTA

Augustinus li. 1. cap. 3. contra literas Petiliani.

Eodem lib. cap. 7.

contra: Respondeant (inquit) fideles hunc in modum: *Sæpe mihi ignota est humana conscientia, sed certus sum de Christi misericordia. Et cùm audierint: Qui fidem à perfido sumpserit, non fidem percipit, sed reatum: Respondeant, Non est perfidus Christus à quo* FIDEM PERCIPIO, *non reatum. Et cùm audierint: Omnis res origine & radice consistit, & si caput non habet aliquid, nihil est: Respondeant, Origo mea Christus est, radix mea Christus est, caput meum Christus est. Et cùm audierint: Quæ potest esse peruersitas, ut qui suis criminibus reus est, alium faciat innocentem? Respondeant:* ME INNOCENTEM NON FACIT *nisi qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Non.n. in ministrum per quem baptizor credo, sed in eum qui iustificat impium, ut detur mihi fides ad iustitiam.* Hæc D. Augustinus. Quibus si quid expresſius aut clarius quisquam desiderat, eat liberè & quærat. Non adducam ea quæ cauillatores, imò destructores quidam sententiarum, hoc in loco respondent (quorum certè me miseret) ne peritum lectorem maximo tędio afficiam, & stomachum prouocem. Tantùm dicam, Si vera esset contraria eorum doctrina, profectò multum interesset à quo quisque baptizaretur. Et B. Petrus non circunspectè fecisset non baptizando, sed iubendo ab aliis baptizari Cornelium & familiam eius. Reliqui quoque Apostoli debuissent sua manu potius baptizare, quàm per alios, præsertim cùm illis dictum fuit: *Baptizantes eos etc.* Et tamen B. Paulus gloriatur, apud Corinthios se vix paucis contulisse baptismum: quod & de aliis credendum est. Illorum autem fuisse illud propriū, vacare orationibus & prędicationi, testatur ipsa scriptura. Neque vlla dignus fuisset reprehensione Valentinianus Imperator, qui vt baptizaretur à B. Ambrosio suū differens baptismum, interim improuisus decessit non initiatus: quod tamen illum irrationabiliter fecisse, quamuis amanter, idem B. Ambrosius nō ob aliam causam testatur, nisi quia ministri qualitas non erat cōsideranda: quæ tamen stante hac istorum positione magnopere considerari deberet, vt quis certior fieret adeptæ salutis.

NOTA

Vis lector magis persuaderi, & probare satis esse (vt inquit B. Thomas) quod exterius fit, quicquid sit de sensu baptizātis? Sit Arianus, qui tamen baptizet iuxta formam Ecclesiæ, In nomine Patris & Filii & Spiritussancti: animo tamen teneat suam hęresim. Profectò nemo dixerit hunc sic ab eo tinctū non esse assequutum sacramentum. Sed pone illud eum expresſisse baptizando, quod animo sentiebat, & verba commutauisse. Hîc omnes dicunt non contulisse sacramentum. Id verò quamobrem, nisi quia non facit externè quod facit Ecclesia?

Dices, Ratio est, quia non seruauit formā. At quid est non seruasse formam, nisi id non fecisse quod facit Ecclesia? Finge.n. rursus catholicum baptizantem habere intus omnē bonam intentionem pro salute pueri, non ea tamen facere quæ facit Ecclesia, sed per errorem aliquem non vti propria materia aut forma. Hunc dices habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia: sed hanc intentionem sufficere ad baptismum quis asserat, cum reuera non faciat quod facit Ecclesia? Sicut ergo iudicari non potest quisquam habere bonam intentionē faciendi quod facit Ecclesia, cum id externè non facit, nec prodest illa intentio quæcunque fuerit: ita econuersò non potest iudicari quisquam non habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, si externè id facit & obseruat quod Ecclesia facere consueuit. Iudicat.n. Ecclesia ab exterioribus etiam de internis animi. Et in sacramentis, quæ tanti præiudicii sunt, satis habet si externè omnia rectè fiant seruata forma ac materia. Nam imposſibile est non habere quenquàm intentionem faciendi quod facit Ecclesia, si ea obseruat externè vt minister, quæcunque illa iubeat obseruari. Alioqui à Iudęis & à paganis baptizati, meritò essent rebaptizandi: quia ipsi non credunt apud nos Dei ecclesiam esse. Et quomodo possunt habere intentionem conferendi sacramentum ad salutem, id quod habet Ecclesia, cū non agnoscant veram ecclesiam, & se in eo mysterio nihil facere credant? Nec possunt facilè venire in eam considerationem, & secum dicere: Si fortè ex meo facto aliquis salutis effectus consequatur, ego intendo illum. Nam qui certò credit nihil se agere, haud facile de opposito cogitat vel formidat. Saltem Ecclesia deberet ab his baptizatos sub ea conditione rebaptizare; Si non es baptizatus &c. quod tamen non facit.

Hęc adieci, ne quis dicat me contradicere Concilio Florentino & scholasticis; qui ad sacramentorum collationem requirunt intentionem ministri. Nos.n. non excludimus ministri intentionem, vt quidam indoctè arbitrātur, sed declaramus qualis intētio sufficiat iuxta traditam à B. Thoma doctrinam, cui mirificè ratio suffragatur, ne si aliud dixerimus, incerti simus de consequutione effectus sacramenti: quod ipse B. Thomas & omnes sancti Patres meritò (vt diximus) pro re absurdisſima penitusque explodenda accipiūt.

ne sit positū in manu falsi & iniq sacerdotis sic eludere, & actū tāti momēti irritare. B. Aug. in Donatistas q reqrebāt sanctitatē ministri ad effectū baptismi, hoc pcipue vtit argumēto, q absurdū nimis esset fidem nrām ex meritis aut q̄litate sacerdotū pēdere. Eius verba hęc sūt:

B. Augustinus in Epist. 166.

Si in eis q primò initiati sunt idcircò religio baptismatis iua dicatur infirma, q ij à qbus accipitur peccatores putātur: totties renouari necesse erit traditū sacramētū, quotiēs indignus fuerit inuētus collati baptismi administrator: et fides nostra nō ex nostræ uoluntatis arbitrio, neq; ex diuini muneris gratia, sed ex meritis sacerdotū, et clericorū qualitate pēdebit. Faciāt mille cōcilia Epi uestri: huic uni sententiæ respōdeāt, et ad quod uolueritis cōsentimus uobis. Hęc ille. Quæ certe rō pariter in hos militat q ad effectū baptismi eā intētionē reqrūt quā nō liceat euidēter ex ipso facto agnoscere. Pēderet.n. nrā salus à volūtate ministri: quod tanq̄ iniquū ac iniustū rephat sanctus ille Pater. Si igit intētio ministri ipso facto manifesta est, & q baptizat, bene sibi cōscius, nō hæsitat quin syncero animo ad sacramētū accedat, qd huic obstabit quo minus nouerit certissimè se cōsecutū esse gratiā? Non.n. reqritur vt absq; peccato accedat, cū ad abluenda peccata maxime sit hoc sacramētū institutū, modo peccādi nō habeat volūtatem, ne quis hîc mihi obiiciat: *Delicta qs intelligit?* Nec vlla cōfessio reqritur, nec luctus, nec plāctus, sed sola fides. Nā hoc ipso, ait B. Ambrosius, implet cōfessionē omniū peccatorū, q baptizari petit vt iustificetur. Hoc aūt nō est aliud q̄ qd Scholastici dicūt, satis esse venienti ad baptismū & ad verū eius effectū cōsequēdū, nō ponere obicē p voluntatē peccādi, & simpliciter velle effici mēbrū Christi, & ambulare in viis eius. De qua re q nescit iudicare in semetipso, quid sciet? Quapropter idem gloriosus doctor B. Aug. cōfidēter dixit hominē baptizatū, si dubitet an in eo baptismo sint sibi dimissa peccata, de ipsa fide dubitare. Est.n. hæc notitia & certitudo, nō sciētię, sed fidei. Hoc ipsum cōsiderās gloriosus martyr & Eps Roffēsis, aduersus Oecolampadiū scribēs idē testatur his verbis:

D. Io. Eps Roffensis de sacramēto Eucharistiæ lib. 1. cap. 6.

Instruūtur eqdē initiati qd in eorū cordibus operētur sacramenta quæ suscipiūt: ut exēpli gratia, eū baptismū qs accipiat, instruitur ut credat q per ipsum sacramentū denuo renascitur, et q animus eius ab omni sorde peccatorū abluitur penitus. Verùm istā renascētiā aut ablutionem haud aliter uidet aut noscit nisi per fidē: et tamē rectè et utiliter initiatus est. Nihil erga pugnāt rectè et utiliter initiatum esse, et tamē ignorare qd intrinsecus aut in ipso sacramēto aut in suæ mētis penetralibus per sacramētū, Dei spiritus operatus sit, nisi pra notitia fidē intelligas.

NOTA

Credunt nimirū oēs qui eū fructu aliquo sacramentum istud suscipiūt, se renascentiæ gratiā assecutos. At aliquo sensu, uel animi sui potentia, renascentiā ipsam deprehendere nemo unq̄ potuit, nisi indicante Spiritusancto. Hæc ille. Et paulò post:

NOTA

Ad hoc potissimū īstituta sunt sacramēta, ut per eorū usum citra ullā dubitationē cōfidamus gratiā nos esse cōsecutos. Verūtamen ad utrūq; cōseqtur, ut nō sint nobis penitus incognita. Secūdū aliquē certè modū à nobis cognoscūtur, fide uidelicet, quæ multò certior cognitio est q̄ per argumēta, uti postea fusius dicturi sumus. Et superius dixerat de initiatis: *Credūt (ut diximus) sibi diuinitus unà cū sacramētis ipsis conferri gratiā, cuius gratiæ signa efficacia nō ambigūt ipsa sacramēta eē, qcūq; suis instructoribus fidē habēt. Vidēt igitur et sciunt oīa quæ uisibiliter ministrātur: At qd inuisibiliter et diuinitus per afflictiam Spūs in aīo geratur, sola fide cōcipiūt.* Hæc ille: qbus certe verbis excluditur illa fides humana vel moralis quā isti noui disceptatores inuenerūt, cui annectūt dubitationē vel formidinem. At hic doctor fidē declarat quę sit multò maior cognitio q̄ quę per argumenta habeatur.

De sacramēto itē cōfirmationis docet B. Tho. si hoc sacramētū adultus, ēt in peccato existēs (cuius tñ cōsciētiā nō habeat, vel ēt nō pfectè cōtritus suscipiat) grām & remissionē pctōrū accipiet.

De confirmatione.

Quid igit obstat ad certitudinē suæ gratiæ hōi, pertim illi q omnino purè & innocēter accedat? Profectò hîc nihil respōderi pōt, nisi ad ministri intētionem recurrāt: de q̄ re iā satis superius dictū est. Et vtinā prudēter cogitaretur q̄ fuisset absurdū grām sacramētorum positam esse & pendere ab illa occulta ministri intentione, & non ab illa quę facto ipso queat euidenter ostendi.

Quid aūt dicemus de sacramēto Eucharistiæ? Ait Aplus: *Probet aūt seipsum hō, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.* .s. ad grām cōsequendā, vt ea vel cōseruetur, vel augeatur.

De Eucharistia.

Non.n. ad frustratoriū effectū nos instruit Aplus: nisi velimus eē pterui, & cōtra mētē & interptationē omniū veterū & pertim B. Thomæ, sustinerē cōmēta quorūdā nō illustriū magistrorū. His sic stātibus in hūc modū argumētor. Aut pōt hō seipsū pbare, aut nō. Si negat: pcipit ergo Aplus impossibile. Si cōcedit, videlicet posse hominē seipsum pbare: habeo qd volebā: qa tūc securè accipiet sacramētū. Sin aūt nō pōt scire an se pbauerit, & consequēter an satisfecerit pcepto Apli: ergo nullus posset accedere ad sacramētū, sed peccaret accedēs: qa obiiceret se periculo. Nesciret.n. an satisfecerit pcepto Apli, & ideò pceptū hoc redderet vanū & ingerēs pplexitatē: qd fateri impiū ē. Hoc argumētū nō pōt quouis mō, nisi subdolè & caullosa tergiuersatione vitari. Fatētur .n. qdam nouitii magistri paulò argutiores, q poterit qdē hō accedere ad sacramētū, & non peccabit, qa nō indignè: nō tñ recipiet grām,

ed q̃ nō dignè accesserit. Volūt ergo hominē scire posse q̃ nō indignè accedit: an verò dignè accedat scire neminē:& hoc pacto nō indignè accedēt; neq̃ cōseq grām, neq̃ peccare mortaliter. At hoc nō est aliud q̃ negare Apli doctrinā, aut q̃si minus idoneā blasphemare. Christus.n.dicit: *Si q̃s māducauerit carnē meā, et biberit meū sanguinē habet uitā æternā*. Et Apostolus volēs admonere hominē vt māducet illā nō frustrà sed ad vitā æternā, sicut ppsuit Dñs, dixit: *Probet aūt seipsū hō, et sic de pane illo edat, et de calice bibat*. Nota verbū: ET SIC: ac si dixerit. Et sic securè sumat, qa cibi sancti consequetē effectū. Nō est.n.credibile B. Paulū velle hominē q post pbationē à se inductā ad sacramētū accedat, frustrà accedere, ac ppterea peccati remisionē nō accipere si forte in peccato inueniat, cū sit absq̃ dolo. Illud.n.non eēt māducare dñicā carnē.i.corpus & sanguinē Dñi iuxta intellectū Spūs, ad quē nos debemus attēdere. Aduerte lector ad id q̃d dico.

D. Thomas in 3. par. q. 79. art. 3. Nam B. Tho. nr̄e scitię egregiè attestatur his verbis. *Potest hoc sacramētū remissionē peccati operari dupliciter. Vno mō nō perceptū actu, sed uoto: sicut cūm q̃s iustificatur à peccatis prius. Alio mō etiā perceptū ab eo q est in peccato mortali, cuius cōsciētiā et affectū nō habet. Forte.n.primò nō fuit sufficiēter cōtritus, sed deuotè ac reuerenter accedēs, cōsequitur per hoc sacramentū grātiā charitatis, quæ cōtritionē perficit et remissionē peccati*. Hæc ille. Nec putet aliqs aliter alios doctores & veteres Patres illū locū B. Pauli esse interpretatos. Oēs.n.in eādē venere sententiā. Denique nouū omnino dogma & irrationabile ē prsus, inuenire mediū inter dignè & indignè sumere, id est, nec indignè, nec dignè. Nam nō indignus p digno à Saluatore recipit. Quòd si verè dignitas desideratur, nullus vnquā inueniretur dignus. Si verò satis ē illa dignitas quā à nobis diuina clemētia exigit, pfectò nō alia inueniēt pter eam quā tradit Apostolus illis verbis: *Probet aūt seipsum homo etc.* Satis aūt se pbat vt dignè suscipiat si cū fide & deuotè sibiq̃ nihil cōscius accedat. Nec dubitandū qn hō bñ explorās cōsciētiā suā, & pbās se legitimè p cōfessionē peccatorū suorū humiliatus corā sacerdote Dei, & discedens absolutus posit certò scire se sine peccato esse, & per hoc dignè ad sanctiss. sacramētū accedere. Vnde Theophilactus exponens illud: *Probet aūt*

Theophilactus *seipsum hō*, sic ait: *Hūc locū uelut maximè necessariū perficit et absoluit, ac summā bonorū mōstrat, cū pura cōsciētia accedere ad mēsam. Vnde inquit: Nō aliū tibi iudicē attribuo, uerùm teipsum tibijpsi cōmendo. Iudica igitur*

NOTA *et explora cōsciētiā tuā, et sic accede: nō quādo fuerint feriæ, sed quādo te purū atq̃ dignū inueneris*. Hæc ille. En q̃ clare testaē q̃ hō seipsum explorās & discutiēs, pōt seipsū purū, & consequēter dignū tāto mysterio dephēdere & iudicare. Iam vidimus & B. Chrysostomū certitudinem vitæ atq̃ animæ puritatem requirere. Sed dicet fortè aliqs: Quis scit an sacerdos cōsecrauerit? imò an sit verè sacerdos q consecrauerit? Ego verò nihil posse hoc dicto scādalosius pdicari existimo. Fraudabor ergo pmissione diuina pp fraudē & sacrilegiū alienum? Quę lex humana vnq̃ id pateretur? Nunqd ergo Deus hōine seuerior aut impuidētior? Saltē ipse sacerdos q sacrificat & sumit, nōnne certò scit se sacrificasse, cū nouerit intētionē suā? Sed aiunt: Nescit sacerdos vtrū ipse ritè fuerit cōsecratus. Si hoc recipiē, cuncta pculdubio subuertunē fidei nr̄æ mysteria: nec sciemus an habeamus verū summū Pontificē, & vtrū in aliquo sint vlli sacri ordines, et ita hierarchia ecclesiastica dubia erit & pēdēs in incerto: & sic faciemus Deū (quod horreo dicere) minus puidū p Ecclā sua ad has incertitudines tollendas, q̃ fuerit humana prudentia, quæ nouit supplere potestatē vbi potestas defuit, vt quæ non essent ritè facta, ritè tñ facta hērentur: vt hētur in lege Barbarius Philipp.ff.de off. pś.

Venio ad sacrm pñiæ. Ecce pęnitet delinquentē: nō audet suspicere in cęlū, tūdit pectus, lacrymaē, idq̃ in cubiculo ne videaē ab hominibus. Testaē illi cōsciētia q̃ malet mortem millies incurrisse q̃ Deū offendisse: orat Patrē supplex vt sibi parcat pp Christū: pponit se nunq̃ peccaturū, ad quod implorat diuinū auxiliū: cōfitetur aperte omnia peccata sua sacerdoti cū ingēti lacrymarū copia & pudore: idq̃ facit vt Deo obediat & ecclæ, paratus oē genus satisfactionis sibi impositū etiā cum magna facultatum suarum iactura, humiliter & prōptè suscipere. Dico igitur de iis de qbus nō nisi duri atq̃ pterui negare possunt quin verā habuerint cōtritionē, q̃ isti tales p serum recipiunt notitiā certā q̃ Deus exaudiuit eos. His.n.competit vt orantes dicant: *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus uocē fletus mei etc.* Non sum igitur cum illis qui negant hominem posse esse certū contritionis suæ: alias, qua fronte dicebat Dauid: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies?* Et Ananias vnus ex tribus pueris, cur orans diceret: *In anima contrita & in spiritu humilitatis suscipiamur: quoniā nō est cōfusio cōfidētibus in te: et nūc sequimur te toto corde etc.* Præterea, Nōnne solet hō q confitetur peccata sua interrogari à sacerdote, an pęnituerit eū peccatorū suorum? Itē, Nunqd habeat ppositū nō peccandi vlterius, & p peccatis Deo satisfaciēdi? Quo annuēte, nōnne statim absoluiē simpliciter à sa-

De Sacramento pœnitentiæ.

cerdote dicente: Ego te absoluo &c. Quæ ergo ratio vt debeat dubitare peccator audiēs se absolui, si talem se agnoscit, qualem se esse sacerdoti, imò verò ipsi Deo, respondit, cuius locum sacerdos tenet in eo munere, cū non aliud ab eo Deus requirat ad impendendam absolutionem? Alioqui certè dicendum esset falsam esse & fallacem illam sacramenti formam: quod est blasphemum.

Quòd si quis dixerit: Nemo peccator potest certò scire an verè pęnituerit. Si ita est, cur igitur de hoc interrogatur? Dicent fortè: Vt dicat non quasi ipse certò norit, sed quod probabiliter sentit. At contra hoc testatur responsio quæ assertionis est, nō opinionis aut probabilitatis. Et talis reuera requiritur ab eo, non autem vt dicat peccator: Dubito an me pœnituerit: aut, Opinor me pœnituisse. Quare nec sacerdos dicit: Dubito nunquid te absoluam: aut, opinor quòd te absoluo: sed ait etiam ille assertiuè: Ego tē absoluo: quod intelligitur verum esse & ratum, modo ipse peccator non sit mētitus Spiritui sancto. Verùm non me coarctans ad tanta contritionis signa, sed aspiciens ad bonitatē Dei & amplissimam eius misericordiā, qui non est eò vsq; seuerus vt à peccatore tanta postulet, quæ præstari ab omnibus nequeant, aut præstita cognosci non valeant quòd præstita sint. Credo.n. proculdubio Deum parcere homini nō ponenti obicem, idest, non habenti malam actualem voluntatem, & petenti ab eo cum fide & fiducia misericordiam, vt dignetur sibi dare bonam voluntatem, & cor mundum in eo creari. Credo, inquam, procul omni dubio ab iis qui tales sunt recipi gratiam. Quòd verò dixerunt quidam, Non ponenti obicem conferri gratiam, esse scotisticam opinionem, quæ nō potest generare fidei certitudinem, sed opinionem tantum: primùm non puto apposite dictum hanc opinionem esse scotisticam. Nam & B. Thomas in quarto tenet illam. Addo quòd si admittitur vera, potest etiam multis certa esse fidei certitudine. Nihil enim phibet id quod est multis opinio, imò quod putatur esse falsum à quibusdam, non solum esse verum, sed etiam nonnullis esse certum ex fide. Sic Apostoli multa certa habebant ex fide, quæ tamen à multis non recipiebantur quasi ex fide: & à nonnullis repudiabantur quasi falsa, qui nihilo secius fideles erant: quoniam illa nondum erant definita tanq; ex fide, vt patet de discretione ciborum. Ego autem qui teneo hanc opinionem veram, nō habeo eam vt opinionem. Non enim sola moueor B. Thomę aut Scoti autoritate: sed ratione, quæ mihi certò videtur è scripturis educi, & ex principiis fidei nostræ, quæ innititur in abundantia clementiæ ac misericordiæ Dei & certis promissis eius. Quid igitur obstat quin ego possim illam propositionem recipere & habere ex fide, hoc ipsum mihi dictante interno lumine fidei & certiorē reddente? Sed (Deo gratia est) in Concilio Tridentino definita est, vbi legitur Anathema negantibus cōferri gratiam per sacramenta non ponentibus obicem.

Illa verò assertio, quòd nequeat homo scire an ipsemet posuerit obicem, est profectò Sceptica, Pyrrhonica & Academica, ne dicā penitus insana: certè indigna super qua contendatur.

Venio ad sacramentum ordinis. Profectò hoc sacramento maximam conferri gratiam, non est christianum ambigere. Per illud enim peculiariter homines asciscuntur in familiam & domum Dei, vt assistant altari, & pro se & pro aliis seruiant ad illuminandum, ad purgandum, ad perficiendum: quæ functio præcipuè ad Episcopos pertinet. Quam ob rem in eorum consecratione abūdantiam gratiæ, cęlitus demitti, sicut Ecclesia prædicat, ita valde est credibile. Eorum.n. status debet esse perfectus charitate, sicuti & dubitandum non est fuisse olim plurimos antiquorum Patrum. Nam ferè omnes quodam tempore feruore spiritus apti erant martyrio, quo & reipsa vitam finiebant. Modo dicere hominem non solùm existentem in statu gratiæ, sed in statu perfectioris gratiæ minime posse certam habere notitiā suæ gratiæ, quis ferat?

Quare magnopere mirandum esset si posset ab Episcopis statui talis sententia, neminē posse certum esse pręsentis suæ gratiæ, cum in hoc gradu constituti nō solùm possimus, sed hoc etiam debeamus, hoc est, illa à nobis vita deposcitur, quæ excellentiore sui puritate sit nobis certa atq; conspicua: vt qui pro aliis ad orandum & interpellandum præpositi sunt, confidere valeant per notitiam suæ cum Deo amicitiæ & familiaritatis se obtinere. Cui sententiæ D. Gregorius elegāter his verbis astipulatur: Si ergo, inquit, *homo apud hominem de quo minimè præsumit, fieri intercessor erubescit: qua mente apud Deum intercessionis locū pro populo arripit, qui familiarem se eius gratiæ esse per vitæ merita nescit? Aut ab eo quomodo alijs ueniam postulat, qui utrum sit sibi placatus ignorat? Quę in re est adhuc aliud solicitius formidandum, ne qui placare iram posse creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur.* Et post pauca: *Solerter ergo se quisq; metiatur, ne locum regiminis assua*

B. Gregorius *in prima parte pastoralis cap. ultimo.*

mere audeat, si in se adhuc uitium damnabiliter regnat: ne is quem crimen deprauat proprium, intercessor fieri appetat pro culpis aliorum. Hæc ille. Nec tam sinistrè de nostro statu sentire valeo, vt existimem nullos nunc esse tales: quin arbitror potius omnes, modo non ex ambitione, non ex simoniæ sacrilegio, non honoris aut quauis alia sinistra de causa sint promoti: sed qui cũ timore ac tremore magno sunt præuiis orationibus & ieiuniis ordinati: qui itẽ non pręstendant pascere semetipsos, sed gregem. Hi enim sunt qui optime norunt in sua consciẽtia quomodo non illum honorem ambitionis studio quæsiuerunt, sed quòd vocati sunt à Deo tanq̃ Aaron. Norunt item quid ab illis Deus exigat, nimirum eximium illum amorem, vt pro ouium salute exponant animas suas, quos ad hoc vocauit vt pascant oues & non semetipsos. Sibi insuper verè sunt conscii, se sola obedientia & spiritu charitatis inclinauisse animum ad hoc onus suscipiendũ: non quidem vt dominarentur in clero, sed vt forma fierent gregis, & seruirent ex charitate. Qui.n.se tales agnoscunt, quomodo non simul in se recognoscent diuinę gratiæ assistentiam, cum talis animi dispositio segreget bonum pastorem à mercenario? Legat, obsecro, lector & intelligat Domini parabolam de pastore vero & de mercenario, & perspicue cognoscet solum Christum Pastorem verum & bonũ. Nos alii eatenus boni sumus, quatenus eius imitatores fuerimus per auxiliũ gratiæ diuinæ. Legat etiam quod præcipit Dominus discipulis suis, vt separaret eorum hierarchiam à principatu gentium, idest, vt qui maior fuerit inter eos, sit minor & seruus. Sed minime mirum si nostro tempore nobis hæc noua sunt, quoniam pauci hodie tales sumus, & tamen tales esse omnes deberemus. Neq; enim suis promissis deesset fidelis Deus quin daret ipse quod à nobis exigit quò essemus perfecti, ita vt valeremus etiam alios instruere ac perficere, sicut ordo ipse noster postulat.

Pastores animarũ boni designantur.

Nolo hunc locum sine graui D. Bernardi sententia pertransire, vt credamus ad pastores Ecclesiæ hoc attinere, idest, habere charitatem perfectam, & illã simul in seipsis sentire. Audiamus, obsecro, illius deuoti Abbatis verba ad pastores. *Audite hæc o amici sponsi, si tamen amici. At parũ dixi amici: amicissimi sint oportet qui priuilegio tantæ familiaritatis donantur. Non otiosè toties repetitum est: Petre amas me? Et in commissione ouium. Et ego id quidem significatum perinde puto, ac si illi dixisset IESVS: Nisi testimoniũ tibi perhibente conscientia quòd me ames, & ualde perfectè, q; me ames, & plusq̃ tua, & plusq̃ tuos, & plusq̃ te, ut huius repetitionis meæ numerus impleatur, nequaq̃ suscipias curam hanc, neq; te intromittas de ouibus meis, pro quibus sanguis meus effusus est.* Hæc D. Bernardus. Certè dura nobis verba, sed vera, & ex Christi verbis elicita. Hoc enim à nobis ipsa muneris amplitudo deposcit vt simus perfectè amantes, ac propterea conscii perfectæ nostræ charitatis, testimoniũ perhibente nobis conscientia nostra: & hoc esset gloria nostra. Vnde Apostolus non est veritus dicere: *Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Hoc autem verbum ad Prælatos attinebat quos vocat perfectos, & ad idem sentiendum adhortans, indicat eis quales esse deberent, nempe illius perfectæ charitatis quę foras mittit timorem. Quamobrem Timotheo discipulo suo charissimo commendat sedulò hãc gratiam quam cõsequutus erat per manuum impositionem presbyterii, vt eam excitaret. Videat ergo & consideret prudens & pius lector quò redacti sumus, vt ea nunc in dubium vertantur, an esse possint, quæ secundum scripturæ veritatem & sanctorum Patrum sententias à multis exiguntur.

Notẽt Prælati.

Conuenit vt & matrimonii sacramentum non prætereamus, quod si legitimè & cum timore Domini, vt oportet, ineatur, experirentur certè ipsi coniuges quantum diuinæ gratiæ consequerentur. Nec enim ab re Dominus sua præsentia nuptias honorauit, & aquam ibi mutauit in vinum. Mysteriũ hoc certè magnum fuit: & tamen significauit etiã se probare & adiuuare dono gratiæ suæ ac sapientiæ carnalem copulam, vt de aquis insipidis, quales eramus omnes nos, fieremus per gratiam suam bonum vinum gustabile sponso Domino, & probatum Architriclino Spiritui sancto. Magnum est huius sanctæ copulæ & immaculati thori exemplũ Thobias iunior. Verùm quoniam in ea tempora incidimus, quando penè corrupta sunt omnia, quia Episcopi non docent plebes suas, nihil mirum si hæc nunc non videantur, & iam nõ capiantur: quoniam (vt ait Propheta) non agnoscitur gratia Dei in terra obliuionis.

De sacramento matrimonij.

Restat vltimum sacramentum extremę vnctionis, de quo frater Domini Iacobus sic testatur: *Infirmatur quis in nobis: inducat presbyteros Ecclesiæ & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Quid hîc dicemus? Fuerit homo qui sanctã vitam duxerit in ieiuniis & obsecrationibus nocte & die, quales multos fuisse non est vertendum in dubium: & hic nouerit se

De extrema unctione.

iam

iam morti proximum, & confessus fuerit ex corde peccata sua, & inuenerit se manus habuisse innoxias à sanguine fratris sui, & ab omni re proximi sui: timuerit semper Deum, absolutionem obtinuerit à sacerdote cum certitudine fidei promissionum Dei, & sumpserit insuper deuotè & cum lacrymis corpus Domini pro viatico sancto, & nouissimè vnctionem extremam, & adhuc viuus ac mente sanus & prudens agonem mortis tolerauerit patienter, & (vt de multis conspicere datur) expectauerit Domini aduentum cum gaudio vt seruus fidelis expectans Dominum suum quando reuertatur à nuptiis, & in verbo illo securitatis & totius consolationis pleno animam reddiderit, dicens: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*: de hoc, inquam, homine cui attestata sit tota vita inculpatè atque innocenter transacta, tot sacramētis circumuallato, quæ prouidit nobis benignus Deus vt essent certa atque infallibilia gratiæ & salutis signa: quis ausit dicere talem nec fuisse, neque esse certum potuisse suę gratię ēt certitudine fidei (nam alia certitudo fingi non potest) antequam extremum vitæ huius spiritum Deo reddiderit? Hóccine credibile est aut probabile de clementissimo Deo Patre nostro? Hoc si asseritur, quis me prohibeat iterum atque iterum exclamare, O infęlicem prorsus christianorum conditionem. Neque tamen hoc (licet adeò per se clarum sit) volo absque testimonio prætermittere. Beatus enim Ambrosius ad illum ver. psal. 118. *Memor fui iudiciorum tuorum à seculo Domine, & consolatus sum*: etiam absque consideratione tot ac tantorum sacramentorum, de omnibus iustis qui cum lętitia excedunt è vita, sic ait: *Videmus in seculo innocentes letos ad iudicium festinare, odisse moras, celeritatem affectare iudicij. Beatus itaque ille, qui illud cœleste iudicium letus expectat. Scit.n. sibi regnum cœlorum, Angelorum consortium, coronam quoque bonorum repositam esse meritorum*. Hæc ille. Quid adhuc quærimus? Scit, inquit: non opinatur, sed scit regnum cęlorum esse sibi repositum. Scire autem non notitiam qualemcunque, sed certam importat, & omnem formidinem ac dubitationem excludit. Et hanc nos defendimus. — B. Ambrosius

Quo in loco etiam fortius argumentor ex doctrina B. Thomæ manifesta de hoc extremo sacramento. Ipse enim docet, eū qui non ponit illi obicem, recipere effectum sacramenti, qui est vt si sint fortè peccata mortalia, eluantur. Hæc est misericordia Christi in membris suis. Homo autem sanus & mentis compos absque dubio habere potest euidentem sui cordis notitiam, & scire certò se non habere conscientiam peccati vllius, cuius nō pęnituerit, nec voluntatem peccandi in futurum, & se deuotè pro conditione humana sacramentum suscipere: quod in homine iusto & virtutibus pleno moxque morituro si quis neget cōtingere, facilè cūcta negabit. Quòd ergo sic suscipiens non ponat obicem sacramento, nemo nisi proteruus & contentionis amator poterit non confiteri. Igitur sic suscipiens, & sic se suscipere claro experimento cognoscens, & ex fide efficaciam sacramenti certò tenens, nónne consequenter certitudinē habebit suæ gratiæ, & hoc ex fide? Profectò aliud asserere repugnat virtuti sacramētorum & naturæ propriæ huius vltimi sacramenti, quo suppletur quodcunque pro fragilitate humana nobis defuerit, & absorbetur in agone mortis à iustissima Dei misericordia propter Christum, quocum & nos, qui illius membra sumus, compatimur, & ille nobiscum qui Caput est nostrum. Et profectò si qua potest dubitatio incidere, non nisi vel ab infidelitate, vel à modica fide accidit, quia verbis Christi non creditur. Legitur in vita B. Hilarionis à D. Hieronymo cōscripta, quòd dum ageret animam, & (vt accidit) propter carnem aliquis eum pauor in illa solutione inuaderet, plenus fide hæc verba pronunciauit: *Egredere, quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annis seruisti Christo, et times?* Et hæc satis quod attinet ad superiorem assertionem de certitudine quæ à sacramentorum perceptione suscipitur. — B. Hilarion.

✠ ✠
✠

ASSERTIO VIII.

Manifestari hanc gratiæ certitudinem non solùm à uirtute sacramentorum testificata per IESUM *Christum, sed etiam ab ipsa illorum uirtute, experimēto, ac sensu interno à multis percepta.*

ETSI CVNCTIS CHRIstianis inmillud constet, in sacramento baptismi & remitti peccata & conferri gratiam: hoc tamen insuper recipiendum est, nonnunquā tātam fieri sensibiliter circa mores mutationem, vt in hoc admirabili effectu abundantia gratiæ semetipsam clarè ostendat. Fateor posse aliquos id in seipsis — De Baptismo.

non animaduertere, quia forte nimis tepidè & indeuotè accedunt, & ideò abundantiam gratiæ non consequuntur. At si toto corde venirent & attenderent opus Dei, profectò sentirent & certò sentirent diuinam in seipsis dexteræ Excelsi mutationem per repentinos atq; admirabiles gratiæ effectus, quos viri sanctissimi cōtestati sunt, vt potè qui manifestissime in semetipsis ipsa experiĕtia persenserāt. Extat.n.gloriosissimi martyris Cypriani elegans de se testimonium, vbi non specialem reuelationem, sed vim & efficaciam sancti Lauacri, quam ipse expertus erat in semetipso, his verbis eleganter describit. *Accipe quod sentitur* (nimirū in Spiritusancto) *antequam discitur, nec per moras temporū longa agnitione colligitur, sed cōpendio gratiæ maturantis hauritur. Ego cum in tenebris atq; in nocte cæca iacerem, cumq; in salo iactantis seculi nutabundus ac dubius uestigijs oberrantibus fluctuarem, uitæ meæ nescius, ueritatis ac lucis alienus, difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar quod in salutem mihi diuina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo posset, usq; in nouam uitam lauacro aquæ salutaris animatus, quod prius fuerat exponeret: corporis licet manente compage, hominem animo ac mēte mutaret. Quin impossibilis, aiebam, tanta conuersio est, ut repentè ac perniciter exuatur quod uel genuinum situ materiæ naturalis obduruit, uel usurpatum diu senio uetustatis inoleuit. Alta hæc & profunda penitus radice sederunt. Quando parsimoniam discit, qui epularibus cœnis & largis dapibus assueuit? Et qui pretiosa ueste conspicuus in auro atq; in purpura fulsit, ad plebeium se ac simplicem cultū quando deponit? Fascibus ille oblectatus & honoribus, esse priuatus & inglorius non potest. Hic stipatus clientum cuneis, & frequentiore comitatu officiosi agminis honestatus, pœnam putat esse cùm solus est. Tenacibus semper illecebris necesse est (ut solebat) uinolĕtia inuitet, inflet superbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas stimulet, ambitio delectet, libido præcipitet. Hæc egomet sæpe mecum. Nam ut ipse quàm plurimis uitæ prioris horroribus implicatus tenebar, quibus exui me posse non crederem, sic uitijs adhærentibus obsecundans eram; desperatione meliorum, malis meis, uelut iam proprijs ac uernaculis, affauebam. Sed postq; undæ genitalis auxilio superioris æui labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, postq; cœlitus spiritu hausto in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa; facultatem dare quod prius difficile uidebatur, geri posse quod impossibile putabatur: ut esset agnoscere terrenum fuisse quod prius carnaliter natum, delictis obnoxium uixisset: Dei esse cœpisse quòd iam Spiritus sanctus animaret. Scis ipse profectò, & mecum pariter recognoscis, quid detraxerit nobis, quid ue contulerit mors ista criminum, uita uirtutum. Scis ipse, nec prædico in proprias laudes. Otiosa iactatio est, quamuis non iactatum possit esse, sed gratum quicquid non uirtuti hominis adscribitur, sed Dei munere prædicatur, ut iam non peccare esse cœperit fidei: quod ante peccatum est, fuerit erroris humani. Dei est, inquam, Dei est omne quod possumus: inde uiuimus, inde pollemus: inde sumpto & concepto uigore, hic adhuc positi, futurorum indicia prænoscimus.* Hęc ille gloriosus Martyr. An non satis certi sumus tanto illius testimonio, quomodo ab experimento efficaciæ huius primi sacramenti certissimus erat adeptæ gratiæ? Et hoc prædicare non arrogantiæ, sed confessioni ac deuotioni meritò tribuebat.

B. Cyprianus in Epistola secūda lib. 2. ad Donatum.

NOTA

Eundem baptismi effectum B. Pater Augustinus in libro confessionum suarum in semetipso & in alio qui vnà cum illo regeneratus fuerat, ingenuè confitetur & contestatur. Narrat enim quomodo vbi primùm baptismi sacramentum suscepissent, veteris solitudo vitæ ab eorum animis fugata est: in cuius locum repentè consideratio diuini consilii super salutē generis humani mirabili cum dulcedine subiit, vt de cātibus & hymnis suauesonantibus ecclesiæ, mirificos pietatis excitari affectus in corde sentirent. Verùm pręstat eius verba subiungere. *Baptizati* (inquit) *sumus, & fugit à nobis solicitudo uitæ preteritæ, nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudinem consilij tui super salutem generis humani. Quantum fleui in hymnis & canticis tuis suauesonantis ecclesiæ tuæ uocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquebatur ueritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & concurrebant lacrymæ, et mihi benè erat cum eis.* Hæc ille. Tam mirus ergo & tam repentinus in B. Augustino effectus, cuius ipse conscius sibi erat, nónne certam gratiæ assistentiam tanq̃ à clarissima Spiritus voce manifestabatur? Vtinam hęc experirentur qui negant, ne tam duros vlterius se redderent.

B. Augustin.

Quid dicam de confirmationis sacramento, quo vires fidei ac spiritus roborantur, vt fiat homo in Christi militia fortior ad ferendam crucē, & ne erubescat Crucifixi Euangelium, sed apertè confiteatur in tribulationibus & carceribus & tormentis & pressuris & mortibus, etiam cum interiore Spiritus gaudio? Hæc Dei magna beneficia dùm præsto sunt, cur, rogo, non scientur ab eo in quo insunt? Scriptum est de Apostolis: *Ibant gaudentes Apostoli à conspectu Cōcilij, quòd digni habiti essent pro nomine* IESV *contumeliam pati.* Neque id in solis Apostolis finitum est, sed & viri & mulieres, senes & pueri, & omnis status & cōditionis homines innumerabiles adeò in militia Christi profecerunt, vt fortiter & cū alacritate

critate atq; hilaritate humanis viribus intolerabilia passi sint tormenta. Dixit quidam: Et facere & pati fortia, Romanum est. Hoc autem non veré. Mutetur vna vox, & dicatur: Et facere & pati fortia, Christianum est. Et tunc sermo erit omnino verus.

Hic autem est proprius sacramenti confirmationis effectus, vt per illud armetur homo vt fortia faciat & patiatur. Istud initio ostensum est in Apostolis, quemadmodũ & res ipsa tunc postulabat, in quibus sacramenti huius eximia apparuit efficacia in signo externo ignis & lucis. Nam igni meritò charitas comparatur, quæ & ardorem & lucem secum affert. Plurimę certè sunt ignis proprietates, quæ appositissimè charitati conueniũt. Quapropter Spiritussanctus venit in igne, vt eleganter B. Dionysius docet. Nos duas tãtum prosequemur. Est enim ignis primum miræ ac summæ efficaciæ, vt contactu faciat sensum. Sentiebatur ergo ab eis qui in corde illum gerebant, aut potius gerebantur ab eo. Erat autẽ ignis ille ardens & consũmans, sed non destruens neq; consumens. Ignis itẽ est propriũ vt sit lucidus. Propterea dixit illis Dñs: *Vos estis lux mundi*. Peccatores non possunt dici lux, sed tenebræ. Vnde Apostolus: *Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino*. Si Apostoli propter inhabitantem in eis Spiritum erant lux mundi, ita vt etiam alios illuminarẽt & incenderent: illis'ne ergo solis lux illa non illucebat vt cognoscerent dona gratiæ suæ? Erant ipsi templum Spiritus sancti inhabitantis in illis, & nunquam tantum hospitem cognouerũt? Erant ciues sanctorum & domestici Dei, imò ipsi potius fundamentũ Ciuitatis in quibus alii superædificabantur: ipsi quidem immediatè consistentes super angulari lapide Christo IESV: attamen nec ipsum Dominũ domus & patrẽfamilias sibi certò propitium vnquàm cognouerunt, nec se super illum, nec alios super se ędificatos per Spiritum eũdem fidei & charitatis senserunt, nisi specialis insufflaret reuelatio, quæ illis assiduè istam gratiam annunciaret? Illi erant fontes de quorum ventre fluxerunt flumina aquæ viuę, idest, gratię Dei, & adhuc ignorabant se tales? Audiamus, quæso, iterum Dominum de lumine huius Spiritus attestantem: *Si diligitis me, mandata mea seruate: & ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum ueritatis, quem mundus non potest accipere, quia non uidet eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum*. Quid est Vos autem cognoscetis eum? Audi. Ipse enim affert notitiæ causam: quia (inquit) in vobis manebit, & in vobis erit. Non satis fuit dicere, *Manebit*, sed dixit: *In uobis erit*. Tanq̃ diceret: Erit intimus & conglutinatus vt spirituali sensu certissime percipiatur. Non igitur specialis reuelatio hanc notitiam faciebat, sed illa inhærentia Spiritus atq; mansio, vt pulchrè notant expositores.

Dicturus est fortè aliquis, illud fuisse speciale donum Apostolorum. Sed hoc non verè dicet. Quia Spiritus superadiectio ordinariè datur (vt dixi) per sacramentum confirmationis, licet non in tanta mensura, q̃ta Apostolis data fuit, nec in signis illis & prodigiis. Non enim missio illa spiritualis & collatio Spiritus desiit esse in Ecclesia vt hæretici blasphemãt: neque desinet vsq; ad consummationem seculi. Sed hoc est peccatum nostrum, qui vilifecimus dona Dei, nec seruamus ea, & iam sumus in terra obliuionis. Verum non est hîc locus deplorandi.

Attestatur prædictę sententiæ B. Augustinus contra Donatistas, cuius verba sunt hæc: *Neq; temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modo datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ij quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repentè incipiant linguis loqui? Sed inuisibiliter & latenter intelligitur per uinculum pacis eorum cordibus diuina charitas inspirari, ut possint dicere: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritumsanctum qui datus est nobis*. Hæc ille. **B. Augustinus lib. 3. cap. 16. de bapt.**

Nota verba prudens lector: Vt possint dicere quoniam charitas Dei &c. Quis autem potest securè dicere illud de quo debeat dubitare aut formidare, vt isti volunt? Ergo diuina charitas intus latenter agens in cordibus piorum, eam securitatem facit: quia etiam (vt ait D. Bernardus) ipsa certitudinẽ infundit. **NOTA**

Accedit vt & fructus magnos sacramenti Eucharistię quo homo alitur, roboratur & saginatur, ostendamus. Hic est enim cibus ille qui de cęlo venit, & omne delectamentum in se habet. Vnde & cibus dicitur Angelorum, & verum manna cęleste, quod norunt soli qui gustant. Nouit autem qui gustat non coniectura, sed (vt ita dicã) sentimẽto spiritus sui. Sic nouerũt viri sancti qui experimento comprobarunt: de quo etiã multa nobis reuelarunt. Hic est panis cuius esus aperit oculos manducantiũ, vt videant præsentiam Domini sui, sicut scriptum est: *Cognouerunt Dominum in fractione panis*. Cognouerũt quàm dulcis, quàm suauis & bonus iis q recto sunt corde. Audiamus verba eius: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me* **De sacramẽto Eucharistiæ.**

manet & ego in illo. Et: *Qui adhaeret Deo, unus spiritus est cum illo*. Itáne igitur desipiemus & insensati reddemur incorporati in illo, & manentes in eo tanq̃ verè cōtenti ab illo, & ille manens in nobis tanq̃ continēs nos, vt nullus vnquàm nostrum sentiat eius præsentiam in effectibus spiritus sui? Dico sentiat, vt certitudinem significem: quia spiritus etiam habet sensus suos. Verùm inexperti duri sunt ad credendum. Quòd si quis dixerit: Ergo tu expertus es? Respondeo: quanq̃ ingratus Deo, Credidi, propter quod & loquor. Tu verò bone lector, audi non me, sed alios sanctos Dei viros, quid de efficacia huius sacramenti loquātur. Docet B. Augustinus Prophetam de hoc sacramento loquutum fuisse quando dixit: *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus*. Qui igitur accipit sacramentum spiritualiter, videt & gustat, teste scriptura & B. Augustino in eo loco. Notemus ergo verba: *Gustate & videte*. Nā quibus verbis poterat efficacius euidentiā rei & certitudinem exprimere, quàm per duo hęc verba quæ significant certam & euidentem cognitionem duorum pręcipuorum sensuum; visus scilicet & tactus, qui sunt certissimi? Nam gustus ipse (teste Philosopho) est quidam tactus. Sicut ergo qui gustat secundum carnem, nisi sit corrupto & malè affecto gustu & stomacho, certò deprehendit & cognoscit quod gustat: ita est etiam secundum spiritum. Habet enim & spiritus gustum suū vnde valeat diiudicare. Quamobrem dixit Apostolus: *Animalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei: quoniam spiritualiter examinantur. Spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.*

Ad hæc, Nonnunq̃ viris Dei & timentibus eum, in accipiendo sacramentum contingit sensibiliter, aut alio quouis modo, videre manifesta signa præsentiæ Domini & gratiæ suæ. Legitur enim de B. Bonauētura, quòd aliquando cum ipse auiditate multa desideraret Eucharistiam, & haberet hostiam diuisam in patena, anteq̃ manu ipse acciperet ad manducandum, pars hostiæ sua spōte euolabat & introibat in os eius. Hoc item accidit aliquādo B. Catharinæ Senēsi dū feruētissimo desiderio cuperet communicare. Scribit & B. Dionysius de quodam Carpo, quem testificatur nunq̃ sacrificare solitum absq; euidēti aliquo signo ac miraculo. Quomodo ergo ex his externis signis, iuxta puritatem cōscientiæ ac feruorē cordis, non consequantur sancti viri pro aliquo saltem tempore certitudinem suæ gratię vt de ea nequeant dubitare?

Sed hoc in loco nobis quidam sese opponunt aientes: Nónne Diabolus potest etiam immittere gustus suos? Certè non istos. At similes. Admittatur. Non igitur signum certum erit hoc quod in gustu inuenitur, sed fallax. Respondeo, vt suo capiantur laqueo: Nónne vos confitemini hominem posse scire suam gratiam per reuelationem? At in reuelationibus etiam potest inesse deceptio, sicuti frequenter inest: quia similes reuelationes facere potest Diabolus, qui transfigurat se in angelum lucis. Quare si hoc argumento moueamur, non erit vlla miraculorū certitudo: q̃a similia veris potest facere Diabolus. Nam Saluator prædixit de pseudoprophetis venturis, qui facient signa & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce ergo perit attestatio miraculorum, & fides reuelationum, si huiusmodi tam leuibus ac fallacibus moueamur exemplis. Et cōsequenter tollitur fidei veritas, cum à reuelationibus particularibus factis hominibus, & per miracula confirmatis fides exorta sit & confirmata. Vnde aiebat Dominus: *Si non venissem & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent*. Et iterum: *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Quare dicendum est, Sicut non negatur certitudo reuelationum & signorum cum vera sunt, propterea quòd etiam Diabolus reuelat & signa facit: ita si quando per eiusmodi gustus possit homo decipi non debet negari gratiæ assistentis certitudo per gustus illos qui veri sunt & à Deo. Et ratio est in promptu: q̃a Diabolus habet in huiusmodi terminos suos, vt nequeat vera signa & miracula edere, nec veram & perfectam consolationem internam dare: sed tantùm secundum apparentiam, quam propriæ affectiones pariunt, & quam probè norunt viri spirituales. Et simili modo non potest veras reuelationes immittere, nec veros gustus. Neque enim desunt probationes veri spiritus, & discretionis signa certa, vt Spiritus veritatis à spiritu erroris & falsitatis secernatur. Hoc testabatur B. Antonius, qui nec habebat pro re difficili adesse discretionem spirituum homini nolenti decipi, quemadmodū B. Athanasius scripsit in eius vita. Sicut enim facilè probatur verum aurū & argentum ab iis qui sunt in eo artis genere periti: ita probantur spiritus à spiritualibus viris qui omnia diiudicant, nisi velimus frustrà esse dictum: *Probate spiritus an ex Deo sint*. Et Apostolus: *Omnia probate, quod bonum est tenete*. Quòd si probatio fiat legitimè, manifestum redditur eos solos qui decipi velint, deceptū iri. Si autem nolumus decipi, non decipiemur

[Margin notes: Obiectio. — Solutio. — D. Antonius.]

mur: sed agnoscemus veritatem. Humilitas certè & abiectio sui iudicii, & obedientia facile probat Spiritum verum à falso. Vnde & Dominus aiebat: *Qui voluerit facere voluntatem eius qui me misit, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar*. Sic est in eo qui habet gustus internos. Si.n.simplex fuerit anima eius, et voluerit facere voluntatem Patris, sicut Dominus dixit, & amauerit veritatem, non autem semetipsam, sed veritatem: ipsa veritas manifestabit proculdubio seipsam illi. Quare corruunt exempla à quibusdam allata de Monialibus & quibusdam mulieribus quæ deprehensæ sunt à Demonio ludificatæ. Nā cum res discutitur, etiam causæ deceptionis earum deprehenduntur: vt magis veris reuelationibus astipulentur, quæ cum habeant suas circunstantias, quas nouit homo verè spiritualis, nunq̄ fallunt. Meminimus scripturæ sacræ de illis Magis Pharaonis, qui p̄ suas incantationes fecerunt quædam signa sicut Moses & Aaron, ita vt etiam illorum virgę viderentur in draconem conuerti: sed attendendum quod virga Moseos eorum virgas deuorabat. Vertit etiam aquam in sanguinem Moses: verterunt & malefici. Fecit ebullire ranas: fecerunt & illi similiter. Sed vbi viderunt cyniphes è terra p̄ Mosen eductos, tentarunt & illi similiter facere, sed non potuerunt. Vnde confessi sunt digitum Dei ibi esse, idest, Spiritus omnipotentiam. Ita in re proposita, dico esse quædam signa, ad quæ non potest se se extendere diabolica potestas. Sunt & reuelationes similiter & gustus spirituales, quos Diabolus donare nō potest: quia per eos excitantur viri sancti ad exercitiū salutarium virtutum humilitatis, obedientiæ, charitatis, & patientiæ. Has virtutes odit Diabolus: quoniam hæ aperiunt deuotæ animæ veram Dei ac sui notitiam, vt nec error esse possit nec formido, vt ait D. Bernardus.

Dicet iterum aliquis: Atqui nunc & in omni seculo apparet multos esse deceptos, qui tales gustus sibi videbantur habere: qui etiam testificabantur se probauisse, & certò deprehendisse tales spiritus fuisse à Deo. Et nos dicimus iterum atq; iterum, Spiritum verè humilem nō posse decipi: & qui se idoneè probat atq; internè vt debet, & exuens proprios affectus scrutatur profunda cordis sui, & cōsulit spirituales viros, & credit senioribus & expertis, præsertim prælatis suis: talis, inquā, non decipietur vnquam. Istud Ioānes Cassianus testatur, qui hāc esse omniū sanctorū Patrum sententiam asseuerauit. Viri.n.experti & timorati non seipsos, sed veritatem amantes, quos docet ipse spiritus humilitatis non fictus, benè probant quàm vera sint etiam iuxta spiritū intellecta Verba illa CHRISTI dicentis: *Palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Quid est non habere carnem & ossa, nisi non habere communicationem cum homine? Talis est Diabolus, quicum non conuenimus, eò q̄ ipse non habet carnem sicut nos habemus, & propterea non suggerit homini vtilia, & quæ sunt charitatis: quia non diligit carnem nostram, quam spreuit existens in cęlo ab initio, & magno pòst odio semper est prosequutus. Nec habet ossa, idest, virtutes robustas sicut Christus, de cuius carne & ossibus cōpacti sumus. Ossa enim nostra secundum spiritum sunt robur ac diuinæ virtutes, quæ tunc nobis verè adsunt, cum infirmitatem nostram confitemur, vt sic mereri valeamus virtutem Christi habitare in nobis. Quare pulchrè aiebat Apostolus: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi. Cum enim infirmor, tunc potens sum*. Qui ergo decipiūtur, hi sunt qui non palpant vt videant. Decipiuntur qui non infirmantur, idest, qui nō cognoscunt quòd ex se caro sunt infirma & putrida & nihil valens. Qui igitur non humiliantur vsq; ad profundissimas abyssos, sed aliis se præferunt, & sua iudicia faciunt certa & stabilia cum sint in tenebris, ii sunt qui volunt omni modo superare & supergredi fratrem suū siue iure siue iniuria: quia non quęrunt nisi quæ sua sunt, & non quæ IESV Christi: imò quæ non sua sunt rapiunt, & sibi iniuria vendicant quæ IESV Christi sunt. Hi sunt, inquam, qui facile decipiuntur, & (quod peius est) qui nolūt scire se decipi, vt queant recepto meliori iudicio resipiscere. Qui verò visitantur à Deo atq; palpāt ossa Christi & carnem, dum agnoscunt dignationem eius & immensam humiliationem in susceptione carnis nostræ, & ipsi similiter humiliantur & afficiūtur amore erga sermonē eius, & ossa fortitudinis eius tangunt volentes in eo fortes esse, & in eo gloriari, non in seipsis, vt gloria sit Dei, non eorum propria: hi sunt qui fructum diuinæ visitationis accipiunt, humiliantes se tantò magis, tantòq; magis spernentes semetipsos, & gratias de muneribus diuinis incessanter agentes, & in operibus charitatis erga Deum & proximum se exercentes, magis in dies ac magis inflammati & incensi dilectione, hi sunt, inquam, qui certò palpant & vident & gustant.

Addo quod & verè admonet B. Bernardus, nō deesse quibusdam speciale quoddam

Io. Cassianus.

donum, quod discretionis spirituum vocat Apostolus, quo possint certò discernere id quod est à Diabolo, ab eo quod est à Deo absq; alia speciali reuelatione. Vnde Apostolus de seipso aiebat, quòd nõ ignorabat astutias Satanæ. Neque verò mirandum est si pleriq; hos gustus minimè sentiunt, aut leui indicio sentiant: quia non sunt omnium, sicut nec syncera fides est omnium. Et multò minus est omnium solicitudo spiritualiũ gratiarum. Vnde non omnes ad illud sanctissimum sacramentum ea puritate accedunt qua oporteret & dignum esset. Quamobrem & B. Paulus hoc in Spiritu præuidens aiebat: *Ideò inter uos multi infirmi & imbecilles & dormiunt multi. Quòd si nosmetipsos diiudicaremus, non utiq; iudicaremur.* Vbi significare voluit, sicut omnes exponunt, quòd homo si vult, habet facultatem explorandi & iudicãdi conscientiam suã: non vt seipsum autoritatis iudicio iudicet, cũ Apostolus de huiusmodi iudicio dicat: *Sed neq; meipsum iudico:* Sed vt iudicio discussionis cognoscat, ac certò sciat de seipso ad vtilitatem suam quid lateat in proprio corde, vt expurget fermentum malum si illud deprehenderit, ad euitandum iudicium Dei tremendũ: quoniam si seipsum sic iudicaret homo, teste tãto Apostolo, nõ à Deo iudicaretur. Quare autem non iudicaretur à Deo, nisi quia iudicium ipsius fuisset rectum? Quomodo autem potest esse rectum, nisi homo posset nosse sufficienter peccata sua, ea saltem quæ separãt à Deo? de quo etiam inferius disseremus. Nota acute lector argumentum, & proba, si sentis vigorem.

Iudicium autoritatis & iudicium discussionis.

Notandum.

Venio nunc ad fructus sacramenti pœnitentiæ quos Dominus Deus ab his exigit quibus peccata remittit. Vidimus enim ac benè nouimus nonnullos homines verè pęnitentes, qui statim expurgantes vetus fermentum & facti noua conspersio, nouam subitò vitã sunt aggressi, nouam conuersationẽ arripuerunt: quia nouum appetitum & gustum acceperunt à Deo per sacramentum. Qui.n. prius erant nõ dico incontinentes, sed intemperati, hi repente non dico continentes, sed temperati effecti sunt. Et similiter qui prius iracundi, redditi sunt confestim mites & mansueti. Blasphemabant paulò ante Deum & B. Virginẽ & sanctos omnes: mox incipiũt derepentè benedicere, prædicare, laudare cũ dulci gemitu, & venerari sanctorum cineres suppliciter. Prius erant amatores ludorum, spectaculorum, commessationum, ebrietatũ: postmodo facti sunt osores cunctarum carnalium rerum, & amatores è conuerso virtutum omnium. Hoc legimus de quibusdam sanctis, qui subitò mutato tenore vitæ, in repentinis probati sunt. Et possemus aliquos nostri seculi quos benè nouimus, inducere si res ipsa vrgentius ita expostularet. Hæc igitur tanta tamq; subita mutatio, quam homo in seipso etiam dum est in ætatis feruore experitur, nunquid venire potest ab ipsius naturæ viribus? Quis illud ausit dicere, nisi fortè aliquis Pelagianus? At homo verè & christianè philosophus hoc nunquàm ex philosophia asseuerabit. Nunquid ergo hoc opus Diabolo cum blasphemia Spiritussancti tribuemus? Absit. Illa ergo Beati Pauli cõuersio, qui de lupo factus est ouis, de persecutore christiani nominis factus est prædicator & testis, qui cum prius blasphemus esset & plenus minarum & cædis in discipulos Domini, derepentè laudator & mitis effectus, tolerator passionum, persecutionum & tantorum exitiorum quæ vel ipsemet numerat: illa, inquam, tanta conuersio poterit tribui Diabolo? Quis tantam non horreat vel cogitare blasphemiam? Igitur oportet velimus nolimus fateri, digitum Dei, & dexteræ Excelsi esse hanc mutationem. Non ergo simus duriores corde quàm Magi Pharaonis, qui ingenuè veritatem confessi sunt dicentes: *Digitus Dei est hic.* Sic & nos toto corde fateamur hic esse Dei digitum, & mutationem dexteræ Excelsi. Neque dicamus, hoc fuit opus Dei singulare in Paulo, qui singulariter vocatus est Vas electionis. Nam & aliorum multorum fuere conuersiones, etsi non tanti miraculi, reddentes tamen testimonium certum & minimè fallax adeptæ gratiæ. Illi enim publicani, illæ meretrices, & quotquot Christus ipse dignatus est de lege sua ore proprio erudire, credibile est quòd fermè omnes insigniter conuersi fuerint, & à conuersione sua certissimum acceperint suæ gratiæ argumentum. Viuus enim erat ille sermo & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Vnde quidam iam experti dicebant: *Non iam propter tuam loquelam* (ad Samaritanam loquentes) *credimus. Ipsi enim audiuimus, & scimus quia hic est uerè Saluator mundi.* Et illi duo: *Nónne cor nostrum erat ardens in nobis dum loqueretur nobis in uia?* Et verè in Ecclesia nunq̃ defuerũt egregiæ conuersiones, quas mundani homines etsi primùm admirentur, parum tamen cõsiderant, sed ferè vnusquisq; qualis accessit, talis redit ad propria. Quidam verò suggerente Diabolo, dum huiusmodi conuersiones hominũ insperatas vident, aut fatuitati tribuunt, aut atræ bili, seu (quod deterius est) etiam despe-

De pœnitentia

rationi. Quæ omnia facilè credunt mundani, quia mundani sunt. Sic aliquando de me prædicabant quidam, cùm consilium Domini voluntaria deliberatione sequutus, spretis omnibus quæ possidebam & quæcunq; me possessurum in hoc mundo sperabam, dedi nomen & manus professus mendicitatem sub Patriarcha nostro B. Dominico. Sed, vt ait Apostolus: *Animalis homo non percipit quæ Dei sunt: Stultitia enim sunt illi.* Porrò ad quosdam qui erant conuersi aiebat: *Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino.* Sed quis est, obsecro, qui possit de tenebris lucem excutere, nisi solus ille qui imperauit tenebris, & dixit: *Fiat lux?* quo solo dicto facta est lux. Quòd si qui verè conuertitur ad Deum fit lux de tenebris, quî fieri potest vt lux existens non sit sibi manifestus, dicente Apostolo: *Omne quod manifestatur, lux est?* Et vide, quæso, mutationem, quam idem Vas electionis explicat illis: *Gratia autem Deo quòd serui fuistis peccati: obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in quã traditi estis. Quem ergo fructum habuistis in illis in quibus nunc erubescitis?* Considera prudens lector, in illis mutatam vitæ rationem. Anteq; conuerterentur ad Christum, impudentes & effrontes etiam cum voluptate peccabãt probantes malum quasi bonum. Postmodo verò sola peccatorum recordatione exhorrẽtes erubescebant: quod omnibus verè conuersis contingit. Vnde B. Bernardus profert illã sententiam sæpe dictam: *Sanè nouum superuenisse spiritũ, certissime noua conuersatio contestatur.* Quin idem B. Bernardus in serm. de quatuor modis orãdi, loques de verè pœnitente & conuerso, cui dicit Dominus: *Confide fili: remittuntur tibi peccata tua:* et spiritualiter tractans illud quod in scribas & phariseos murmuratores obiecit Dominus, in hunc modum exposuit: *Vt sciatis, inquit, quia potestatem habet filius hominis in terra dimittendi peccata: tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et ambula. Et tu ergo si iam surgis desiderio supernorum, si grabbatum tollis, corpus scilicet à terrenis eleuans uoluptatibus, ut iam non feratur anima concupiscentijs eius, sed magis ipsa (ut dignum est) regat illud & ferat quò non uult: si demũ ambulas, quæ retro sunt obliuiscens, & ad ea quæ ante sunt te extendens, desiderio & proposito perficiendi; curatum te esse NON DVBITES. Non enim surgere poteras, si non aliquatenus onus esset alleuiatum, & nec grabbatum tollere, nisi exoneratus magis: quia nec ambulare feruore cõuersationis cum peccatorum graui mole possibile est. Propter quod fiducialiter iam postulare potest qui eiusmodi est.* Hæc ille ibi: quæ quo pacto conuenire possint cum incerta & occulta remissione peccatorum quam isti prædicant, ipsi viderint.

Ad Rom.

D. Bernardus

NOTA

Hic vir plenus Spiritu tãtum abest vt incertã faciat & occultam, vt præcipiat non esse dubitandum homini tollenti grabbatum & ambulanti. Quòd si hoc multi non experiuntur, id accidit quia nimis tepidè & diffidenter vadunt, vel non surgũt, nec veraciter conuertuntur, nec super se grabbatum tollunt. Et q audiunt eorum confessionem nõ instruunt, neq; ostẽdunt vitiorum turpitudinem, & virtutum pulchritudinem, nec docent eos virtutem Dei & benignitatem, sed nimia indulgentia nutriunt eorum diffidẽtiam & socordiam. Et hæc de sacramento pœnitentiæ satis.

Non libet effectũ sacramenti ordinis prœterire, præsertim Episcopalis, ad mei saltem doctrinam & excitationem, in quo perfectũ gratiæ munus etiam ad alios purgandos, illuminandos, ac perficiendos suscipitur. Deus enim cum aliquem ad aliquod munus vocat, ea proculdubio præstat quæ ad illud munus obeundum requirũtur. Ergo homo perfectus vt alios valeat perficere, hoc ipse in seipso non sentiet, quo alios debeat impartiri? Et cum illa munera se videat implere quæ sunt veri pastoris propria, quæ ardua sunt & supra omnes facultates posita, adhuc suam in se diuinam gratiam ignorabit? Absit vt hoc fateri valeam.

De sacramento ordinis.

Dicet quis, Quænam sunt hæc pastoris propria munera? Respondeo, quid possem dicere proprium esse veri pastoris, nisi quod est proprium charitatis, nõ quœrere quæ sua sunt, sed quæ IESV Christi, non pascere seipsum, sed gregem? Pascit autem semetipsum homo quùm de honore & gloria sui gradus & nominis gaudet atq; extollitur: quùm delectatur potestate & imperio amans dominari in clero, salutari & honorificari ab hominibus, primas & honoratiores & pinguiores ecclesias ambitione conquirere, prima subsellia, primos accubitus in templis, in mensis, in compitis viarum ambire. Pascit item semetipsum dum lana & corio & lacte suarũ ouium molliter induitur, ac suauiter atq; opiparè saginatur: dum epulatur quotidie splendide dapibus pretiosis & copiosis. Mitto ornatus lectorũ, stragulas vestes, & byssina, & serica, & multiplicia mollicula corporis vestimenta. Mitto domos amplissimas, & earum supellectilia ingentia, quæ in domibus Regum & secularium Principum iam vix inuenias. Mitto alias pompas & reliqua cõmoda quæ Principes Gentium requirũt, ac mũdi huius homines magnificiunt. Hæc igitur impensè procurare, omniq; studio iis intendere, & nullam aut certè vix vllam non dico solicitu-

Pastorũ propria munera quænam sint.

dinem, sed rationem aut etiam cogitationem habere de grege, quem plerique nunq̃ de facie nouerunt, nulla iusta de causa absentes, ita vt aduentanti atq; irruenti lupo securè in prædam pateat misellus grex: puto non esse aliud q̃ verè semetipsum pascere & nequaq̃ gregē. Qui autem huiusmodi sunt, quid mirum si in se agnoscere Dei gratiam non valent, cum sint in statu periculosissimo, & (quod est omnium malorum pessimum & infœlicissimum) illud non sentiunt nec perpendunt?

At è conuerso, illi qui verè sunt pastores & pascunt non semetipsos, sed gregem sibi creditum, qui non ambientes, sed vocati tanquam Aaron, ipsum quidem honorem suum & gloriā quæ est ab hominibus primùm despiciunt: opus autē ipsum humili aggrediuntur mente, & secundum sapientiam non mūdi huius, sed Christi, ministrare cupiunt potius quàm ministrari: seruire potius quàm dominari: vigilare assiduè super gregem, & custodire vigilias noctis, instituendo doctrina, nutriendo prædicatione, animando & promouendo exhortatione, continendo virga, si opus fuerit, in obediētia fidei & officiis charitatis, reuocando ad caulas quod viderint deuium & aberrans, quod infirmum consolidando, quod ægrotum sanando, quod confractum alligando, quod in faucibus lupi ac leonis penè deuoratum, inde fortiter quasi dauidica manu eripiēdo, deprecādo & intercedendo orationibus & suspiriis: denique solicita cura modis omnibus intendēdo ne quid commissi sibi gregis sua socordia aut negligentia & quauis incuria abducatur, & mactetur & pereat. Hi tandem sunt veri pastores, non mercenarii, qui vita & exemplo conspicui nemini dant vllam offensionem, aut occasionem ad blasphemandum opus Dei: qui adeò de salute ouiū sunt soliciti, adeò de earum periculo & interitu contristantur, vt in eam quandoq; charitatis ascendant abundantiam, vt cum Apostolo cupiant anathema esse à Christo pro ouibus suis: et similiter cum Mose orent ex corde: *Aut dimitte illis, aut dele me de libro uiuentium*. Et qui possint cum eodem Apostolo dicere: *Omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur*. Et: *Laboro usq; ad uincula*. Et iterum cum eodem iri illum cordis veure affectum vt valeant exclamare: *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in uobis*. Et verè dicere: *Omnia omnibus factus fiui, ut omnes lucrifaciam. Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis scandalizatur & ego non uror?* Qui igitur hęc & facere, & quæ huiusmodi sunt cum veritate dicere potuerunt, quomodo poterāt non certò scire atq; agnoscere gratiam suam, & quidem ingentem gratiam? Est autem certum fuisse multos, qui & si non eòusq; abundanter vt B. Paulus & Moses, sufficienter tamen atq; idoneè in eum charitatis gradum peruenerunt vt parati quoq; fuerint animā suam ponere pro ouibus suis, quod & scriptis & factis tandem probarunt. Nota est historia de magno antistite B. Ambrosio, quāta fortitudine ac fiducia summorum Imperatorum indignationem atq; impetum fregerit, suisq; iussis subegerit: quanto zelo ac feruore spiritus pro ouium salute & ecclesiæ iurisdictione accensus fuerit. Qui hæc ignorat, legat eius ad Theodosium & Valentinianum epistolas, & clarè agnoscet nō iam hominem neq; nescium sui status loquētem, sed in quo & per quem Dei spiritus loquebatur.

Scribit & de B. Basilio Nazianzenus in sua funebri. *Coram Præside assistebat Basilius pro causa catholicæ fidei: iactabat ille quæ suæ erant potestatis. Basilius quasi ignarus: Quænam (inquit) tuæ sunt potestatis? Et ille: Bonorum publicationes, exilia, tormenta, mors. Tum Basilius: Si non aliud horum, nihil ad nos attinet. Bona enim eius qui nihil possidet, publicari nequeunt. Exilium non ad illum spectat qui loco circunscriptus non est. Omnis Ciuitas & domus in quā incido, mea est, uel Dei potius, cuius ego hospes sum & incola. Tormenta uerò, quid à me auferre possunt, cum nullum mihi corpus residuum sit. huius solummodo tu Dominus existis. Mors mihi benefactor erit: celeriter .n. me ad Deum mittet, cui uiuo, & cuius negotia administro, & cui iam pridem occubui, & ad quem à longe festino.* Hæc Magnus ille Basilius. Nunquid hęc verba sunt ignorantis gratiam suam, an potius sentientis omnem ipsius gratię vigorē, quo spernitur quicquid est charum humano cordi? Nunc audi quid Præses è conuerso in illum. *Nullus (inquit) mihi hactenus tam audacter respondit. At Basilius: In nullum fortassis Episcopū incidisti. Omnino .n. pro talibus decertans, hoc egisset modo. In alijs .n Præfecte modesti sumus, & omnibus reliquis humiliores: ita enim mandatum iubet: nec solum contra tantam potentiam, sed nec contra homines uiles supercilium attollimus. Vbi uerò Dei periclitatur negotium, cunctis alijs contemptis, ad illum solum respicimus. Gladij uerò, bestiæ, & ungulæ carnes dissecantes, potius deliciæ nobis sunt, quàm tormenta: ac ideò iniuria affice, minare, & omnia quæ uolueris perage, ac potestate fruere. Sed & Rex hæc audiat: nunq̃ nos adiges aut efficies ut astipulemur impietati, etiam si grauiora adhuc fueris minitatus. Postq̃ uerò Præfectus ita eum loqui audiuit, ac uiri causam examinauit, illumq; tam imperterritum & constantem deprehendit, à se dimisit, non iam minabundus, sed cum reuerentia quadam ac secessione. Ipse uero q̃ cito potuit ad Regem festinauit,*

D.Basilius.

inquiens: Victi sumus Rex in ecclesiæ huius negotio. Vir enim ille minis est superior, uerbis robustior, persuasionibus fortior. Alium quendam ignobiliorem tentare oportet: hunc autem uel palam cogere, aut nequaquam exspectare ut subigatur minis. Hæc de Basilio, vt nosceat lector acutus quod sit necesse verum Episcopum perfectæ charitatis esse, quæ mundi timorem expellit, & hanc in semetipso sentire cum res ipsa postulat, & zelo gloriæ Dei pectus vncti sacerdotis incenditur. Hanc formam deuotus Pater Bernardus videns (sicut iam superius diximus) in exemplo Principis Apostolorũ, eleganter ac mirificè docuit quod homo ita demum hoc tantum onus sine periculo suscipere potest, si conscientia hoc illi clarè dictante; senserit se amare Christum plusquàm sua, quod habuit prima confessio: & plusquam suos, quod habuit secũda: et plusquam seipsum, quod habuit tertia quãdo contristatus est: quia naturalis amor hoc facit. Sic tristis fuit anima Domini nostri vsque ad mortẽ. Hæc ergo tunc fuit responsio & cogitatio illius mox futuri Principis Apostolorum iam verè conuersi ad Christum. Fleuerat.n.amarè, & senserat manum & clementiam Dei viui, vt posset aliis compati, & alios confirmare. Confirmat enim quod dixerat se amare illum: imò fortius confirmat, aiens: *Domine tu omnia scis.* Ac si explicatius dicat: Quid à me petis qui nosti omnia? Ego verò, teipso teste, nunc assero quòd te amo. Non.n.sum vlterius ille nunc qui eram paulò anteà quando te prædicente nos omnes nocte illa scandalum de tua cruce passuros, ego præ cęteris nimium audax, aduersus testimonium tuũ me extuli dicens nõ in quieta scrutatione, sed in conturbatione mentis meæ: *Et si omnes in te scandalizati fuerint, sed non ego*: quod erat mentis malè compositæ certissimum signum. At nunc primò interrogatus Num te diligam plusquàm cæteri, non hoc mihi arrogo vt me cæteris anteponam, sed simpliciter aio in conscientia pura: Ego amo te. Neque contra tuam illam pręsensionem aut protestationem pergit hæc mea confessio. Dico enim nunc & assero quòd tu omnia scis: et hanc tuam scientiam modo contestor, contra quam alias peccaui: quoniam à lumine tuo nunc video lumen, & confirmo quòd ego te amo, & hũc amorem quando dabitur, te adiuuãte, re ipsa declarabo. Præsentire enim iam mihi videor quid à me exigas. Tristor, sed non recuso: infirma est caro, sed spiritus te largiente repetitur promptus, & te sequar vsque ad crucem. Hæc mente agitabat B. Petrus exemplum pastorum omnium, cum esset illi committenda ouium cura. Hoc perspiciens Dominus dignatus est illi curam committere, et suam illi crucem significare. Dixit enim: *Pasce oues meas. Amen amen dico tibi, quàm esses iunior cingebas te, & ambulabas quò uolebas: Quando autem senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quò tu non uis. Hoc autem dixit significans qua morte esset clarificaturus Deum.* Ecce quomodo hac trina confessione (vt dixere gloriosi doctores Ambrosius & Augustinus, & ante eos & post eos alii multi) magnus ille Apostolus trinæ suæ negationis culpam circunscripsit atque deleuit. Ideo.n.antea negare permissus est, quia contra præscientiam & protestationem Christi de seipso præsumpsit, et quia etiam se aliis prætulit, vt sic meruerit etiam prę aliis negare. Nunc verò doctior redditus, nec se aliis præfert, & Domini sententiæ suam de seipso postponit notitiam: imò dum illam in testimonium vocat, secundum illam temperat suã & confirmat. Itaque vt prior ille falsus feruor in præsumptione meruit vt Christũ negaret coram Iudæis, sic hæc sobria, quieta, & simul constans sui amoris confessio promeruit vt coram mundo, idest, in Vrbe mundi domina, illum confiteretur in cruce. Quare iam magna ratione persuasum esse bonis mentibus reor, vt huius status conditio, quæ perfectionem exigit charitatis, exigat item suæ charitatis notitiam, quæ est à Deo. Consideretur obsecro quæ scribo à lectore animo sedato & pacifico, ne tenebræ cor offuscent. Scio verè dictum à B. Thoma valdè difficile esse agnoscere se esse purgatum, atque ideò tutius esse recusare curam episcopatus, quàm acceptare. Attamen hoc quoque notet lector vigilans, non dixisse B. Thomam impossibile esse agnoscere, sed valde difficile. Nec dixit, Agnoscere se esse in gratia, sed agnoscere se esse purgatum, videlicet ad idoneitatẽ tanti officii, vt valeat purgare alios: quod est multo amplius quàm nosse esse se in statu gratiæ. Illud.n.perfectionem significat: & tamen vbi difficultas asseritur, possibilitas nõ negatur. Sed quoniam ita refriguit in multis charitas, huc tandem (O nos miseros) vẽtum est, vt dum plurimi hoc donum non in seipsis sentiunt, nec etiã id à quoquam sentiri posse arbitrentur. At hoc certe non est æquum iudicium. Credere siquidem debemus sanctis scripturis, & inde, non ex nobis ferre iudicium. Aut si ex nobis, non ab eo quod fortè mihi & tibi propter tepiditatem nostram accidit: sed ab eo quod ex consecutione & præstantia tanti muneris esse debemus, & ab eo quod de aliis longè feruentio

B. Thomas in quolib. 5. art. 22

ribus docens est nos credere. Quamobrem Caietanus postq̃ manifestè dixit quòd bonus homo & pius, qui Dei prouidentiam experitur in semetipso, habet à Spiritu sancto sufficientissimum testimonium suæ gratiæ, vidēs multos posse pati scandalum, quia pauci hoc in seipsis deprehendunt, pulchrè hæc verba ad rem propositam attinentia adiecit: *At si non tantum proficimus ut testimonium hoc habeamus à Spiritu sancto & nostro: studeamus ad efficiēdum in nobis promptitudinem exequendi ea quæ Spiritus sunt, et mortificandi quæ carnis & mundi sunt, ne desimus gratiæ tanti testimonij.* Hæc ille, profectò quàm opportunissimè: sed multò ante illū ad rem propositam plenus his præceptis ac doctrinis Beatus Bernardus dixerat: *Tepescimus in processu temporis à feruore conuersionis nostræ, paulatim refrigescit charitas, abundat iniquitas, ut consummemur carne, qui spiritu cœperamus. Inde.n. est ut minus sciamus quæ à Deo donata sunt nobis indeuoti pariter et ingrati.* Hęc ille, vt videas vnde accidat multis ignoratio donorum Dei in seipsis. Quæ res sicut à viro sancto reprehenditur in quolibet, quantò magis in illis quos Spiritussanctus posuit christiani gregis pastores? Itaq; non ab re, neq; citra huius mysterii insinuationem Pastores in nocte sancta Natalis Domini promeruerunt ipsi ante omnes angelicam audire vocem peculiariter illis dicentem: *Annuncio uobis gaudium magnum, quia natus est uobis hodie Saluator.* Et ipsi quidem audito nuncio gerentes typum spiritualium pastorum, memorantur transisse in Bethleem, & vidisse mysterium vt possent & ipsi aliis postea nunciare. In qua historia mysticè significatur, quòd pastores ouium Christi vigilando super gregem suum angelicas visitationes recipiunt de Verbo, & certiores primi redduntur, quia datur eis transire in Bethleem, & in angustum stabulum Christi, vt videāt ipsi suis oculis Saluatorem. Alioqui qua confidentia valebunt prædicare Verbum caro factum est, & gratiam Dei, quam prius ipsi nunq̃ propius perspexerint in semetipsis, nec certo experimento persenserint, imò nec nosse potuerint? Profectò nihil homini prudēter cogitanti, nihil inq̃ hoc potest videri absurdius. Qui verò rem tenet, discat quantum absit ab illo qui esse deberet, si charitatem in se ardentem non sentit. Hic certè ad pascendas Christi oues intrusus est, aut semetipsum ambiendo intrusit, nec ascendit per ostium, sed aliunde.

Caietanus.

Quocirca non ab re increpauit Dominus pharisæos, quòd Dei notitiam non haberent in semetipsis. Attende quæso pie lector ad verba, quæ vtinam hoc tempore ad multos non pertinerent. Dixit.n. *Qui misit me Pater ipse testimonium perhibet de me, neq; uocem eius unq̃ audistis, neq; eius speciem uidistis, & uerbum eius non habetis in uobis manens etc.* ac si expresśius dixisset. Hæc est ratio cur vocem Patris non audistis internè spirantem, & sui speciem insinuantem in dono gratiæ suæ: quia recusatis verbum eius, quod non vultis capere. Caueamus igitur ne accidat tanta diffidentia de notitia gratiæ nostræ ob hoc ipsum q̃ non exercemus eam, & non abundamus fructibus eius manentes in verbo vitæ. Quare vel non inest charitas, vel consopita multis curis non excitatur in nobis. Quapropter non absq; causa Apostolus Timotheū in hunc modum hortabatur: *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Resuscitatur autem gratia in exercitio bonorum operum, maximè erga proximum & fratrē: sicut econuersò torpet otio & languore. *Non enim dedit nobis Deus Spiritum timiditatis, sed uirtutis & dilectionis & sobrietatis.* Et quidem sic opus erat. Qui enim ad alios purgandos, illuminādos, ac perficiēdos eligitur, nónne is pfectus esse debet? Sed audi acute lector optimam rationem, qua euincitur hæc certitudo etiam necessaria aliquo tempore in pastoribus. Omnium theologorum sententia est, ministrātes sacramenta, quod maximè est opus Episcoporū, teneri absq; mortali peccato esse. Ergo cum ad hoc se accingunt Episcopi, tenentur scire se à peccato mortali immunes esse. Quòd si scire non possent, non citra scrupulum possent securè ministrare: quod non esset aliud nisi torquere conscientias. Si dicant: Satis est probabiliter hoc existimare. Verùm si hæc existimatio falsa fuerit, & ita cū peccato administret, peccabit nihilominus Episcopus, quia cum peccato ministrauit. Non enim dicit lex: Si probabiliter credat se esse absq; peccato, tunc potest ministrare. Sed, si peccatum mortale non habuerit. Si dicatur, eum qui ita se probat vt probabiliter credat se esse absq; peccato, verè immunem esse à peccato: tunc ergo ea probabilitas ad certitudinē adducet. At hoc ipsum est quod dicimus nos.

NOTA

Non hìc multa dicam de efficacia extremæ vnctionis, per quam etiā peccati reliquiæ absorbentur. Est enim videre in multis post hoc sacramentum susceptum nōnullam corporis alleuationem atq; alacritatem, & beatæ signa lætitiæ, vt multis modis quùm ex hac vita recedunt, non tam gratiæ quàm gloriæ clarè ostendant certitudinem. Nonnulli.n. in psalmorum verba erumpunt, modo vnū

De sacramento extremæ unctionis.

modo alium versiculum recitantes, vt illũ: In manus tuas commendo spiritum meum. Aut illum: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Aut illum: Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini &c. Hæc & alia cum fide certissima exprimuntur à iustis qui cum gaudio nõ quasi morientes, sed quasi de morte ad vitam euntes recedunt: quæ non ii soli norunt qui piè legunt sanctorum historias, sed etiam qui viris religiosis assistunt morientibus, qui innocenter vitæ cursum peregerunt, & Domino fideliter seruierũt. Non enim solius Apostoli est illa vox: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Quod reliquum est reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Non sollum autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius.* Sicut enim habuit ille imitatores multos, sic & multi sunt in quos competunt illa verba, *Sed & ijs qui diligunt aduentum eius.*

Quamobrem manifestum est mẽdacium illius qui tam audacter contra nos, imò contra euidentissimam veritatem scripsit, scilicet quemlibet virum optimum experiri metum mortis & damnationis suę cum in vltimo vitę spiritu cogitat ante tribunal Dei sibi mox esse assistendum. Etenim si istud admitteretur, vbi, quæso, verum esset B. Pauli dictum, ꝙ Christus liberauit nos à timore mortis? Itaq; si quis tum in viros optimos irruit timor, carnis est timor, non spiritus. Nam malũ præsens quod sentit caro, non potest ipsa ex se nõ perhorrescere: sed mox à spiritu superatur qui clamat: Bonum est dissolui & esse cum Christo. Vnde deuotus ille Bernardus in feruore spiritus exclamabat: *O uita secura ubi absque formidine mors expectatur, imò exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum deuotione.* Et B. Gregorius lib. 31. Mor. cap. 21. sic ait: *Visionem districti iudicis iustus uehementer expectat: iniustus uenire formidat. Iste namq; labores suos considerans, mercedem*
NOTA *retributionis quærit, et causæ suæ meritum sciens, præsentiam iudicis expetit, cùmq; ut ueniat in flammã ignis dans uindictam impijs, & contemplationis suæ speciem in retributione desiderans, pijssimo ardore concupiscit.* Hæc B. Gregorius ibi. Et paulò post tractans illud Apostoli: *Non solum mihi, sed & his qui diligunt aduentum eius*, his verbis exponit: *ac si dicat, Sed & omnibus qui sibi de bona operatione sunt conscii. Aduentum enim iudicis non diligunt nisi qui in causa sua se habere iustitiæ meritum sentiunt.* Hæc ille, quibus profecto audax cõtradicentis prolatum egregiè refellitur.

ASSERTIO VIIII.

A uirtute synderesis & conscientiæ certò deprehendi posse hanc certitudinem quam probamus.

NON EST DVBIVM naturaliter inesse nobis habitum, quem vocãt Synderesim à Deo nobis inditum, quo valeamus probare operationes nostras verũ rectæ sint an prauæ, vt illas faciamus, & ab istis abstineamus. Non negamus tamen naturalem hanc lucem propter peccatum originis & vitia consequentia magnopere in nobis esse obscuratam. At fide adueniente, qua corda purificantur, excitatur & roboratur hoc lumen, vt per illud certò valeat homo & nosse & diiudicare proprias operationes. Non enim est nobis absconditus hic magnus ac primus gratiæ effectus, qui est purificatio cordis per fidem. Nam cùm fide iustificamur, per gratiæ infusionem purificantur corda nostra, sicut scriptum est: *Fide purificans corda.* Hoc autem non est aliud Actorum. 15.
quàm innouari voluntatem, & ex mala effici bonam per inhærentem illi gratiam seu charitatem. Non.n. apud me differt charitas à gratia: nec ad rem de qua nũc agimus quicq̃ refert sint'ne idem, an verò realiter inter se differant. Potest autem seipsum homo explorare atq; nosse hanc in se factam innouationem, & diuinitus esse factam agnoscere, dũ certò videt quæ illi prius placebant scelera atque facinora, iam ea nedum non placere, sed vehementer displicere. Et econuerso ea sunt gratissima quæ anteà plurimum fastidiebat: vt obseruatio mandatorum Dei, honor eius & gloria. Hoc verò esse non posse nisi à Deo, qui solus potest de immundo facere mundum, certa coniectura deprehendit, quę gignit non opinionem, sed certitudinem ex lumine fidei, cùm huiusmodi repentinas mutationes nec Diabolus, nec liberi vis arbitrii possit efficere. Homo igitur sic mente purificatus per aduenientem gratiam, potest oculum mentis super voluntatem suam reflectere, & apertè ex eius actibus videre iam sibi licitum esse vt cum Propheta dicat: *Defecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Quoniam ecce qui elõgant se à te peribunt: perdidisti omnem fornicãtem abs te. Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.*

Sed aiunt; Etsi purificata sit anima; tamen

non potest certò in seipsa cognoscere puritatem suam. Vnde dictum est: *Prauum est cor hominis & inscrutabile, & quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda & renes.* Item B. Ioannes Euangelista de Domino asserit, quòd non credebat semetipsum quibusdam, qui tamen credebant in nomine eius videntes signa quę faciebat. Adiecit enim rationem, dicens: *Eò quòd ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.* Ex his autem locis volunt isti probare, non posse hominem certò nosse quæ sint intrinseca sui cordis, etiam si habuerit mundum cor. At hoc & falsò & periculosè dicitur. Quis enim satis sanus dixerit mũdum cor esse prauum, nisi hanc prauitatem non actualem ponat, sed habitualem, non in mẽte qua seruitur legi Dei, sed in carne propter eius concupiscentiam? Nec habet scriptura illum sensum vt homo non posit scrutari cor suum, sed solùm à nemine alio quàm ab ipso Domino, posse cognosci. Nonne docet nos Apostolus posse spiritum hominis quę sunt hominis interiora cognoscere? *Nemo, inquit, nouit quæ sunt hominis nisi spiritus hominis qui in ipso est.* Docet posse aliquem habere conscientiam bonam, postq̃ ad illam comparandam hortatur Timotheum, dicens: *Habens fidem & conscientiam bonam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt.* Qui autem conscientiam bonam habet, quid obstat ne agnoscat se habere illam, quę non potest esse bona absq; gratia Dei?

3. Obiiciunt: Nemo nosse potest se habere conscientiam bonam: quoniam multi putant se bonæ conscientiæ esse, qui tamen fallũtur. Quodnam, obsecro, genus collectionis est istud? Quia nonnulli falluntur, ideò nullus scire potest? Quis hæc vel tantillum peritus admiserit? Certè hi qui verè falluntur non habent conscientiam bonam. Si enim haberent bonam, non fallerentur. Falluntur autem, quia sui cordis interiora non accuratè explorant: imò nec volunt explorare, neq; credere ipsi conscientiæ, sed cogere eam vt sibi sit mendax. Quare & si vera dicere velint, & quietè agere, & veris sermonibus acquiescere, interrogati isti de certitudine nunq̃ dicent ex conscientia se esse certos synderesi prohibente: sed affectione decepti & obscurati dicent se de conscientia dicere. Non dico hominem suæ conscientiæ exploratorem cogniturum cuncta secreta & interiora sui cordis, & quid posit, & quantum posit: sed dico saltem ab eo nosci posse se non habere malam voluntatem, nec esse criminis vllius reum coram Domino, conscientia hoc illi certè dictante, cùm manifesta sint, teste Apostolo, opera carnis: qua voce cũcta mortalia peccata comprehenduntur. Alioqui nimis misera esset humana conditio, & frustrà dedisset nobis Deus Synderesim, cuius iudiciũ de operationibus nostris non esset certum, nec posemus cognoscere quùm peccamus nos peccare & coram Domino reos esse, cũ in hoc tamen peccatum cõsistat, dum cognoscentes malum, illud nihilo secius reluctante per synderesim conscientia, eligimus. NOTA Ipsa.n. synderesis (vt elegãter B. Thomas declarat) testis est factis, vt noscat vtrum animo & consensu factum sit aliquid, an non factũ. Deinde iudex est factorum, hoc est, vtrum quæ facta sunt, benè an malè facta sint: & vtrum intentione mala an bona. Deniq; consultrix est & inuestigatrix eorum quæ sint vel facienda vel cauenda. Huic igitur synderesi si lumen fidei adiungitur & ardor charitatis quæ sanctum Dei timorem secum habet, non puto esse dubitandum quin tantò minus poterit falli conscientia huiusmodi hominis ita formati (si tamen legitimè exploret interna sui cordis coram Deo cum sancto veritatis amore, & odio vitiorum & suiipsius) quantò est maior & infallibilior lux quæ desuper descendit de Cęlo, q̃ quæ cum homine simul agnoscitur. Si aliter statuimus, necesse est confiteri Deum in statu gratiæ non satis homini prouidisse, qui tñ non defuit in statu naturæ: Si enim dedisset homini Deus synderesim & lumen charitatis quo etiam benè vtens posset decipi, & non certò comprehendere aut obedientiam mandatorum aut præuaricationem, nónne Deus deceptor esset, aut saltem operum suorum artifex imperfectus? Sed absit impia hęc cogitatio de optimo & omnipotente Deo, cum Dei perfecta sint opera, & ipse longè absit ab omni conficto & deceptione. Vnde & scriptum est de Sapientia, quòd inuestiganti se manifestabit seipsam. Et certè si nõ aliud, hoc ipsum nomen quod dicimus CONSCIENTIA, certitudinẽ importat. Quamobrem ipsi eruditi qui hoc nomen declarant, ita aiunt: Conscientia est sui scientia aut certisima scientia, & veluti certitudo eius rei quæ animo nostro inest, siue bona sit, siue mala. Hæc ab eruditis.

Ad hæc, quid nos docere voluit Apostolus vbi aiebat: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique dijudicaremur*, nisi quòd si iudicio discusionis exploraremus interna nostra p conscientiam docente synderesi, ipsum Dei iudicium euitaremus? Hoc autem cum veritate non

potuisset

Notandum potuisset dicere Apostolus si per conscientię vires non possemus rectum & certum de peccato, saltem mortali, proferre iudicium. Iudicium enim quod non posset esse certum, non satis esset ad euitandum iudicium Dei rectum & verum. D. Basilius. Quamobtem B. Basilius in psal. 48. ait: *Igitur qui nullius rei quæ sit dissentanea rationi, sibi est conscius, is confidenter loquitur: Cur timebo in die mala?* D. Ambro. Et B. Ambrosius in psal. 118. volens mundæ conscientiæ testimonium & eius potentiam declarare quàm sit certum, sic ait: *Qui bene sibi conscius est, non turbatur, usq; dicens: Hæredes sumus Dei, cohæredes autem Christi.* Et Paulò post de viris qui ob innocētiā suam tranquillæ sunt conscientię, testatur eos amare aduentum Domini, odisse moras, celeritatem affectare iudicii. Id autem quamobrē, nisi quia teste cōscientia in Spiritusancto, certò & absq; vlla formidine norunt se esse innocentes? D. Chrysostomus. Ecce & B. Chrysostomus illa Apostoli verba: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*, in hunc modum exponit: *Conscientia nostra quoniam non potest condemnare nos quasi factis improbis à recto discesserimus, etiam si innumera patiamur acerba, etiam si undiq; feriamur ac periclitemur, sufficit nobis ad solatium, imò non tantum ad solatium sufficit nobis pura conscientia, uerùm etiam in hoc ut coronemur, dum præbet nobis testimonium quòd nihil commiserimus mali, sed iuxta Dei placitum hæc perpetimur ob uirtutem, ob philosophiā, ob multorum salutem. Itaq; prima illa consolatio ueniebat à Deo: hæc autem ab ipsis, & à uitæ rectitudine simul inducta est, eóq; uocat illam gloriationem, quòd ipsorum propria uirtute parta esset.* Hæc ille. Et B. Ambrosius: *Idcirco Paulus hominum spernebat iudicia, quia sibi nihil cōscius erat. Vnde & dixit: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* B. Gregorius. Et B. Gregorius in libro epistolarum nono ad Theoctistam patriciā de virtute cōscientiæ sic ait: *In omne quod agimus aut extra de nobis dicitur, recurrere ad arcana mentis debemus: & si omnes uituperent, liber est tamen quem conscientia non accusat: quia si omnes laudent, liber esse non potest quem accusat conscientia.* Et lib. 12. Mor. cap. 28. prope finem, exponens illud Salomonis: *Lucerna Domini spiraculū hominis*, his verbis interpretatur: *Lux gratiæ quæ desuper uenit, spiraculum homini præstat ad uitam. Quæ uidelicet lux omnia secreta uentris inuestigare dicitur: quia occulta mētis penetrat, ut ea quæ de seipsa latebant animam, ante oculos eius flenda reducat.* Hæc ille. Quid apertius de vi conscientiæ, quæ omnia secreta ventris .i. mentis dicitur penetrare? Hac ipsa con- B. Augustinus scientia tutus ad Secundinū B. Augustinus scripsit: *Senti de Augustino quicquid libet: sola me in oculis Dei conscientia non accuset.* Et in prima B. Ioānis epistola Tractatu quinto ait: *Nemo interroget hominem: Redeat unusquisq; ad cor suum: si ibi inuenerit charitatem fraternam, securus sit: quia transijt à morte ad uitam.* Et sequenti tractatu inquit: *Reuocemur ergo ad conscientiam, de qua dicit Apostolus: Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Reuocemur ad conscientiam, de qua item dicit: Opus autem suum probet unusquisq;, & tunc in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero. Opus ergo suum probet unusquisq; nostrum, utrum de uena charitatis emanet, utrum de radice dilectionis rami bonorū operum pullulent. Opus autem suum probet unusquisq;, ait, & tunc in semetipso gloriam habebit, & non in altero: non quando illi perhibet testimonium lingua aliena, sed quando perhibet cōscientia propria. Hoc ergo hic commendat. In hoc cognoscimus quia ex ueritate sumus, quādo opere & ueritate, non uerbis tantùm et lingua diligimus. Et coram ipso persuademus cordi nostro. Quid est coram ipso? Vbi ipse uidet.* Et post multa: *Ergo si uis nosse quia accepisti Spiritumsanctū, interroga cor tuū, ne fortè cum sacramentum habeas, uirtutem sacramenti nō habeas. Interroga cor tuum: si est ibi dilectio fratris, securus esto. Non potest esse dilectio sine Spiritu Dei, quia Paulus clamat: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritumsanctum qui datus est nobis.* Hæc D. Augustinus: quibus verbis rectam conscientiam mirificè commendat, & tanq̄ rem minimè dubiam manifestè supponit posse hominem per sui cordis & conscientiæ interrogationem noscere habeat'ne Spiritumsanctum & charitatem, de cuius radice rami bonorum operum pullulant. Et vbi per conscientię testimonium fraternam dilectionem habere se inuenerit, securum vult eum esse, idq; sufficere coram Deo.

Non omittam pulchra & B. Bernardi sententiis testimonia pro notitia conscientiæ & securitate quæ inde venit. Etenim in illo eleganti libro de interiore domo, cap. 21. in hūc modum effatur: *Multi quærunt scientiam, pauci uerò conscientiam. Si uerò tanto studio et solicitudine quæreretur conscientia, quanto quæritur secularis scientia, & citius apprehenderetur, & utilius retineretur. Cogitatio namq; de conscientia sensus est consummatus: et qui custodit illam, semper erit securus.* D. Bernardus Hæc ille ibi, & alia non minus clara de certo conscientiæ testimonio. Et capite sequenti ait: *Conscientia bona titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus delitiarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, thesaurus regis, aula Dei, habitaculum Spiritussancti, liber signatus & clausus, & in die iudicij aperiendus. Nihil est iucundius, nihil tutius, nihil ditius bona conscientia. Premat corpus, trahat mundus, terreat Diabolus, & illa erit secura. Bona cōscientia secura erit quùm corpus morietur: secura quùm anima coram Deo præsentabitur: secura quùm utrunq; in die iudicij ante tribunal terrificum iusti Iudi-*

cis statuetur. *Futuræ beatitudinis non est utilius remediū, nec certius testimonium bona conscientia, cum mundus omni uolubilitate circumrotetur, ploret, rideat, pereat, transeat: nunq̄, marcescit bona conscientia. Subijciatur corpus in pœnis, in ieiunijs maceretur, uerberibus lanietur, ecnleo distendatur, gladio trucidetur, crucis supplicio affligatur, et secura erit conscientia*. Et capite sequēti ait: *In speculo conscientiæ status exterioris et interioris hominis cognoscitur. Anima.n.non nouit se, quæ sine speculo est. Speculum mundum, clarum, & purum totius religionis bona conscientia. Sicut enim mulier quæ uiro suo siue amico placere desiderat, in contuitu speculi imaginem oppositam reddentis, decorem & pulchritudinem faciei componit: sic anima in quibus ab imagine ueritatis discedit, uel in quibus uestigia creatricis imaginis recipiat, in conscientia religit & intelligit*. Et in primo sermone ad Milites templi exclamat: *O uita secura ubi pura conscientia*. Quid his potentius? Et tamen in vniuerso illo libro nihil aliud agit. Beatus etiam Prosper quàm pulchrè ait: *O quantum securitatis habent qui sibi ipsis benè de uirtute sunt conscij*. Videat qui vult in libro de vita contemplatiua, & notet verbum securitatis, vtrum dubitationem aut formidinem admittat.

B. Prosper.

Huic aūt validissimo conscientię testimonio non solùm sacrę literę & christiani Doctores, verumetiam Paganorum sententiæ mirum in modum attestantur. Hinc enim tritum illud: *Conscientia mille testes*. Et illud: *Hic murus aheneus esto, nil conscire sibi, nulla pallescere culpa*. Quid verò est esse murum aheneum, nisi ita fortem & cōstantem habere animum vt nihil metuat? Alioqui homine conscientię prauę sibi conscio nihil est formidolosius. Interrogatus namq; Bias vnus de septem sapientibus Gręcię, quid esset optimum in hac vita, respondit: *Mens sibiipsi conscia rectitudinis*. Vnde & Cicero dixit: *Nulla re tam lætari soleo, quàm officiorum meorum conscientia*. Et alibi: *Conscientia benè actæ uitæ, multorúmq; benefactorum recordatio iucundissima*. Hoc autem non esset si certitudinem non afferret, & in ea bene ac legitime, idest, coram Deo explorata, posset esse deceptio.

Ad hæc, argumentor in hunc modum. Iudicium quod in postrema dierum vel pro nobis vel contra nos erit, à conscientiæ nostræ testimonio procedet, vt docet Apostolus ad Romanos cap. 2. Illud autem iudiciū oportet constituere verum. Non ergo fallitur conscientia. Et ne quis dicat Apostolum loqui de iudicio cōscientię tunc futuro quando Dominus ipse arguet, occurrit Origenes & alii pleriq;, qui locū illum de iudicio conscientię quod ipsa facit hoc tempore quando hîc sumus, intellexerunt, & rectè. Vnde ait Origenes: *Sciendum quòd in illa die cogitationes accusabunt animas uel defendent: non utiq; cogitationes illæ quæ tunc erunt, sed istæ quæ nunc sunt in nobis, quarum notæ quædam & signacula relinquuntur in corde nostro uelut in cera, quæ in occulto pectoris nunc posita, reuelari in illa die dicuntur*. Hæc ille, quem & B. Thomas probat. Et certè non aliter sensum Apostoli locus ille exprimeret. Vnde & B. Bernardus in eodem libro, capite 28. sic ait: *Vnicuiq; est liber sua conscientia, & ad hunc librum discutiendum & emendandum omnes alij inuenti sunt. Anima cùm de corpore egredietur, nullum alium præter conscientiæ suæ librum secum portare poterit, atq; in illo cognoscet quò debeat ire, & quid debeat recipere*. Et alibi sermone tertio in fine de aduentu Domini ait: *Diligit Deus animam quæ in conspectu eius & sine intermissione considerat, & sine dissimulatione dijudicat semetipsam, idq; iudicium non nisi propter nos à nobis exigit: quia si nosmetipsos iudicauerimus, non utique iudicabimur. Propterea Sapiēs ueretur omnia opera sua, scrutatur, discutit & dijudicat uniuersa. Honorat quippe ueritatem qui & se & sua omnia in eo statu quo ueritas habet, & agnoscit ueraciter, & humiliter confitetur. Audi deniq; manifestius à te iudicium exigi post iustitiam. Cùm feceritis, inquit, omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite, Serui inutiles sumus*. Hæc ille. Quibus quid, quæso, addi potest ad id quod intendimus? ¶ Nec tamen dicimus, sicut B. ipse Bernardus admonet in serm. 2. in festo omnium sanctorum, hominem per cōscientiam perfectè posse rimari & nosse seipsum: sed dicimus eum, an grauetur mortaliter, ex actu prauo nosse posse. Alioqui homo semper maneret anxius & perplexus, & verus christianus miserior esset cunctis creaturis, q̄ positus sub pcepto & sub pęna mortis ęternę si præuaricetur, nunq̄ tamen certus in hac vita redderetur se non esse reum ipsius mortis æternę. Quid verò aliud prædicat ipsius Lutheri impietas, cum dicat neminem scire se nō assiduè peccare propter occultissimū superbiæ vitium? Et tamen ille huic incertitudinis malo aliqua saltem via, licet fallaci, occurrere studuit, nempe per eam quam fingit salutis certitudinem à sola fide: quia non obstante reatu mortis æternę, ait fidē certò succurrere per imputatam Christi iustitiam. Nos autem non ex fide sola hanc gigni certitudinem defendimus, sed ex vera innocentia & charitatis operibus.

Origenes.

D. Bernardus

Non me latet eum Apostoli locū: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*, à B. Bernardo exponi nō de testimonio quod reddat ipsa conscientia sibiipsi, sed quod in ea sit illi redditum à Spiritusancto, cum, vt

ait, non qui seipsum commendat ille probatus sit, sed quem Deus cõmendat. Est ergo testimonium conscientię nõ perhibentis, sed percipientis. Cum enim veritas applaudit, cũ iustitia attestatur, Dei sine dubio cõmendantis est vox & Spiritussancti testimonium perhibentis, ac si decertãti viriliter militi Rex pro cuius amore & honore decertat, propè assistens lætus applaudat, laudet fortia facta proximam clamãs esse victoriam, parata iam præmia, & coronam polliceatur æternam. Quo testimonio etsi gloriatur quidem probatus & strenuus miles, minimè tamen quiescit: quin potius tantò acrius viriliusq; decertat quantò certius videt propinquum & felicẽ certaminis exitum, & certamini illustriorem coronam repositam. Itaq; dum adhuc militant, gaudent vtiq; electi Dei, sed tantum de primitiis Spiritus, qui & infirmitatem eorum adiuuat virtute sua, & pusillanimitatem sua cõsolatur attestatione. Hæc D. Bernardus. Et licet quantum ad modum intelligendi locum Apostoli illum: *Gloria nostra hæc est* &c, non videatur sequi communem aliorum interpretationem, tamen recipio vt vera quæcunq; dixit: & ex eis nostram conclusionem necessariò consequi asseuero. Nam si testimoniũ cõscientię christiani ad hoc vt agnoscat se esse filium Dei sic intelligitur quòd ipsa conscientia hoc testimonium accipit à Spiritu sancto, sicut & verissimum est (nam aliter hoc non posset venire in conscientiam, cum hic effectus sit supra sensum) velim modo scire, vtrum ipsa conscientia quæ hoc testimonium accipit à Spiritu sancto, non queat etiam illud perhibere ipsi homini talem conscientiã habẽti. Quis hoc neget? Hoc.n. est quod B. Paulus dicit, ꝙ Spiritus phibet testimoniũ spiritui nostro. Græcè aũt sic legitur αὐτὸ τὸ πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν .i. Spiritus cõtestatur cũ spiritu nostro: vt sit vtriusq; simul testimonium & Spiritus Dei informantis spiritum nostrum, & spiritus nostri etiam ab eo informati. Quamobrem tantum abest vt nobis obstet Diui Bernardi sensus, vt etiam maximè faueat, & in idem tandem recidat.

Nec dicat mihi aliquis, eos qui hoc modo sciunt, habere reuelationem à Deo. Fateor id quidem: nec propterea sequitur eam esse reuelationem specialem quam isti volunt, cũ possit ad omnes qui strenuè militauerint pertinere, vt declarat D. Bernardus. Neque.n. prohibetur cuiq; ne strenuè militet, imò omnibus dicitur: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Et: *Oportet per multas tribulationes introire in regnum Dei*. In huiusmodi autem est certissima Dei consolatio ignota mundo & incredibilis, qui nec potest illã nosse, quia nõ est illi cura de Deo, nec ipsi Deo de illo. Sancti autem in suis angustiis ac pressuris illã valdè ac vehementer sentiunt, iuxta illud: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*. De qua & B. Paulus 2. ad cor. 1. *Sicut abundãt passiones Christi in nobis, ita & abundat per Christum cõsolatio nostra*. Et hoc est alloquiũ Dei, de quo B. Ambrosius multa egregiè in psal. 118. quæ omnia cum lõgum esset hîc recitare, ad primarium locum remitto lectorem.

Redeo ad conscientiæ puritatem quam nobis intueri licet, & ex illa capere certissimã gratiæ inhęrentis notitiam ipso Dei Spiritu cum nostro nobis interius contestificante. Addo enim ad hanc rem fortius corroborãdam iam superius citatum testimonium Dilecti discipuli qui ait: *Filioli non diligamus verbo neq; lingua, sed opere & veritate. In hoc cognoscimus quòd ex veritate sumus, & in conspectu eius suadebimus corda nostra: quia si non reprehenderit nos cor nostrum, fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus accipiemus ab eo: quia mandata eius custodimus, et ea quæ placita sunt coram eo facimus*. Vim ipsam horum verborum, quęso, diligenter perpendamus. Docet ille Dilectissimus discipulus notitiam huiusce rei, videlicet nos esse natos ex Deo qui est veritas, hinc venire si diligamus non lingua, sed opere & veritate. Et hinc venit vt in cõspectu eius suadeamus corda nostra, siue cordibus nostris, vt exponit B. Augustinus. Et quid est quod suademus cordibus nostris, nisi quòd ex veritate sumus? Porrò hæc suasio nunquid inanis est & fallax, aut puerilis? Audiamus Dilectum discipulũ potius testificantem quòd hæc suasio fit in cõspectu Dei, qui est summa lux, & odit omne fictum & fallax. Sed vnde colligamus nos diligere opere & veritate, audite: *Quia*, inqt, *si non reprehenderit nos cor nostrum*, hoc est, si cõscientiam bonam habuerimus, *fiduciam habemus ad Deum*. Quam autem fiduciam? An fallacem, & quæ possit esse inanis? Sic.n. isti docent, qui posse haberi fiduciam apud Deum concedunt, sed habere certitudinem negãt. Verùm audiamus quid dicat Dilectus: *Fiduciam*, inqt, *habemus ad Deum: & quicquid petierimus accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus*. Ecce quomodo si non reprehendit nos cor nostrum inde habemus nos mandata Dei custodire. Si.n. non custodiremus mandata Dei, profectò reprehenderet nos nostrũ cor. At dum non reprehendit, sequitur à

posteriori mandata Dei nos custodire: & per hoc puram habere conscientiã. Ex hac autẽ puritate conscientię venit fiducia, quæ habet secum certitudinem fidei. Certitudo namq; fiducię non est alia quàm certitudo fidei, ne quis se decipi patiatur. Nam ex fide surgit fiducia si sint cætera paria. Vnde B. Thomas fiduciam appellat fidei robur. Et licet fiducia ad futura bona se extendat, tamen pręsentem gratiam præsupponit. Quomodo enim iure sperabit certò futura qui de præsentibus non est certus? Et vt hanc fiduciam talem esse posšis agnoscere, attende quod sequitur: *Et quicquid petierimus accipiemus ab eo: quia mandata eius custodimus.* Ecce igitur quanta bona eueniunt à certa serenitate conscientię, si tamen illam, vt possumus, diligẽter explorauerimus & probauerimus.

Potuissem si euoluere volumina sanctorum necessarium duxissem, tot sentẽtias pro certitudine conscientię legitimè exploratę, & eius certo testimonio congerere, quantas vel immẽsum chartarũ volumen vix potuisset capere. Alioqui magna esset Christiani hominis fluctuatio ac perplexitas. Certum est enim quoties presbyteri animarum curam habentes, in peccato mortali aliis sacramenta exhibent, toties illos mortaliter peccare. Quis igitur posset esse paratus, qui si nõ conferat peccat, cum teneatur propter curã conferre: si autem conferat, nunq̃ potest fieri certus, sed faciendo officium suũ erit semper dubius ne peccet? Non me latet quomodo his in locis possint quidam suis cauillis occurrere per humanam illam suam certitudinem quã cum dubitatione sociant & formidine, & nihilominus pacare conscientias volunt: quo diffugio an lectori prudenti satisfaciant & gestem afferant, ipsi viderint. Ego postremo loco his tergiuersationibus ibo obuiam, & quàm non secum constent, vtpote non sectantes veritatẽ, Deo largiente manifestabo.

ASSERTIO. X.

A natura et excellẽtia ipsius doni, quod est charitas, satis persuaderi eius quoq; doni certitudinem.

SI de nobilissimis habitibus qui sunt in nobis siue naturaliter siue acquisiti, verum est illud quod docet Philosophus, Impossibile, siue absurdum esse, eos latere nos: quantò hoc magis locum habere debet in supernaturalibus habitibus, qui naturalibus sunt longè digniores ac nobiliores, & præcipuè fidei habitus & spei & charitatis? Nã hoc accepto, neminem scilicet nosse, imò nec cognoscere posse hos habitus in seipso, nónne mancam facimus magis gratiam, quàm naturam? Nónne meritò obiicere possent qui fidem nostram derident, nos in incertum currere, & pugnando aerem verberare? Nã cùm Dominus testetᷓ hæc nobis se dedisse dona quasi arrham, hoc est, initium & partem futurorũ bonorum, quomodo sperare futura poterimus, quorum arrham nos tenere (& si iam teneamus) nec scimus nec scire possumus? Sunt fortè dicturi nos posse probabiliter cognoscere. Sed iis respondetur: Pari ergo modo probabiliter noscemus nunc illam gloriam quam speramus. Nam qualis est arrhæ notitia, talem & totius pretii notitiam esse oportet dum sumus in via. Inconuenientissimum est enim & absurdissimum, ipsum totũ præmium quod adhuc non tenemus, certitudine fidei nos cognoscere: arrham verò quam possidemus, aut à qua potius possidemur, solummodo probabiliter. Qua de causa dixit Dominus: *Si terrena dixi vobis & nõ creditis: quomodo si dixero vobis cœlestia credetis?* Terrena sunt quæ aliqua secum testimonia ferunt in terris quæ sentiũtur, vnde & ad cœlestia credenda excitamur. Mirabor equidẽ mirum in modum si istiusce modi rationes nõ vehementer moueant hominem non proteruum. NOTA

Neq; valet si quis dixerit, apud vnũquẽq; in genere esse fidem quòd ista gratia & arrha sit in Ecclesia, non autẽ habet fidem quòd sit in seipso, aut in hoc vel in illo. Non valet, inq̃, quoniam Spiritus qui datur vt arrha, nõ Ecclesiæ in communi, sed particularibus hominibus datur: vt ideò Ecclesia ipsa habere dicatur, quia particulares homines id habẽt, non autem econuersò. Homo enim dicitur verè currere, quia Meuius aut Sempronius currit: non econuersò sicut in generibus & speciebus dicimus quòd iccircò Meuius est animal rationale, quia homo rationale est animal. Datur autem arrha illa particularibus hominibus, vt ipsi interim operentur in spe, & fidem æternorum teneant. Qui si illã in seipsis experimento non sentiant, quomodo inde possint spem veram concipere?

Præterea, Hæc certitudo in vniuersali, si in nullo particulari deprehendi potest, nõne meritò redderetur suspecta fides nostra ne esset commentum aliquod confictum? Fingamus enim esse hominem peregrinum qui

diceret se esse regem, & habere nobilem ciuitatem; ad quam etiam multos euocaret: neminem tamen eorum quos euocaret posse suis oculis ciuitatem ipsam perspicere, etiam si fuerit in eam introductus, sed tantisper accipere signa quædã & argumẽta suæ receptionis & nouæ ciuitatis: & polliceretur cunctis qui in hac ciuitate benè se gererẽt, quòd ipse translaturus esset eos aliquando in aliam ciuitatẽ multò & incomparabiliter pulchriorẽ, in qua esset futura immortalitas ac immensa & sempiterna beatitudo, cuius futuræ beatitudinis ipse interim vult arrham dare in hac prima ciuitate, simul autem vult omnes ciues certò credere quòd multi iam arrham istam acceperint: nullus tamen eorum certò posset scire in seipso neque queat quòd verè sit ciuis, ne que quòd arrham acceperit, nisi quadã cõiectura aut probabilitate non certificante. Quis, obsecro, tales huius regis pollicitationes nõ haberet meritò de veritate suspectas?

Ad hæc, si potest homo nosse se habere fidẽ infusam, vt B. Thomas & ipsi Thomistæ ex sententia D. Augustini fatentur, quid est causæ cur non queat nosse etiam se habere charitatem? Si enim dignitas quæritur (quod maximè & sapiẽtissimè ponderat Philosophus) profectò charitas maior est fide. Præterea, cognoscens fidem, cur non etiam cognoscat qualem habeat fidem vtrum scilicet viuam an mortuam, ab effectibus ipsius fidei, quæ si viua est, per charitatem operatur? Iacob. Nam B. Iacobus permittit posse ex operibus 1. Pet. bonis ostendi aliis fidem viuam, idest, formatam charitate. B. Petrus pariter hortatur vt ex bonis operibus obmutescere faciamus ora detrahentium, vt ex illis operibus nos cõsiderantes, glorificent Deum in die visitationis. Docet item certam fieri electionẽ & vocationem nostram ex bonis operibus. Qui ergo fieri potest vt nõ agnoscamus eam, quæ ita certa fuerit vt etiam ab aliis possit in nobis considerari? Nam quod à quibusdam dicitur nos quidem intueri posse ex actibus propriis fidei fidem ipsam infusam, quia est in intellectu, non autem ex actibus ipsius charitatis charitatem, quæ est in voluntate: voluntarie dicitur. Si enim ex actibus fidei fidem possumus cognoscere informem ac mortuam, cur non etiam illam viuam? cum viuę fidei actus sint longè nobiliores & efficaciores ad ostẽdendam fidei viuacitatẽ, quàm actus fidei mortuę, quæ est sine charitate, ad cognoscendum quod sint actus fidei infusę, & nõ potius fidei quam & Dęmones habent?

Ad hæc, Si homo ex actibus intellectus potest nosse quæ sunt in eo infusa, nõne donum Spiritus sancti, quod est sapientia, debet posse cognosci? Quòd si ita est, cognoscitur ergo & charitas consequenter, cũ hoc sapientiæ donũ non sit absque charitate, vt ipse B. Thomas docet.

Ad hæc, cum alia diuina dona gratis data, quæ per seipsa nõ faciunt hominem Deo gratum, Deus nihilominus nota faciat etiam inimicis suis, hanc'ne vnam grãtiam facientẽ, quã scire suis amicis multò magis præstaret, tenebit absconditam ne reuelet eam saltẽ fidei lumine? Quis credat? Itáne ergo durior erit aut parcior amicis quàm inimicis? Ecce ait Apostolus: *Scientia inflat: charitas autem ædificat.* Si autem dum scientiam infundit certò noscimus eam (vt patet) de qua tamen periculum est ne inflemur: quomodo igitur ferat ignorare nos charitatem qua non solum nõ inflamur, sed contrà ædificamur, & insuper ab eius notitia (quẽadmodũ superius abundè probatũ est) vehementius ad redamãdũ incitamur? Nã scire Deũ in nobis esse, ipsius donũ est. Quod si nouimus, nónne vt grati simus ab ea notitia lõge efficacius põmouemur? Quis istud nisi insanę mentis ausit negare?

Præterea, ipse B. Thomas docet, Ad hoc vt homo iustificetur, quod fit per infusionem gratiæ, requiri ab eo motum liberi arbitrii in ipso instanti infusionis gratiæ, quo motu ipsam gratiam liberè acceptet. Quo sumpto, argumẽtor hoc pacto. Nullus potest acceptare gratiam, nisi sciat sibi donari gratiam. Et nullus potest in quouis instanti acceptare gratiam, nisi sciat in illo instanti eã sibi donari. Si ergo requiritur motus liberi arbitrii acceptantis gratiam in ipso instãti infusionis: planè sequitur, eam gratiæ infusionẽ dum infunditur sciri posse, ac per hoc scire potest homo se esse in gratia. Mouetur enim tunc liberum arbitrium à Deo vt acceptet.

Illud est pariter ex doctrina B. Thomę, quòd quando homo iustificatur, gratia primum infunditur, & ex illa fluunt virtutes & dona, id est, fides, spes, & charitas. Cum verò iuxta eiusdem sancti doctoris doctrinã possit homo certitudine fidei nosse se habere fidem infusam statim vt est iustificatus; & fides infusa non est tunc absque charitate: quia dona hæc simul infunduntur cum gratia, imò ex ipsa gratia fluunt: Ergo si est certus de fide infusa, certus erit consequenter etiam de gratia & charitate. Videat, obsecro, Thomista, quomodo B. Thomas expssè dicit, Ideò fidẽ vocari gratiam præuenientem, quia primus motus in iustificatione, motus fidei inuenitur

& in illo primo gratia manifestatur. Si igitur per illum actum primum manifestatur gratia Dei, scitur ergo: alioqui frustrà manifestaretur si nulli fieret manifestatio.

ASSERTIO XI.

Ex ipsa charitatis natura quam nos docent scripturæ, posse hominem Dei sanctum facilè & certò nosse se esse in charitate.

CVM Charitas nihil aliud sit quàm diuinus amor, quædam Spiritus sancti participatio, & amicitia inter nos & Deum Patrem & Dominũ IESVM Christum, & quoddã vinculũ quo colligamur cũ illo, dicente Euangelista: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo*. Et alius: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est:* Cum itaq; charitas amicitia sit, vt verè est: & amicitia conuictũ postulet, vt res ipsa docet etiam si pro hoc philosophorum & theologorum deesset autoritas, quæ non deest: hic ergo conuictus & hæc familiaritas quomodo poterit continere secreta amoris, & certa veræ mutuæq; beneuolentiæ signa? Nam quid ardentius cupit amicus & amator quàm amare, & ab eo quẽ ipse amat, vicissim etiam amari, & propterea suum inuicem explicare atq; ostendere amorem, cum nemo nesciat ex hac amoris notitia & amorẽ ipsum crescere, & amicitiam solidari tenacius & confirmari? Hæc qui negat, mea certè sententia non amat: & is qui nescit, expers est veræ amicitiæ.

Aristoteles 8. eth. Philosophus enim hanc notitiam mutui amicorum amoris ponit in ratione amicitiæ ita expresse, vt doceat non esse amicitiam nisi se mutuò amici inuicem diligant non latentes, hoc est, sciant reciprocum suum amorem. Vnde & B. Ambrosius de illa scribens amicitia quæ humana est, sic ait: *Seruate filij initam*

B. Ambrosius de officijs. *cum fratribus amicitiam, qua nihil est in rebus humanis pulchrius. Solatium quippe uitæ eius est, ut habeas cui pectus aperias tuum, cum quo arcana participes, cui committas secretum pectoris, ut colloces tibi fidelem uirum qui in prosperis gratuletur, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur etc.* Vide reliqua, ex quibus planè colligitur illud maximè proprium esse amicitiæ, communicare secreta & arcana pectoris, & dolere simul & gaudere. Quod si hoc habet humana amicitia, non habebit etiam diuina? Erit'ne illa potior ista ac perfectior? Absit. Quid enim ait Dominus? *Iam non dicam uos seruos, sed amicos. Seruus enim nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos; quia omnia quæcunq; audiui à Patre meo, nota feci uobis.* Ecce quomodo vim amicitiæ Dominus nobis ostendit in communicãdis arcanis mentis sitam esse. Quid autẽ charius esse potest amico quàm communicari sibi amici amorem? Verùm audiamus iterum D. Ambrosiũ alia Domini verba: *Vos amici mei estis si feceritis quæ ego præcipio uobis*, sic exponentẽ: *Dedit formã amicitiæ quam sequamur, ut faciamus amici uoluntatem, ut aperiamus secreta nostra amico quæcunq; in pectore habemus, & nos illius arcana non ignoremus: ostendamus nos illi pectus nostrum, & ille uobis aperiat suum. Ideò inquit, Vos dixi amicos; quia omnia quæcunq; audiui à Patre, nota feci uobis. Nihil ergo occultat amicus si uerus est: sed effundit animam suam, sicut effundebat mysteria Patris Dominus IESVS. Ergo qui facit mandatum Dei, amicus eius est, & hoc honoratur nomine. Qui est unanimis, ipse amicus est, quòd unitas animorum in amicis sit: neq; quicq̃ detestabilior q̃ qui amicitiã læserit.* Hæc ille. Vbi nota illud esse amici maxime proprium, omnia scilicet secreta cordis aperire amico. Si omnia, qũo non etiã hoc? Imò qũo vel nõ hoc in primis manifestat, nimirũ ꝙ eum amat, cùm istud primũ debeat esse vt longè magis gratiosum, ita & magis charũ & iucundum & gratum amanti? Absit ergo vt amicus noster Deus illud retineat, quod maximè expressum esse ipsa ratio & ius amicitiæ postulat. Alioqui audi quæso lector rem prorsus miseram, præposteram, penitùsque peruersam. Homo fidelis, præuaricator tamen & flagitiosus, probè noscit ex fide odiũ Dei contra se, nec illum patitur Deus nescire. Hoc autem ad eum finem facit vt ille metuat, vt pœniteat, vt conuertatur & viuat. Et fidelis homo obtemperans mandatis eius & ambulans spiritu cum illo, non cognoscet ex fide amorem? Deus ergo indicat certò odiũ suum inimicis vt cõuertantur, & amicis non ostendet amorem suum vt cõsolationem accipiant, vt magis excitẽtur ad redamandum, & magis solicitè in dies ambulandum cum Deo suo? Quis hoc sibi valeat persuadere? Cur.n. sicut illi certò sciunt odiũ certitudine fidei, ita & isti eadem certitudine fidei non sciant eius amorem? imò tantò maiore certitudine, quantò mente offuscatiore sunt qui in tenebris peccatorum viuunt, quàm qui in luce? Nam cur, quæso, qui benè ambulant

filii lucis dicuntur & ambulare in luce, nisi qa spirituales sunt, & lumen Dei vident, quod eius charitas secum portat?

Ad hæc, Nonne hoc datur amicitiæ, nobilitare amicum, eumq; facere gloriosum in populis? Nunquid verò hoc non facit Dominus amicis suis sæpenumero etiam in hac vita, cum per illos operatur virtutes & signa & prodigia, vt cognoscat mundus eos esse Dei amicos? Id certè nemo negare potest: quoniam multis talia donauit Deus per quæ probaret eos amicos suos: & homines hoc videntes & admirantes obseruarēt eos, & glorificarēt cœlestem Patrem. Vnde Dominus: *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Sic glorificabat Dominus Petrum, cum ad eius vmbram sanabat ægrotos, & ad eius dictum mortuos suscitabat, & non quaslibet virtutes per B. Paulum faciebat, cuius & sudariola & semicinctia sana bāt infirmos. Neq; hęc de Apostolis tātum creduntur, verùm etiam de innumeris aliis qui talia facientes habebant manifestissima inhabitantis in seipsis gratiæ signa, cum viderēt Dominum Deum dignari testimonium reddere ipsorum sanctitati. Vnde & in canonizatione Sanctorum quærūtur miracula quasi testimonia vrgentia comprobandæ sanctitatis. Deus enim non potest esse testis mendaciorum.

Act. 5.

Ad hæc, Inter amicitiæ officia primum & maximum videtur esse colloquium & conuictus inter amicos. Pari modo inter Deum & homines est colloquium per orationem nostram per quam ipsi Deo iungimur. Modo vt sit pfecta oratio plura requiruntur, ex quibus manifeste potest colligi cōuenientissimū esse orantē conuenienter sicut postulat Deus & sancta scriptura docet, oportere scire se esse in gratia. Nam primum quidem quod requiritur est principium vnde oratio exprimitur, vt sit in spiritu & veritate, hoc est, à spiritu charitatis procedat, qui facit nos poscere gemitibus inenarrabilibus: quia tales precatores & adoratores quærit cœlestis Pater. Peccatores autem non possunt orare in spiritu, cum recesserit ab eis.

Dicet quis, Quid hoc ad notitiam gratiæ? Ex eo n. quod Dominus ait oportere orare in spiritu & veritate, nō rectè infertur eum qui orat in spiritu & veritate, posse hoc ipsum scire, videlicet se adorare in spiritu & veritate. Imò ex hoc satis infertur: quoniam si hoc à me postulat Deus vt adorem in spiritu, sicut ipsa Veritas docet, durissimum est sanè nullum hominem posse experimento scire & sentire quòd sic adoret, & sic oret in spiritu quemadmodum Deus requirit ab eo, & sic etiam orando nutantem habere cogatur & scrupulosam conscientiam, quæ res redderet maxime frigentē orationē. Quòd si qs dixerit: Potest homo id saltem probabiliter scire per signa & coniecturas, & hoc satis est: Certè non propterea tollit absurdū. Nam quod non facit certitudinem, sed dubitationem admittit aut formidinem, solicitam & anxiam reddit animam, & illius in primis qui magis amet. At hoc præsertim in re tanta est incōuenientissimum. Quid enim potest homo verè ac syncere amans magis cupere quàm scire se amari? Quod si nesciat, & se scire nō posse existimet, nónne in immensum meritò contristabitur, & eò magis quò magis amabit?

Ad hæc, edocti sumus quid orando debemus asserere in spiritu. Et primùm quidem, Deum esse patrem nostrum. Deus autem pater noster est specialiter propter spiritū adoptionis, quem non habet qui extra gratiam est, Nam propriè oratio hæc Dominica Christianorum est & in gratia existentium. Non.n. verè vocat patrem qui spiritum adoptionis quo quis filius est, amisit. Nunc verò mirabile est prorsus neminem hominum eorum qui orant, scire id quod asserit verum esse: vt cogamur dicere neminem orantem ad Deum esse perfectè veracem. Verax enim est ille non qui solummodo verum dicit, sed qui verum dicens scit etiam se verum dicere. Alioqui si quis verum dicens putat se falsum dicere, mendax est. Quòd si trepidat ac formidet, non omninò verax est. Et similiter ille non verax est qui illud per verbū assertionis profert quod non pro certo constituat, sed dubitet aut opinetur.

Vide B. Cypriani in ser. de orat. Dominica.

Ad hæc, Oratio continet gratiarū actiones. Oportet enim orantem in primis gratias agere de acceptis beneficiis & donis, & de maioribus donis etiam ingentiores gratias. Nullum verò est maius donum quàm charitas (teste B. Paulo) de quo dono accepto deberet homo maximè gratias agere. Quomodo autem id faciat, si nesciat vnq̃ se hoc accepisse, nec scire posit ex fide? Quis sanæ mentis absurdum non sentiat? Dicent: Agat gratias sub conditione, si accepit. At hoc non est simpliciter agere gratias. Dicet alius paulò argutior: Agat gratias tanq̃ si verè acceperit: quia certum est non stetisse per Deum quo minus acceperit. Non inficior etiam istud Deo deberi: sed nec sic erit vnq̃ plena gratiarum actio. Et maximè indignum est vt pro minoribus donis liceat nobis plenè gra-

tias agere: pro eo autem solo quod multò maius erat, & dignum vt intensius gratiæ de illo ageretur, non liceat. Quamobrem longè aliter Sancti se gerere consueuerunt. Egerũt.n.simpliciter gratias Deo de accepta gratia & donis: & sic docet suos filios orare sancta mater Ecclesia in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus. Vnde & B. Bernardus expressè nostræ sententiæ attestans, in hunc modum scripsit: *Porrò ad quartum genus orationis, quod est gratiarum actio, perpaucos attingere credo: & quò rarius, eò pretiosius est. Multum enim prorsus gratiam inueniet apud Deum: quem iuxta promissionem suam exaudit antequàm inuocetur, & testimoniũ reddet spiritui eius spiritus quem habet ex Deo, quoniam exauditum est desiderium eius: ita ut cerius iam non orare, sed gratias agere possit. Sic enim habes in Lazari resuscitatione, ubi Dominus, licet prius nihil orasset, Pater, inquit, gratias ago tibi, quia audisti me.* Hæc ille.

D. Bernardus de quatuor modis orandi.

Ad hæc, In oratione etiam id solet peti, quod certè petere ex corde non potest nisi ab eo qui sit in gratia: quale est illud: *Adueniat regnum tuum.* Homo enim peccator non potest diligere ac desiderare, & propterea nec petere hunc aduentum. Qui etiam ambigit de gratia sua, qua fronte petet aduentũ hunc à quo sibi plurimum metuit? Absurdũ similiter videtur, neminem posse id intrepidè petere vt oporteret. Dominus tamen esse petendum docuit, & hoc certe sine trepidatione. Alioqui quæ'nam esset oratio illud petens de quo trepidaret? Et similiter absurdum est nõ posse nos illud toto corde diligere quod à nobis diligendum esse monemur: est enim contra verba scripturæ. Nónne B. Paulus asserit manere eos tantam mercedem qui diligunt aduentũ eius? Talis erat ipsemet qui desiderabat mori & esse cum Christo. Et verè Christus nõ liberasset nos in hac vita à timore mortis si nunquã in hac vita possemus esse certi de gratia Dei: quod est contra verbum eiusdem Apostoli ad Hebræos scribentis, & cõtra id quod certè apparuit in multis & innumerabilibus Christianis qui absque vllo timore excesserunt ex hac vita. Nec obstat si quando caro tremere & agonizare videatur, ipsam mortem reformidans, quemadmodũ & in Domino nostro apparuit. Hoc enim non secundum Spiritum erat, qui erat promptissimus. Nec me latet esse quandoque & bonorum virorum metum in excessu, qui siue pusillanimitate cordis, siue à tentatione dæmonis, siue à cogitatione stricti & rigorosi iudicii Dei non queunt in illo articulo non aliquantulum trepidare: verùm confestim serenantur si sancti sunt. B. Martinus Diabolum astãtem circũspiciens ausus est dicere: *Quid hic adstas cruenta bestia? Nihil in me funestum reperies, sed sinus Abrahæ me lætus suscipiet.* Qua verò confidẽtia hoc dixisset, nisi Dei gratiam in seipso certam sensisset?

B. Martinus.

Ad hæc, In oratione iubemur petere cõfidenter, nihil hæsitantes quin simus impetraturi. At hanc confidentiam quis potest habere nisi sciat se gratum Deo? Qui enim de eius odio dubitauerit, quomodo poterit non meritò hæsitare ne exaudiatur? Bene enim dixit Cæcus ille, imò ille iam videns: *Scimus quòd Deus peccatores non audit.* Licet quidam expositores non recipiant verbum Cæci vt verum, idque sine causa.

Ad hæc, Oratione vnitur homo cũ Deo. Est.n.oratio, eleuatio mentis in Deum. Huiusmodi vnio fit per charitatem & actualem quandam admirabilem dilectionem, quam benè & plenè norunt viri perfecti qui experiuntur. In ea ergo vnione vnde ecstasis plerumque oritur, quis neget aduenire notitiam certam gratiæ Dei, præsertim in his qui dono Spiritussancti habent spirituum discretionẽ, & nonerũt à fructu suæ deuotionis & humilitatis veræ, non fictæ, non esse deceptionẽ in oratione sua, sed veritatem? Quare & Dionysius Carthusianus non valuit in hoc casu negare certitudinem gratiæ: nec hîc tamen est propriè illa reuelatio quam excipiũt.

Dionysius Carthusianus.

Ad hæc, multa petimus in oratione, & exaudimur, ex quibus certo argumẽto possumus colligere gratiam Dei existentẽ in nobis: vt quando petimus hominũ peccatorum conuersionem, & vitæ illorum mutationem. Legimus enim de B. Dominico & aliis sanctis, dum hîc in terris agerent, suis orationibus conuertisse multos ad fidem, aut ad vitã religiosam & sanctam. Scimus autem quòd Deus in huiusmodi non audit peccatores. Factæ sunt & à sanctis viris orationes, quibus impetrant sanitatem ægris, gressum claudis, auditum surdis, cæcis visum, & alia huiusmodi multa. Et dubitabunt adhuc isti de gratia sua? Certè non conueniunt ista cum luce veritatis.

Nec obiiciat mihi quisquã hæc ipsa etiã à multis operariis iniquitatis fieri, qui & ꝓphetant & dæmonia eiiciunt, & multas virtutes operantur, sicut testis est Dominus. Nam, vt sacri interpretes rectè aiũt, sanctis viris ob illorum fidem viuam & operum merita ac supplicationes Dominus largitur hæc dona operãdi signa & ꝓdigia, vt & ipsi clarificentur, sicut Pater clarificauit Filiũ. Sic orauit Abrahã

p Lot: & similiter Iob p amicis orauit & obtulit. Aliud est de operariis iniquitatis, quibus mira quædam aut miracula facere conceditur vel vt Christus clarificetur, nõ illi: vel vt veritas quam illi prædicant, confirmetur.

Ad hæc, Orare iubemur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hoc si oramus ex corde, proculdubio exaudimur. Habet enim specialiter promissionẽ hęc oratio à verbo Christi dicentis: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater cœlestis delicta vestra.* Si dimittet peccata Deus, cõferet ergo gratiam: quia non est medius status cum Deo. Vnde ipse: *Qui non est mecum, contra me est.* Quòd si quis dixerit: Nemo potest certò scire an ipse ex animo dimiserit fratri suo: videat qui hoc dixerit an ipse id credat. Quod etiam si fortè credit, non dicam videat num satis sanus sit: quia certò nec hoc poterit discernere. Inueniuntur enim homines qui propter Deum nõ solum dimittunt atrocissimas sibi factas iniurias, vt cum vindicare facile possint non vindicent tamen, sed contrà etiam bene faciunt inimicis. Et isti nõ sciẽt se dimittere? Dauid ergo q̃ toties Sauli persequenti & sitienti sanguinẽ eius pepercit, & hoc propter Deum vt ipse testabatur, nõ certò hoc sciuit? Cur igitur cũ Deo loquens tam fiducialiter orat: *Memento Domine Dauid & omnis mansuetudinis eius?* Periculosa est certè hæc euasio.

ASSERTIO XII.

Ab egregijs atq; heroicis charitatis effectibus et operibus, ijs præsertim quæ habent promissionem, certò nos sci posse inhærentiam charitatis.

VERE DIXIT B. Gregorius: *Si amor Dei est, magna operatur.* Et hoc de diuino amore. Nam si amor humanus & mundi hoc facit, quid faciet diuinus amor? Est autem magnus amoris effectus patientia & longanimitas in sustinendo. Charitas enim in primis patiens est seu longanimis, benigna, nõ æmulatur, nõ agit perperam, non inflatur, non irritatur, non quærit quæ sua sunt, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Hæc certè opera non sunt naturę, nisi fortè velimus Pelagianorum dogma suscitare. Illud verò certissimũ est, viuã spem ab iis charitatis operibus oriri quũ in patiẽtia & longanimitate completur. Viua autẽ spes certitudinẽ habet: quoniam spes iustorũ certa est, non autem eorum qui sunt iniusti, sicut scriptum est: *Ingrati spes tanquàm hybernalis glacies tabescet, & disperiet tanq; aqua supervacua.* Sap. 16.

Innititur enim spes & eius certitudo (vt ait D. Thomas, imò ipse Apostolus) in misericordia & auxilio Dei & simul in meritis operum nostrorum. De Spe uiua

Vnde ad Hebręos: *Cupimus aũt unumquenq; vestrum eandem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usq; in finem.* Ecce quomodo per opera ipsa bona & merita expletur, idest, perficitur spes in finem. Quidam verò exponunt, ad plenam spei certitudinem vsq; ad perfectionem. Itaq; merita sunt quæ spem certam faciunt, illam quæ incedit vsq; ad interiora velaminis, ingrediens sancta sanctorum in cęlis. Spes enim viua à meritis gignitur, quæ si ignorantur, talem in nobis spem patere non possunt. Vnde hoc manifestè declarans Apostolus ait: *Iustificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem habemus accessum in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum autem; sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur: patientia uerò probationem: probatio autem spem: spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Nota, quæso, verba diligẽter bone lector. Primùm ait *Scientes*, non ait opinantes, scientiam more scripturę accipiens p notitia quæ est ex fide. Deinde ait spem quæ à patiẽtia et probatione procedit, non confundere. Id verò quamobrem, nisi quia qui habet eam spem, certitudinem tenet in corde, vt à præsenti quod sentit, futurũ sciat quod sperat? Vnde sequitur: *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Hinc enim venit certitudo, vt rectè dixerit B. Bernardus: *Ideò spes nõ confundit, qa charitas certitudinem infundit.* Sed cuius rei certitudinem? declaret ipse. *Per hanc enim (ait) ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro quòd filij dei sumus:* quod certè non est aliud quàm esse in gratia. Quid hîc amplius desideramus?

Quare miratus sum non parum quorundam sententiam dicentium se non negare certitudinem spei, sed certitudinem fidei. Quasi verò certitudo spei non veniat à fide, vt rectè declarat B. Thomas, cum fides sit substantia sperandarũ rerum. Nec potest spes in futurã beatitudinem extendi nisi accipiat à fide, qua noscit q̃ iam arrhã tenet, quæ est gratia assistens, de qua sperari potest & gloria. Vnde

Apostolus dicebat: *Nos spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus*, hoc est, ex fide infusa quam spiritus infundit: vel ex fide quę spiritum vitæ secum habet, & hoc est tandem ex fide viua. Vniuersa autē scriptura quū de spe loquitur, de illa loquitur quæ virtus theologica est & spes viua sociam habens charitatem: nō autem de illa quæ sit mortua & informis, in qua certitudo esse non potest: qualis est in ea spe quam tētatio & probatio fouit atq; erexit. Vnde homo per oculos fidei videt sui probationem à Deo, & audet cum humilitate incedere per illam spem vsq; ad interiora velaminis. Quare & in scripturis sanctis spes de qua loquimur, quæ bonis operibus initiur, his epithetis connotatur: Viua, bona, beata, firma, inconfusibilis, ex qua gaudium, pax, atq; solatium magnum in anima creatur, & illud quidem ineffabile. Quod sanè ab iis minime sentitur qui ad terrenas voluptates & vitę fluxę commoda cogitationes suas omnes & studia postpositis saluriferis operibus trāsferunt. Illi soli experiuntur & probant qui meditationibus dediti, cū Propheta possunt exultare & dicere: *In pace in idipsum dormiam & requiescam: quoniam tu Domine singulariter in spe cōstituisti me*. Et amplius: *Signatum est super nos lumen uultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo*. Quo circa sapienter B. Ambrosius, & post illum Magister sententiarū docuerunt à charitate venire spem quæ certitudinem habet. Vnde & D. Thomas in q. de verit. spem illā demum habere certitudinē docet, quæ fundatur in conscientia recta. Quanquam hoc prius dixerat B. Augustinus. *Ille enim sperat*, inquit, *qui bonā conscientiam gerit. Quem uerò pungit conscientia, retrahit se à spe, & non sibi sperat nisi damnationem. Vt ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam: & ut habeat bonam conscientiam, credat & operetur: quia quòd credit, fidei est: quòd operatur charitatis est*. Hæc ille. Et amplius de bona conscientia inquit: *Per hanc appropinquamus Deo, & quanto magis opera uirtutum crescunt: tanto ipsa spes magis crescit, & in illud desiderium mentem iusti impellit ut dicat: Cupio dissolui, & esse cum Christo*. Hæc ille.

B. Augustinus in psal. 31.

Ad hæc, pollicitus est Dominus: *Qui reliquerit patrem et matrem &c: centuplum accipiet*, nimirum vt Marcus expressit, *in hoc seculo, et vitā æternam possidebit*. Hoc autem centuplū quod in hac vita accipitur etiam cum persecutionibus, non est aliud quàm abundantia gratiarum. Nam B. Bernardus & D. Thomas in ea sunt sententia vt existiment eos qui hanc viam perfectionis ingrediuntur renunciantes omnibus bonis, continuò mereri perfectam peccatorum omnium remissionem perinde ac si baptismo ablui renouarentur ad vitam. Horum ego sententiam non secus credidi & credo ac si Angelus de cęlo annunciasset: quia & benignitas Dei & factum ipsum grande, & adhuc post horū sanctorum doctrinā ponderatum ipsius Christi testimonium, mihi id satis persuaserunt. Quid enim aliud est illud centuplū quod iis promittitur in hoc mūdo? Hoc igitur verbo stante, si quis id quod diximus fide recipiat tanq̄ à Domino pronunciatum, nónne certus erit suæ innocentiæ, pręsertim si duo addantur sacramenta, vt fieri cō sueuit, videlicet pęnitentiæ & Eucharistiæ?

Obiiciet aliquis: Leuis es ad credendum, si quia duo doctores aut etiam plures hoc dixerint, eam illis fidem habueris quæ debetur scripturæ. Ego verò respondeo, me fidem hanc meam scripturæ exhibere, non hominibus: quia illi doctores in scripturis fundantur, & rationibus validissimis. Est autē optima ratio in promptu. Nam qui dimittit omnia, & semetipsum abnegat, quid in hac vita amplius potest dare Deo? Hoc B. Gregorius holocaustū vocat per omnia placens & acceptabile Deo. Si enim eleemosyna extinguit peccatum, etiam si non omnia bona erogentur amore Dei: quid faciet erogatio bonorum omniū, ac simul castratio propter regnum cęlorum, & deniq; proprię voluntatis ac libertatis abiectio? Quòd si qs dicat nō potest homo scire an verè reliquerit omnia ex corde. Respondeo, cur ergo qui profitētur, interrogati an ita faciāt & an hoc Deo promittant, respondent ita se facere, atq; id etiā promittere? B. Petrus in Euangelio hoc planè professus est dicens: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te*. Nec reprehendit eum Dominus dicens: Imò nescis an hoc feceris, aut vtrum pura mente feceris: sed confirmauis verè ac rectè factum respondit: *Amen dico uobis uos qui secuti estis me &c*. Et quia obiter hic meminì hominem me interrogantem, an ego certò scirem me esse in gratia: nunc illi respō deo, ea die qua emisi vota mea coram Deo abrenuncians omnibus bonis meis, post absolutionem sacramentalem & perceptionem Eucharistiæ, me tum firmiter credidisse nihil hæsitando me obtinuisse gratiam à clemētissimo Patre Deo, & fuisse mihi remissa penitus omnia peccata: quo in loco non est cauillus vllus de intentione ministri. Atq; addo (postq̄ in hoc volunt vt ego desipiā) si opus esset & expediret, cōfidens in Dei promissione & in conscientia simplicitatis meę, quam certò noui & nosco, ob illud factū fuisse me

gratiam assecutum, propter Domini promissionem, etiam iureiurando assererem. Quid autem dicendum esset de multis qui postq̃ vouerunt & reddiderũt assidue vota sua Domino, in multa patientia & perseuerantia & obedientia, in persecutionibus, per uigilias, per ieiunia, per laudes & orationes die ac nocte in timore ac tremore operantes sibi salutem, & multos locupletantes prædicando, monẽdo, hortando, & alia charitatis opera faciendo, & assiduis sacramentis confessione & Eucharistia se purgando: quid, inquam, de huiusmodi dicemus? An quod nunq̃ habuerint spiritum certitudinis gratiæ suæ ad opera quæ adiuti gratia Dei fecerunt, attendentes, & hoc ipsum cognoscentes, neq; semetipsos extollentes, sed Domino gratias agentes? Si hoc ita est vt neq; tot concurrentibus testibus homo certior fieri possit: certè infęlix supra modum est conditio nostra.

Ad hæc, Quid dicemus de multis qui à Spiritusancto in horridas Eremos sunt impulsi, socii ferarum in cauernis & speluncis terræ habitantes, quorum pabulum herba cruda, aqua potus, vestis melota, quibus (vt ait Apostolus) dignus non erat mundus, qui conspexerunt se vicisse illum cum omnibus pompis eius, & carnem crucifixisse cum delitiis & concupiscentiis suis, & frequentes retulisse de Satana tentatore victorias? Nónne ob hæc facta certò ac meritò non solùm pręsentis gratiæ assistentiam, verumetiam penè dixerim futuræ gloriæ securitatem sentire poterant à testimonio Spiritus inhærentis?

Ad hæc, vt iam diximus, sunt præter iam enarrata, quædam opera huius virtutis, quæ est charitas, verè heroica & manifestè excedentia non solùm communem hominum facultatem, verumetiam omninò humanas vires, cuius generis est admirabile illud Abrahę opus parari occidere filium supra modum dilectum: & illud Dauidis parcere persecutori infensissimo, idq; in eo ipso persecutionis furore. Et illud prothomartyris Stephani orare ex toto corde pro lapidantibus. Deniq; quales fuerunt innumerabiles gloriosorum Martyrum agones & horrenda supplicia in quauis ætate, sexu, & hominum conditione, pueri, puellæ, adolescentes, iuuenes, senes, diuites, paupęres, sapientes, insipientes, qui tamen omnes loquebãtur in conspectu Regum & non confundebantur, quibus sæpenumero ipsis inuitis cedebant feræ bestiæ, cedebat ignis, cedebant tortores atq; carnifices vel in hoc ipso, quòd plus ipsi pati, quàm illi inferre valuerunt. Hæc autem eximia facta, cum non nisi à diuina charitate queant procedere, nónne certissimum de ipsa inhærẽte charitate reddunt testimonium, quam in suis cordibus certissimo experimento sentiebant qui illis tormentis cruciabantur, etiã pro illis qui cruciabant orantes? In quibus.n. tantus charitatis ignis feruebat vt & alios incẽderet, quô fieri potuit vt ipsi illum non sentirent? Verè dixit B. Gregorius: *Ille securus amat, qui propter Deum illum amat à quo se intelligit non amari.* Et B. Chrysostomus ad illa verba: *Propter te mortificamur tota die*, ait: *Fieri minime poterat ut qui homines essent, ij infinitas mortes tolerarent.* Homil. 38. in Euang.

Sed surrexerunt qui dicerent etiam martyres quantumuis cruciatos non potuisse certò scire suã charitatem: quia illam quã afferimus pro certo signo martyrum tolerantiã, etiam hæretici sæpenumerò p̃stant pari animi alacritate & gaudio. Sic scripsit ille qui primus edito libello contra certitudinem gratiæ disseruit. Verùm quoniã hoc est falsum & impossibile, & ab aliis magistris etiam iure reprehensum, & quia derogat multum fidei nostræ, cui martyrium attestatur (nam martyres testes sunt christianæ veritatis. Propter q̃d B. Hieronymus verè dixit: Si fides Christi vera non esset, nunq̃ sanguine defenderetur) opus est paulò diligentius hæc scrutari, & à principiis veritatem eruere, & doctrinã veram ac differentiam magnam inter verum martyrem & falsum ostendere, & hanc differentiã posse nosci ab ipsis causis & ab effectibus demonstrari.

Videndum ergo primùm quid nam sit quod faciat verum martyrem. Est inconfesso eum esse verũ martyrem, qui prudens & suæ mentis compos eligit extrema pati, idq; in testimonium diuinæ veritatis libenter & cum gaudio interno Spiritus sancti, pacatus animo, & amore Dei propter Christum. Si vnum horum deest, non est verus martyr. Videamus ergo nunc quid falsus martyr differat à vero, cum hoc sit vtrique commune, videlicet extrema pati. Differt autem falsus martyr à vero, eò quòd suæ mentis compos non est, & ideò non liberè in hoc periculum incurrit. Qui enim huiusmodi sunt, iam suæ potestatis non sunt, sed captiui tenentur ad ipsius Diaboli voluntatem, vt B. Paulus testatur. Quare illa electio non est libera & verè spontanea ac ratione probata, sed extorta est ac ferè coacta. Est enim impulsus contra rei naturam. *Quid inter uerum & falsum martyrẽ intersit.*

Nec dicat mihi aliquis, similiter esse in vero martyre, qui præsertim in illo opere etiam magis agitur quàm agat, sicut scriptum est è

Qui filii Dei sunt, Spiritu Dei aguntur. Et Dominus: *Ego dabo uobis os & sapientiam &c.* Et: *Non estis uos qui loquimini, sed Spiritus Patris uestri qui loquitur in uobis.* Respondetur enim quòd hæc motio Spiritus Dei quo agimur, lõgè differt ab impulsu illo Diaboli quo filii eius aguntur. Nos non icircò minus agimus nec minus liberè quia à Spiritu Dei agamur: sed contrà vt magis liberè & vt magis etiam libenter agamus, ideò agimur. Nec enim propterea dicit Dominus: *Non estis uos qui loquimini*, vt existimaremus illud in nobis sine nobis agi, cum supponat nos loqui: sed vt credamus illud quod loquimur aut agimus non esse ex nobis quasi ex nobis, hoc est, ex viribus nostris naturalibus, sed à virtute quam accepimus ex alto. Vnde Apostolus vbi dixit quòd Spiritus filiorum clamat Abba Pater: ipse ibidem addidit quòd nos clamamus Abba Pater. Mouemur ergo à Deo, vt ab ipso moti iuxta modum naturæ nostræ, scilicet non vt sine sensu & electione, sed vt liberè moueamus nosmetipsos: quia ipse per Spiritũ suum adiuuat suggerens nobis multò ampliores vires quàm habeamus ex nobis ipsis ad mouendũ nos. Ipse enim Spiritus est Spiritus veritatis, & est Spiritus charitatis, lucis & ardoris, quo simul & illuminamur & incendimur. Est.n. fortis sicut mors dilectio. At Diabolus totus tenebrosus est, qui non potest illuminare, sed obtenebrare. Et dũ à Diabolo mens agitur, innaturali obedientia & minus liberè agitur, vt sit potius impulsus violentus. Nec propterea sic ab illo acti non peccant, quoniam hãc in eos potestatem Diabolus habet & exercet à libera ipsorum voluntate atq; electione. Filii autem Dei sunt sicut cœli, qui etsi mouentur à natura spirituali & superiori, non tamen innaturaliter, cùm habeant naturalem obedientiam in illum motum. Itaq; magna est primùm hac in parte differentia inter verũ & falsum martyrem, id est, in consideratione principii vnde quisq; mouetur.

Differt etiam secundo loco in testimonio. Cum enim quisq; eorũ testetur, vnus tamen attestatur verò, alius falsò quasi verò existenti. Et cum nemo possit rectè attestari verò, nisi cognoscat illud esse verum: verus Christi martyr non solùm attestatur vero, sed illi vero quod nouit esse verum, & perfectè nouit. Alioqui si quis fortè non credens, aut in fide non firmus vellet attestari pro veritate fidei, puta (vt quorundam proferamus exemplum) quia in hac fide natus esset, aut vt ostentaret suam animi fortitudinem propter gloriam: non rectè neq; secundum virtutem attestaretur, sed vel leuiter ac temerè, vel insipienter & vitiosè. Et ita nõ esset verus Christi martyr: quia sibiipsi attestaretur, non Christo. Nec esset testimonium fide dignũ: quia non ex scientia. Sicut si quis attestetur cuiuis veritati, si non verè illam nouerit & plenè sed auditu forsan, tametsi magno spiritu videatur testari tanq̃ certò sciens, non tamen legitimus est testis, cui omnino credendũ sit. Ita homo non habens plenitudinem lucis qua certius & plenius noscat ea qbus attestatur, non potest verus esse martyr, nisi superaddatur de luce. Quare non omnes qui fidem profitentur apti sunt ad martyrium, & si fortè temeritate quadam agitati videantur sibiipsis prompti. Deus enim vult testes qui sciant, hoc est, qui sint certiores quàm ferat communis imbecillium fides. Et ob eam caussam dixit aliquando discipulis suis: *Quò ego uado uos non potestis uenire modò.* Et: *Omnes uos scandalum patiemini hac nocte.* Cur enim erant scandalum passuri, nisi quia adhuc erãt in fide infirmi? Et quare non poterant tũc sequi illũ, hoc est, ad crucem ire & mortem, nisi quia etsi absq; fide non essent, tamen nec perfectè credebant, nec perfectè amabant? quod tamen ipsi tunc non cognoscebãt, nec Petrus quidem, cui specialiter dictum est: *Quò ego uado non potes me sequi modo: sequeris aũt postea.* Ipse enim cæteris audacior dixit: *Quare non possum te sequi modo? Animam meam pro te ponam.* Et similiter dixerunt omnes. Verùm melius norat Christus quid esset in corde eorum, q̃ illi. Placuit Domino, adesse illis in animi præparatione votum martyrii, sed non placuit ꝙ seipsos iudicauerint de facto potentes ad illud sustinendum. Considera ergo lector, vt non est omnium fides, ita non omnium q sunt fideles est martyrium verum: quia perfectè hoc genere testimonii testari non possunt, quod est pati extrema dum variis & immanibus cruciatibus & tormentis examinantur. Elegit ergo Dominus Apostolos suos qui testificarentur eius veritati, quos ipse impleuit Spiritu lucis & ardoris, & voluit vt plenissimè scirent ea de quibus testimonium erãt reddituri. Et ideò ipse dixit: *Sed accipietis uirtutem superuenientis Spiritus sancti in uos, & eritis mihi testes in Ierusalem & in omni Iudæa & Samaria, & usq; ad ultimum terræ.* Primò dixit: *Accipietis uirtutem &c.* Deinde dixit: *Et eritis mihi testes*, satis declarans quomodo ab illa virtute Spiritus accepta idonei testes efficiebantur. Et adeò hoc obseruauit, vt de his quæ erant sensu perceptibilia uoluerit habere illos testes q oculis ppriis uiderãt, & manu (quod dicitur)

contrectauerant, ut sic de iis legitimè testificarentur. Ideò apertius aliàs dixit: *Quùm venerit Paracletus quem ego mittam uobis, Spiritū ueritatis, ille testimonium perhibebit de me, & uos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Vide vt duo complectitur de quibus futuri erant testes, vt conuenienter testificarentur. Alterū spectabat ad ea quæ erant diuinitatis & sola mente percipiebantur: & hæc desiderabant plenitudinem notitiæ reuelatæ à Spiritu. Et ideò promittit mittere Spiritum testificantem. Alterum verò pertinebat ad ea quæ sensibus percipiūtur, vt fuerūt gesta Christi, & propter hæc dixit: *Quia ab initio mecum estis.* Qua de causa cum vellent in locum Iudæ vnum subrogare ex multis discipulis, dixit B. Petrus: *Oportet ergo ex his uiris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo intrauit & exiuit inter nos Dominus IESVS incipiens à baptismate Ioannis usq; in diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis.* Sic ergo fecit eos testes Christus omni exceptione maiores, vt de visu testari possent. Dico de visu tam corporaliter quàm spiritualiter. Vnde Dilectus in persona omnium eorum dixit: *Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo uitæ &c.*

Vide igitur nunc qd intersit inter martyrē verū & falsū. Verus.n.martyr attestatur veritati quā certò pcipit, & ita certò ut nec dubitet nec in ea luce valeat dubitare, tametsi mille tormētis exagitetur: quia videt fidē suā quam credit, esse à Deo, & Deum ostendere certa luce testimonia sua esse credibilia nimis, sicut scriptum est. Et ideò Apostolus aiebat: *Ideò nos tantam habentes impositam nubem testiū etc.* Et alibi: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus.* Fidelē sermonem vocat qui ex Spiritu Dei veniens meretur fidem, & dignus est cui omninò habeatur fides. Talis est ergo verus martyr quantum ad certitudinem testimonii. Falsus autem martyr cum nō attestetur veritati, quo modo nosse pōt se attestari veritati? Quòd si quis dixerit: Videtur sibi q̄ attestetur ueritati: non abnuimus. Verùm nunquid satis est ad testem legitimum videri sibi se attestari veritati? Minimè, sed oportet insuper eum hoc certò scire. Cum verò nesciat, non potest tantò animo reddere testimonium, quanto ille qui hoc certò nouit. Multum.n.interest inter videri sibi scire, & verè scire, non sophisticè. Ille cui sic videtur, si sapit & cogitet, non cōquiescit in illo videri. Hic autem noster quiescit, cū sciat, nec potest nō quiescere: & ideò erectiore ac maiore animo testimoniū profert pro cognita & perspecta veritate.

Psal.
ad Hebreos.
ad Timoth.

Verùm nec adhuc cōtentiosus disputator silebit, sed dicet: Illa apparentia veri in hæretico eundem effectum faciet vt se ingerat morti, quem facit ipsa Christi veritas cognita catholico. Sic accidere solet in homine auaro & fure q certò existimet aliquod monile quod vidit, esse monile aureum, cum tamen non sit. Hic profectò tam auide curret ad suffurandum, etiam cum periculo mortis, ac si verè esset aureum. Nam illi in sua existimatione qua mouetur, aureum est. Respondeo, palam claudicare istiusmodi exemplū. Homo .n.hæreticus ex aduerso cōtra persuasionem suam habet sibi propositā Ecclesiæ sanctæ in primis & multorum ac sapientum sententiam: quæ si perinde appareret apud eū qui monile aureū esse putet, vt multi qui probabiliter haberentur periti dicerent illud non esse aureum: impossibile esset (ni penitus insaniret) vt posset quasi certus in ea persuasione persistere. Persisteret autem imperio voluntatis quasi pertinax, non quasi certus.

Prætereà, cum à Deo lux & fortitudo vero martyri præstetur ad sufferendum, non autem martyri falso, impossibile est vt pari animo & æquali cōstantia falsus martyr sustineat. Furor.n.illum, non fortitudo impellit: temeritas, non prudentia. Non placet autem Deo sacrificium sine sale, nec testimonium sine notitia: alioqui excusarentur hæretici martyres, qui dicere possent: Ita nobis apparet: sed egregiè à B. Paulo confutātur, qui vult omnes captiuum reddere intellectū in obsequium fidei: quod non rationabiliter exposceret, si verè vllus posset ita esse certus suæ falsitatis, sicut est suæ veritatis Christianus. Confutātur & à ratione manifesta, quę non probat vt homo testificetur quasi plenè sciens, qui tamen nesciat. Plena.n.notitia potissimū ab eo exigitur qui cum dispendio vitę perhibet testimonium. Nam sic sibi videri & sic sibi apparere, non potest ex rei natura ita facere intellectum quiescere vt concludat se posse validè testificari. Nec est.n.vllus verè hæreticus, qui non sit (vt ait Apostolus) etiā subuersus & proprio iudicio condemnatus: quoniam in re illi non clara (cum non posit falsitas esse clara) innititur prudētiæ suę contra sententiam sapientium. Hoc verò rectè iudicare potest idem homo qui ab errore cōuertitur. Ecce B. Paulus qui anteà tā acris erat christiani nominis persecutor propter ignorantiam veritatis, cum postmodo ab eo errore liberatus cępit nosse veritatem, nónne multò stabilior factus est in veritate de facie agnita, quàm esset prius in sua illa ignoran-

2. cor. 10.

H

tia, tametsi sibi videretur olim veritatem tenere? Hoc si non fuisset, quomodo potuisset certò statuere se prius aberrasse? Multum ergo interest inter christianum martyrem & hæreticum hac parte: tantum certè quātum inter illum qui mouetur à re non vera sed apparente sibi vera, & illum qui à re vera mouetur & cognita etiam vera, ac certò perspecta: quod profectò adhibita diligentia & exploratione legitima internosci potest.

Differt autem tertio loco & quammaxime, falsus martyr à vero. Nō.n. libens hic, nō pacatus, neq; cū interno spiritus gaudio sese immolandum tradit sicut verus martyr, tum quia à Dæmone illusus agitur potius quàm agat: tum verò quoniam nō est conscius nec esse potest se pati pro veritate, vt sic animum suum in opere virtutis heroicæ solari possit. Addo deniq; φ non habet spem viuam aduenientis salutis, sed arrham inferni. Quare miratus sum valdè illum Magistrum qui cōtra certitudinem gratiæ scripsit, in hunc modum ausum esse scribere: *Experimento cōperimus nonnullos hæreticos ob suam leuitatem & ignorantiam & quam ostentant sanctimoniam, tanta esse animi serenitate & certitudine ex parte subiecti, quanta sunt multi Catholici.* Ita ut apud illū leuitas & ignorantia & ostentata sanctimonia tantam animi serenitatem ac certitudinem faciant in subiecto, hoc est, in mente hominis, quantam faciunt solida grauitas & prudentia & scientia ac uera sanctitas. Nam idem Magister alibi ait: *Vidimus plurimos multò maiore alacritate festinare ad rogum, quàm aliquis fortè Christianus iret damnatus à Turcis. An negare poteris quin ille tam certus apud se sit, tamq; securus, licet non tutus, quàm est quispiam fortè ex Christianis existētibus in charitate? Alias quomodo exuri se uiuentem, & bullienti oleo submergi tam exultabundus gauderet?* Et alio opere suo De natura & gratia sic ait: *Hæreticus tam firmo tamq; excelso animo dabit uitam in obsequium, ut putat, Christi, quàm legitimus Christianus.* Hæc ille: quæ certè & falsa esse & irrationabilia, & cum iniuria nostræ fidei & uerorum martyrum affirmari, ne quid grauius dixerim, non dubito. *Non.n. est pax impijs, dicit Dominus:* & facua ac perturbata conscientia, qualis est impiorum, nō potest eam animi serenitatem & alacritatem parere quam iste prædicat. Nec uerè is dicitur firmus & excelsus animus q furore agitur, ac tenebris inuoluitur. Quicunq; autem negat hæretici animum densis obuolui tenebris, ipse uerè tenebris oppletus est. At Christianus qui patitur plenus est luce fidei, plenus spei, plenus feruore charitatis, quibus uirtutibus qui perfectus est, uerè fortis est. At huius rei iudicium non est omnium, sed spiritualium uirorum qui iudicant omnia, ut ait D. Paulus. Audi ergo pie lector B. Bernardum huic nostræ ueritati mirum in modum adstipulantem. Is enim loquens de supplicio quorundā sui temporis hæreticorum, sic ait: *Mirabantur aliqui φ non modo patienter, sed & læti (ut uidebatur) ducerentur ad mortem, sed qui minus aduertunt quanta sit potestas Diaboli non modo in corpora hominum, sed etiam in corda quæ semel permissus possederit. Nonne plus est sibimet hominem iniicere manus, quàm id libēter ab alio sustinere? Hoc autem in multis potuisse Diabolum frequenter experti sumus, qui seipsos aut submerserunt, aut suspenderunt.* Et post pauca: *Nihil ergo simile habēt constantia martyrum & pertinacia horum: quia mortis contemptum in illis pietas, in istis cordis duritia operatur.* Hæc D. Bernardus. O' si daretur utriusq; cor spectare cominus & christiani & hęretici, quantum in corde christiani conspiceremus beatæ lucis, quantū uerè excelsi animi, quantum tranquillæ serenitatis & suauissimæ dulcedinis iucūdissimæq; lætitiæ, cum & palmā & præmia claro & certo fidei oculo iam spe consummata ipse conspiceret? At econuersò, quantum tenebrarum, quantum turbinis & procellę, quantū fellis & amaritudinis exhalare cor hæretici cerneremus, tametsi nonnunq̄ spē vultu fortè valeat simulare: quod quoniam simulatum est, uixq; vi confictum, facilè internosci pōt. Neq;.n. fieri posse arbitror quin ex aliqbus rimulis erūpāt signa animi pturbati & cōscientię coinquinatæ & cauteriatæ: quod (vt aliquo excēplo rem illustremus) satis intelligi potest à martyrio Hieronymi Pragensis hæretici, etiam iuxta testimonium Pogii Florentini, qui infęlicem eius exessum quadam epistola descripsit, vbi & omnes suæ eloquentiæ neruos intendit, vt quæ erant indignatio ac furor, quasi virtutem atq; animi fortitudinē nobis ostentaret. Recitabo pauca. Induxit hominē de duris carceribus venientem ante conspectum Concilii ac Patrum, multa pollentem facundia, de quo post nonnulla in eius laudem, inquit: *Multos salibus perstrinxit, multos lædorijs, multos persæpe in re mœsta ridere coegit iocādo in illorum obiurgationes.* Hęc Pogius. Audisti hactenus, bone lector, christianas virtutes in salibus, lędoriis, & iocis. Non legerat vir ille Pogius B. Petrum Apostolū q lędorias in homine christiano vetat & vituperat. Vbi enim ait: *Non reddentes maledictum pro maledicto*, græca voce vsus lędoriam dixit. Saltem proprietatem uocis tenuisset. Certe lędoria est apertū & mordax & amarulētum conuicium nulla urbanitatis specie uelatum, ut eruditi interpretantur. Hæccine est chri-

D. Bernardus in ser. 66. sup Cant.

Hieronymus Pragensis hæreticus & martyr diaboli.

Pogius Florentinus.

1. Pet. 3.

stiana modestia & placabilitas? Audi nunc & in re seria & grauissimi ponderis, iocum. Narrat Pogius eum cũ rogaretur quid sentiret de sacramento, respondisse: *Antea panem, & postea corpus Christi*. Et cũ quidã obiecisset: *Aiunt te dixisse, post consecrationem remanere panem: tũ ille, Apud pistorem, inqt, panis remanet*. O iocum importunissimum & viri parum de veritate soliciti, & ante ora Patrum irreuerentis. Et cuidam ex ordine Praedicatorum acrius inuehenti: *Tace*, inquit, *hypocrita*. Considera prudens lector viri animum plenum impatientia & iracundia, reddentémq; signa certa martyris Diaboli. Nunquid à Christo hũc modum didicit conuiciandi, aut ab vllo vero Christi martyre? Adiecit quòd & praecipuũ quẽdam suum aduersariũ nunq̃ nisi canem & asinum appellauit. Deniq; cum à multis interrumperetur dum diceret, & ipsius sententias carperent, neminem illorum intactũ reliquit, paritérq; omnes vlciscens, vel erubescere coegit vel tacere. Hęc ille Pogius tanq̃ à constante viro profecta nobis enarrat, quę sola possunt illum impotentiae, immodestiae, superbiae, & animi perturbati tergiuersatoris ac mendacis euincere. Certum est enim Iohannẽ Hussitam obstinato animo tenuisse,

Io. Hus haereticus.

manere panem post cõsecrationem in Sacramento, & hunc articulum cum suo defensore fuisse damnatum in anterioribus Conciliis & summorum Pontificũ decretis: & nihilominus ipso Pogio teste ille infęlix Hieronymus cum ad rogum descẽderet, Iohannem illum Hussitã miris laudibus extulit, appellãs eum virum bonum, iustum, & sanctum, & illa morte indignum. Nónne hoc solum poterat redarguere istum Satanae martyrem, & mẽdacẽ planè atq; apertè ostẽdere? Quę res q̃ conueniat vero martyri, facilè est viro christianae prudẽtiae iudicare. Sed nõ est omniũ gẽmas distinguere, & veras à falsis dignoscere, pręsertim eorũ qui in ethnicorũ historiis & poetarũ fabulis virtutes perquirendas putãt.

Martyres christi quo pacto se gerant.

At in nostris veris martyribus licet fortè internã laetitiam quam Spiritus intus operatur, carnis dolor aliquando obumbret, foris tamen nihil ab illis ineptum, nihil insipiẽs, nihil impatiens, nihil fictum, nihil coactum, nihil deniq; non perfectè christianum prodire potest. Quòd si homines huius seculi haec non obseruarunt, non permittant se falli similitudine falsa, sed intelligant sicuti in rebus & animi conceptibus, ita etiam in actionibus nostris cõtingere veritatem & falsitatem. Quẽadmodum enim est aurum verum & aurum falsum, quod tamen apparet verum: & similiter ratiocinatio vera & ratiocinatio falsa, quae tamen apparet vera, & inter haec latã est differentia quam facilè periti cognoscunt: ita pariter est in animi moribus & in actionibus nostris. Vt autem plerìq; non artifices falsa specie delusi in illis decipiuntur, hoc est, in rebus & ratiocinationibus: ita & in actionibus nostris iudicandis contingit allucinatio. Bene aũt expertis, & ex ipso artificio diligenter exploratibus impossibile est cõtingere deceptionem. Et iccircò nõ datur verũ martyrem p Christi nomine patientẽ allucinari. Differt deniq; verus martyr à falso (quod maxime facit ad certitudinem gratiae) quoniã ipse & pro Christo patitur, & certò scit se pati pro Christo: & ideò iam quasi praesentem spe certissima videt coronam, iuxta Domini promissum: *Beati qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorũ est regnum coelorum*. Quorum neutrum de falso martyre dici potest, quem B. Paulus subuersum esse & proprio iudicio condemnatum pronũciat. Alioqui si certò sentiret falsus martyr se pati amore Christi, profectò certus esset in se esse Christi charitatem. Nemo enim sine Christi charitate põtest verè pati extrema propter Christum, dicente illo: *Sine me nihil potestis facere*.

Verùm ad hoc responderunt ex aduerso, nõn tñ constanter, vt euenire cõsueuit qñ nõ tenetur veritas. Dixerũt.n. quidã etiam martyres ipsos ad noscendã certò gratiã suã indigere speciali reuelatione. Et addiderũt, oẽs martyres specialẽ reuelationẽ habuisse. Qm verò haec ex voluntate potius q̃ ex ratione & autoritate dicũtur, indignum esset nos ob eiusmodi cõmenta esse solicitos. Ipsa martyrũ testimonia, q apertè se propter Deum & Christum morti occũbere ex conscientia, nõ ex speciali reuelatione testabãtur, cõfutant humana haec commenta: item ratio ipsa manifesta. Si.n. iubemur propter Christum animã ponere, quis vnq̃ rationabiliter ponet q igno ret an propter Christũ illam ponat? Nullus ergo nisi temerè hoc praeceptũ impleret. Et vbi est illa vox psalmi à B. Paulo in suum vsum citata: *Quoniã propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oues occisionis*? Hęc est uox martyrũ q propter Christũ se morti tradi nõ metuũt asserere corã Deo. Dicunt, satis esse vt probabiliter & opinariuè existimẽt se ponere animã pp Christũ. Ergo hoc exigit à nobis Deus ut in opinione quiescamus, idq; in ipso vero & nõ opinatiuo dispẽdio uitę & periculo animę? O miseram, iterum atq; iterum dicam, O miseram Christiani hominis cõditionem ac militiam si sic ueritas se haberet.

Verùm sunt argutuli quidam qui fatent certò quidem nosse martyrem se pati pp̃ter Christum, nescire tamen vtrum ex charitate infusa, an verò ex quadam dilectione acquisita, aut per auxilium Dei speciale excitatum, non à dono infuso. O' vana hominũ commenta. Quis verus theologus & de scripturis sapiens & seriò cogitans, hunc casum euenire posse admittat? Sed demus nos illum. Sit ergo homo fidelis q amore Christi sine charitate (vt volunt) eousq; prorumpat vt animam suam ponat pro illo: quæro, an hic dicetur esse dispositus ad recipiendum donum charitatis, an non? Si negẽt, quid est quod negari non valeat? Sin autem idoneè dispositus asseritur, donabit igitur illi charitatem Dominus. Et cum ipse homo certò sentit se dispositum euidentia facti, certò etiam noscet notitia fidei se habere charitatem. Nisi quis fortasse dicat, Deum vt sit quispiam dispositus, requirere etiã amplius quàm vt animam propriam ponat propter Christum. Quod si etiam hoc dicant, cogitent (rogo) quid est quod dixit Dominus: *Maiorem charitatem nemo habet quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Detur ergo iste casus: Sit aliquis fidelis nihil sibi conscius, & recens à sacerdote absolutus, & sacro cibo corporis Dñi corroboratus, & mox ad martyrium raptus, lubens & cum gaudio suscipiens illud propter Christum amore naturali, vel acquisito (ut volunt) nondũ sibi infusa charitate. Quæro de viro hoc: Quò ibit ex hac vita excedens? Certè non in vitam æternam: quoniam sine charitate inuenit: igitur in æternas flãmas. Homo igitur qui pro Christo moritur & nihil conscius sibi, refectus sacramentis, punietur æterno supplicio? Eant ergo & hæc prædicent populis, & experientur vtrum sint inuenturi aures quæ ab hac prædicatione non abhorreant.

Stet igitur certissima sententia, opus extremum veri martyris, vtpotè certissimũ diuinæ charitatis effectũ, certissimũ signum esse inhærẽtis diuinæ gratiæ atq; iustitiæ. Alioqui stultè & insipiẽter obtulissent se neci tot martyres, si ignorassẽt se illud facere ex charitate ac propterea de præmio fuissent incerti.

Nec obstat instantia de martyre hæretico, de quo satis liquet illũ nõ pati propter Christũ etsi fortè hoc illi videat. Vnde B. Augustinus de falsis martyribus perspicuè ait, quòd etsi nomen Christi profiteantur, non tamen propter ipsum moriũtur: siquidem & aliqui catholicorum nõ propter Christum, sed ad iactantiam & humanam gloriam passi sunt:

B. Augustinus in psal. 43

Si enim suam conscientiam legitimè, id est, coram Deo explorassent (vt idem Beatiss. Pater testatur) profectò agnouissent se non verè pati pro Christo, qui seipsos ab vniuersali fraternitate, quæ est Christi Ecclesia, separassent. Quid est.n. quod facit hæreticum nisi, vt sancti doctores tradunt, error, cum pertinacia, qui proprii honoris aut alicuius temporalis commodi gratia contra fidem Ecclesiæ defenditur?

Idem tract. 6. in epist. can. B. Ioa.

Potuissem & alia multa testimonia p̃ hac veritate producere. Verùm in re tam persuasibili abundare, omnino superfluum duxi: p̃sertim verò quoniam si cui superiora nõ sint satis, nihil poterit esse satis. Addo quòd qui postremò scripsit, in hoc articulo de vero & falso martyre, & magna inter eos & clara differentia, nostram, imò catholicam sententiam aduersus primũ disputatorem defendit, sicut & in plerisq; aliis aduersus eundẽ meritò partes nostras tutatur.

F. Andreas Vega.

ASSERTIO XIII.

Quòd aduersus hanc certitudinem quam asserimus; nulla pontificia aut synodalis determinatio, nulla Vniuersitatum seu Magistrorum censura militat.

PROTVLERE quidam summi Pontificis Innocentii Decretalẽ de purgatione canonica, vbi dictum illud Iob: *Etiam si simplex fuero etc.* iuxta vulgarem horũ sententiã interpretati videtur. Sed oportebat prius Decretalis illius casum & verum sensum explicare. Incumbebat cuidam vt se canonicè de obiectis criminibus purgaret, id est vt fieri consueuit, iureiurando se illa crimina non perpetrasse. Ille verò dolosè mutans formam iurisiurandi, iurare volebat se ab eis criminibus esse immunẽ, tacitè sentiens se icircò esse immunem, non quia non ea commisisset, sed quia pœnitentia esse deleta arbitrabatur. Innocentius autẽ Pontifex dolum inesse animaduertens, contra hanc iurisiurandi formam in hunc modũ scripsit: *Potius præsumimus q alia de causa volebat sub præscripta forma iurare, videlicet q immunis erat ab illis criminibus de quibus fuerat infamatus, tanquàm dimissis per pœnitentiam iam esset immunis ab illis. Sed hoc iurare non paruæ temeritatis existeret, cum B. Iob dicat: Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Ideò præscriptam purgationis formam reprobamus tanq̃*

Innocentius Papa

indiscretam, temerariam, & ineptam. Hæc Innocentius, vnde sumunt ipsum Pontificem sic intellexisse locum B. Iob, sicut ipsi exponunt, Cum videlicet non possit quis scire suam à peccatis innocentiam, dicente B. Iob: *Etiam si simplex fuero &c*, iccircò dixit talem purgationem per tale iusiurandum temerariā esse.

Nos autem dicimus, Si recto oculo verba Pontificis considerentur, ex eius superius citatis verbis nihil aliud haberi, nisi quod tale iusiurandum erat temerarium, & illa purgatio similiter temeraria, indiscreta, & inepta. Probatur aūt indiscreta purgatio illa & inepta, etiā si certò ille sciuisset sibi à Domino remissa fuisse peccata. Aliud .n. est se esse fortè purgatum atq; immunem à peccatis coram Dño, aliud verò corā hominibus: id quod tum ibi requirebatur. Nam quemadmodum si fur aut homicida infidelis baptizaretur, esset proculdubio immunis à peccato suo coram Deo, nec propterea tamen euaderet iudiciū ciuile: ita in casu illo. Nō .n. satis erat ei via pęnitentiæ se purgatum esse coram Deo, nisi coram hominibus purgatus haberetur: imò illo ipso testimonio grauabatur. Qui .n. dicit sibi aliquid fuisse dimissum à Deo per pęnitentiam, hoc etsi forte valeat in foro poli: vbi tamen iudex est homo qui arcana cordis nō videt, minime valet. Quòd verò illud iusiurandum fuerit temerarium probat Innocentius ex sententia illa B. Iob, tanq̄ hoc pacto arguens. Si Iob cum esset sanctus & sciret suam perpetuam innocentiam, talis nihilominus erat coram Deo vt sciens illam nollet tamen scire aut agnoscere (sicut locum illum exponit B. Gregorius) quanta est rei & peccatoris temeritas, qui ausit etiam iureiurando asserere se esse à peccatis immunem? Adde quòd esse immunem à peccato non solùm cō tinet esse remissum culpæ reatum primū æternæ mortis, verumetiam omnem peccati pęnam, sicut patet de Dauid. Et ideò benè dictū est etiam ab exemplo B. Iob, illud iusiurandum fuisse temerarium, etiam si homo posset esse certus de sua gratia coram Deo. Ibi enim fama bona coram hominibus quærebatur. Hactenus igitur ostensū esto verba Innocentii nihil prsus facere aduersū nos.

Illud verò tanq̄ ex superuacuo addimus, quòd etsi forsan Innocentius aliud senserit, non obligauit nos ad illam interpretationem recipiendam. Neq; enim quodcunq; sancti Pontifices etiam in suis decretis enunciatiuè, aut opinatiuè magis quàm decisiuè loquunē, illud haberi debet quasi decisum ac determinatum, vt ipsimet nobis attestantur. Nam

Dicta Pontificum non sēper obligant

audi obsecro te prudens lector. Ipsemet Innocentius in cap. Literas, de restitutione spoliatorum, cum proposita esset quædam quæstio circa quam erat oraculum Clementis Papæ, non habuit oraculū illud pro determinatione: imò nec ipse voluit determinare, nec ex suo responso quicq̄ p̄iudicare contrariis opinionibus, id'q; prudenter. Magnū esset.n. ac verè nimis durum, ex quouis prolato Pontificum alligare intellectū sapientū. Non .n. semper & in omni verbo assistit illis Spiritus. Quare prudentes Pontifices non facilè nec nisi ex magna causa, & multa inquisitione ac discussione præmissa, consueuere quicquàm decidere aut pro deciso habere, quod non apertum fuerit & clarum in scripturis sanctis, aut Patrum communi consensu receptum ac traditum, vt non quicquid illis visum fuerit, habeant aut haberi velint p̄ explorato atq; cōperto. Alioqui in re proposita cur magis sequi debeamus Innocentii interpretationem, quàm illam B. Gregorii, cū vterq; Pontifex Rom. fuerit? B. Gregorius aūt etiam doctor Ecclesiæ, & in interpretatione scripturarum admirabilis, & singulari quadam prærogatiua illum librum Iob interpretatus est. Quocirca quidam eorū parum æquus disputator fuit aduersum nos. Nam illud sibi sumit quod nobis in pari, imò etiam in multo meliori causa non concedit. Vult.n. nos teneri Innocentii Pontificis autoritate ob id quod obiter illud dixit (quanq̄ nec illud dixisse constat) se autem Alexandri Papæ certiore sententia teneri non vult. At hoc non est veritatem colere, sed sophistam potius agere, à quo vitio theologum dispu-tantem longè abesse decebat.

CONCILIVM autem Tridentinū contra nos aliquid decreuisse, falsò existimari ab aduersariis speciali libello demonstrauimus, & in præfatione nostra ad has assertiones repetiuimus p̄pter ignaros intentionis Patrū, quæ fuit contra Lutheranos tantum, nō cōtra Catholicos vllos, sicut Reuerēdiss. Legati sæpius cōtestati sunt, & in Actis est memorię commendatum. Quòd autem cum lutherano errore nedum nihil confine habeat vlla nostra assertio, sed è diametro pugnet, ita manifestum feci, vt nec qui ex aduerso cōtra nos scripserunt valuerint inficiari, sed ambo confiteri tandē coacti sunt. Quòd verò verba ipsa & titulus Decreti, sicut in præfatione diximus, hoc plusq̄ manifestè declarēt, patet. Titulus.n. hic est: CONTRA INANEM HAERETICORVM FIDVCIAM. Quis aūt inanem fiduciā ausit illā asserere,

Concilium Tridentinum

quã & scripturæ & sancti Patres, vt superius multis locis ostendimus, commendant atq; præcipiunt? Verba autem ipsa Decreti planè indicant de ea fide loqui Patres cui non possit subesse falsum, quæ est catholica fides. Nos autem non certitudinem fidei catholicæ in proposita quæstione defendimus: certitudinẽ tamen, & quæ valeat & debeat in nonnullis auferre omnem dubitationem & formidinem Spiritusancto contestante interius cum eorum spiritu. Propriè autem fides cui non potest subesse falsum, catholica fides est, cui ratione communis & probati obiecti per Ecclesiam, subesse falsum non potest. Hoc verò obiectũ quòd ego vel ille simus adepti gratiam, est particulare obiectum, nec ab Ecclesia probatũ, sed fide particulari suscipitur: circa quod potest homo falli, quia huic obiecto potest subesse falsum.

Catholica fides.

Ad hæc, Si hanc interpretationem non recipiant, sed absolutè omnem certitudinem negare velint esse possibilem, & de ea loqui Decretum, innumeris Sanctorum & scripturarum testimoniis obruuntur, quæ supra in plerisq; Assertionibus produximus: imò simpliciter Decretum illud, etiam iuxta aduersariorum doctrinam & confessionem, falsum inuenitur. Ipsi .n. docent, saltem ex reuelatione speciali posse haberi hanc fidei certitudinem cui non possit subesse falsum. At Decretum negat absolutè haberi posse, nihil distinguens, nihil excipiens. Sed ò me minus prudentem qui rem actam ago, & propter nescio quos plus iusto & plus satis videri possim solicitus. Hîc igitur meritò quiescam.

Quòd verò tandem & Parrhisiensium & Louaniensium censuras aduersus lutheranã circa hoc doctrinam quidã adduxerint quasi nostram doctrinam damnauerint, importunum omnino fuit. Ecce in Parrhisiensi censura primò ponuntur hæc Lutheri verba: *Pessime docent theologi quando dicunt nos nescire quando sumus in gratia.* Et continenter apponitur censura his verbis: *Hæc propositio intelligendo nescire certitudine fidei de qua loquitur scribens, est falsa, sacris doctoribus dissona, & sanæ intelligentiæ scripturæ.* Hæc illa Vniuersitas. Et simili modo aliam Lutheri positionem damnat, nimirũ hanc: *Caueat omnis Christianus ne unq; incertus sit An Deo placeant opera sua. Qui .n. sic dubitat, peccat & perdit opera sua cuncta, frustráq; laborat.* Hæc Lutherus. Censura verò ait: *Huiusmodi consilium, loquendo de certitudine ut supra, est temerarium, perniciosum, et sacris eloquiis minus conforme.* Hæc ibi. Quis autem hîc primùm nõ videat nihil esse quod contra nos faciat? Non .n. simpliciter damnatur sententia quæ ait hominem scire posse certitudine fidei se esse in gratia, sed damnatur intelligẽdo de certitudine fidei de qua loquitur Lutherus. At hæc certitudo fidei lutheranę tantum distat à nostra fidei certitudine, quantum distat cęlum à terra. Lutherus .n. dogmatizat nos sola fide absq; vllis operibus bonis obtinere gratiam, quam non possumus amittere nisi sola infidelitate, & hinc adducit certitudinem gratiæ, videlicet à certitudine suæ illius fidei. *Quia .n. (inqt) certò scimus nos credere, ideò certi sumus nos esse in gratia.* Hic est vnus ex articulis fidei ipsius Lutheri. *Quicunq; certò & nihil titubans credit se esse absolutum, erit absolutus, quicquid sit de contritione & quouis alio opere charitatis.* At nos è conuerso pugnamus acriter aduersus hæc omnia, statuimúsq; certitudinem gratiæ non in sola cõscientia fidei, sed in legitima sacramentorum susceptione, & in conscientia bonorum operum ac pſertim insignium & heroicorum, & iugi timore atq; obedientia mandatorũ Dei ex fide. Et propterea manifestè consequit̃, q; Parrhisiensis Vniuersitas damnando pcisè ac disertè lutheranam illam fidei certitudinẽ, non solùm non damnat hanc nostram, sed potius ipsa Vniuersitas (quam scio esse doctissimam) ostendit se nolle damnare, cum optime nosset, certitudinem hanc quam nos defendimus nec repugnare sacris doctoribus, nec sanæ scripturarum intelligẽtiæ: quod ex superioribus citatis de sacra scriptura & sanctorum Patrum sententiis quàmlatissime patet. Scio ego viros eius Vniuersitatis doctores, nec eos quidem obscuri nominis, sed valde claros, hanc nostram sententiam etiam in suis scriptis pbauisse: sed quia aduersarii, eorũ autoritatẽ reiiciunt, & habemus argumenta fortiora & quasi redũdãtia, cõsultò omittimus.

Lutherus.

Censura Parrhisien.

Louaniensis autem censura in hunc modũ statuit: *Fides qua quis firmiter credit, & certò statuit propter Christum sibi esse remissa peccata, seq; possessurum uitam æternam, nullum habet in scripturis testimonium.* Verissimum est hoc omninò. Nam palàm lutheranam illam fidem indicat & iure damnat, ex qua sola pręedicant non solũ prçsentem gratiam reddi certam, verumetiam vitæ æternæ possessionem: hoc idem nos ẽt anathematizamus. At illud quod eadẽ censura subiecit, nobis mirificè fauet. Subiecit enim: *Tametsi firma & certa spe debemus expectare in hac quidem uita per sacramentum baptismi & pœnitentiæ remissionem peccatorum, & in futuro seculo uitam æternam.* At hoc certè nõ potest rectè fieri & expectari, nisi ab his qui cõscii fuerint se esse in gratia Dei. Alii .n. nõ possunt habere spem

Cẽsura Louanien.

firmam ac certam. Nam qui dubitat ſimilis eſt fluctuanti: & qui non eſt in charitate, vnde poteſt elicere ſpem certam ac firmam, cum teſte Apoſtolo, ſpes ob eam cauſam non confundat, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctũ qui datus eſt nobis? id quod declarans B. Bernardus ait: *Ideò ſpes nõ cõfundit, quia charitas certitudinẽ infundit.*

Pro nobis ergo potius ſtatuunt ambarum glorioſiſsimarũ Vniuerſitatum cẽſuræ. Siquidem poſitio noſtra de certitudine gratiæ magis opponitur lutheranæ doctrinæ q̃ ſua contradictoria. Lutherus.n.certitudinẽ gratiæ prædicat venire à ſola fide, & illa quidem catholica quam omnes habere tenẽtur. Nos autem contrà è diametro non à ſola fide, neq; catholica fide. Ille item neq; à ſacramentis, neq; ab operibus charitatis poſſe hominem certũ reddi ſuæ gratię aſſeuerat. Nos aũt ſimiliter oppoſitũ è diametro aſtruimus. Quare qui hac parte nobis aduerſantur, manifeſtè cũ Lutheranis cõſentiunt. Imò dicere auſim, tantò deterius q̃ illi in hoc articulo aberrãt, quantò leuioris eſt erroris nimium arrogare fidei, q̃ ſimul derogare fidei, ſacramẽtis, & operibus. Clara ſunt hæc nimium & aperta, quibus necdũ video eſſe reſponſum, nec arbitror poſſe à quoq̃ idoneè reſpõderi.

Vnũ obiter addam cõſideratione dignisſimũ, ꝙ ſcilicet quantũ poſſum meo qualicũq; ingenio attingere, illa opinio de incertitudine gratiæ locum hæreſi lutheranæ patefecit. Quia.n.cõmunis animorũ cõceptio refragatur, quæ non poteſt admittere nos perpetuò eſſe debere ambiguos, & conſcientiam tanto dubio ac formidine vſq; ad mortẽ torqueri, in eo præſertim in quo ſtatuitur ſumma rei: proptereà aſtutus ille, imo verius à Dęmone inſtructus, inuenit illam à ſola fide certitudinem, quia iam docuerat eam ab op̃ibus haberi nõ poſſe. Neſcit.n.homo (ait ipſe) vtrũ cõtinuè peccet, pp occultiſsimũ ſuperbiæ vitiũ.

Qui ergo Luthero pręter modũ aduerſantur, ponũt omnino incertitudinem præterq̃ ex ſpeciali reuelatione Dei, & hĩc operari fidẽ negant, contra D. Bernardũ. Nos aũt media ac regia via incedentes, dicimus hominẽ poſſe quidem certum eſſe ſuæ gratiæ, non tñ à ſola notitia eorũ quæ ſunt catholicæ fidei, neq; ab ea fide quã Lutherus ꝑdicat & beatificat: ſed ſcripturarũ & ſanctorũ Patrũ doctrinã ſequuti, à ſacramentorũ certa virtute, & à conſcientia bonæ voluntatis non admittentis dolum in lumine Spiritusſancti conteſtantis: Itẽ à perpetuo tenore rectę & inculpatę vitę, à timore Dei ſancto, & à deſiderio & zelo gloriæ eius & aduẽtus eius. Deniq; à luce magna clariſsimorum operũ quę facta ſunt in Deo. Eſt.n.& in operibus ſua quædã lux, quę illis teſtimoniũ perhibet. Vnde Dñs iubebat: *Sic luceat lux ueſtra coram hominibus ut uideãt opera ueſtra bona, & glorificent Patrem ueſtrum qui in cœlis eſt.* Quare ꝙ hæc certitudo non adſit omnibus, aut etiã ſibi adeſſe pleriq; nõ ſentiant, hoc vel à praua vita eſt, vel à multa tepiditate & incõſideratione & paruo exercitio fidei. At iuſti ac perfecti qui ſunt ſoliciti ambulare cũ Deo ſuo, & peregrini verè ſunt in hoc mũdo, cogitatione & auiditate tẽdentes in patriã, habẽt certũ in corde teſtimoniũ Spiritus, quo perſpicuè noſcunt ſe & diligi & diligere, qui vt ſtercora deputant omnia mundi huius bona, & arrhã ſe tenere futurorũ non ambigũt: & cũ hanc fiduciã habeãt, nõ propterea ceſſant cũ timore ac tremore ſuã ſalutem operari. Neq; .n. notitia hæc timorem ſanctũ excludit, ſed potius auget. Et contrà, ipſe timor ſanctus quantò maior, tantò magis certitudinem operatur, vt eleganter D. Chryſoſtomus & B. Gregorius teſtantur.

ASSERTIO XIIII.

Quòd qui contra hanc certitudinem quam defendimus, ſcriptis contenderunt, ita diſputarunt ut noſtris partibus (quod ueritati magnopere atteſtatur) multo magis fauerĩt.

TESTIMONIVM ILLVD quod in cauſa controuerſa ex aduerſariorum verbis elicitur, cùm valde vrgeat, & mira Dei ꝓuidentia nobis in quæſtione diſputata omnino faueat, nullo mõ eſt omittẽdum. Duo celebres in ſacra theologia magiſtri, qui cæteris vehementius contra gratiæ certitudinẽ & verbo & ſcriptis editis ſuam ſententiã tueri conati ſunt, iuxta hãc poſtremam nſam aſſertionẽ ita ſcripſerũt, vt cũ vellẽt nr̃a deſtruere, mirificè nobis fuerint atteſtati: qđ ex eorũ diſputationibus multifariã colligi põt.

Primò quidẽ ſiue prudẽter ac de induſtria, ſiue incogitãter ex deceptione ignorantes poſitionẽ nr̃am, ſtatũ controuerſiæ cõmutarũt. Nam qui prior illorũ ſcripſit, ita quæſtionem ꝓpoſuit ac ſi nos certitudinẽ fidei catholicæ, aut eã certitudinẽ quæ tãta ſit intenſiuè quãta eſt fidei catholicę certitudo, defẽderemus: cũ planè ac diſertè à nobis recitata in Synodo ſentẽtia proteſtatũ fuerit, nos non catholicę fidei certitudinem defendere, ſed eam quę etſi nõ ſit fidei catholicæ, ſit nihilominus fidei certitudo, quemadmodum pleriq; Doctorũ &

sanctorum Patrum nuncupare non dubitarunt: de qua re & superius latius, & aliis tribus libellis lectorem admonui.

Secundò adiuuarunt causam nostram hi tractatores, dum differentes ita rem egerunt, vt nisi de eorum mente certi essemus, suspicari quis meritò potuisset, eos nobiscum collusisse, quando vel manifestè falsa sibi sumunt, vt ex iis falsis concludant: vel ex veris sumptis nihil aduersum nos obtineāt. Nam qui prior scripsit, neruos argumentorum in hoc tantummodo intendit vt per ea solam fidei catholicę certitudinem oppugnaret, iuxta falsò positum à se controuersiæ statum.

Ad hæc, Idem disputator vt ex falsis veritatem expugnaret, pro re comperta & clara quasi dignitatē sibi hoc sumpsit: *Fides infusa non potest extendi ad ea quæ sunt facti, non in scripturis expressa aut in Ecclesia determinata*. Et hic fuit inuictissimus eius (vt ipsi appellare solēt) Achilles. Gaudeo equidem, ab eo q posterior scripsit, quicq; mecū ea in parte sensit, hanc dignitatem tanq̄ manifestè veritati aduersam meritò fuisse reprobatam.

Erat & aliud cōmune vtriq; argumētū. Dixerūt.n. Habere huius rei certitudinē minimè nostra interest: quin potius ad ruinā faceret: quod dictum, vt euidentissimè falsum, in sexta assertione iam efficaciter explosimus.

Ad hæc, pari modo velut dignitatē quandam viri isti sibi sumpserunt: Nullum potest in homine iusto esse suæ charitatis & gratiæ indicium ita euidens, vt non sit etiam commune existentibus in peccato mortali. At nos istud dogma & contra scripturas & sanctorū sententias militare, fideiq; nostræ summopere derogare, in citatis libellis nostris & abundius in citata assertione demonstrauimus. Et circa sacramenta, quāta, (obsecro) sibi sumpserunt quasi certa ac per se nota, vt incertitudinem effectuum eorum demonstrarent, quę tamē nullus sanæ doctrinæ theologus queat admittere? Sed hæc item superius discussa sunt & reprobata plus satis.

Tertiò, & in hoc nostras partes verè plurimum adiuuerūt, q nec scripturis, nec sanctorū sententiis, nec fortissimis rationibus quas pro nobis adduximus, idoneè responderūt. Hoc adeò manifestum est, vt qui posterior scripsit, tandem in nostram sententiam veniēs, & vi veritatis palinodiam recinens, ingenuè id fassus fuerit his verbis: *Maturè omnibus hinc inde pensatis, probabilius profectò esse crediderim, posse aliquos uiros spirituales tantopere in exercitijs spiritualibus & in familiaritate diuina proficere, ut absq; ulla temeritate possint certò & absq; ulla hæsitatione credere se inuenisse gratiam et remissionem peccatorum suorum apud Deū*. Hæc ille. Et postq̄ plurima argumenta pro hac sententia adduxit, adiecit: *Possunt nimirum ista argumenta (ni fallor) sufficere ad confirmationem præfatæ sententiæ, & eam communire possumus pluribus argumentis ex illis quæ pro certitudine fidei de nostra iustificatione facta sunt*. Loquitur de illis quæ nos produximus, de quibus ait: *Certè non planè multis ex illis satisfit, nisi concedamus possibilem esse iustis aliquam certitudinem de sua gratia alienam ab omni metu & formidine*. Hæc ille: quibus etiā addidit plura sanctorū testimonia, quæ nos in supioribus assertionibus cōmemorauimus. NOTA

Quartò, Non minus fauet nostræ sententiæ q ipsi tractatores in plerisq; quæ maximè ad re pertinebant, inter se non cōsenserunt. Imò nec vllū eorum secum constitisse, facilè ex suis ipsorum & nostris scriptis, vbi frequenter huius rei lectorem admoneo, comprobatur: quod totum potentiæ veritatis & claræ lucis est adscribendum.

Deniq; illud fęliciter nobis astipulatur, q si eorum disputationes ad summam redigimus, facilè iudicabit acutus lector circa principalē quæstionem ambos ferè penitus in nostram sententiam concessisse. Confitentur.n. ambo aliquam dari certitudinem, & quidem fidei certitudinem, quanq̄ non catholicæ. Et licet ambo quandoq; negauerint hanc esse certitudinem fidei, aut diuinæ fidei certitudinem, interdum tamen & hoc cōcedunt. Nam ille prior in hunc modum scripsit: *Si uis coarctare nomen ut dicatur diuina fides ex parte causæ, scilicet quia gignitur ea fides à Spiritusancto, nihil mea refert etc.* Qui autem posterior scripsit, postq̄ sæpius iam fidei certitudinem negasset, probauit tandem doctrinam Ioannis Bachonis, qui dixit certitudinem consequentē fidem. Et adiecit: *Quòd si hoc putas esse satis ut uocetur certitudo fidei, non admodum repugnabo: sed ut pax sit, & omnes in unum conueniamus, dabo quod uis & , me nolēsq; uictusq; remittam*. Hæc ille: vt videat prudens lector quantarum sit virium veritas, cui etiam maximè aduersantes, dum rem diligentius ac maturius tractant, mirificè attestantur. NOTA

Benedictus Deus.

REGESTVM

A B C D E F G H. Omnes sunt terniones præterq̄ H qui est duernio.

Impressum Romæ in officina Antonii Bladi Typographi Apostolici
Mense Nouembris Anno M. D. LI.

DISPVTATIO

PRO VERITATE IMMACVLATAE CONCEPTIONIS

BEATISSIMAE VIRGINIS ET EIVS CELEBRANDA

A' CVNCTIS FIDELIBVS FESTIVITATE

AD SANCTAM SYNODVM TRIDENTINAM

AVTORE R. P. F. AMBROSIO CATHARINO

POLITO EPISCOPO MINORIENSE

Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.

ROMAE

M. D. LI.

AD REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. D.
D. MARCELLVM PRESBYTERVM CARD. TITVLI S. MARCELLI & in Concilio Tridentino ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatum

ET AD RR. CVM ILLO PRAESIDENTES D. SEBASTIANVM Pighinum Archiepiſcopum Sipontinum, & D. Aloiſium Lippomanum Epiſcopum Veronenſem, & ad reliquam ſanctam Synodum,

F. AMBROSII CHATHARINI POLITI EPISCOPI MINORIENSIS in Diſputationē pro veritate immaculatæ Cōceptionis B. VIRGINIS & celebranda eius ab vniuerſis fidelibus feſtiuitate

PRAEFATIO.

CVM AB HINC FERE SEXENNIVM iſtic Tridenti ageret ſancta Synodus ad id potiſſimum congregata vt hæreſes & zizania quæ in agrum Domini irrepſerant tollerentur, & eò iam peruentum eſſet vt de originali peccato tractaretur, pleriq; ex Patribus admonebant optimum eſſe atq; opportunum, ſpeciali decreto eam ſententiam de immaculata. B. VIRGINIS Conceptione, quæ dudum à cunctis prorſus eccleſiis ſolemni ritu celebratur & colitur, ita probari ac ſtatui, vt iam vlterius non liceret cuiquàm ea de re ſecus vel aſſerere vel opinari. Id quibuſdam licet admodum paucis tunc non placuit, nec (vt verum fatear) mihi quidem ipſi: non ꝙ rem ipſam non vehementer optarem vtpotè ſanctam & chriſtianæ fraternitati congruentem, quæ in primis eundē in dogmatibus ſenſum, eandemq; in cultu Dei obſeruantiam poſcit: ſed ꝙ conſultius per conditionem temporum videbatur prius aduerſus hæreſes manifeſtas intendere, tum illa aggredi quæ inter Catholicos controuerſa, digna viderentur deciſione. Nec defuerunt qui hunc tractatum in eum locum ſeruari volebant, quùm de celebratione feſtorū ageretur: qua in re nōnulli vigent abuſus (inter quos hic numerari debet) meritò abolendi. Nam cum à quibuſdam ſub variis nominibus & intellectibus dies ille feſtus celebretur, & ſummopere ab omnibus piis deſideretur vniformitas: nemo profectò niſi ſchiſmatico exagitatus ſpiritu contradicere potuiſſet. Hæc igitur in Synodo cum tractarentur, ecce nouus liber, imò vetus à ſitu & carie iam ſemieſus eripitur, qui nō multò poſt typis excuſus in lucem prodiit. Libri eius argumentū erat contra immaculatam B. VIRGINIS Conceptionem, cuius autor inſcribitur Cardinalis de Turrecremata, cum nondum tamen eſſet Cardinalis, ſed adhuc frater ſub ordine Prædicatorum conſtitutus. Editionis autem eius libri promotor Frater Bartholomęus Spina eiuſdem ordinis, & ſacri Palatii Magiſter, & neſcio quis eius diſcipulus. Ille enim Spina eodē diſcipulo teſte, qui epiſtolā præfatoriam ad eum librū adſcripſit, zelo fidei totus incenſus magno labore librum ab erroribus expurgari & publicari curauit, quem extrema ægritudine præuentus vix perficere valuit, ꝙ totus liber ille ita vi-

tio scriptoris erat corruptus, vt alicubi minus intelligibilis videretur. Horum igitur, hoc est, Spinæ & Discipuli summa diligentia & solerti opera tandem est candori pristino restitutus: quin etiam tot insuper (eodem Discipulo teste) adiecta & mutata, vt iam queat homo mediocri prudentia præditus olfacere eum librum non tam esse Turrecrematæ, quàm Spinæ. Licet enim vir ille doctus & pius & de christiana republica optime meritus, sibi eo tempore licitum esse putauerit vt talia scriberet, quando nondũ in perspicuo positus erat Ecclesiæ sensus: nemini tamen dubium esse debet, quin si præsenti nostra ętate viueret, & videret cui parti in Ecclesia fauet Spiritus veritatis, id iam minime auderet. Nec ea in publicũ venire pateretur, quæ ipse re minus trita anteriore tempore elucubrasset: id quod in secunda parte operis polliceor me nõ omninò proteruis facile ex illius sẽtẽtiis psuasurum. Quis enim nesciat nonnulla esse etiam in magnis autoribus, quos ita scripsisse, si nunc nobiscum agerent, pęniteret? Mitto illud quod viri sapientes per se protinus ponderare poterunt, dum scilicet isti vltro fateantur multa fuisse illi libro ab ipsomet Spina mutata & adiecta, iam à nobis nõ posse certò dignosci quid sit verè genuinum & proprium primi autoris, vt sic verè tota istius libri quem ita suis verbis retulerunt, legitima pereat autoritas. Nam quis ignorat quantum intersit rescire à quo quid vel prolatum, vel literis mandatum fuerit? Non enim paris sunt & eiusdem fidei & autoritatis quæ ille Turrecremata dixerit, & quæ Spina de suo temerè adiecerit, aut subtraxerit, aut immutauerit. Cuius rei clarum omnibus debet esse istud indicium, q̃ hic Spina in calce illius libri quinquaginta & octo errores, & eos quidem nõ quoslibet, sed errores in fide subnotauit ab hac conclusione exorientes, videlicet B. VIRGINEM absq; originali peccato conceptam. Quo in loco pium & prudentem lectorem dari mihi vehementer exopto, qui ab hoc solo pronunciato agnoscat, quàm facile hic vir verè Spina potuerit quicquid libuerit pronunciare, cum quinquagesies & octies hæreticos nos qui eam sententiam sequimur, deprehenderit. Hæc sanctissimi Patres scribũtur, hæc publicãtur & mordicus à quibusdã defenduntur: & tamen non secus ac si nullius momenti essent tolerantur. Non huc afferam probra illa & contumelias, quas ille dignus tali magistro discipulus aduersus Patres sacrosanctæ Synodi in ea epistola arrogantissimè (ne quid durius dicam) congessit. Arguit enim eos immoderatioris audaciæ ac petulantis inscitiæ, vt qui cum se noscerent apud doctos theologos minoris esse existimationis, istis nouitatibus captarint auram popularẽ: atq; ideò non veriti sint facere verbum hac de re. Quis autem sibi vnquàm persuadere potuisset fore vt generale Concilium in tãtum ac tam seuerum censorem esset aliquando incursurum? O me beatum quem non tangit tanta istius viri obiurgatio ac censura. Etenim ea de re mea fuit non alia sententia, quàm (vt ab initio dixi) ne tunc ea cõtrouersia tractaretur. Sperabam enim & adhuc sperare non desii ventura pro gloria VIRGINIS feliciora tempora, quando istis rabulis sublata erit tanta arrogantia & præsumptio, quam coram Deo & Angelis eius iam fętere non dubito. Et hi sunt qui aliorum verum zelum mordacitatem appellare non verentur, cum sint ipsi

imperitissimè mordacissimi. Quicunque enim eam legerit epistolā, non iam epistolam, sed censuram grauem atque irrefragabilem sententiam agnoscet. Iste namque Spinæ Discipulus ac repentè orbis Magister contra vniuersum christianismum, idest, contra cunctas christiani orbis ecclesias, & iam contra cunctos ordines regulares, qui sub hoc nomine immaculatæ Conceptionis illum festiuum diem solemniter celebrant, & contra præclarissimas Vniuersitates quæ hanc VIRGINIS prærogatiuam commendarūt atque probarunt: iste, inquam, Magister & Spinæ Discipulus, idem testis & iudex, & tanq̄ sedens non in Petri Cathedra (siquidem de Petri Cathedræ decretis ausus est iudicare) sed gradum superiorē conscensus, securus pronunciat, & sui magisterii autoritate declarat, illud quod colendum Romana in primis & uniuersa iam olim suscepit Ecclesia,& quod est ab Vniuersitatibus celeberrimis commendatum, & à populis catholicis generaliter creditum, esse præ cæteris (vt eius verbis vtar) alienum admodum à sacris literis, dissonū ab euangelio CHRISTI, & humanum cōmentū, uanam insuper deuotionem, & christiana religione indignam, imò etiam impietatem, vtpotè contra clarissima sacræ scripturæ testimonia. Hæc & alia huiusmodi plena opprobriis in ea epistola leguntur, quæ vt aliquo fundamento viderentur consistere, &apud ignaros aliquam sibi fidem captarent, Spinę sui magistri doctrina imbutus, magno, horribili, atque impudentissimo mendacio hoc primùm iactat, nos in hoc à nobis asserto tantæ VIRGINIS priuilegio æqualem Christo facere Matrem. Quis modo non videat hunc miserabilem hominem semetipsum suo hoc indicio prodidisse, talémque se exhibuisse qui iure ac meritò valeat cū his annumerari, quos appositissimè illa nota designat Apostolus: Non intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant? Saltem vel suum hac parte audissent Caietanum tātò certè in nos æquiorem, quantò extra controuersiā ipsis doctiorem. Ipse namque Dominus Caietanus apprimè sciens huiusmodi viros suæ sectę nimis addictos, & quæstionis statum non apprehendētes, ac supra modum arrogantes, eosdem vt sibi temperare vellent, diligenter & dulciter his verbis præmonuerat: Et hæc, inquit ille, benè notabis tu Thomista, ne nimio zelo non secundum scientiam dicas erronea quæ non sunt erronea, quùm de beatissimæ VIRGINIS Conceptione disputas, aut prædicas. Poteram ergo huiusmodi hominū genus optima ratione præterire ac deuitare, postq̄ tanta iniuria veluti verè Spinæ lacerant quicquid offendunt, sacrum'ne sit an verò prophanum nil procurantes. Verùm quoniam isti suam hanc doctrinam quasi ordinis doctrinam obtrudunt, & ita esse facile credi potest, cum per libros eorum qui ipsius ordinis fratres erāt publicata fuerit, iis saltem tacitè comprobantibus qui eundem regunt ordinem: iccirco ne eiusmodi opinio vllum faciat sanctissimæ veritati præiudicium (quanq̄ nihil in eo libro nouum sit quod quicquam momēti habeat aduersus sententiam nostram, & quod in libris nostris iamdudum editis non sit idoneè confutatum) ne, inquam, propter tanti viri autoritatem queant multorum corda turbari, Spiritu impellente omnino necessarium duxi denuo hāc totam causam breuiter pertractare, duóque Deo fauente efficere. Primum erit non

modo defensio, sed simul etiam demonstratio perspicuæ veritatis de immaculata B. VIRGINIS Conceptione. Alterum ostensio debitæ celebrationis eius diei festi à cunctis obseruandę, qui sub Romana & vniuersali Ecclesia se vt vera vnius capitis membra contineri velint. Hęc verò libuit in medio Ecclesiæ proponere, & ad uestram, sanctissimi Patres, animaduersionem referre. Vos enim vestra prudentia ac Spiritusancto suggerente facilè planéq; perspicietis q̄ sit indignum ea ulterius tolerare, quæ in summorum Pontificum & omnium Ecclesiarum nō leuem contumeliam tam apertè vergant: & quàm sit nefas atq; insolens (utpote cōtra ecclesiasticos canones) & præsertim in diuino cultu, à Capite mēbra discedere. Nam hunc festiuū immaculatę Cōceptionis diem sub alio nomine celebrare q̄ sacrosancta Romana Ecclesia & aliæ cunctæ uniuersi christiani orbis consueuerūt, id quod hic solus ordo nō tamen uniuersus, sed ex parte facit: quid (rogo) aliud est q̄ Petri Cathedræ derogare, atq; ausu temerario illam reprehendere, & se solos prædicare sapientes? Hoc certè ex recentibus illorum scriptis, ut ex parte audistis, pleuis arrogantia, inscitia, & calumniis, satis euidenter educitur. Siquidem quod sacrosancta Romana & uniuersalis Ecclesia celebrare iam olim certo Decreto etiā cum plenissimo indulgentiarum fauore suscepit, & elapsis aliquot seculis cum magna omnium plebium consensione celebrauit, ambo hi Spinæ contra Euangelii ueritatem pugnare, & (quod horreo uel meminisse) impietatem atq; humanum cōmentū esse, & inde quinquaginta & octo errores in fide educi ausi sunt falsissime atq; impudētissime asserere, nihil uerentes Apostolicæ Sedis anathema in Xystinis decretis in eos pronunciatum qui eiusmodi blaterarent, aut potius blasphemarent. Ecce rem ipsam & quæcunq; circa illam disserui, animo christiano & candido ad uestram dispectionem ac cēsuram bona spe defero: causam profecto, ni prorsus desipio, minime ulterius dissimulādam, & fortè diutius quàm præstabat dissimulatam. Illud ergo uehementer expecto, quod & omnes uiri pii & uere catholici hac de re & cęteris summo desiderio à uestra pietate desiderant, nempe ut ea uestris sententiis decernatis quæ ad unitatem & pacem & decorem vniuersæ Ecclesiæ faciant, & potissimū quæ ad CHRISTI & ipsius supuenerandæ MATRIS gloriam & honorem propius spectare videbuntur. Scitis n. peculiariter de sanctissima illa VIRGINE scriptum esse: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Valete in Domino sanctissimi & obseruandissimi Patres.

DISPVTATIONIS R. P. F. AMBROSII CATHARINI

EPISCOPI MINORIENSIS PRO VERITATE IMMACVLATAE Conceptionis B. Virginis, & eius çelebrāda à cunctis fidelibus festiuitate AD SANCTAM SYNODVM TRIDENTINAM.

PRIMA PARS.

Varios esse modos immunitatis quemadmodum á morte ita & á peccato.

IMMVNITATEM Beatissimæ Virginis MARIAE Matris Dei ab originali peccato quam nos prędicamus & cum Ecclesia sancta celebramus, quò facilius eā lector ab ipsis principiis intelligat, sic animo secum deputet.

Mortis & peccati affinitas.

Quod est mors corporis, hoc esse animæ peccatum. Nam efficienter peccatum quædam mors est: occidit enim animam. Quot ergo modis dicere possumus quempiam immunem esse seu liberum à morte: totidē modis possumus dicere quempiam esse à peccato immunem siue liberum. Quæ enim spiritualia sunt, per corporalia commodè nobis indicantur.

Primus modus immunitatis à morte.

℄ Dicitur ergo primo & summo modo quispiam liber à morte & immunis, qui non solùm non sit morti obnoxius, sed etiam qui non possit quouis modò mori, idq; habeat ex sui ipsius natura secundum suum propriū esse. Talis est vnus solus Dominus noster IESVS CHRISTVS quatenus est Deus. Quapropter eminēter ac singulariter de illo dicitur quòd viuit: Viuo ego, dicit Dominus, ac si expressius dixisset: Nullus est qui viuat præter me, qui habeo vitam in memetipso: imo ego sum ipsa vita, id quod nefas est de vlla creatura dicere.

Num. 14.

Solus Deus propriè dicitur viuere.

Similiter ergo dicitur de illo respectu peccati, quòd solus est maxime & singulariter à peccato liber, & solus iustus, bonus, & sanctus. Nam quòd impossibile sit peccare Deum, ipsa peccati ratio per se declarat. Peccatum enim est quod cōtra legem admittitur. At ipse Deus super omnem legem est: imò ipse est lex omnium, & suiipsius. Lex enim subditum præsupponit, cui valeat imperare. Deus autem nulli est subditus, nec sibi ipsi. Alioqui idem esset maior seipso ac minor, Deus & non Deus, dominus & seruus, quæ sunt impossibilia. Ipse igitur ex se & natura sua hoc habet vt sit omninò à peccato & à morte liber.

Secūdus immunitatis modus.

℄ Secundo modo consideratur quis immunis seu liber à morte, qui naturam iuxta Dei ordinationem & constitutionem habet indissolubilem quidem: quia nec ab vllo intrinseco principio, nec ab vlla extrinseca causa exponitur dissolutioni aut morti, sed à solo Deo. In hac conditione sunt Angeli creaturæ spirituales, qui tamen non attingunt ad immortalitatem diuinam, tum quia non ex se immortalitatem illam habent: tum quòd nō sint omninò suapte natura immutabiles. Omnis quippe mutabilitas participatio quædam est corruptionis & mortis: iccircò nulla creatura excellenti & eminenti modò potest dici immortalis, sicut ipse Deus. Quapptet Apostolus Paulus sapientissime immortalitatē soli Deo attribuit aiens: Qui solus habet immortalitatem. 1. Tim. 6. Similiter ergo alio modo considerantes, dicimus aliquem à peccatò immunem & liberum, qui sit in eam gratiam prouectus vt non solùm ab actu peccati, verùm etiam ab ipsa peccandi potentia fuerit semper immunis. In hoc gradu constitutus est CHRISTVS cū esset in terris etiam quatenus homo: & similiter sancti Angeli, & animę iam in felici patria beatificatæ. Verùm maximè hoc in loco attendēdum est quantū adhuc circa hoc intersit inter CHRISTVM & alias creaturas iam beatas.

Impeccabilitatis inter Christum & Beatos differentia.

Ipse enim in se habuit & habet hanc impeccabilitatem quasi omninò suæ illi naturæ debitam ob summam inenarrabilis illius vnionis gratiam, quæ fecit illum hominem esse filium Dei. Hoc autem facto subitò fuit illi debita ista quæ post Deū summa est impeccabilitatis gratia, non simpliciter quidem secundum quòd erat homo, sed secundū quòd talis homo: quod de nulla alia creatura dici potest. Et iccircò ipse Dominus solus perpetuò liber & immunis à peccato prę reliquis omnibus creaturis dicendus

est, cui hoc propter naturam suam debitum fuit. Quemadmodum enim in ordine rerũ rectè sese habentium nefas erat atq; vehementer absurdum posse mori CHRISTVM de facto, ita etiam multò magis absurdum eum potuisse quouis modo peccare. Nec quenq̃ moueat si ille mortuus sit: quia contra rectũ à Deo cogitatum ordinem fuit, & ad modicũ tempus, vt ordo humanæ naturæ lapsus restitueretur, & maior illi atq; illustrior accederet gloria, vt qui iam erat Creator, esset insuper & Redemptor, & hoc vt homo. Itaq; debita illi personæ immortalitas sublata est atq; erepta ab illo (ipso tamen volẽte) dispensatione summi Patris magnifica, nõ perpetuò, sed ad modicũ tempus, vt diximus, suadente hoc diuina misericordia ad ipsius CHRISTI maiorem gloriam. At quòd ipse peccabilis efficeretur nulla ratio poterat suadere. Nam ad reparationem ordinis nihil penitus adiumenti afferre potuisset eum reddi peccabilem (sicut passibilem & mortalẽ) quin potius plurimum obfuisset. Necessaria enim erat in illo gratiæ plenitudo, vt posset pro nobis legitimè satisfacere, & grati Mediatoris officio fungi ad reconciliationem. Quamobrem ipse etiam quatenus homo rectè dicitur suapte natura impeccabilis: quia illi naturæ omninò debebatur vt talis ab ipso Deo constitueretur ex dono singulari, cum esset naturalis Dei filius homo ille. Hæc est igitur illa CHRISTI immunitas ac libertas à peccato singularis, quam nefas est cuiq̃ vel hominum, vel Angelorum attrogare.

Cur mortalis effectus Christus.

Cur minime peccabilis.

Tertius modus immunitatis.

¶ Tertiò consideratur aliquis à morte immunis, qui etsi secundum naturæ suæ principia habeat vt mori possit, imò vt omninò moriatur: ei tamen datum est vt possit etiam non mori. In eo statu fuit conditus Adam ab initio, & meritò. Hoc enim donum illi naturæ quodam modo debebatur, vt corpus perpetuò animæ inseruiret, si tamen ipsa anima bene maneret sub Deo creatore suo. Talis ergo modus immunitatis & libertatis à peccato fuit in Angelis antequàm beatificarentur. Poterant enim peccare, & ita cadere à vita gratiæ & mori, sicut & reipsa quibusdam cõtigit. Idem fuit & in primis parentibus iuxta naturam illis præstitutam, qui poterant seipsos ab omni peccato prorsus seruare, sicut & à morte anteq̃ laberentur in peccatum, si serpentis tentationi restitissent.

De statu et cõditione primi hominis.

Priusquàm verò ad quartum & quintum immunitatis modum à peccato peruẽniamus, præmittenda sunt quædam, vnde huius cõtrouersiæ status, quem isti Spinæ (quorum mentionẽ in præfatione fecimus) peruertũt, manifestatur, & datur locus luci veritatis quę inde oritur. Cogitet ergo primùm acutus lector, ꝙ postq̃ creauit Dominus Deus primum illum hominem & donis magnis ac pretiosis ornauit, non illum solum respexit, sed in illo & propter illum omnem illius posteritatem, in quam volebat ea dona quasi hereditario iure pertransire tanquàm ab origine & parente omnium qui ex eius semine erant processuri. Adiecit tamen legem dicens: Quacunq; die comederis, morte morieris, idest, debito & obligatione mortis cum animæ, tum etiam corporis alligaberis, vt eleganter D. Anselmus, & post illum B. Thomas exponit. Non enim subitò mortuus est Adam secundum corpus: nec secundum animam expertus est secundam & æternam mortem quam merebatur. Hanc verò legem, si regula eius & rigor attẽditur, debuisse etiam ad vniuersam eius posteritatem pertinere, nullus Catholicus dubitat: quoniam eo comedẽte nos qui in lumbis eius eramus, comedisse cẽsemur, quemadmodum D. Basilius docet, vt vtriusq; mortis vinculis teneamur obnoxii, nimirum corporis & animæ. *Gen. 2.*

An B. Virgo sub uniuersali maledicto comprehensa sit.

Hic igitur suboritur quæstio, An sub ea lege mortis cõprehensa sit in mẽte Dei Beatissima VIRGO Dei Mater. Aduersarii.n. solã illius naturę conditionem considerantes, illud affirmant. Nos verò gratiam & merita filii eius domini nostri IESV CHRISTI perspicientes, contra asserimus, ita vt liberam illam ac liberatam ab ea lege omnino constituamus. Dico liberam: quia Dominus non cõclusit Matrem sub illa lege. Dico liberatam: quia ne concluderetur fauor fuit, prærogatiua fuit, priuilegium fuit. Alii omnes fuerunt in ea lege conclusi, & ideò contraxerunt debitũ mortis in primo parente Adam peccatore. Quòd si multi liberati fuerint ab ea lege & supplicio mortis in pęnã peccati, id fuit postq̃ iam debitum contraxerunt: & ideò sub ira Dei pro aliquo tempore detenti sunt & sub Diabolo, qui in eos habuit imperiũ mortis. Has miserandas conditiones euasisse Dei Matrem, singularisq; dilectionis Sponsam ac Filiam, confidenter magnis adducti rationibus defendimus. Quid enim prohibet Deum Patrem dispensasse cum illa, quam præparauerat futuram Filii sui Genitricem, & (vt iam dixi) singulariter dilectam Sponsam & Filiã? Quid hîc responsuri sunt aduersarii? Dicturi ne sunt Deum non potuisse, vt negent omnipotentiam? Aut non voluisse, vt derogẽt pietati? Sed nondum locus est disputationi:

sed seruabitur posteriori congressioni. Interim vt status controuersiæ pateat, & latius immunitatem beatissimæ VIRGINIS à peccato singularem (vt æquum erat) & nihilominus post CHRISTVM declaremus, ordinē nostrum prosequamur.

Quartus immunitatis modus. ¶ Quarto igitur loco asserimus quòd post peccatum ab Adam in filiis hominum cōtractum, cōsideratur singularis B. VIRGINIS immunitas quemadmodū à morte, ita à peccato. Dicemus autem primò de peccato originali, à quo primum (quoniam de illo principalis est quæstio) considerari debet immunitas. Cum enim extra controuersiam obligatio vtriusque mortis, scilicet corporis & animę, veniat ab eo peccato quod commisit Adam, quia in illo omnes ita censiti sumus, vt manducante ipso & ita præuaricante mandatū illud, etiam nos in illo manducasse & præuaricatos esse censeamur, & B. VIRGINEM asseramus omninò ab illo peccato immunē, necesse est confiteri eam consequenter ab ea lege exceptam fuisse, & ad quam de facto nō pertinuerint illa Domini verba: *Gen. 3.* Quacunque die comederis morte morieris. Nam etsi illa censeri debuisset comedisse in Adam, ac per hoc peccasse quatenus natura continebatur in illo ex eius semine processura, attamen Deus noluit illam sub ea lege concludi, ne esset obnoxia morti siue animæ, siue corporis, ita vt nunquā de facto moreretur vel anima vel corpore propter illud delictum, videlicet in punitione tanquā rea illius delicti: quia satis ad hunc effectum punitum est in Filio, ne vllo modo animam Matris attingeret ob rationes iam adductas, & alias quæ ex illis producuntur, quas alio proprio libro fusius exposui & explicaui: nec illis à quoquam fuisse respōsum video, nec id mirum, quoniam nimis validæ erant.

Quomodo intelligendum sit nos in Adam peccasse. Non desunt tamen in recta huius facti apprehensione aliquot dubitationes. Cum .n. nos in Adam istud à Magistris variè soleat cogitari, inde efficitur vt facilè turbetur cogitantium phantasia: ideoque hæc sunt à nobis diligētèr ac dilucidè explicanda. Dicimus quòd peccauimus in Adam (missam nunc tantisper faciamus beatissimæ VIRGINIS prærogatiuā) hoc admittitur ab omnibus, quod & clarè *Rom. 5.* Apostolus testatur. Hinc quæritur quonā pacto fieri potuit vt nos peccauerimus; cum nondū essemus in rerum natura. Respondetur: Eramus in illo aliquo modo, hoc est, in potentia, & ita considerati sumus in mente Dei: sicut in arbore sunt in potentia fructus, qui à nobis nondum existentes in semetipsis ita cōsiderantur vt etiam de illis disponamus antequàm sint, attamen pro eo tēpore quando erunt, si erunt. Vnde plerumque venduntur in arbore vel anteq̄ floreat arbor: etsi nullus fortè nasceretur fructus, venditio tamen consisteret, si ita placeret contrahentibus. Quia igitur eramus cōsiderati in Adā, & eramus in eo secundum potentiam carnis, visi sumus & nos illo comedente simul comedere, ac propterea peccare.

Vtrum B. Virgo in Adā peccauerit. Hîc ergo incipit quæstio, an hæc generalis enunciatio Apli: Omnes in Adā peccauerūt, pertineat ad B. VIRGINEM, vt & ipsa peccauerit in Adam: quoniā pariter erat in illo & comedit. Nos enim alii ob hoc tantum comedisse censemur ac per hoc peccasse, quia eramus in illo. Quæstio ergo prima sit, Vtrum etiam ipsa comederit, vt quæ in illo pariter existebat sicut nos alii. Ad quod apparet manifestè responsio assertiua quæ est, quòd illa proculdubio non minus comedit quàm cæteri omnes: quia illa non minus erat in illo quàm essent cæteri. Quòd si ita est, infert primus aduersarius: Si comedit, ergo peccauit. Huic autem nos audacter respondemus. Non sequitur, ò mi frater, ex vi sola comestionis: non sequitur, inquam, Comedit, ergo peccauit. Fingamus nullam fuisse legem prohibentem comestionem illam, omnes quidē nihilominus comedissemus eo comedente, & tamen nullus nostrū peccasset; nec ipse quidem Adam. Non enim lex fecit nos comedere eo comedente, sed tantum vt ipso comedente nos peccauerimus. Si quis ergo ab ea lege exceptus fuisset in mente Dei, etiam si comedisset nequaquā peccasset. Nos enim non ea solùm ratione peccauimus quià comedimus: sed quia sub ea lege cōclusi comedendo præuaricati sumus. Cum enim lex illi posita fuerit ne comederet, & consequenter nobis in illo ne comederemus, iccirco illo comedente omnes & comedisse & præuaricati esse censemur. At verò quia Mater Dei ab ea lege fuit excepta, etiam si comedit in patre, non est censita præuaricatrix.

Obiectio quō B. Virgo exēpta dicatur. Verùm hîc mihi videre videor insurgentē aduersariū & obiicere: Quis te docuit hāc exceptionem? Nónne illam fateris Adæ filiā? Nónne in eadem causa cum cæteris vt mereatur censeri præuaricatrix? Siquidem & illa in primo parente comedit, sicut & cęteri comederunt. *Solutio.* Respōdeo: Perspiciebat Dominus Deus fore illam Adæ filiam, sicque eam ex se & secundum huius suæ naturæ cōditionem esse ita dignam velut pręuaricatricem in patre: Altera verò ex parte vidit illam futu-

tam CHRISTI Matrem & primariam Spõ ſam ac Filiam: iccirco in gratiã Filii & ꝑpter ipſius Filii præuiſa merita noluit eam reſpicere in patre Adam præuaricatore, ſed in Filio ſuo innocentiſſimo, ac eximio modo ſuæ Matris ac Sponſæ Redemptore, hoceſt, vt præſeruatore. Nam ſi illam vt Adæ filiam perſpexiſſet, nõ ſecus atq; cæteros Adæ filios inueniſſet eam præuaricatricem. Et iſtud eſt ad quod aduerſarii pertinacius obtutũ figũt, nec ad ea reſpicere volũt quæ eorum oculos facile ab hoc triſti ſpectaculo auerterent. Multò maiores enim & vrgentiores rationes porrigerentur, quibus decentiſſimũ omnino fuiſſe monſtratur, clementiſſimum Deum Patrem illam ab hoc caſu ſingulariter præſeruaſſe, ita vt abſolutè dici non poſſit illam peccauiſſe, ſeu de facto incurriſſe peccatum propter præuenientem gratiam, quantumuis iuxta cõditionem naturæ ſuæ debuiſſet illud incurrere & inueniri peccatrix. Quòd ſi nõ poteſt dici verè incurriſſe aut contraxiſſe peccatum, dicendum eſt conſequenter eam neq; ipſos peccati effectus contraxiſſe, ſcilicet animæ mortem & corporis. Et ideò in ſua conceptione fuit poſt CHRISTVM ſingulariter immaculata & à peccato immunis. Si.n. non peccauit in Adam, licet conditione ſuæ naturæ inſpecta debuiſſet peccare, ideſt, cenſeri peccaſſe, conſequenter nec vllas cõtraxit peccati eius pœnas, licet pari modo eas inſpecta ſemper conditione naturæ debuiſſet cõtrahere. Animæ quidem mortem non cõtraxit: quoniam nullo vnquàm momento fuit anima illa non ſanctificata & ſancta per CHRISTI gratiã. Nec item corporis mortem contraxit: quia propter illud Adæ delictum, hoceſt, in pœnam illius delicti non eſt mortua: cui peccato ſola CHRISTI mors ſatisfecit.

Cur post deletum baptiſmo originale peccatum moritur. Nec iſtud cuiquàm mirum videri debet: quoniam quicunq; per baptiſmũ in CHRISTVM ingreditur, à peccato illo originali omnino redditur immunis, & ab omni reatu illius peccati, & conſequenter à mortis obligatione. Non eſt enim vlterius debitor mortis tanq̃ præuaricator in Adam, ſed vt ſeruatus in CHRISTO in hanc moriendi neceſſitatem ex nouo pacto poſitus eſt: quia & CHRISTVS innocens prius hanc neceſsitatem ſubiit. Quæ certè res digna eſt intelligentia & conſideratione, quandoquidẽ nõnulli qui diuinarum legum ſummam æquitatem minus rectè conſiderant, vbi primùm hæc audiunt mox perturbantur, dum nec ſenſum Scripturarũ, nec Doctorum ſententias ſanè percipiunt. Verùm nos quàm rectè iſta quæ diximus quadrent, poſt explicatam ſubſequentem immunitatem patefaciemus.

¶ Quinta igitur & poſtrema ab eo peccato ſicut à morte immunitas, eſt cunctorum qui in CHRISTVM ingrediuntur per Spiritum gratiæ. *Quintus immunitatis modus.* Hi enim omnes cum non præueniantur à gratia, peccatum dum concipiuntur contrahunt, conſiderati vt filii primi prçuaricatoris ac iræ filii conſtituti, donec & ipſi ab eo peccato liberentur: quorum etiam variã conſiderari poteſt immunitas. Nam aliqui ipſa Scriptura teſte, in ventre matris ſanctificati ſunt. Aliqui in natiuitate ipſa, vt quidã volunt. Alii ex vtero recentes, aut poſt multos dies. Alii denique aliis variis modis, vt nullus deſit liberationis gradus. Et præter hæc quidam ampliore gratia: quidam autẽ minore & communi, iuxta menſuram donationis CHRISTI: *Rom. 12.* ita vt peccati reliquię in alio plus, in alio minus extenuentur ac mitigentur. Porrò iſtud certiſſimum eſt, omnes qui in CHRISTVM ingrediuntur verè ab illo peccato reddi immunes, & ab omni illius peccati pœna etiam mortis. Niſi verò rem prorſus iniquam conſtituere velimus, vt ſcilicet maneat pœna peccati iam penitus extincto peccato & reatu eius: quod de originali peccato per baptiſmum prædicat catholica fides.

Poteſt quidẽ dici manere pœnam, ideſt, afflictionem, dolorem, laborem, & reliqua huiuſmodi mala: non tamen vt ſint vltra pœna & ſupplicium eius peccati, cuius reatus penitus deletus eſt. *Pœnæ originalis pecc ati ad exercitium relictæ.* Nam CHRISTVS ſoluit abundè pro nobis: relicta ſunt igitur (vt B. Auguſtinus eleganter ait) ad exercitium & meritum: quia ſic & CHRISTVS promeruit. Hoc enim qui non confitetur, blaſphemat, & contra Doctores & Scripturas manifeſtè loquitur.

Sed exiſtunt nonnulli qui ex iſto noſtro dicendi modo, qui (vt dixi) nõ eſt dicendus noſter, ſed Scripturarũ & ſanctorũ Doctorum, conturbantur. *Quô dici poſſit B. Virgo peccatum originale contraxiſſe.* Primùm admirantur à nobis dici de B. VIRGINE ipſã ex ſui natura obligatam fuiſſe contrahere peccatum cum nondum eſſet in rerum natura, & cum primùm inuenta eſt in rerum natura inuenta eſt abſq; peccato, & ſic abſq; illo debito contrahendi peccatum. Quomodo igitur, inquiunt, hoc debitum fuiſſe fingitur? Non enim anteà quàm eſſet. Ergo poſt: & tamen hoc nos negamus. *Solutio.* Quibus nos reſpondemus, de quolibet homine rectè dici eum in Adam peccauiſſe, cum tamen nondum eſſet in rerum natura: & inde etiam dicitur quod

obligatus fuit dum conciperetur contrahere peccatum: quæ nostra obligatio tunc incepit cum ille peccauit. Eramus enim in patre nostro velut fructus in arbore, qui tametsi nondum sint in se ipsis, obligantur tamen à domino suo quum venduntur. Sic & nos cõclusi eramus in pacto quod pepigit Deus cũ Adã. Propterea B. Ambrosius dixit quòd Adam obligauit totam posteritatem. Alioqui dicant isti, quomodo Leui decimatus fuit in lumbis Abrahæ? Præterea, Sit testator qui directam libertatẽ relinquat ex ancilla nascituro. Ille profectò qui ex ea nascetur, erit liberatus cum primùm in lucem prodierit. Id verò quo pacto qui nunquã fuit seruus, nisi quia futurus erat seruus si eius existentiam ac seruitutem nõ anteuertisset data à Domino libertas? Hæc sanè nimis clara sunt his qui vel parum velint rei naturam & æquitatem perspicere, non autem contendere. Præterea addunt: Si erat obnoxia B. VIRGO vt contraheret originale peccatum: ergo contraxit, si Deus iustitiæ locum suum permisit, nec illam, quod nunquàm consueuit, violauit. Sed hi non animaduertunt non simpliciter à nobis concedi debitricem fuisse absolutè contrahendi peccatum illud: sed dicimus ex conditione naturæ tantum, si illam Deus vt talẽ solummodo respexisset, obligatam fuisse.

Quoniam verò gratia in VIRGINE Dei futura Matre superauit naturam, ideò nõ dicitur absolutè contraxisse peccatum, neque debitum contrahendi. Nõ enim tam erat in illa respicienda natura quàm gratia: imò propter summam gratiã & priuilegium singulare despicienda erat natura. D. Hieronymus cum hanc sanctissimam VIRGINEM exaltatam esse super choros Angelorum prædicaret, ne quis illud miraretur adiecit: Hoc priuilegium non naturæ, sed gratiæ B. MARIAE Virginis, de qua natus est Deus & homo. Iccircò & ipsa plus meritis est quàm virgo & homo. Hoc ipsum nos accommodamus in re proposita.

Dubitatio unde nascatur in baptizatis debitum mortis. Reperiuntur item infirmi & ignari mysteriorũ qui nesciunt sese explicare, cum audiunt sublatum esse peccatum in baptismo, & consequenter debitum mortis ab illo peccato: & nihilominus vidẽt Christianos omnes & Sanctos mori, idque ex debito. Conturbantur.n. quia nõ vident unde nascatur hoc debitum.

Solutio. Itaque si rem totam clarè capere velint, in hũc modum cogitare debent. Peccauit primus parens Adam, & obligatus est mori. Quoniam verò etiam nos in illo peccauimus, similiter contraximus debitum mortis. Venit CHRISTVS sine peccato, qui cum nullum haberet mortis debitum, quò peccatũ ipsum deleret, & mortẽ moriendo destrueret, subdidit semetipsum morti. Mors ergo quæ iniustè ius in illum innocentem exercuit, meritò ius suum in eos in quibus illud habebat, perdidit, modo veterem hominem exuant, & nouum induant creatum in iustitia & sanctitate, nempe CHRISTVM, per quem ab illo mortis debito liberentur. Nam etsi postmodo moriantur, ex peccato non est, quasi non sit illi peccato per omnia satisfactum: sed quia liberati à debito mortis quod à peccato conflatũ est, in CHRISTVM ingressi nouũ in eo moriendi debitum contrahunt. Nam & quicunque in illo sunt iam absque peccato, nihilominus mori debent, nõ quidem vt mors sit vlterius pœna ex illius peccati merito, sed exercitium patientiæ in fide ad comparandũ meritum, vt sint membra Capiti suo similia. Etenim CHRISTVS ipse caput nostrũ absque peccato gustauit mortem, & per eam promeruit vitam, qui & nobis eandem legem præstituit. Decuit certè vt & nos assimilaremur ei (quatenus fas erat) liberati à peccato, cum ipse similiter per omnia assimilatus sit nobis absque peccato tamen, & ab eo omninò liber existens, tantùm peccati debitũ propter nos in semetipsum assumpsit. Aliud ergo est mori subigi in Adam, quod est pœnam peccati sufferre: aliud verò mori in CHRISTO, quod est potius subigere ipsam mortem, vt post eius gustum excitemur ad veram vitam. Vnde scriptum est: Beati mortui qui in Domino moriuntur. *Apoc. 14.* Somnus enim interim & dulcis sopor est potius quàm mors, morientium in illo.

Quid intersit inter mortem fidelis & infidelis. Quãtum igitur ad mortis debitum attinet, magna est inter nos qui sumus in CHRISTO, & illos qui foris sunt differentia. Debemus quidem & nos mori quemadmodum illi, sed nõ est par & eadem causa. Illi tanquã pœnæ huius debitores ex peccato antiquo moriuntur. Nos autem alioqui mortales natura, hoc debitum nouo pacto contrahimus, quò conformemur Filio, qui conformatus est nobis. Quamuis enim huius noui pacti ratio venerit à peccato, vt istud quodammodo sit pœna eius, nimirum pactum nouum redditum esse duriusculum, in quo nec à morte nec à multis malis inuenimur immunes, sed cedunt nobis in bonum: nõ propterea tamen propriè ac verè dici possunt in renatis pœna peccati. Aliàs cogeremur fateri vel non esse deletum peccatũ illud per CHRISTVM, & eius omnem reatum in renatis (sicut impiè Lutherani docent

docent) vel posito quod est deletum omnino peccatum & omnis reatus, cogeremur confiteri iniustũ Deum, qui à nobis exigit peccati pęnam nullo peccato nec eius reatu existēte: quod est horrendum vel cogitare.

Differētia inter Christũ & Matrem circa mortis & peccati debitum. Magna ēt differētia ē circa hoc debitū inter CHRISTVM & Matrem: & inter Matrem & nos alios. Ille enim vt ex seipso innocēs erato & iuxta suā naturæ cōditionē omninò liber à peccato, ita liber à debito mortis. Quod ergo morti se subdidit, fecit ob solum obediendi paternæ volūtati desideriū: vt sic destrueret mortem, eāq; præcipitaret in sempiternum. MARIA verò nō erat ex seipsa secundum suæ naturæ conditionem à peccato libera, ideò nec à morte: sed liberata est ab vtroq; per Filium, ita tamen vt neq; peccatò neq; morti quatenus erat pęna peccati, vnq̃ fuerit de facto subiecta. In instanti namq; suę conceptionis commutata est illi conditio debiti: quoniam facta est debitrix mortis in CHRISTO semper vt innocens: nunq̃ autē in Adam vt rea delicti quouis modo. Et hoc singulariter ad illam pertinuit propter excellentem illius redemptionis modum, quo per Filiū redempta est: de qua redemptione erit nobis inferius sermo vberior.

In hoc ergo cęteros Adæ filios (vt par erat) superauit, quòd in ea commutatum est mortis debitum, non vt aliquando debitrix inueniretur, sed ne debitum illud vllo vnq̃ temporis momento cōtraheret, quod tamen cōtrahere de rigore iuris debuisset. Ipsa igitur CHRISTI Mater mortua est morte sua illa mitissima tanquàm ab ipso redempta, & in ipso primùm insita & collocata velut verè primum corporis & nobilissimum membrū, quod à se nunquā passus est Filius separari. Et sicut oportuit CHRISTVM mori & statim resurgere: sic voluit ēt de B. VIRGINE Matre vt confestim & ipsa resurgeret nō expectans postremū iudicii diem. Hoc tamen est discriminis quòd CHRISTVS ipse sua virtute surrexit, & semetipsum assumpsit in gloriam, vt in cęlum, vbi semper fuit, rediret. At B. VIRGO non à seipsa surrexit, nec semetipsam assumpsit: sed à virtute Spiritus Filii sui, & ab ipso Filio assumpta ē comitātibus Angelis ad æthereum thalamū, in quo Rex regum stellato sedens solio assistentibus omnibus beatis Spiritibus coronauit eam Reginam cęli, mundi Dominam, amicorū spem ac solatium, inferorum terrorem. Nam ei post CHRISTVM & per CHRISTVM tanta est data potestas, quantam non credit qui Serpentis est semen. Sed ipsi dæmones qui vident & supramodum liuidi sunt, vehementissimè torquentur, formidant, & contremiscunt. Hæc de Dña nřa cōfidenter asserimus & docemus edocti ab Ecclesia sancta Dei, quæ hæc ipsa prædicat & veneratur.

Refellitur primus aduersariorum zelus falsò existimantium Matrem ob id Christo æquari, quòd immunis ab originali peccato asseratur.

HIS ERGO SIC EXPLIcatis, ad hos nouos disputatores & Spinas, & quicunq; illos sectantur, sermo noster iam cōuertendus est: nō quidem cōtra Ordinem vt quidā carnaliter arbitrantur, sed omnino in gloriā ordinis & fauorē. Scio enim esse in illo gloriosissimo Ordine qui diligunt veritatem, eamq; agnoscunt & libenter amplectuntur. Sunt & qui cum nondum illam agnoscant, vellent tamen agnoscere & libenter quoq; se ētarentur: sed verentur interim ne cōtra Sanctorum doctrinam quicquàm admittāt, quorum numerosum sibi catalogū vident à suis Magistris propositum, qui visi sunt alteram positionem probare. Itaq; trepidant & timēt timore, vbi uerè iam nullus timor. Excusantur tamen, & si quid aliter sapiunt quàm habet veritas, aliquando scient & ipsi, modo scire desiderent, & sibi aperiri veritatem citra impeditam affectionem orent. Restat igiť vt in huiusmodi Magistros ac Spinas, non quidem propter illos, sed propter alios sermonem meum instituam: præsertim verò vt respōdeamus iis quæ ex Turrecremata tanto conatu innouarunt.

Quæro primùm ab eis: Quid, obsecro, in hac nostra positione continetur quod vos tātopere exagitat? Ecce clamatis: Zelus pro CHRISTO: Zelus p MATRE. Zelus p Scripturis: Zelus pro Sanctis: Zelus deniq; pro Ecclesia Dei. *Quinque zeli aduersariorū.* Et cum sint tam numerosi ac potentes zeli, mirum tamen neminem ad tot clamores moueri. Certè mirabile ac miserabile hoc, modo zeli isti vestri essent secundum scientiam. Tentemus ergo num sint tales, qui iure quenq̃ mouere debeant.

Ostendite iam nobis zelum primū. Quid est cur sic ardenter zelatis pro CHRISTO? *Zelus primus.* Ecce obicitis: Aequalem facitis illi Matrem. Parcat vobis Deus. Hoc'ne explicitè fatemur nos: an verò id vos ex nostra positione colligitis? Nōnne exertè prædicamus oppositum? Ex his enim quæ asserimus, quanta vi uelitis ea cōprimatis, non aliud exprimetis.

Nam

incurreret, non egeret redemptione, quod hæreticum esset dicere. Sed si omnes obnoxii sunt peccato originali ex ipsa sua generatione, sufficit ad indigentiam redemptionis. Neq; enim solùm redẽptione eget actualiter captiuus, sed etiam obnoxius captiuitati. Et hæc bene notabis tu Thomista, ne nimio zelo nõ secundum scientiam accensus erronea dicas quæ non sunt erronea, quũ de Beatissimæ MARIAE VIRGINIS Conceptione disputas aut prædicas. Hæc ille in suos ab ipsa vi dilucidæ veritatis coactus. Conqueror in nouis Lugdunensium impressionibus subdolè à nescio qbus temerariis sublata fuisse ex commentariis Caietani primùm illa verba: Ex ipsa sua generatione, quæ ad declarationem nostræ positionis plurimum faciebant. Deinde totum illud: Et hæc bene notabis tu Thomista, & cætera quæ citaui. Zelus Spinarum fecit hoc: quia recusat agnoscere veritatem, nec vel à suis vult admoneri. At nimis potens est veritas. Non enim solummodo Caietanus, sed Durandus etiam nostri ordinis vir acutus & resolutæ doctrinæ, etsi de principali quæstione aliter senserit quàm nos, propter illam temporis conditionem quando hęc veritas nondum reuelata erat per Ecclesiam, in hoc ipso tamen articulo nobis fauet etiam ipse à conspicua veritate victus. Certissimè enim vir acutus animaduertit maiorem esse ac longè optabiliorẽ redemptionem qua captiuitas prohibetur, quàm sit illa qua iam incursa captiuitas soluitur. Verba Durandi hæc sunt: Cum ergo

Durandus. B. VIRGO esset seruituti peccati originalis obnoxia in sua radice, scilicet in parentibus, si fuit impeditum virtute diuina ne in se seruitutem hanc incurreret, vt esset cõuenientior Mater Saluatoris, verè potest dici quòd indiguit beneficio redemptionis, & tantò magis & familiarius fuit redempta, quãtò redemptio fuit in ipsa celerius inchoata: hæc ille. Et in ipsa conclusione: Puto tamen, inquit, quòd si B. VIRGO peccatum originale non contraxisset, potuisset tamen verè dici redempta à Deo, pro eo quòd in radice sua ex natura suę conceptionis obligata erat ad incurrendum peccatum nisi fuisset à Deo præseruata. Hæc Durandus pro dicto nostro: quæ si qs negare non vereatur, dignus est tanquã cõtentiosus, qui in suis inscitiæ tenebris inuolutus dimittatur captiuus.

Hactenus ergo satis patet non iam esse zelum pro CHRISTO, sed meram calumniã disputantium, qui nos falsò arguunt æquare Filio Matrem, & illum eius esse Redemptorem negare, cum oppositũ tam clarè pateat vt nullo queat obumbrari colore, nec indigeat ostensione. Nam dum illam seruatam dicimus à Deo, alioqui subituram peccati labem ac seruitutem: & è regione Filium asseueramus per se liberum nulliq; expositum periculo captiuitatis, sed potentem ad eruendũ omnes ab illa, hoc ipso testimonio manifestè cõfitemur in hac substantia gloriæ longè illã inferiorem fuisse & esse CHRISTO. Et cum illam per CHRISTI merita & immensum sanguinis pretium asserimus præseruatam, continuò Filium eius non solùm ante illam immunem à peccato, nec solùm Redemptorem, sed eximium etiam Redemptorem illius prædicamus. Quod certè est magnificentissime extollere opus redemptionis, non autẽ extenuare. *Præseruatio Matris est gloria Filij.* Nam quicquid prærogatiuę prę aliis circa peccatum Matri tribuimus, ita sub CHRISTI prærogatiua constituitur, vt etiã à CHRISTI pręrogatiua descendere confiteamur. Ex quo miro facto multò maior gloriæ pondus assignatur vtriq;, sed præcipuè ipsi Filio, quem pro sua charissima Matre excellentiorem ponimus Redemptorem, quam illo excellentissimo modo redemerit. Non æquamus ergo Virginem Filio vllo pacto. Nam dum illam mininè cecidisse asserimus, non id eius naturæ attribuimus, sed diuinæ beneuolẽtiæ, CHRISTI gratiæ ac meritis, vt sẽper emineat ipse cuius stat verissima illa sententia: Beatius est dare quàm accipere. *Act. 20.* Et hoc vidit ipse Caietanus vester, & testatum vobis reliquit, videlicet hac nostra positione Virginẽ ipsi Filio nõ ęquari, sed sub illo in eminentissimo gradu constitui, quẽadmodum suo loco iterum de eius commentariis ostendemus. Aliud autem esset si fortè id quod nos ponimus, inficiaremini esse verum. Satis est nobis hactenus iam contra vos obtinuisse, hanc nostram positionem si vera sit (vt certè existimamus) minime derogare excellentiæ CHRISTI eiusque redemptioni: sed prorsus ecõuersò plurimùm eam magnificare: imò quod erat æquum & illo dignum eidem tribuere. Equidem si amoto vestro illo affectionis velo parumper ad lucẽ veritatis velletis aspicere, planè perspiceretis id quod in nos à vobis iniuria obiicitur, videlicet Filio nos derogare, uobis propriè ac summopere conuenire. Vestra enim positio verè talis est quæ derogat illius maiestati & gloriæ, cui summum redemptionis modum, saltem erga ipsius Matrem sicut deceret, non tribuit. Et hæc satis de primo horum hominum zelo pro CHRISTO.

¶ *Ostenditur falsus Aduersariorum zelus pro B. Virgine.*

REQVIRENDA EST nūc ab eis scientia in secūdo ipsorū zelo pro Matre, quo mirificē se incensos videri volūt. Dicite ergo nobis vos ô zelatores Matris Dei, quanā de causa nos illi derogamus: vos autē potius ipsam effertis studentes illius honori & gloriæ? Num propterea, quæso, derogamus quia dicimus à peccato illā per CHRISTVM pseruatam? Et vos ecōuersō, illā præhonoratis, qui peccato eam cū ceteris gregatim cōtaminatā fuisse sustinetis? Reperiuntur.n. qui adeo insaniunt vt eos nō pudeat talia proferre. At qs sapiens dignetur vllā disputationē cū eiusmodi hominibus suscipere, quibus peccasse dignitas est & fauor?

Obiectio. Sunt et qui aliam stropham commenti dicūt: Si VIRGO sine peccato inuenitur cōcepta, iam dabitur alia mulier sine peccato concipiens, nimirum Anna mater. Non ergo erit singulare VIRGINI sine peccato concepisse. Quod si conceditur, nōnne est eius gloriæ detrahere? Argutula profectō obiectatio. Miror autem quomodo non etiam aliam consequentiam superinduxerint, etiam Annam ipsam à nobis æquari CHRISTO, idq; demōstratione mathematica. Nam quod est vni æquale, etiam alteri æquale esse oportet, cui illud vnum sit æquale. Si ergo Anna æquatur VIRGINI, & VIRGO CHRISTO: ergo & Anna CHRISTO.

Solutio. Sed extra iocum, hæc argumenta futilia despiciens satis arbitror demonstratum esse non solum ex nostra positione non derogari dignitati CHRISTI, sed quod ei debetur prorsus tribui: nec ei B. VIRGINEM æquari, sed longissimo postponi gradu. Et ex his clarissimum parumper cogitāti redditur, nec ipsam Annam æquari VIRGINI, sed longē inferiore gradu relinqui. *Mariæ et Annæ comparatio.* Anna enim nō immunis fuit ab originali: at VIRGO fuit. Anna Matrē Dei concepit: VIRGO ipsum Deum. Anna sterilis ex viro cōcepit VIRGINEM: VIRGO autem ex Spiritusancto Redemptorem. Anna fuit mater eius quæ natura subdebatur peccato: VIRGO Mater fuit eius qui per omnia liber à peccato, omnium extinxit peccatum, vt saluum maneat *Eccl. 7.* testimonium Scripturæ dicentis: Virum de mille vnū reperi. Nam vt rectē ipse B. Thomas exponit, hoc Viri singulare declaratur, idest, CHRISTI qui solus fuit salutis omnium principalis autor, non mulier aliqua. Hoc enim (vt idem B. Thomas rectē docet) singulare & propriū CHRISTI fuit habere talem plenitudinem quæ redundare posset in omnes. De eius plenitudine, ait magnus *Ioa. 1.* Præcursor, omnes accepimus. Sed B. VIRGO talem plenitudinem accepit, quō esset propinquissima autori gratiæ. Esto igitur ipse CHRISTVS per nos & sententiam nostram primus Autor gratiæ, non MARIA. Verūm huius gratiæ sit illa particeps prima, & modo summo ab omni seruata peccato vt sic fiat propinquissima Filio. Alioqui non plenē suam veritatem assequitur B. Thomæ doctrina pro Matre Dei, si ab hoc loco & gradu gratiæ, qui est post CHRISTVM & eidē ppinquissimus, excluderetur. Non est igitur hoc æquare Virginē CHRISTO, aut Annam Virgini, idest, Redemptori redemptam, & præseruatā non præseruatā. Illud verē est illi derogare, non cōcedere eum meliorem pro Matre sua Redemptorem. Si.n. est illi gloria & honor in redimendo, quis negare audeat qn in sublimiore redēptionis modo maior quoq; glīa & honor illi accesserit?

Scio dicturos hoc de Anna commentum à D. Bernardo se accepisse: sed non ita sanctus ille Doctor desipuit. Ex suppositione quippe contra illos loquebatur qui putarent B. Virginem esse de Spiritusancto à matre sua conceptam. Tunc verē singularis illa B. Virginis prærogatiua matri suæ Annæ communicaretur: quod est omninō nefas admittere. Vnde apparet hac parte argumētum contra nos non intendi, simulq; B. Bernardi mentem aperiri minime in nos arguentis, qui apertē fatemur B. Virginem communi omnium modo fuisse cōceptam, & nihilominus à peccato per præuenientem gratiam pseruatam: sed eos reprehendebat qui dicerent non ex semine, sed ex Spiritusancto propagatam, & propterea nullius redēptionis per Christum indigam: quæ tantum abest vt nos asseramus, vt contra non secus ac meras blasphemias omni anathemate dignas repellamus. Veniat ergo nunc alius fratrum nostrorū zelus, postq̄ priores pro CHRISTO & Matre iam euanuerunt.

¶ *Refellitur Zelus pro Scripturis, quæ potius pro Virginis prærogatiua faciunt.*

ERAT TERTIO ZELVS, quo pariter mirificē ardēt pro scripturis dictis, vbi solus Christus singulariter dicitur innocens & sine peccato, vt qui venerit *Ioa. 1.*

nerit ad tollenda omnium peccata. Vnde
magnus Ioannes: Ecce, inquit, Agnus Dei
qui tollit peccata mundi. Quamobrem hoc
in loco pro veriore ac profundiore Scriptu-
rarum intelligentia, & vt paucis appareant
omnia argumenta resoluta, audiant (quæ-
so) patienter.

Quæ attributa Christo in Scri pturis sint in-telligenda. Quæcunque de CHRISTO dicuntur
in scripturis sanctis ad demonstrandam eius
bonitatem, iustitiam, pietatem, munditiam,
sanctitatem, charitatem, & omnino quæ-
cunque in illa persona significant distantiam
& immunitatem à peccato, eo debent in-
telligi modo, quo hæc illi singulariter con-
ueniunt. Hanc positionem nemo nisi stul-
tus & prorsus ignarus negare potest. Ec-
Luc.18. ce dixit ille adolescenti: Quid me dicitis bo-
num? Solus Deus est bonus. Vbi doce-
re voluit, Deo singulariter (qui erat ipse)
bonitatem conuenire. Nonne & seipsum
singulariter vocauit bonum Pastorem?
Ioan.10. Et tamen multi homines boni dicuntur, &
pastores boni. Ipse item licet alii multi iu-
sti dicantur, excellenter tamen & singulari-
ter iustus dicitur: quia excellenti & singula-
ri modo fuit iustus. Vnde & beatus Pau-
Rom.3. lus de illo. Vt sit, inquit, ipse iustus &
iustificans &c. Quamobrem & substanti-
uè sæpenumero vocatur ipse iustus, ut apud
Ierem.23. Ieremiam: Et hoc est nomen quod voca-
bant eum Tetragrammaton iustus noster.

Sic ipse solus pius dicitur in Apocalyp-
Apoc.15. si. Quis non timebit te Domine, & ma-
gnificabit nomen tuum, quia solus pius es?
De illo etiam singulariter dixit Angelus
Luc.1. sanctissimæ VIRGINI: Quod ex te na-
scetur Sanctum, ob singularem siue nati-
uitatis siue conceptionis suæ sanctitatem:
quoniam vtraque fuit singularis à Spiritu-
sancto custodiente vas illius B. Virginis
sanctum, in quod Sanctus sanctorum il-
libatissime ingressus, etiam illibatissime Spi-
ritus sui virtute exiuit. Sic & ipse mun-
Ioh.14. dus dicitur, & ex semine mundo solus con-
ceptus, qui noluit ex eo venire quod munda
ri oporteret, sicut inde ipsa venit beatissima
Virgo: præueniente tamen gratia Dei in ipso
matris vtero mundatum est, vt ex illo sancta
conciperetur. Hac emundatione non indi-
guit superbenedictum CHRISTI semen,
sed singulariter sanctus prodiit, de quo dictū
Ibid.25. Iob intelligimus: Et stellæ non sunt mundæ
in conspectu eius. Quapropter singulariter
de illo concinimus: Tu solus sanctus. San-
ctitas enim munditia est, & propterea ille so-
lus potuit facere mundum de immundo con-

ceptum semine. Hoc autem fecisse in beatis-
sima MATRE sua singulariter ante omnes
minime dubitamus, vt verè conceptio illa
sancta esset & immaculata. Ipse Dominus sin- *Ioa.10.*
gulariter sanctificatum se à Patre pronuncia-
uit. Quem Pater, inquit, sanctificauit. Per
gratiam enim vnionis factus est homo Deus,
quæ sanctificatio gradus fuit altissimi, vt ma-
ior excogitari non posit, propter quam sin-
gulariter Filius Dei dicitur, cum alii multi
sint filii Dei. Ob eam causam tanquam singula-
riter illi dictum accepit Apostolus: Filius
meus es tu, Ego hodie genui te. Et iterum: *Hebr.1.*
Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in
Filium. Similiter & in Baptismo: Hic est *Matth.3.*
Filius meus dilectus in quo mihi bene com-
placui. Et tamen de aliis scriptum est: Ego
dixi Dii estis, & filii Excelsi omnes: et, Quo-
niam complacuisti in eis. Sic se dixit lu- *Ioa.10.*
cem mūdi, lucem veram singulariter. Quod
tamen etiam dedit discipulis suis, de quibus *Luc.12.*
dixit: Vos estis lux mundi. Et nos qui su- *Ioa.8.*
mus adoptati, lux dicimur, sed in Domi- *Matth.5.*
no, qui eius comparatione tenebræ sumus,
in quibus tamen ipse lucet. Vnde scriptum
est de illo: Speciosior est Sole, & super om *Sap.7.*
nem dispositionem luci comparatus inueni-
tur prior. Et B. Ioannes ait: Et in eo te- *Ioa.1.*
nebræ non sunt vllæ. Quapropter se vni-
cum Magistrum affirmat. Vnus est, inquit,
Magister vester CHRISTVS, cum tamen *Matth.23.*
sint multi magistri. Sic ipse singulariter in-
nocens dicitur, impollutus, segregatus à
peccatoribus, ac per hoc excelsior cœlis fac-
tus. Quæcunque enim habet, excellentius *Heb.7.*
& per se habet ex debito naturæ & condi-
tionis suæ: quia est filius Dei natura. Quocir
ca de quolibet alio mortalium dictum est:
Nullus apud te per se est innocens. So- *Exod.24.*
lus insuper sine peccato, à quo quàm lon-
gissime semper non solùm abfuit peccati ac-
tus, verùm etiam ad peccandum potentia
& debitum. Longè itaque antecellit bea-
tissimam VIRGINEM, in qua & potentia
erat & debitum contrahendi peccatum, con-
siderata naturæ conditione. Et istud ele-
gāter & verè expressit B. Anselmus aiens: De
cebat illam VIRGINEM ea puritate nite-
re, qua sub Deo nequit maior intelligi. Sic
gloriosus Doctor noster B. Thomas ex-
ponit. Puritas intenditur per recessum à *D. Thomas in*
contrario: & ideò potest aliquid creatum *Sententiis.*
inueniri quo nihil purius esse potest in re-
bus creatis, si nulla contagione peccati sit
inquinatum. Et talis fuit puritas beatissi-
mæ VIRGINIS, quæ à peccato originali,

& actuali immunis fuit. Fuit tamen sub Deo in quantum in ea erat potentia ad peccandum: hæc ille. Idem & nos docemus, & hanc illi tribuimus puritatem quæ sub Deo est. Cur igitur molesti sunt Spinæ huic candidissimæ MVLIERI, nec fateri volunt hanc sententiam ab ipsorum doctore Beato Thoma aliquando fuisse probatam, quod neque Capreolus omninò negare est ausus, neq; Caietanus? Nimis certè potens est veritas.

Stat ergo cum hac Matris, Dei prærogatiua singularitas sanctitatis CHRISTI & immunitatis à peccato, si tamen immunitas dici propriè potest. Imò verò ausim dicere, sine hac Matris Dei prærogatiua vix stare posse prærogatiuam Filii. Quin etiam clarè & audacter dicam, non stare illam Filii prærogatiuam quæ habet potentiam sanctificandi, de cuius plenitudine omnes accipimus, nisi ponatur hæc Virginis prærogatiua per illum. Quæ enim fuisset in eo ad sanctificādum plenitudo, cui defuisset summus sanctificationis gradus? An, rogo, non valuerit sanctificare in eum gradum quasi minus potens, vel noluerit quasi minus bonus suæ MATRI illud impendere, quod saluo suæ dignitatis gradu poterat quàm decentissimè tribuere & propriis meritis imputare?

Immunitas Matris cōmendat Filij prærogatiuam.

Ecce ergo quàm facile vnico & illo quidē solidissimo verbo resoluitur quod primum de scripturis sanctis adducūt pro CHRISTI singulari prærogatiua, vt excludatur B. VIRGO: quoniam & nos illam ab ea CHRISTI singularitate absq; vlla hæsitatione excludimus. Nam quæ adoramus in Filio, absit vt eadem Matri illius attribuamus: & econuersò, quæ confitemur in Matre, absit vt concedamus in Filio. Concederemus enim in illo contrahendi peccati necessitatem ex conditione naturæ: quod esset blasphemia. Differt ergo quantum ad sanctitatem attinet & peccatum. Et quidem multum differt immaculata conceptio & natiuitas & sanctificatio CHRISTI ab immaculata Matris cōceptione & natiuitate & sanctificatione: sicut & tota vita & mors & resurrectio & ascensio CHRISTI & sessio ad dexteram Patris multū eminet à vita & morte & resurrectione & assumptione, & deniq; à sessione Virginis ad Filii sui dexteram. Ipse enim solus, vt ait B. Augustinus, imò B. Paulus, est Sacerdos in æternum, & sacrificium, & templum Dei, sed singulari modo. Nam & hęc de aliis etiam verè, sed tamen longè inferiore gradu & modo prædicantur.

Matris & Filij distincta sanctitas.

Hebr. 7.

Occurrunt autem nobis hoc in loco disputatores isti acerrimi asserentes falsum esse quod dicimus, CHRISTVM natura immunem esse à peccato. Si enim natura, inquiūt, ergo non gratia: opponi quippè videntur natura & gratia.

Aduersariorū obiectio.

Quibus primùm respōdemus, vt animaduertere velint ne imperitè blasphement. Nam si CHRISTVS negatur natura à peccato immunis, concluditur profectò sub illa generali sententia: Eramus omnes natura filii iræ, quod est blasphemum in Filium Dei. Intelligant ergo prius quem sensum porrigimus & defendimus, & tum demum liberè arguant. Prædicamus CHRISTVM ab originali immunem natura, idest, ex conditione suæ conceptionis: quia non solùm non est conceptus ex semine (quod satis esset ne originale contraheret peccatum) verùm etiā quod ex Spiritusancto conceptus est. Nec id solùm, quia nec sic fuisset inhabilis ad peccandum: verumetiam quia ex ipsa cōceptione per gratiam vnionis naturarū factum est vt ille homo esset filius Dei natura, non adoptione. Propterea concedendum est fuisse illi naturæ debitam omnem à peccato libertatem, vt ita verè dicatur natura liber: quod singulariter ad illum pertinet. Vnde B. Augustinus quodā loco vt nos istud docet et, dixit: Modus iste quo natus est CHRISTVS de Spiritusancto, insinuat nobis gratiā Dei qua homo nullis præcedētibus meritis in exordio naturæ suæ quo esse cępit, vt ebo Dei copularetur in tantam personæ vnitatem vt idem esset filius Dei qui filius hominis, & filius hominis qui filius Dei: ac sic in naturę humanę susceptione fieret quodammodo illa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum posset admitteret: hæc B. Augustinus.

Dilutio.

Eph. 2.

Cur Christus omnino impeccabilis.

B. Augustinus in Ench. c. 40.

Et B. Cyrillus ait: Illud non ab re dixerim: Si enim amicitia filii qui serui natura sunt ad liberam amicorum dignitatem perducit, quomodo ipse vt creatura seruus erit, vt quidam ex imperitia dicunt? An aliis poterit libertatem largiri eius ipse natura expers? Minimè. Sed sanctis quidem Apostolis cęterisque fidelibus qui ad amicitiam suam ascendunt, extrinsecus honoris gratia libertatis accedit dignitas: ipse enim natura liber est. Quod enim aduentitium est, ab insito & naturali distinguitur. Libertas verò nostra cum aduentitia sit, per gratiam habita alia est certè ab eius libertate: hæc ille. Ex quibus apertissimè disputatores inueniuntur parum apprehendisse singularem CHRISTI à peccato libertatem,

B. Cyrillus in Io. libro 10. cap. 23.

quam

quam & Scripturæ & sancti Patres prædicarunt. Quid igitur mirum si inaniter sua tela iaciant?

Quamobrem magnoperè velim aduersarios hic attentè considerare, vt doctè respōdere studeant, quò clarius apparere veritas possit. Rogo illos: Quænam est illa immunitas, aut potius libertas à peccato quam scripturæ sanctæ CHRISTO tribuunt? Nunquid illa quam nos concedimus B. VIRGINI: an verò quædam alia maior quam nulli creaturæ fas sit tribuere? Si postremum dicant, quid igitur molesti sunt nobis quasi suā CHRISTO immunitatem propriam adimamus, illamque VIRGINI tribuamus?

Quam immunitas à peccato tribuant Christi Scripturæ.

Si dicant eandem esse immunitatem quam nos tribuimus B. VIRGINI, calumniosi sunt, & blasphemant derogantes CHRISTO, quem constituunt considerata natura peccatorem & indigentem redemptione: quę duo nos de B. VIRGINE cum eius immunitate prædicamus. Considerent ergo hæc in spiritu pacis, & agnoscant suā CHRISTO immunitatem à nobis singularem illibatámque relinqui, & sublimius insuper q̄ ab illis magnificari, qui ob excellentiam Filii dicimus Matrem in eo gradu collocatam, vt ipsi gratiæ Autori quemadmodum (teste B. Thoma) docuit, sit propinquissima. Considera hæc, quæso, quisquis es Spina, & tace & quiesce & ne Matrem Dei pungas caue.

¶ Secundò hoc pacto argumentantur: Si ad istum sensum intelligitur immunitas Christi à peccato in Scripturis, potest de quouis hominum dici præseruatum eum ab originali per Christum, nec propterea lædētur Scripturæ, quæ singularem immunitatem à peccato in illo ponunt. Respondeo: Si nihil aliud phiberet id dici quàm vt salua sit Christi immunitas à scripturis ostensa, haud dubiū quin illud dici posset. At quoniam aliæ sunt Scripturæ multæ quæ in cunctis hominibus debitum peccati cōuincunt, & ita regularem in illud incursum: ideò non licebit illud asserere de cęteris sicut de B. Virgine. Illi.n. ex priuilegio tribuimus, sicut & alia q̄plurima ducti magnis & cogentibus rationibus, quæ in aliis minimè locum habent. Quis enim raptus vel inter amicos Dei intimos qui ausit se cōparare Matri dilectissimę, quam & summi Angeli mirantur suspiciunt & venerantur? Meritò igitur Dei Matrem à generali regula eximimus. Qui autem à regula excipit, regulam certè primum confitetur. Et qui propter priuilegium vnam aliquam solā eximit, nō concedit illud reliquis: alioqui priuilegium non esset priuilegium. Vnde hoc Spinarum argumentum penitus sua exili tenuitate facilè euanescit.

Pergunt iterū opponentes nobis sanctos Doctores, qui (vt aiunt) non sic intellexerunt Scripturas, cum eas inducerent contra hæreticos: aliàs non fuissent idoneè per eas cōuicti, & de Pelagianis loquuntur. Quo in loco miror vehemēter horū (ne qd proferā durius) ignorantiam: quasi verò nostra positione non protinus confodiatur dogma illud Pelagianum quod erat aduersus Dei gratiam, cuius necessitatem inficiabantur. Ipsi enim omninò negabant originale peccatum, volentes peccatum illud Adæ ad neminem propagatione pertinere, & nedum non trāsfundi de facto in quenquam, sed nec ex debito aut merito, ita vt non fuerit opus Dei gratia, siue ad tollendum illud, siue ad præseruandum quenq̄ ab illo. Nos aūt qui præseruatam singulariter ab eo peccato Virginē beatissimam asserimus, profectò peccati originalis meritum in omnibus, & in B. Virgine gratiam Christi specialem, qua ab eo peccato per præseruationis munus fuit excepta, confitemur. Quamobrem omni ex parte hæreticos prosternimus dum & naturam infirmam, & Christi gratiam in cunctis confitemur necessariam: vtrunque autem Pelagiani negabant. Porrò hanc eximiam in Virgine abundasse gratiam non erat tum consideratū ab hæreticis: sed nec ponderari quidē ab eis poterat, cum peccatum negarent, & naturā non gratiam prædicarent.

Est autem eousque euidens calumnia hæc, habere quicquam Pelagiani nostrā positionem etiam iuxta Doctorum catholicorū sensum, vt sit iam penitus intolerabilis, præsertim cum grauis apud eos autor Caietanus sapienter & peramanter ne zelo isto falso deciperentur, his verbis admonuerat: Est necessarium secundum fidē credere, quòd omnis vtriusque sexus ab Adam secundum seminalē rationem proueniens, ex ipsa sui generatione sit obnoxius peccato originali. Et contra Pelagianos dicentes oppositum. Augustinus disseruit & diffinit. De solo autem IESV Christo verum est q̄ ex ipsa sui generatione nulli obnoxius est peccato, iuxta verbum Angeli ad B. Virginē dicentis: Quod ex te nascetur Sanctum &c. Hæc ille subtiliter & verè: quæ certè si capiantur (vt suo iure ipsa veritas postulat) cunctas hujus quæstionis difficultates soluunt, & nos à calūnia liberant. Tria enim paucis perstringit p nobis aduersus illos: Primum id quod asserimus non esse

Caietanus.

contra Scripturas. Alterũ Pelagianis nõ fauere. Tertium nec B. Augustinum contra illos disputantem huic nostræ assertioni cõtrarium diffinire. At hæc tria in nos obiectant isti disputatores in iniuriam omniũ Ecclesiarum & Vniuersitatum, vt ignores maiore ne arrogantia ac temeritate, an crassiore potius inscitia ferantur. Parcat illis Deus. Nos autẽ ad alias accedamus scripturas, quas pari imperitia in nos abiectant.

Locus Apostoli ab Aduersarijs illustus discutitur. Producunt ex Apostolo ad Romanos. 3. vbi ait: Præcausati sumus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse. Et paulò post: Nõ est distinctio. Omnes enim peccauerunt & egent gratia Dei. Nos autem eos antequàm respõdeamus (si fortè nesciunt) admonemus ne sibi persuadeãt Apostolum eo in loco de originali peccato loqui propriè, sed de actualibus. Quanquàm de his re vera ppter originale ex quo omnia fluunt, & in quo virtute omnia continentur. De his Apostolus loquitur manifestè, de quibus præcausatus erat Iudæos & Græcos, eos ꝙ coarguerat, vt docti expositores intelligunt, etiam Caietanus ipse in suis ad illum locum commentariis. Quod si verum est: plus ergo dicit Apostolus quàm illi velint, qui omnes prorsus homines sub actualibus concludit. Quid ergo? Certè B. Virgo ab actualibus, vt ipsimet cõcedunt, eximitur. Quare inueniretur Apostolus non solùm nobis, verumetiam ipsismet aduersari. Ergo aliquid cogitandum est rectè quadrans, in quo posit quiescere animus inquirentis. Hinc enim sternenda est nobis via ad fundamenta nostra comprobanda. Nam in eodem capite B. Paulus vbi omnes sub peccato concludit, id comprobat per scripturas plurimas, præcipuè ex psalmo illo: Dominus de cęlo prospexit super filios hominum vt videat si est intelligens aut requirens Deum. Quod sic ipsemet est interpretatus: Non est iustus quisquam: nõ est intelligens, non est requirens Deum. Et sequitur: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, nõ est vsꝙ ad vnũ. Sepulchrum patens est guttur eorũ, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorũ ad effundendum sanguinem. Contritio & infęlicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt: non est timor Dei ante oculos eorum &c. Hæ autem scripturæ quæ sine dubio omnes comprehendunt, non solum ab omnibus iustitiam auferunt, verum etiam cunctis peccata tribuunt, & ea nedũ venialia, sed mortalia & quidem atrocissima.

Quid igitur his dicemus? Volumus consulere B. Augustinum, qui certè in his vt in plerisꝗ aliis accuratius intẽdit? Ecce has Scripturæ sententias primo auditu duras & insolentes animaduertẽs, neminẽ videlicet prorsus inter filios Adæ nec vnum quidem inueniri iustum, aut intelligentem & requirentem Deum (quæ sententia actualia peccata significat) nullum alium euadendi modum dari posse arbitratus præclarè dixit: Hic est verior intellectus, vt nemo intelligatur fecisse bonitatem, nisi ille monstrauerit. Audis'ne tu pie Scripturarum atꝗ Sanctorum zelator, iuxta intellectum quem B. Augustinus intreꝑidè veriorem esse pronunciauit, de quouis hominum quantumuis iusto & sancto absꝗ errore dici in scripturis sanctis ꝙ corruptus fuerit & abominabilis, neꝗ intelligens neꝗ requirens Deum, & alia huiusmodi, hac vna tantum ratione inspecta, quia quilibet talis ex se fuisset, nisi Dominus aliud quod sectaretur, per gratiam demonstrasset? Voluit enim Scriptura sapientissimè duo à nobis considerari, Primũ ꝗd sumus natura: deinde quid simus ex gratia, vt à notitia miserię nostræ maiorem humilitatẽ acquireremus: à notitia verò diuinæ gratiæ ad maiorem charitatis seruorem excitaremur in Deum & Dominum nostrum IESVM CHRISTVM. *B. August. in psal. 13.*

Sed & pro Thomistarum admonitione nõ est prætermittendum, in hanc expositionem tandem ipsummet S. Thomam descendisse, videlicet nullum hominum esse iustum aut facientem bonum, sed esse quemlibet peccatorẽ ex se ipso, idest, suapte natura, iuxta illud Moseos: Nullus apud te per se est innocens. *B. Thomas in epi. ad Rom. cap. 3.* *Exod. 34.*

Quod si quis fortè aliud Caietani desideraret testimonium, ecce vi coactus veritatis cũ nullus alius pateret ad euadenda absurda exitus, Prophetæ sensum his ferè verbis explicauit, ꝙ Deus super filios Adæ respiciens vidit totum genus humanum declinauisse à recto: nec solum reliquit rectitudinem, sed simul fętuerunt tanta morum putredine, & vsꝗ adeò inuenit singulos deficientes vt non esset faciẽs bonũ, non etiã vnus. Et p hoc intellige describi vires naturæ, & statũ mundi ante aduentũ Messiæ, Et sic pculdubio verum dicitur, qm̃ nec ex viribus naturæ, nec ex viribus legis Moseos quisquam inueniebatur faciens bonum. Et hic sensus directè quadrat intentioni Apostoli ad Romanos. 3. Nec obstat quòd multi sancti viri fuerint ante aduentum Messiæ: quoniam gratia quocunꝗ tempore data ad tempus Messiæ refertur &c. *Caietanus in psal. 13.*

Ecce quàm clarè de vno quoq; filiorum Adæ vult esse verum, quòd nec vnus fecerit bonum: quia quod quicunq; fecit bonum, non ex se fecit, nec ex naturę viribus, sed prę uentus gratia atq; adiutus. Hoc ergò pacto verum est quod ait Apostolus: Omnes peccauerunt, videlicet etiam actualiter: quãdoquidẽ pro facto accipitur in intellectu, quod ex ipsa natura rei fieret, nisi impedimentum extrinsecus obiiceretur. Vnde & quod adiicitur: Et egent gloria Dei, etiam si gloriam pro gratia accipimus (vt exponit B. Augustinus) similiter exponi debet non quòd omnes de facto egerent gratia, cum plurimi habuissent & haberent, sed quòd tales erant omnes inspecta natura, in quam prolapsi iaceremus omnes nisi ille erexisset. Vnde & idẽ B. Augustinus hoc diligenter cõsiderans ait: Quid est: Egent gloria Dei, nisi gratia Dei Patris per Iesum Christũ qui est gloria Dei Patris? Et quid est, egent? id est, nemo idoneus per se, quòd carnaliter nascitur: nemò operibus meritorum vitam recipit perditam: hæc ille. Istud ipsum & nos asserimus etiam de illa Virgine sanctissima, quæ ex se, idest, secundũ naturam & carnalem generationem inspecta eguit gratia Dei, quam in patre Adam perdidit ex illius meritis, si sic consideraretur. Verùm præuenit Dominus in benedictionibus, qui illam coram oculis suis perpetuò habere voluit gratiosam, idq; merito nõ quidẽ suo, sed optimi ac dilectissimi Filii sui.

B. Augustinus lib. Hyp. 2.

Locus euãgelij B. Ioã. c. 10. explicatur.

In hunc sensum puto dixisse Dominum: Quotquot ante me venerunt, fures fuerunt & latrones, etiã ipse sanctissimus Ioãnes Baptista: quia ex sui natura in patre nostro consideratus talis erat, & talis fuisset nisi gratia præuentus & sanctificatus in aliam conditionem translatus fuisset. Et verè latrones fuimus omnes in patre Adam, qui tanq̃ latro illud rapuit quod Christus exoluit. Hac consideratione sentiens mundi peccatũ, & videns Agnum magnus ille Ioãnes Baptista dicebat: Ego debeo baptizari à te. Licet enim iam sãctificatus tunc esset, & omnibus prophetis sanctior: quoniam tamen non ex se illud habebat, in eo conseruari indigebat à Christo: & istud erat assiduè baptizari. Sic omnis creatura dum seruatur, etiam quodãmodo creatur: quia ex se nihil est. Quemadmodum igitur actualiter peccasse in Scripturis ille dicitur, qui etsi verè non peccauerit, ita tamen natura dispositus erat vt omninò peccaret, si sibi ipsi dimissus fuisset: ita & Beatissima Virgo nonnullo modo dici potest originaliter peccasse, & cõsequenter actualiter. Etenim

Math. 3.

talis eius natura erat quæ ex se illud peccatũ, nisi præseruasset gratia, omninò cõtraxisset: & actualia quoq; addidisset quæ virtute in originali continentur, si sibiipsi dimissa fuisset. Vnde dicimus: Ecce in iniquitatibus cõceptus sum. Iniquitatibus, ait, plurali numero: quia in illo originis vitio omnia virtute continentur peccata & iniquitates. Omnis enim peccatum, teste Dilecto, est iniquitas. Quapropter in ipsa nostra conceptione de facto contrahimus mortem gratiæ: quoniam vita gratiæ priuati inuenimur cum concipimur. Vita inquam gratiæ priuari, non quam aliquando de facto habuerimus, sed quam ex debito habuissemus, si ipse in sua innocentia debita stetisset. Sic dicimur venire in mundum spoliati donis, quæ tamen de facto nũquam habuimus, sed quia debita fuerant anteà, postmodo debita eorum successit spoliatio. Sicut ergo mortui dicuntur omnes filii Adæ vita gratiæ quam nunquam de facto habuerunt, hoc solo quia decreti erant habere: ita restituta dici põt ipsa gratiæ vita B. Virgini, & sic à morte peccati liberata & redẽpta, licet nunq̃ illa vita caruerit, nec illam mortẽ gustauerit, hoc solo quia caritura fuisset vita illa, & mortem consequenter gustatura, si sub eo peccati debito relicta fuisset, & nõ per gratiam ab eo præseruata. Sic omnes dicuntur cęci nati, & ideò amisisse visum dicuntur: non quasi visum vnq̃ de facto habuerint, sed quia erant natura apti nati habere, & eorum naturæ illud quodammodo debebatur. B. Ambrosius dixit omnes nos eiectos fuisse de paradiso cum patre nostro Adam, non qui fuerimus ibi vnquàm, sed quia locus ille ab initio paratus etiam nobis erat vt ibi essemus. Dixit item Dominus peccatum in Spiritum sanctum non remitti neq; in hoc seculo neq; in futuro. At hoc sanè non sic accipiendum est vt ipsa verborum significatio videtur porrigere, tanq̃ verè ita futurum de facto. Nam sua omnipotentia potest illud remittere, & ex ingenti misericordia nõnunquam illud re ipsa, vt est pium credere, remittit. Cum ergo dicit: Non remittetur, illud significare voluit, nimirum naturam illius peccati in semetipsa, hocest, in meritis illud habere vt nihil ei prorsus relictum sit dignum misericordia ac remissione. Ad eum sensum eleganter exponit B. Thomas, ne quis hoc meum esse commentum obiiciat. Hæc eius verba sunt: Peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile secundum suam naturam, in quantum excludit ea per quæ fit remissio peccatorum. Per hoc tamen non

Ps. 50.

1. Ioa. 2.

Math. 12.

De peccato in Spiritum sanctum an sit remissibile.

B. Thomas. 2. 2. q. 14. ar. 3

præcluditur via remittendi & sanandi omnipotentiæ & misericordiæ Dei, per quam aliquãdo tales quasi miraculosè sanantur: hæc ille. Simile est quod prædicamus de priuilegio sanctißimæ VIRGINIS, in quam illius peccati meritum iuxta sui naturã singulariter superatum est ab omnipotentia & misericordia diuina, vt quod aliqua suadente causa debuit esse, multò maiori ratione penè dixerim cogente, de facto non fuerit.

Matth. 26. Alibi etiam dixit Dominus: Omnes qui acceperint gladium gladio peribunt. Si ad factum respexerimus, vt verba videntur exigere, non erit hoc verum: sed quia diuina Veritas loquuta est, oportet sanè intelligere referendo dictum ad meritum non ad effectum, vt omninò verus sit sermo Veritatis. Sic exponunt gloriosi Doctores, quos postremò sequutus est Caietanus.

Ioã. 1. Adhæc, B. Ioannes dixit de CHRISTO vera luce: Erat lux vera quę illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum. Si quæratur quonam pacto id verum sit, cum plurimos constet non illuminari, quomodo responderi rectè potest, nisi (vt B. Ioannes Chrysostomus exponit) quòd satis illuminat IESVS, quãdo ex se id agit vt nulli prorsus desit qui velit lumen accipere? Dixit etiã *Iac. 3.* Frater Domini: Nullus hominũ potest domare linguam suam, & tamen multi sancti eã domuerunt. Vnde necesse est in illũ sensum venire, in quem B. Augustinus declarauit, videlicet nullum hominum vt homo est & *Nullum posse domare linguã, quomodo intelligendum.* secundum suæ naturę potentiam, posse domare linguam, quæ dum domatur, Dei misericordia, Dei adiutorio, Dei gratia fieri fateatur: hæc ille & meritò.

B. Hierony. Cõcurrit & in hũc sensũ B. Hieronymus qui psalmum illũ exponens: Omnis homo mendax; ait per illam sententiam taxari humanum genus, quòd ex se tale est vt qui non est mendax, iam non sit homo. Vnde & B. Paulus: Cum sint inter vos zelus & contentio, nonne homines estis?

Quod ergo naturæ nostræ est proprium *1. Cor. 3.* Scripturæ frequenter considerans, & vt ita à nobis consideretur enunciant. Nam quæ nõ habemus ex nobis quasi ex nobis, vix nostra esse dici possunt. Quamobrem B. Paulus cum ad corroborandam sui apostolatus autoritatem multa se fecisse commemorasset, quasi corripiẽs semetipsum mox addidit: Nõ ego, *1. Cor. 15.* sed gratia Dei mecum.

Luc. 7. Dixit itẽ Dominus: Cui minus dimittitur, minus diligit. At contrà sępenumerò contingit, vt cui minus dimissum fuerit, magis tamen diligat. Quomodo ergo vera reddetur Domini sententia, nisi ad sensum optimorũ expositorum recurramus, quòd scilicet minus dimittere ex se & natura sui hoc habet vt minorem excitet dilectionem? Sic locum illum exposuit Caietanus, qui proptereà magnam se dissoluisse quæstionem arbitratus est. Et verè magnam, crassis tamen sophistis qui nõ secernunt id quod est naturæ & per se, ab eo quod est per accidens: & ita non penetrant sermones formales, qui sunt propriè sapientum, quibus vsus est Dominus noster in euãgelio, & B. Paulus frequenter. Dixit enim *Eph. 5.* quodam loco: Nemo vnquã carnẽ suam odio habuit, vbi id quod erat naturæ significare voluit: quamuis de facto per accidens aliter plerũque contingat. Sed hæc passim in Scripturis leguntur, & interpretibus earum: Caietanus quorundam sequutus sententiam, dictum illud B. Pauli: Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest: hac glossa *1. Tim. 6.* defendit, videlicet suis viribus propriis naturalibus, vt quicunque viderit, eleuatus super seipsum viderit. Poterant hæc saltem à Philosopho discere isti qui de logica & philosophia mirum in modum gloriantur, & cęteros quos in diatribis nõ spectarunt clamitãtes cõtemnunt. Ipse .n. Philosophus hominem *Aristoteles in physicis.* benè fortunatum rectè vocari eum probat, qui de imminenti quopiam malo & insperato ne illud incurreret, euasit. Nam intellectus malum illud imminens atque propinquum perinde accipit ac si iam esset in re: quia aliquo modo erat cũ esset in sua causa & iam iã imminens: & quod parum distat, non esse remotum videtur. Vnde & econuersò, malè fortunatum illum asserit, qui quãuis fortuna magnum aliquod bonum quod propè erat, assequi prohibetur. Dicitur enim illud amisisse quod etsi nondum habuerit, proximus tamen erat vt haberet, nisi insperata atque importuna calamitas præoccupasset.

Quid igitur obstat quin rectè etiam dicamus optimam B. MARIAE sortẽ (ne ethnico fortunę vtamur vocabulo) quæ à captiuitate redempta fuerit? Siquidem eam captiuitatem quam erat ex natura rei incursura, tam quàm incursam intellectus apprehendit, vt sic dici verè posit ab ea captiuitate Virginem fuisse redemptã per CHRISTI sanguinẽ. Istud enim redemptionis genus longè omnino maius est, vt sæpius & dictum & dicendũ est, quod posit in corda quorundam duriora tandem imprimi. Ego autem (gratia sit Beatissimæ Virgini) expertus sum, qui cum essem à latronibus in itinere cum tribus comitibus

circumuallatus,

circumuallatus, solus miro modo captiuitatē de facto euasi, tametsi comites illi capti & spoliari postmodo dimissi fuerint, & propterea deteriore modo liberari. Hoc verò factum erga me gręipsius Diuę Virginis ascripsi, cuius tum nomen deuotè in corde meo ab vrgenti periculo excitatus inuocaui, vt me ita in eo discrimine redimeret, sicut ego illam redemptam credidi. Gauisus itaq; sum vehemẽter me alia protectione q̃ comites à manu latronum liberatum. Nam vel ipse Philosophus meliorem fortunā diceret eam qua malum imminēs propelleretur, quàm à qua malum adiacens expelleretur. Melior namq; est medicina præseruans, quàm quæ post incursum morbum hominem sanat.

Quocirca parum admodū peritè negant contradicentes iuxta mentem Sanctorū, posse dici CHRISTVM medicum fuisse B. Virginis, si illa bene semper valuisset. Ignorant certè q̃d B. Augustinus in libro de vera innocentia ait, cuius hoc in loco verba pferemus. Sicut duo, inquit, sunt officia medicinæ, alterum quo sanatur infirmus, alterū verò quo custoditur sanitas: ita sunt duo dona gratiæ, vnum quod aufert carnis cupiditatem, aliud quod facit animæ perseuerantem virtutem: ita vt vterq; indigeat medico, & q est infirmus vt infirmitas sanetur, & qui potest infirmus fieri vt seruetur in sanitate: hæc ille acutus Doctor. Et iterū: Non me derideat, ait, quisq̃ ab eo medico ægrum sanari, à quo sibi pręstitum est vt non ęgrotaret. Et alibi: Duobus modis etiam in corpore cauetur morbi malum, & vt nō accidat, & vt si acciderit citò sanetur: hæc ille.

B. Aug. de vera Inno.

Idem in lib. cō fess.

Idem de natu. & gr. c. 67.

Ad hæc, Dominus ad Iudæos aiebat: Quis vestrum arguet me de peccato? Hoc certè dictum non nisi ad actuale peccatū potest aptari. Nam de originali propriè (vt ipsemet Dominus de Turrecremata fatetur) aptari non potest: quia propriè de illo peccato nemo arguitur. Et nihilosecius dicunt sancti Patres illud solum pertinere ad CHRISTVM, cum ipse solus sit Deus. Vnde B. Thomas ibi. Admiranda est etiam CHRISTI singularis excellētia: quia teste B. Chrysostomo, hoc nullus hominū potuit fiducialiter dicere: Quis ex vobis arguet me, nisi solus Deus qui peccatum nō fecit. Prouer. 20. Quis potest dicere mundum est cor meum, purus sum à peccato? quasi dicat nullus nisi solus Deus. Et psal. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum, idest, CHRISTVM: hæc ibi. Et tamen B. Virginem ab actualibus faciunt immunem. Ergo & illa potuisset eo modo dicere: Quis vestrum arguet me de peccato? Quid hîc, quæso, dicturi sunt, nisi nobiscum prædicent illam non potuisse de hoc in semetipsa gloriari, sed in Domino? Et in hoc erat singularis CHRISTI libertas & fiducialis gloriatio cui natura id debebatur, & ideò solus ipse Dominus poterat gloriari.

Ioa. 8.

Hoc vidit eo in loco B. Gregorius, qui & mirificè illud declarans, expressit non solùm negauisse CHRISTVM se peccatorem, sed qualem non peccatorem se diceret etiā ostendit, nimirum illum eximiæ innocentiæ virū, qui ex virtute diuinitatis posset peccatores iustificare. Quamobrē nullo modo MARIA æquatur Filio suo circa immunitatem, etiam ab actuali peccato, quam tamen immunitatē illi tribuunt aduersarii. Porrò licet nos illam ob copiosam eius Filii gratiam ab omni labe præseruatam prædicemus, scripturis sanctis tamen consentientes nonnullo modo eā sub peccato siue originali siue actuali cum cęteris pari respectu ac ratione concludimus, quæ scilicet erat talis naturę & conditionis tanquā Adæ filia, vt posset & deberet concludi. Quòd autem conclusa non sit, hoc fecit clementia & fauor diuinus erga illam. Clementiam autem hanc & fauorem suo iure impetrauit futura maternitas & singulare sponsalitiū, quæ isti Spinæ non curant, nec illud audiunt. Sicut lilium inter spinas, sic Amica mea inter filias.

B. Gregorius.

Argutantur & alio modo. Quùm Scripturæ dicunt: Omnes peccauerunt, prædicatū illud, Peccauerūt, de omnibus verificari debet vno modo tantū, vt intelligatur vel de facto vel ex merito aut debito & ex natura sui &c. & non ita variè, In cæteris quidem de facto, & in B. Virgine ex merito aut debito. Sicut ridiculosè simul connecteretur vna oratione pratum cum homine, in hūc modum. Homo & pratum rident: vt circa hominem risus verus, circa pratum verò risus metaphoricus intelligatur. Argutè quidem dictum: sed ita tamen argutè vt multis perimatur instantiis. Ipsemet Dominus de Turrecremata fatetur, verba illa: Omnes peccauerūt, de peccato originali & actuali debere intelligi, ita vt in quibusdā verificentur etiam de actualibus, in multis verò de originali tantū. Ecce pro diuersitate personarum quomodo aliter atq; aliter idem prædicatum significat.

Argumentum aduersariorū.

Adhæc in Puerorum hymno dicitur: Benedicite omnia opera Domini Domino. Certè non vno modo benedicunt Domino

Benedicendi Deum diuersa ratio.

omnia eius opera. Quæ enim sensum habẽt & intellectum multò aliter & magis propriè Deum benedicunt. Dicuntur & omnia seruire Deo, sed aliter atq; aliter. Dæmones illi seruiunt: sed longè alio modo quàm serui CHRISTI. Quin etiam in exemplo proposito originalis peccati, nos qui dicimur cũ ipso Adam peccasse originaliter, multò aliter peccauimus q̃ ille qui actualiter propria voluntate peccauit: nos verò in illo tanquàm in origine existẽtes. Neq; esset vllo pacto absurdum nec insolens, de variis rerum generibus, vt de hominibus, de cœlo, de arboribus & campis dicere vniuersaliter omnia rident. Sicut & medicus cum de ægroto qui iam cõualuit ita loquitur: Omnia inueni sana, videlicet hominem, vrinam, pulsum & c. rectè loquitur, significare volens quodlibet sanum suo modo.

Nec dicimus, vt quidam calumniantur, quauis diuersitate personarũ fieri vt aliter atq; aliter accipiatur peccatũ originale, quasi alio modo peccauerit latro, alio modo Ioannes Baptista. Non enim omnis diuersitas personarum constituit diuersum modum peccãdi originaliter, aut contrahendi peccatum: sed vna tantũ quæ est inter Dominam & seruos, quæ tanta est vt alium liberationis modum à peccato constituat. Istud ipsum coguntur dicere ipsimet in quàm plurimis sanctissimæ Virginis priuilegiis. Ecce sententiam illam in Adam: Puluis es, & in puluerem reuerteris, ponunt omnes esse generalẽ cũctis hominibus, & tamen de facto non attinuisse ad B. Virginem. Quid ita, nisi quòd alio modo attinebat ad eam? vt sit vera Scriptura, scilicet ex debito & merito secundum naturã. Quòd autẽ ex priuilegio ab alio debito sublenata fuerit ne de facto sacratissimum illud corpus contraheret corruptionem, nõ proptereà infringit illius dominicæ sententiæ veritatem si sanè intelligatur. *Gen. 3.*

Ecce quorundam sanctorum Doctorum fuit opinio, qui putarunt multos omninò ante diem iudicii nõ morituros neq; corruptionem corporis passuros, sed solã immutationem: quia rapiendi sunt in gloriam. Hanc opinionem nemo hactenus damnauit vt hæreticam, licet certè multis nõ placeat, & meritò quidem. Sed hoc missum faciamus: satis est quòd B. Thomas stante illa opinione vera, id quod in Scripturis habetur, quòd scilicet puluis sumus, & in puluerẽ reuertemur: Et quòd mors in omnes pertransiuit, in quo omnes peccarunt: Et quòd omnes morimur, & sicut aqua dilabimur, & huiusmodi multa, verificari etiam vult in illis qui non moriẽtur. Hoc autem propter reatum, idest, debitum contrahendæ mortis, quod fuit omnium. Hæc sunt B. Thomæ verba: Si verum est quòd non omnes moriẽtur, dicendum est ad argumentum, quòd etsi illi non moriantur de facto, est tamen in eis reatus mortis. Ecce quomodo vnam & eandem Apostoli sententiam de morte, in qua omnes ille conclusit, verificari posse ex diuerso isto modo clarè ostendit, hoc est, vt ad quosdam pertineat secundum reatum tantum, quod est dicere ex merito & debito: ad alios verò etiam de facto. Vnde & Caietanus ibidem acutè notat quòd sicut non spectat ad fidem an aliquis non moriatur, ita non spectat ad fidem an aliquis ex speciali prærogatiua gratiæ non incurrat peccatum originale. De vtroq;.n. simul inquit Apostolus ad Romanos q̃nto: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors &c. hæc ille. Vnde & in Com. ad B. Paulum tenet q̃ multi de facto non morientur. Videant igitur ipsimet Spinæ quomodo suis armis & suis autoribus confutantur & confodiuntur. *B. Tho. 1. 2. q. 81. 3.*

Ar dicent aliqui: Spina hîc se opponit Caietano. Bene habet, salua res est. Schisma igitur ortum est inter eos, nec sibi ipsis constant, sed diuisi sunt. Non ergo stabũt: quia veritatem cui omnia consonant, non habent. Equidem si contra Caietanum hac parte aliquid afferret probabile Spina in suo tractatu, libenter producerem: sed nihil ibi legitur nisi quod erat proprium Spinæ. Ad rem ergo, vt argumentum propria resolutione diluatur. Dominus illa sua lege quæ peccati originalis pœnam continet: Quacunq; die comederis, morte morieris: principaliter de vtriusq; mortis merito ac debito intellexit: & iuxta hanc principalem significationẽ æqualiter ad omnes pertinet. Quòd ergo etiam de facto ferè ad omnes extendatur, ab ipso merito est ac debito. Nam secundum ius quod ministratur à Deo, recta est ratiocinatio. Ille hoc promeruit & debet, ergo soluet aliquando de facto. Deus enim iustus est: nisi fortè alia maior fuerit ratio & causa dispensationis & priuilegii in aliqua persona, in qua de facto non verificetur, sicut in casu proposito viget de beatissima VIRGINE Dei Matre omni gratia & prærogatiua propter excellentiam CHRISTI filii sui dignissima. Itaq; scripturæ sanctæ has expositiones nedum non reiiciunt, quin potius ita requirunt, vt nisi sic accipias penitus nõ intelligas. *Caietano se opposuit Spina.*

Dictum fuit Ezechiæ ægrotanti in verbo

Domini

Domini per Isaiam: Dispone domui tuæ, quia morieris & non viues. Ille tamen de facto tunc minime mortuus est: imò fuit vitæ ipsius facta quindecim annorũ accessio. Nunquid igitur falsum loquutus est Propheta qui dixit: Dispone domui tuæ quia morieris, ac si in foribus adesset mors? Absit, sed quod ex natura ægritudinis dispositum erat, nunciatum est ei. Et hoc significarunt ea verba: Morieris, & non viues. Quod fuit verum: qua stante tamen veritate, quia Dominus sua virtute quæ est domina naturæ prohibuit euentum illum, qui iuxta rei naturam apud intellectum accidisse perpenditur, propterea verè dici potest liberatũ eum fuisse & redemptum à morte non incursa tamen, sed incurrenda propter dispositionem causarum necessario ad mortem ducentium, nisi præueniens manus Domini, sub cuius nutu sunt omnes causæ & vniuersa natura, illum præseruasset. Qui hæc vel non capit vel negat, aut stolidus est, aut proteruus: & icircò nec dignus cum quo vlla suscipiatur disputatio.

Quomodo intel ligatur mors cõminata Ezechie.

Ex his igitur quæ iam conclusa sunt, facilè patere potest cunctarum scripturarũ, etiam illius apostolicæ resolutio, quæ in vniuersum mundum intrasse peccatum manifestat, & per peccatum mortem, & ita mortem intrasse in omnes homines, in quo omnes peccauerũt. Nam si (vt iam dedimus cum glossa tamẽ sua) dici potest omnes etiã actualiter peccasse includendo simul illam Virginem, quia omnes actualiter peccassent, nisi Deus sua gratia cõtinuisset: hoc item facilè dare possumus quòd originaliter ipsa peccauerit: quæ ex merito illius peccati debebat sub illo includi, & re ipsa conclusa fuisset, nisi Dominus ex aliis (vt sæpè diximus) multò validioribus rationibus præseruasset. Quòd autem hoc non sit torquere scripturam illam, vt isti falsò existimant, fauet nobis B. Paulus qui hunc locũ in hæc verba concludit: Igitur sicut p vnius peccatum in omnes homines in condemnationem, ita per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Intende, quæso, acute lector, & vide quomodo hi duo Adam æqua lance disponuntur, vetus quidem Adam in condemnationem: nouus autem in iustificationem vitæ. Cum verò constet non omnes à nouo Adam de facto iustificari, etiam clarè constat B. Paulum ad meritum vtriusque aspexisse, non ad effectum. Sicut autem meritis iustitiæ CHRISTI multi obicem ponunt, & ideò non iustificantur de facto: sic etiam nihil prohibet CHRISTI gratiam excellentem pro Matre sua obicem meritis Adæ opposuisse, ne eã labes illius peccati & vitium attingeret. Nam ita debet Adã vetus considerari quemadmodum & nouus: ita enim ille perditor, sicut noster redẽptor. Et considera iterum prudens lector, non ab re factum vt B. Paulus perfectam non reddiderit orationem. Ait enim: Sicut per vnius peccatum in omnes homines in condemnationem: vbi certè manca est sententia, ad quã absoluendã verbum aliquod intelligi oportet. Reliquit ergo nobis locum exponendi & supplẽdi ipsam rei dignitatem & meritum, ac si in hunc modum clarius expressisset: Sicut per vnius peccatum dignũ fuit irasci Deũ ad condemnationem in omnes: ita per vnius iustitiam dignum fuit placari illum ad iustificationem omnium. Sic oportet exponi, vt sit similitudo proportionalis: & ita coactus est exponere Caietanus egregiè iis verbis: Declarat Apostolus similitudinem proportionalem, è regione delicti vnius hominis locans iustificationem etiam vnius, proculdubio IESV CHRISTI. In omnes homines suapte natura iustificatio CHRISTI in Cruce fuit in omnes homines: quoniam ipse est caput vnius Ecclesiæ à principio mundi vsque ad finem. Et propterea meritũ ipsius est suapte natura meritum omnium quantum ad sufficientiã: hæc ille. Et certè mirum est & supra modũ stupendũ, ab istis concedi CHRISTVM Redemptorem omnium, etiam eorũ qui effectu redempti non sunt, quia quantum fuit ex parte CHRISTI & eius merito redempti sunt: & tamen non patiuntur nos dicere Adam ex merito suo peremptorem & perditorem etiam B. Virginis, licet ipsa de facto non fuerit perdita nec perempta: quoniã ab eo debito seruata est & subleuata p CHRISTVM. An non stupendum, in quam, vnã & eandem interpretationem quę passim recipitur in Scripturis, quum pro B. Virginis priuilegio affertur, repudiari quasi torqueat Scripturas, & istud ab iis qui videri volunt B. Virginis zelatores?

Rom. 5.

Christi & Ade comparatio.

Caietanus.

Ecce hîc rursus clamãt in zelo suo pro B. Virgine, asserẽtes nõ posse piè ac verè dici eã cõmisisse actualia peccata, nec illi fuisse remissa, nec ab eis fuisse redemptam. Scio quę fucũ ista facere possint crassis & ignaris, & Scripturarum imperitis: at verè doctis ac peritis & assuetis in illis non ita. Sin hæc dicãtur cum vero suo sensu & declarentur, nihil prorsus impium continent: nisi verò impium esse putet deprimere naturam, & extollere gratiam CHRISTI, maximè in Virgine. Audite Spinæ & parumper semouete hunc zelum vestrum

Nota pro intelligentia scripturarum.

vestrum, ne fortè iudicetur furor. Sunt nō nulla quæ dicuntur de CHRISTO in Scripturis, quæ primo auditu horribilia videntur, vt quòd ipse fuerit peccatum & maledictum: maledictum inquam à Deo. Nonne horror est vel id cogitare? Cur hîc in zelum non rapimini acriter reprehendentes Apostolum sic dicentem & scribentem, nisi quia si pius verborum sensus declaretur, ad summam ipsius Domini laudē pertinet, & humilitatis & charitatis præconium? Tale est quod nos dicimus de beatissima Virgine quando illam sub actuali concludimus, intelligentes semper & declarantes quod erat naturæ & conditionis suæ, vt CHRISTI donum & gratiam exaltemus, qui illam à cunctis eiusmodi malis prę seruauit & protexit.

Quòd si quis vrgeat: Nunquid ergo sic prædicaretis populis B. Virginem fuisse peccatricem? Respondemus, Non certè sic nudè: quemadmodum nec multa quæ in Scripturis leguntur sic prædicanda sunt vt literæ cortex porrigit. Nonne & illa sunt verba CHRISTI: Longè à salute mea verba delictorum meorum? Et tamen qui temerè sic prædicaret CHRISTVM habuisse delicta, scandalum præberet, non autem si sensum verum aptè declararet. Sed ad rem. Si nō potest dici remissa fuisse B. Virgini actualia peccata: ad illam ergo non pertinuit orationem illam pro seipsa fundere: Dimitte nobis debita nostra, quæ oratio, teste B. Augustino, omnium Christianorum est, nec ad originalem pertinet noxam, vt idem Doctor declarat, sed ad actualia peccata, quæ sunt iustorū, ita vt quilibet pro se illud orare indigeat: & ita fuit in conciliis decisum. Orabat ergo B. Virgo vt à Patre cęlesti sibi remitterētur peccata. Dices, Sed quænam peccata, cum nulla commiserit? Nos respondemus, peccata illa esse intelligēda quæ omninò commisisset, nisi gratia singularis eam perpetuò præseruasset. Vnde & B. Augustinus ad hunc sensum respiciēs, deputabat à Deo sibi dimissum, quodcunque illo adiuuante non fuerat à se cō missum. Hûc spectat cōmune illud dictum, Pueros baptizari in remissionem peccatorū, cum non habeant nisi vnum peccatum. Sed quia virtute in eo peccato plurima continentur (vt B. Thomas docet) remissa etiam illa intelliguntur, quæ nunquam fuere commissa: imò nec etiam committenda, ab iis saltem qui ante annos doli capaces decederent.

Psal. 21.

B. Aug. confess. lib. 1.

Illud verò quod passim inculcāt: Si hoc damus B. Virgini vt sit ab omnibus excepta peccatis salua veritate Scripturarum, per eiusmodi interpretationem siue distinctionem, videlicet ex debito vel merito, siue ex natura rei, poterit id ipsum pariter concedi cæteris, aut cuicunque libuerit salua similiter Scripturarum veritate: nihil penitus habet momenti. Quod enim Virgini tribuimus, ex priuilegio tribuimus, vt non de facto incurrerit peccatum. In causa autem priuilegiorum æquare velle alium quemlibet tātæ Virgini, iniurium est atque impiū. Vna est enim perfecta & vna electa ex milibus Filia, Mater, & Sponsa Dei. Si sub actuali peccato omnes homines in Scripturis concludūtur, & nihilominus salua manet earum veritas cū excipimus B. Virginem, vt ipsimet fatentur: cur, obsecro, nō idem etiam de originali dici possit?

¶ Refellitur quartus contradicentium Zelus pro sanctis Doctoribus.

HACTENVS DE SCRIPturis volo esse disputatum ad indicandum istorum zelum non esse secundum scientiam. Nunc igitur patefacere studebimus nec pro Sanctis oportuisse tantopere zelare, tametsi id iam magna ex parte præstiterimus. Si n. Scripturæ iuxta germanum illarū sensum contra nos minime pugnāt, certè nec ipsos sanctos Patres habebimus contrarios, qui Scripturis innitūtur & illarum sensum custodiri volunt. Insistam autem potissimum in B. Augustino vt hoc demonstrem, tum quia ipse aduersus hæreticos vberius præ cæteris disputans, de mente omnium veterum, imò secundum fidei catholicę fundamenta se esse locutum affirmat: tum verò quoniam aduersarii hunc Doctorem potissimum nobis obiiciunt.

Verum cū ea quæ aduersus Pelagianos hęreticos scripsit, rectè intelligi nequaquam possint, nisi primò quæ illi dogmatizabant dilucidè à nobis explicentur, iccircò eorum dogma ab omni Ecclesia reprobatissimum, velut radix & caput plurimarū conclusionum damnabilium quæ inde procedunt, præmittendū est. Huiusmodi ergo erat dogma pelagianū, Illud Adæ peccatum non habuisse vllam vim aut meritū ad vitiandā humanā naturā, ac propterea in nullo mortalium fuisse vitiatam, sed integram, sanam, valentemque liberi arbitrii viribus perficere præcepta Dei, nanciscì gratiam (quam secūdum merita dari aiebant) & obtinere vitam æternam. Nullo ergo modo contrahere vllum hominem peccatum, seu peccati maculam, aut reatum, aut

Pelagianorum dogma.

pęnam

pęnā in sua cōceptione volebāt. Nam mortē & cętera quæ corruptionis sunt, & carnis repugnantiā aduersus spiritū, naturaliter homini accidere secundū primordia cōditionis nostræ ꝓstitutæ à Deo asseuerabāt, sed nō dominati menti. Quãobrē ipse Adā etiā si nō peccasset, incurrisset tñ mortē, & nos vnà cū illo similiter. Ex quibus omnibus consequebatur CHRISTVM ipsum fuisse gratis mortuum. Non.n.necessaria nobis fuisset per illū redēptio à peccato & à morte: nec oportuisset paruulos baptizari vt in eis vllū expiaretē peccatum. Hæc est notisſima Pelagianorū doctrina, quæ duos in se cōtinet grauissimos capitales errores. Vnum pro natura humana, quam sanam & integram existimabant, ad superbiam nutriendam in homine. Alterum contra gratiam consequenter, qua non opus fuisse ad restitutionem naturæ hominis dogmatizabant, vt sic beneficium Crucis euacuaretur, & gratiarum actiones pro illo silerent. Contra hos duos errores tanquàm fidei nostræ fundamenta destruentes. B. Augustinus neruòs intendens, proposuit hanc oppositam illis principalem conclusionem, videlicet peccatum illud suo merito totā humanam naturā priuasse gratia Dei ac vitiasse, nisi per ipsum CHRISTVM redimeretur & saluaretur; in quo solo non valuit vitiari natura, quia erat Deo coniuncta. Hæc est B. Augustini conclusio & catholica definitio, ex qua sequitur omnes qui concipiuntur, si sola corruptæ naturæ spectetur condirio, concipi in vitio & peccatores secundum debitum naturaliter. Nec ij solùm qui concipiuntur, sed ēt qui nascūtur omnes, vno CHRISTO excepto, in ea conditione deprehenduntur sui natura peccatores. Nec id solum, sed omnes vitam hanc ducentes tales, esse natura fateri oportet, idest, aptos & pronos ad peccandum, ac proptereà nullū esse posse absq; peccato etiam actuali, si venerit ad ætatē doli & criminis capacem. Vnde & tota nostra vita in peccatis traducitur, ac per hoc omnes qui moriuntur in peccatis moriuntur, nullusq; inter mortales hinc liber euadit, præter vnum Dominum Iesum CHRISTVM qui solus inter mortuos prædicatur liber. Itaq; iuxta B. Augustini sententiā, omnes nō solùm concipiuntur, sed ēt nascuntur, viuunt, & moriuntur in illo peccato. Quæ sententia nisi sobriè intelligatur, scilicet iuxta id quod erat naturæ & non gratiæ, proculdubiò falsa inuenietur: quoniam sancta natiuitas, & sancta vita, & mors etiam sancta B. Virginis catholicè creditur.

Dogmatis pelagiani confutatio.

Hîc ergo manifesta quæstionis resolutio habetur, & manifestatur B. Augustini, & omnium sanctorum Patrum huiusmodi doctrinam tradentiū, mens & intellectus, ita vt qui vult esse docilis quiescat. Cùm enim hæc iam sit totius Ecclesiæ fides, B. Virginē natā sanctam, & omnem vitam suam peregisse sine peccato: Imò & B. Ioannes Baptista, & Ieremias sanctificati in vtero apertè in sacris literis dicātur, & nihilominus antiqui Patres solam CHRISTI natiuitatem & vitam prædicent innocentem & sanctam: vt hæc simul consistant, & Sanctorum sententiæ cum fide Ecclesiæ rectè conueniant, oportet aliquid comminisci ad tollendam contradictionis apparentiam. Non apparet autem aliud quod quadrare possit, nisi illud ipsum quòd attulimus, videlicet illos sanctos Scripturarū egregios tractatores & egregiè sapientes, ad illud respexisse quod erat ex natura rei & cōditione natorū, qua perspecta, solus CHRISTVS verè absq; peccato & natus & vixisse dicitur: quia hæc gratia & prærogatiua ipsius naturę debebatur, qui summo & singulari modo generationis processit de Spiritusancto cōceptus, & inuentus Deus. Quoniam verò reliq omnes aliter concipiuntur, etiam ipsa B. Virgo ex suæ cōditione naturæ cum aliis potest dici cum peccato concepta iuxta modum loquendi Scripturarum, tametsi præseruata fuerit. Nam & illa dicitur à sanctis Patribus ēt in peccato nata: quãdoquidē ita futurū erat, nisi desuper gratia præuenisset.

Ad intelligendam B. Augu. & S. Patrum mentem.

Quod autem sancti Patres, vel ipsemet Augustinus, omnes præter CHRISTVM natos esse sub illo peccato manifestè dicant; ex illorum verbis facilè indicatur. Etenim B. Ambrosius in libro contra Nouatianū, quē citat B. Augustinus libro secundo contra Pelagianos, ita scribit. Omnes homines sub peccato nascuntur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum dicentem Dauid: Ecce in iniquitatibus cōceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea. Ecce quàm clarè non solùm de conceptione, verùm etiam de natiuitate idem prædicat D. Ambrosius, quā vocat ortum adducens psalmum iuxta antiquam lectionem lxx. qui dixere: Et in peccatis peperit me mater mea. Peperit, inquit, quo verbo non conceptio, sed ipsa natiuitas proculdubiò significatur. Aliud .n. est concipere, aliud parere. Sic & B. Gregorius locum illum allegat & D. Hilarius: Non hîc à nobis suscipitur disputatio quænam lectio sit melior, sed de sensu Doctorum quæritur. Satis mihi est ita natiuitatem sub eo vitio sicut

Notandum diligenter.

B. Ambrosius.

conceptionem absque controuersia ab illis Patribus concludi.

Affert iterũ B. Augustinus alium D. Ambrosii locũ apud Lucã capite secundo, vbi ait: Solus per omnia Dñs IESVS CHRISTVS, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non sensit, & cęlesti maiestate depulit. Vide quomodo natiuitatem suo nomine apertè exprimit vocans partum, vt inde cõsequentiam educat his verbis. Concipimur ergo in peccatis parentum, & in delictis eorũ nascimur. Ecce vt hæc duo gloriosus Doctor, conceptionem scilicet & natiuitatem simul copulans, vtramque pariter sub eadem peccati sententia coniungit.

B.Hierony.in psal. 50. B. item Hieronymus eundem psalmum tractans, generaliter de quouis homine statuit his verbis: Concipitur & nascitur in originali peccato quod ex Adam trahitur. Vbi si exponas nascitur, idest, cõcipitur (vt quidã ex aduersariis faciunt) nugatio prorsus ridicula inde resultat: dixisset enim, concipitur, & concipitur. Et ipsemet B. Augustinus hanc antiquorum sententiam sæpissimè concludit

B. Aug. cõtra Iulianum. item lib. 3. ca. 6. de pec. me. item de perfect. iustitiæ, & passim. aiens. Nullus hominum præter CHRISTVM est sine peccato infantilis ætatis ex orsu, etiam si vnius diei sit super terrã. At hoc falsum esset iuxta istorum sententiã in B. Virgine, quam vel ipsimet asserunt in vtero fuisse sanctificatam, & nascendo immunẽ ab omni peccato in mundum venisse, quæ nõ quidem solum vnum diem super terram, sed totam reliquam vitam duxit immaculatam.

Quin illud etiam considerandũ, quod egregius Psaltes totius humani generis confessionem faciens, nõ modo dixit: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, sed addidit. Et in peccatis peperit me mater mea, iuxta lectionem quam antiqui sequuti sunt, etiã ipse B. Hieronymus in sua translatione: quæ lectio videtur elegantior, ne postq̃ dictum est: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, idem superfluò repetatur dicendo: Et in peccatis concepit me mater mea, nisi fortè duos conceptionis modos innuerit, videlicet & cum primum fętus concipitur, & cum postmodo anima rationali animatur.

Ecclesiast. 40 Alibi quoque B. Augustinus sententiã illã Ecclesiastici: Graue iugum super filios Adã à die exitus de ventre matris, ad originale peccatum accõmodat. In quo, inquit, omnes nascimur. Quid hîc fingi potest, cum expressè dicat Scriptura: A' die exitus de vẽtre matris, & non à die ingressus in ventrẽ? Vnde

Concilium Mileuitanum. ex Mileuitano cõcilio vbi Pelagius damnatus est, ita legitur. Placuit vt quicunque paruulos recentes ab vteris dicit nihil ex Adam contrahere originale, anathema sit. Ab vteris, inquit, matrum recentes: non dicit in vteris cõceptos. Quin vt penitus ora contradicentiũ obstruantur, ipsemet B. Augustinus hanc

B. Augustinus in epistola ad Dardanum. ipsorum cauillosam calumniosamque interpretaionem reiicit & damnat his verbis: Hoc ergo excepto Lapide angulari nõ video quomodo ædificẽtur homines in domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cũ fuerint renati, quod non esse possunt anteq̃ nati. Et paulò post: Quòd si quisq̃ dicit iã esse natũ hominem ẽt cum adhuc est in vtero matris, testimoniumque adhibet ex Euangelio, quia dictum est ad Ioseph de prægnante Virgine Domini Matre: Quod enim in ea natũ est, de Spiritu sancto est, Nunquidnam huic natiuitati accedit secunda natiuitas? Alioqui non erit iam secunda, sed tertia. Dominus autẽ cum hinc loqueretur: Nisi quis, inquit, renatus fuerit denuò, eam scilicet computans primam natiuitatem quæ fit matre pariente non concipiente atque prægnante, quæ fit ex ea, non quæ fit in ea. Neque enim renatum dicimus hominem, quem mater peperit tanquàm iterum natus sit, qui iam semel in vtero natus fuerat: sed illa natiuitate nõ computata quæ grauidam facit, natus dicitur homo partu, vt possit renasci ex aqua & Spiritu, secundum quam ex Matre natiuitatem etiam ipse Dominus in Bethleem Iudę dicitur natus. Hæc B. Augustinus, vt perspicuè pateat quo modo istorum glossam, qui natiuitatem pro conceptione positam à B. Augustino contendunt, prius vidit ipse ac reprobauit.

Vt autem perspicias acute lector, eam generalem Scripturarum ac Doctorum de peccato sententiam, quæ omnes homines concludit, non solùm ad conceptionis tempus aut natiuitatis pertinere, verùm etiam ad vniuersam vitam hominis, vt vel mortem quoque ipsam sub peccato cõcluserint, Audi (quæso) eundem D. Augustinum, qui contra Iulia-

Augu. contra Iulianum. num ore omnium veterum sanctorum Patrũ ex professo scribens sic ait: Nullus hominũ præter CHRISTVM, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu. Et ibidẽ: In carne sine peccato viuere solius est Redẽptoris. Et alibi: Omnes baptizati orant: Di-

Idẽ in lib. de sancta virgini tate. mitte nobis debita nostra, præpositi & plebes, pastores & greges, à spiritualibus vsque ad carnales, ab Apostolis vsque ad pęnitentes: ideò neminem debere gloriari tanquàm ab omnibus peccatis sit in hac vita immunis. Et

Idẽ ad Marcellinum. alibi: Teneamus ergo indeclinabilẽ fidei cõfessionem. Solus vnus est qui sine peccato

inter

inter aliena peccata vixit, ſine peccato mor-
tuus eſt propter aliena peccata. Et in libro
de fide ad Petrum tria hæc ſimul præſtringit,
ſolum CHRISTVM conceptum, natum, &
mortuum ſine peccato. Quod ſimiliter in
Concilio Florentino ſub Eugenio quarto
determinatum eſt. Et verſiculum illũ pſalmi:
Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter
mortuos liber, idẽ p̃clariſsimus Doctor expli
cans ſic ait: In his verbis maxime perſona Do
mini apparet. Quis enim alius inter mortuos
liber, niſi qui in ſimilitudine carnis peccati in-
ter peccatores ſolus ipſe ſine peccato? Quo
Quid B. Aug. in Pelagianos contendere no- luit. in loco ad ſenſum tanti Doctoris plenius in-
telligẽdum diligẽter aduertere debet ſtudio-
ſus lector, quòd aduerſus Pelagianos diſpu-
tans, qui omninò peccatum originale nega-
bant, non ſolùm obtinere voluit eſſe pecca-
tum in conceptione hominis, verùm etiam in
natiuitate: nec ſolùm in natiuitate, ſed in tota
vita. Hoc certè neceſſarium eſt omninò in
iis euenire, qui eo peccato tenẽtur adhuc in-
uoluti, nec renati ſunt in CHRISTO. Nec id
tantũ ſatis fuit B. Aug. aduerſus illos euiciſſe,
quin vlterius adiecit nec renatos, imò nec ip-
ſos Sanctos poſt ſanctitatẽ adeptam à pecca-
to fuiſſe prorſus immunes. Etſi. n. iuſti eſſent
& ſancti, attamẽ non ita perfectè vt venialiter
ſaltem ac leuiter non peccarent: qua de re ip
ſe colligebat cõtra illos originale peccatũ. Nã
hanc peccandi neceſsitatem in Sanctis & iu-
ſtis ab originali peccato manare cõſiderabat:
qm̃ à reliquiis eius, ideſt, à concupiſcentia &
illecebris non penitus liberantur ipſi Sancti,
generaliter loquendo. At cum paulò durior
viſa eſſet huiuſmodi ſententia, quoniam non
tam contra Pelagianos originale peccatum
negantes militare perſpiciebat, quàm contra
gratiam CHRISTI & Spiritum Dei ſanctũ,
q̃ nulla regula teneri põt ne valeat ſpirare vbi
& qñ & quomodo velit, & quantũ velit etiam
ad perfectã illius peccati extinctionẽ ſaltẽ in
aliqua electa pſona, cohibuit aliquando ſe-
metipſum circa hunc articulum. Quãtum-
uis. n. plerisq; in locis perſeueraſſet id aſſerere,
videlicet nullum omninò etiam Sanctorum,
prçter ſolum CHRISTVM inueniri hanc vi
tã viuere ſine peccato (qa ſic videbãtur ſcriptu
ræ multæ, & veterũ Doctorũ ſententiæ teſta-
ri) attamẽ ſæpenumerò p̃teſtatus eſt ſe nolle
dogma ſuç doctrinç oppoſitũ damnare qua-
ſi hæreticũ, cũ nequaquã ſit contra fidei fun-
damenta. Neq;. n. per hoc negatur originale
peccatũ: ſed gratia maior contra illud & illius
malitiã aſſeritur. Quare cõcludit B. ille ac pru
dẽs Doctor, ſi ſcripturis quç innuere oppoſi-

tum videtur, congruè reſponderetur, pieta-
tis eſſe ac beneuolentiæ illud potius recipere
quod magis Dei gratiã ac miſericordiã extol-
leret. Ob eã cauſam recuſat id negocii con-
tra Pelagianos velle ſumere, vt hoc penitus
euincat: quoniã impeccãtia aut impeccabili-
tas quæcunq; ponatur, modo id non detur
naturæ (quod volebant Pelagiani) ſed gratię
Dei, nihil fauebat hæreticis. Itaq; cum nega
ret Pelagius ad quæſtionem pertinere, an om *B. Aug. de na-*
nes de facto peccauerint, quia id poterat eſſe *tura et gratia*
ſua ipſorum ſocordia ac nequitia: ſed an po- *cap. 42.*
tuerint non peccare, quod ipſe natura fieri
poſſe contendebat, Ipſe B. Aug. reſpondet
quòd in hoc, ideſt, quid de facto fuerit, ad-
uerſus illũ certare nõ erat opus. Et addit: Nã
neq; illud nimis curo vtrũ fuerint hîc aliqui,
vel ſint, vel eſſe poſsint, qui perfectam cui ni-
hil addendũ eſſet, habuerint, vel habeant, vel
habituri ſint charitatem Dei. Ipſa eſt. n. ve-
riſsima, pleniſsima, perfectiſsimaq; iuſtitia:
qm̃ id voluntate hominis adiuta per Dei gra-
tiam fieri poſſe confiteor & defendo: quãdo,
vel vbi, vel in quo fiat, nimiũ certare non de-
beo. Neq; de ipſa poſsibilitate cõtendo, cum
ſanata & adiuta hominis voluntate poſsibili-
tas ipſa ſimul cũ effectu in Sanctis proueniat,
dum charitas Dei quantum pleniſsimè natura
noſtra ſana atq; purgata capere poteſt, diffun
ditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctũ
qui datus eſt nobis. Melius itaq; Dei cauſa
agitur (quam ſe iſte agere dicit defenſando na
turã) cum & Creator & Saluator agnoſcitur,
q̃ cũ defenſa velut ſana viribuſq; integris crea
tura, opitulatio Saluatoris inanitur. Hæc il-
le doctè & piè pro gratia contra naturam.
Vnde & capite. 44. proſequitur dicẽs: Quid
ergo iam opus eſt in pluribus immorari? Ve-
niamus interius ad cauſam, quã in hac dum-
taxat quæſtione vel ſolam, vel penè ſolam cũ
iſtis habemus. Sicut enim ipſe dixit, ad quod
nunc agit non pertinere vt quæratur, vtrum
fuerint, vel ſint aliqui homines in hac vita ſine
peccato: ſed vtrum eſſe potuerint, ſiue poſ-
ſint. Ita ego etiam ſi fuiſſe vel eſſe conſentiã,
nullo modo tñ potuiſſe, vel poſſe confirmo,
niſi iuſtificatos gratia Dei p̃ IESVM CHRI
STVM Dominum noſtrum, & hunc cruci-
fixum. Et alibi aduerſus illos: Veſtrũ dog-
ma id perſuadere conatur velut inculpatæ p̃-
dicatione naturæ, & potentiæ liberi arbitrii,
& legis ſiue naturalis ſiue Moſaicæ, vt & ſi ſit
opus, neceſſe tñ nõ ſit ad CHRISTVM pro
æterna ſalute tranſire. Et alibi: De hac re cũ
iſtis tota vertitur quæſtio, ne gratiã Dei quæ
eſt in CHRISTO IESV Dño noſtro p̃uerſa

naturæ defensione frustremur. Vnde & exclamãs ait: Pro CHRISTI gratia clamo, sine qua nemo iustificatur. Qui dicũt esse posse in hac vita hominem sine peccato, non est eis continuò incauta temeritate resistendũ. Si .n. esse posse negauerimus: & hominis arbitrio qui hoc volendo appetit, & Dei misericordiæ qui hoc adiuuando efficit, derogabimus: hæc ille. Et alibi: Piè & christianè dubitari posse, vtrũ aliq tanta gratia præditi fuerint, vt omninò à peccato immunes fuerint. Sed si hoc fuit, per gratiam CHRISTI fuit. Et in lib. de pfect. iust. testatur se scire Catholicos viros tenere, posse esse hominem in hac vita sine peccato p grãm & adiutoriũ Dei, neque audere illos reprehẽdere. At eos qui Dei gratiã excludũt, omniũ ore anathematizãdos. Et alibi: Proinde, inqt, nõ multũ molesti sunt, & instandũ est eis vt si possunt, ostendant ita esse, q dicũt viuere sic hominẽ siue vixisse sinè vllo omninò peccato. Nam si testimonia Scripturarum, quibus existimo definitũ nullũ hominẽ hîc viuentem quamuis vtatur libero arbitrio, inueniri sine peccato, sicuti est: Ne intres in iudicium cũ seruo tuo, quia non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens. Et cætera talia quisquam docere potuerit aliter esse accipiẽda q sonant, & demonstrauerit aliquẽ vel aliquos sine vllo hîc vixisse peccato, qui non ei non solùm minimè aduersatus, verum etiam plurimum gratulatus fuerit, non mediocribus inuidentię stimulis agitatur. Quin etiam si nemo est, aut fuit, aut erit (quod magis credo) tali puritate perfectus: & tamen esse, aut fuisse, aut fore defenditur & putatur, quantum ego iudicare possum nõ multum erant, nec perniciosè, cum quadã quisque beneuolentia fallitur: si tamen qui hoc putat, se ipsum talẽ esse non putet, nisi re vera ac liquidò talem se esse perspexerit. Sed illis acerrimè ac vehementissime resistendum est, qui putant sine adiutorio Dei, per seipsam vim voluntatis humanæ vel iustitiam posse perficere, vel ad eam tendẽdo proficere. Et alibi Etiam si concedam fuisse in hac vita sine peccato, nullo tamen modo potuisse, vel posse confirmo, nisi iustificatos gratis per IESVM CHRISTVM. Et addit: Quid verius dici potest & breuius; quàm possibilitatem non peccandi, quantacunque est vel erit, non nisi à Deo debere reputari? Si hæc dicunt, id & nos dicimus: & iungamus dexteras: hæc Beatus Augustinus.

Idem in lib. de spiritu & litera cap. 2.

Quid hîc nostri Spinæ? Satis'ne ergo iam certi sunt eã semper B. Augustini fuisse mẽtẽ, dum poneret omnes & eodem modo sub peccato originali & actuali, & in conceptione & in natiuitate, & in vita & in morte, hoc intellexisse secundum conditionem naturę lapsæ, & seclusa CHRISTI gratia, pro qua clamare se ait, & cum illis dexteram iungere qui Dei gratiam assererent? Ergo tantò ille magis dexteram nobiscum iungit q cum illis, quantò nos magnificentius q ipsi CHRISTI gratiam erga Matrem eius charissimam prædicamus, quã prorsus ab omni peccato & singulariter ab originali præseruatam per eius gratiam profitemur, quod ipsi negant. Tantũ verò abest vt cum Pelagio in hoc dicto conueniamus (vt hi spinæ calumniosè nobis imponunt) vt etiam vehementissimè contradicamus. Pelagius enim nunq nobiscum hac in re consensisset, qui dicimus à peccato illo eam singulariter præseruatam, cum illud peccatum penitus negaret. Siquidem non potest intelligi, quenq esse ab illo malo, quod non sit, præseruatum.

Verùm quid vlterius laboro? Ipse Caietanus sicut superius citauimus nobis attestans dixit quòd hoc tantum aduersus Pelagianos B. Augustinus disputãs definiuit, videlicet esse necessarium credere ex vi suæ generationis quemlibet obnoxium esse ad contrahendum originale peccatum: nec huic fidei aduersari si ponatur aliqua electa persona ab eo' debito gratia præseruationis redempta: Hoc testimonium tantò aduersus hos Spinas debet esse validius, quantò fuit maiori vi veritatis expressum, vtpote ab aduersario pro nobis & contra suos. Quod sanè arbitror singulari Dei prouidẽtia ad horum duritiam emolliendam factum esse. Alioqui quid oportebat istud à Caietano quasi interprete declarari, cùm ipsemet Augustinus seipsum toties declarasset, nisi quia videbat suos nimium in sententia tenaces, & parum in lectione antiquorum versatos? *Nota.*

Illud ergo tandem constituendnm est, hanc de peccatis actualibus quæstionem, vtrum scilicet inueniretur de facto vllus homo immunis, non fuisse principalem cum Pelagianis, sed obiter tantum inciderat: quoniam per hæc actualia in quæ vniuersaliter homines incidebant, volebat acutissimus Doctor persuadere naturam ob peccatum infirmam. Quam infirmitatem, quæ communiter in cunctis apparet nec per baptismum tollitur, si confessi fuissent hæretici, quamcunque præterea sanationẽ per CHRISTVM posuissent in aliqua electa persona siue per modum præseruationis, siue cõmunis liberationis, non illis reclamasset B. Aug.

Epilogus disputationis cũ Pelagianis.

Alias

A lijs ipsomet teste fuisset contra gratiam cõtendere: potissimum verò si hoc de beatissima Virgine Dei Matre proposuissent, pro qua tantum reddidit testimonium, vt illud solum validissimum sit ad stabiliendam hãc tantæ Virginis prærogatiuam. Hæc enim eius Pelagium verba contra. Excepta, inquit, Virgine MARIA, de qua propter honorẽ Domini nullã prorsus quũm de peccatis agitur, volo habere quæstionẽ (iam enim scimus quòd ei plus gratiæ collatum fuit ad peccatũ ab omni parte vincendum, quæ illum concipere & parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum) Hac, inquam, Virgine excepta, si omnes illos Sanctos & Sanctas, quos ille enumerat, connumerare possemus, & interrogare vtrũ essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? An quod Pelagius, an quod Ioannes dicit rogo vos? Quãtalibet fuerint in hoc corpore sanctitate, si de hoc interrogari potuissent, vna voce clamarent: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus &c. Hæc B. Augustinus pro singulari innocentia sanctissimæ Virginis.

Nec me latet quanta vi conentur ex aduerso disputatores hunc locum ad actualia tantum peccata restringere, cum tamen absolutè dixerit B. Augustinus: Cum de peccatis agitur. Et adiecerit: Nullam prorsus volo habere quæstionem. Et rationem adiiciens dixit: Iam .n. scimus quòd ei plus gratiæ collatum fuit. Non dixit, opinor: nec dixit, scio, sed scimus: innuẽs hunc debere esse omnium Catholicorum sensum. Et declarans vnde hoc sciret, subdit: Eò quòd concipere & parere illum meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Hîc, quæso, diligenter attendat quisquis cõtradicit putans B. Augustinum solummodo sensisse de actualibus peccatis. Quæro enim ab illo, cum de Christo ait: Quem constat nullum habuisse peccatum, loquitur'ne de actualibus tantum? Absit. Hæc igitur ratio quę vtrunq; peccatum & actuale & originale à CHRISTO excludit, vrget pariter vt vtrumq; à Matre per illum excludatur. Si enim immunis ideò dicitur ab actuali, quia ipsa meruit illum cõcipere & parere qui venit tollere actuale, cur non ab originali similiter immunis dicatur, cum illum meruerit concipere & parere qui debuit tollere etiam originale, imò ipsum maximè? Certè vrget prorsus hæc ratio. Tali enim argumento vtitur B. Augustinus vbi illam vindicat ab incineratione, & perfectam eius resurrectionem astruit. Decens fuit, inquit ille, vt esset integraliter viuens, quæ omnium integram perfectamq; genuit vitã. Ita hoc in loco: Decuit immunem esse ab omni prorsus peccato, quæ meruit illum concipere qui nullum omninò habuit peccatum.

Nota pie lector.

Denique accipe totius huius sententiæ rationem: Propter honorem Domini, inquit, nullam prorsus volo habere quæstionem. Ad honorem ergo Domini pertinet immunitas B. Virginis à peccato. Quanta igitur est quorundam Spinarum inscitia qui nõ verentur prædicare hoc ipsum honori Domini aduersari? Quid, rogo, cũ istis agas? Quis enim non dilucidè videat, si ad honorẽ Saluatoris attinet saluare, magis saluare etiã magis ad eius honorem tum attinere, cum res digna maiori salute proponitur? Quis aũt neget cõstituere immunẽ ab omni genere delicti B. Virginẽ p Filij merita, esse magis illum & illũ honorare, quàm si constituatur tantũ immunis ab vno? Poterit ne quisquam reperiri erga Filium tam parum pius vt negare non reformidet Matrem Dei dignam fuisse summo saluationis gradu, quæ ipsam veram vitam & salutem mundo effudit?

Quod verò contradicentes aiunt, susceptam ibi de actualibus tantum cum Pelagio disputationẽ, falsũ est omninò. Siquidẽ prima ac maxima cũ illis quęstio re vera erat de originali peccato. Nam de actualibus obiter sermo (vt iam diximus) propter ipsum originali incidit: quod quidem peccatũ negabat ille hęreticus. Quando item obiiciunt nõ posse dici Sanctos peccatum originale habere, cum iam essent ab illo per gratiam liberati, ostẽdunt profectò quàm somniculosè Scripturas, & B. Augustini, aliorumq; veterum loquendi morem considerauerint, qui reliquias eius peccati post gratiam etiam in Sanctis remanentes peccatum vocant. Vnde & illa Scriptura: Si dixerimus quia peccatum non habemus, quæ proculdubiò cõplectitur omnes (vt vult B. Augustinus) etiam pueros, nõ de actualibus solùm peccatis vera redditur, sed & de originali: imò propter ipsius originalis reliquias illud est dictũ. Nã sine actuali potest homo, testibus B. Hieronymo, Augustino & Thoma, pro aliquo saltem tempore immunis esse: & ideò pro illo tempore posset dicere: Peccatum non habeo, & tũc falsa redderetur illa sententia. Quapropter eius veritas in originali peccato saluatur, sicut & ipse B. Augustinus aliquibus in locis, & alii multi dictum illud accipiunt.

Reliquias peccati originalis vocari peccatum.

Neq; verum est quod isti aiunt, nobis iam aduersus hoc peccatũ nullam esse pugnam:

quin potius aduersus illud assiduè est nobis, donec destruatur, colluctatio. Nam propter illud, idest, illius reliquias maxime in nos ingruunt à multis miseriis tentationes, quas omnes ob eximiam gratiam Virgo illa absq; vllo sui detrimento deuicit. Porrò opinio Magistri sententiarum aientis hanc Augustini sententiam intelligi debere veram ab eo tẽpore quo illa Filiũ suũ concepit, à B. Thoma non recipitur, nec re vera est recipienda: quia violat literam, & CHRISTI gratiã in illa præsertim coarctat, si de actualibus loquitur. Vnde simpliciter est intelligenda non solùm respectu omnis temporis, vt fatetur D. Thomas, Bonauentura, & communiter omnis schola: verùm etiam respectu omnis peccati, vt rectè sentit ipse Magister.

B. Virgo ab originali immunis quia ab actuali.

Adde φ si immunis ab Augustino dicitur B. Virgo ab actualibus, necesse est iuxta eiusdem doctrinam, etiam illam ab originali fuisse immunem: quoniam illud in confesso erat apud omnes, vnumquenq; puerum qui peccatum originale contraxisset, actuale quoq; grandioris ætatis accessu commisisse, vnde ait: Propterea nullus hominum preter CHRISTVM, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu: quia nullus est hominum pręter ipsum, qui peccatum non habuerit grandioris ætatis exortu: hæc ille. Quæ doctrina est B. Ambrosii & priscorũ Patrum, qui eo tempore non cogitarunt vt de hac Virgine gloriosa quidpiam ex professo definirent, nisi istud in B. Augustino pro nobis, nimirum: Cũ de peccatis agitur, eam semper esse propter honorem Domini excipiendam.

Solutio argumenti ex B. Augustino.

Verùm producunt ex Ps. ipsum B. Aug. quasi dicentem Adam mortuum esse propter peccatum, & item B. Virginem propter peccatum: cum tamen nõ dicat simpliciter illam mortuam propter peccatum, sed propter peccatum Adæ. Hoc autem quis negat? Si enim Adã non peccasset, nec CHRISTVS nec illa mortua fuisset: quæ tamẽ in CHRISTO non quia peccauerit mortua est, sed vt Ecclesia sancta in oratione secreta, cum eius assumptionem celebrat, testatur, pro conditione carnis quæ corruptibilis erat, migrauit.

Pulchræ B. Aug. pro B. Virgine rationes.

Accedit insuper & eiusdem B. Augustini subtilis quidem atq; elegans consideratio pro illa Virgine & conclusio, quam perfecta resurrectione cũ Filio perfrui in cęlis defendit. Nam omnes rationes quas attulit acutissimus ille Doctor, vt vindicaret corpus illud B. Virginis à corruptione, non minus illam vindicant à corruptione animæ, quæ est per peccatum. Est autem prima ratio huiusmodi:

In Ser. de Assump.

Potuit, inquit, Deus eam seruare ab ea corruptione alienam: ergo voluit. Si voluit, ergo fecit: quoniam hoc pertinebat ad eius benignitatem impendere hũc honorem Matri suæ. Quod si quis consequentiam priorem neget, reddat (inquit ille) rationẽ cur Deũ id noluisse existimandũ sit. Attendant, obsecro, hoc in loco aduersarii. Iudicauit enim pius ille & prudens Doctor satis esse ad illud priuilegium suadendum pro Matre, illam esse Matrem Dei ostendere: & quod erat possibile Filio præstare Matri, vt continuò illud pręstitum censeretur, nisi ex aduerso probaretur indecens. Hoc idem prorsus & nos dicimus. Ostendant ergo indecẽtiam aliquam isti qui tanto zelo sese nobis opponunt. Id certè nunq̃ præstabũt, nisi velint Filio simul ac Matri apertè detrahere. Quod pertinere ad illos certè non dicam, sed ad eos solos qui sunt Satanæ serpentis semen.

Altera ratio.

Altera B. Augustini ratio erat, φ B. MARIAE gratia debuit superare naturam. Diuinitatis enim, inquit, opera sunt hæc quæ dicimus: & ideò probabilia, quia ab omnipotentia. Sic & nos quoq; dicimus: Si gratia cõtinuit corpus contra illius naturam præseruando ne corrumperetur, cur non eadẽ gratia præuenerit etiam contra communem naturam, ne anima illa alioqui peccati labem contractura, non cõtraheret tamen? Nonne magis debuit seruari anima à pecati labe, quàm corpus à corruptione?

Nota pie lector.

Adiecit ille Sanctus: Illud sacratissimũ corpus de quo CHRISTVS carnẽ assumpsit, & diuinam naturã humanæ vniuit, vt VERBVM caro, hoc est, Deus homo fieret, escã vermibus traditum in communi sorde putredinis, & futurum de vermibus puluerem, quià sentire nõ valeo, dicere perhorresco. In hũc igitur modum ego à tanto viro pro zelo fidei meæ (quamuis admodum exiguo) edoctus nec sentire (fateor) valeo, & dicere perhorresco animam illam sacratissimam, quæ cum CHRISTI anima perfectissimo charitatis nexu coniuncta vna anima dici põt, simul cũ sacratissimo illo corpore quod item vnum cũ CHRISTI corpore meritò censeri potuit, per quodcunq; momẽtum fuisse vnq̃ Diaboli escam. Quod necessariò hi admittere cogũtur, quicunq; illam sub originali peccato cõstituunt. Imò tantò est horribilius sentire animam MARIAE fuisse escam Diaboli, quàm corpus illius escam fuisse vermium: quãtò anima citra vllam comparationem est cadauere præstantior, & quãtò Diabolus antiquus serpens cunctis est vermibus longè fœdior atq; execrabilior,

execrabilior, qui solus à Domino inter omnes terræ bestias maledictionem accepit. Et vide, quæso, prudens lector, quomodo nihil motus est B. Augustinus vel ab ea Scripturæ sententia: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem, quæ ad singulare videbatur priuilegiū CHRISTI pertinere. Nec item ab alia quæ vniuersum genus humanum complectitur: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Existimauit enim (vt ipse palàm declarat) priuilegia Filii etiam Matri debuisse p illum communicari, vt non minus ille fuerit beneficus Matri & Sponsæ suæ primariæ, quàm sint in suo gradu terrarum principes, vt habetur in ipsorum legibus. Dixit enim Iurisconsultorum quidam: Princeps est solutus legibus. Augusta quidem non est soluta, ipse tamen Princeps eadem illi priuilegia tribuit, quæ ipse habet. Hoc Regem regum Filiæ, Sponsæ ac Matri suæ fecisse, quis pōt nisi durus nimium & omnis humanitatis expers non libenter admittere?

Notandū diligenter.

Gen. 3.

Regula iuris.

Quapropter eò iam tota res rediit, vt vix vllam habeant opinionis suæ excusationem. Nam si rationibus eam patiantur agitari, nō poterunt ipsi vnū reddere pro mille. Quæcunq; enim ipsi afferre possunt, vno verbo resoluuntur, imò in illos retorquentur. Si autoritas veterum Patrum inquiritur, & non de prima facie considerentur sententiæ, nihil continent quod illis astipuletur. Nulla quippè fuit apud veteres de hoc dono & gratiæ priuilegio vnq̄ inquisitio vel cōtrouersia: solùm in fidei fundamentis insistebant contra hęreticos, ne naturæ vitiū, & necessitas gratię CHRISTI negaretur, & illius personæ summa ab omni peccati labe libertas, summaq; innocentia, & gratia ad liberandum cunctos idonea. Si firmiter hæc stabant, nihil supererat ad disceptādum contra vllos hæreticos: quin potius si nolint isti cōtentiosè disceptare, nonnunq̄ pro nobis omninò statuunt, cum nihil sit post CHRISTVM priuilegiū quod beatissimæ eius Genitrici libenter non tribuant omnes Sancti.

Opinioni adversariorum nec rationes, nec S. Patres nec Scripturas astipulari.

Quod autem dum solū CHRISTVM à peccato excipiunt, eum habuerint intellectum quem superius exposuimus; videlicet illius præcipuam ac diuinam immunitatem intelligentes, quam nec Angelis, nec ipsi B. Virgini tribuimus, si oporteat adhuc aliquantò vberiùs comprobare, vel ex his ipsis testimoniis quæ aduersarii inducunt aduersū nos possumus efficaciter demōstrare. Dixit B. Ambrosius (vt superius recitauimus) Solus per omnia Dominus IESVS cōtagia corruptelæ immaculati partus nouitate nō sēsit, & cęlesti maiestate depulit. Quod ait: Per omnia, quid est aliud quàm eum neq; de facto neq; ex merito vllo maculā vllam sensisse, idq; ob immaculati partus nouitatem, qui nō humano more, sed Spiritussancti opere cōceptus & natus est? Vnde & cęlesti maiestate sua depellere potuit hæc cōtagia etiam ab aliis: quantò ergo magis à sanctissima ista Virgine & Sponsa & Matre sua? Non enim fas est illam dicere talem quæ contagia corruptelę à se sua maiestate depulerit. CHRISTVS ipse depulit, ne illam omninò cōstringerent. Vide quàm eleganter in primis nobis fauet B. Ambrosius.

Ad intelligendum sensū Doctorum.

B. Ambrosius.

Nunc audi magnum Gregoriū, qui tractans illud Iob ait: Non adæquabitur ei topazium de Aethiopia. Ac si apertè dicat: Nullus Sanctorum quibuslibet virtutibus plenus existat, tamen nigredine mundi collectus ęquari ei pōtest, de quo scriptum est: Quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei. Nos quippe etsi sancti efficimur, non tamen sancti nascimur: qa ipsa naturę corruptibilis cōditione cōstringimur vt cū Propheta dicamus: Ecce.n. in iniqtatibus conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea. Ille autem solus veraciter Sanctus natus est, qui vt ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est: hæc ille. Considera verba, acute & pie lector. Nos, inquit, sancti efficimur, non nascimur. Non dixit, non concipimur (vt isti volunt) sed non nascimur, altiorem nobis sensum reddens quàm isti apprehendant. Accipit enim hæc duo velut opposita, Effici sanctum, & Nasci sanctū: & hoc posteremum velut propriū CHRISTO tribuit: illud verò vt ppriū cętetis. Quo fit iuxta hūc elegantē & altissimū sensum dicere nequaq̄ liceat B. Virginem natam sanctam, cum re vera effecta sit sancta. Nec de CHRISTO rectè dicitur quòd effectus sit sanctus, sed natus. Nasci enim sanctum significat illum nō extrinsecus accepisse sanctitatem, sed in seipso habuisse cum natura cōiunctam: & hoc quia de Spiritu sancto conceptus est, qua conceptione humana eius natura deificata est. Sic enim conceptus est vt fieret Deus homo: & ita homo nascendo, Deus prodiret. Hoc & apertius etiam docens subdit sanctus ille Pontifex: Aliud est enim natos homines gratiam adoptionis accipere: aliud vnum singulariter per diuinitatis potentiam Deū ex ipso conceptu prodiisse. Nec æquari pōtest gloria Vnigeniti habita per naturā, aliis accepta

B. Gregorius Moral. l. 18. c. 35.

per gratiam: hæc ille. Quid poterat dici clarius ad exprimendum sensum illum, quem si nostri disputatores ab initio perspexissent, fortè non tantam gratis controuersiam contra priuilegium B. Virginis aluissent.

Hunc sensum Albertus Magnus apud Lucam luculenter declarans, admonet illa Angeli verba: Quod ex te nascetur Sanctum: quæ peculiariter de CHRISTO intelliguntur, non ad conceptionem esse trahenda, sed ad natiuitatē: quæ etiam singulariter sancta fuit in CHRISTO.

Albertus magnus in Luc.

Hunc ipsum sensum protulit B. Athanasius qui de natiuitate Domini & sanctitate sic ait: CHRISTVS singulariter sanctus erat, & in hoc ab aliis Sanctis in sanctitate dissimilis, quia sanctitatem simul cum natura suscepit. Quid est simul cum natura, nisi quod illi connaturalis facta est sanctitas propter excellentissimam illam vnionis gratiam?

B. Athanasius

Beatus itē Hieronymus ea Psal. verba tractans: Non iustificabitur in cōspectu tuo omnis viuens, sic exponit. Non ait omnis homo, sed omnis viuens, idest, non Euangelista, non Apostolus, non Propheta: ad maiora conscendo, Non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Potestates, cæteræque Virtutes. Solus Deus, in quo non cadit peccatum, ab Apostolo solus iustus dicitur & solus immortalis, non quod Angeli iniusti sint & mortales, sed quod ipse ita sit immortalis & iustus, cui collata vniuersa iustitia iniquitas inueniatur: hæc ille gloriosus Doctor.

B. Hierony.

Beatus item Ioannes Chrysostomus illam cuiusdam Dæmonis confessionem apud Euangelistam: Noui quod sis Sanctus Dei, simili modo exponit dicens: Sanctum dicit eum, non vnum de pluribus, quia & sanctus erat vnusquisque prophetarum: sed vnum esse denunciat &c.

B. Ioan. Chrysostomus.

Hoc vidit & B. Gregorius Nicenus, qui sic ad literam de CHRISTI natiuitate scripsit; de natiuitate, inquam, non de conceptione: Solus hic partus masculinus spiritualiter esse conspicitur, qui nihil de fœmineitate culpæ portauit: hæc ille. Itaque partus aliorum omnium, etiam B. Virginis quāuis sanctificata fuerit, de fœmineitate tamen culpæ suapte natura aliquid secum portauit vt pura Dei creatura, & (vt inquit B. Thomas) saltem potentia à peccato non immunis. Vnde indiguit etiā atque etiam per grām mundificari ac purgari. Siquidem & Angeli assiduè corā Deo luce eius & calore purgātur, qui tamen nunquā natura debito peccati fuerunt obnoxii, sicut nos. Quo circa apud B. Iob: Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis: & cœli nō sunt mundi in conspectu eius. Hunc locum exponens B. Gregorius de Sanctis Dei, adiecit: Qui per naturā omnes in semetipsis propriam mutabilitatem habent: sed dum immutabili Veritati studiosè semper inhærere desiderant, inhærendo agunt vt immutabiles fiant. Legat cætera cui placuerit, quæ mirificè fauent intelligentiæ nostræ, quæ non est nostra, sed è medullis eruta Scripturarum à priscis Patribus, ad quam aptandæ sunt etiam aliorum autorum sententiæ: quale est illud dictum sancti Leonis Papæ, Solum CHRISTVM nō habuisse contagium, quippe qui aliam habuit naturam nulla expiatione à cōtagio indigentem: quia solus de Spiritusancto conceptus fuit. At B. Virgo ex seipsa naturam cōtagio obnoxiam habuit: quod ipsa reparatio ac redemptio quam confitemur, perspicuè probat.

B. Gregorius Nicenus.

Iob. 15.

B. Gregorius.

Nota.

Quamobrē veteres sancti Patres nullam vnquam inter conceptionem & natiuitatem fecerunt distinctionem. Quemadmodum .n. CHRISTI conceptionē ab aliis diuersam ponunt, ita & natiuitatem quantū attinet ad immunitatem peccati. Non est ergo mirū si præ illa CHRISTI natiuitate etiam cæteri qui nati sunt sancti, non absque illo peccato nati dicantur, à quo non ex se liberi, sed ab alio liberati processere. Et B. Anselmus permittit suum discipulum expressè dicere B. Virginem nedum conceptam, verum etiam natam in peccato originali: quam sententiam contra nos inducunt, cum pariter in eos retorqueatur. Siquidem natam illā confitentur sine peccato. Sed nihil est quod non inficiant suis glossis, exponentes natam, idest, conceptam: nec vident tam claram battalogiam. Alii verò interpretantur originale peccatum, idest, fomitem. Quid hîc agas bone lector, cum nihil sit eousque absurdum, quod illi nō sibi permittant, qui nec secum constant? Id autem quamobrem? Quia certè semel aberrarunt à via, & postquā res in contentionem deducta est, iam cōuenire cum reliqua Ecclesia, & ipsam rei naturam dispicere subterfugiunt; qua sola dispectione ab omnibus se liberarent ambagibus & angustiis, nec tantum Ecclesiæ Dei negotium exhiberent. Nec .n. exigua est culpa æstimanda, ita gratis solicitare Matrem suam.

Concipi et nasci indifferenter sumpta ab S. Doctoribus

Illud denique superest ad Doctorum veterum sensum certissimè coniectandū, ea quæ circa hoc dixerunt, & aduersarii contra nos obiectant, fuisse ab illis dicta tanquā certissima & ad fidem pertinentia, vt qui contradicerēt,

fidei

fidei fundamenta euerterēt, ac propterea deuitādos esse, & vt deprehēsos hæreticos, detestandos. Hoc autem nemo potest nunc asserere, nisi fortè aliqs Spina aut merè fatuus, aut verè detestandus hæreticus. Consideret hæc sancta Synodus veritatis amatrix, & claudat istorum os, & tollat audaciam insignem & impudentiam.

¶ Rationes aliquot cur Scholasticorum opiniones circa hanc materiam non sint sequendæ.

HACTENVS OSTENSVM abundè puto priscos Patres minimè nobis aduersari. Nūc illud solummodo istis restat, quòd plurimi Scholasticorū illa ætate qua floruerunt B. Thomas & B. Bonauentura, & alii qui varias scholas condiderunt, vnde Thomistæ, Scotistæ, Occhanistæ, Nominales, Reales, & si qua sunt alia discretionis sectarum nomina, aduersariorum opinionem vt veriorem probauerunt. Verùm prouidit Dominus ne horum autoritate vlterius multis atque vrgentibus rationibus persuasi deterreamur. Volo autem hîc præmittere aduersariorum lepidam astutiam, qui ad augendum suorum doctorum numerum, multos in suam nomenclaturam referunt & citāt, quorum nomina iamdudum sunt cum lucubrationibus suis obliterata. Multi etiam non cum assertione loquuti sunt, & paucissimi eorum in hanc venerunt dementiā & arrogantiam, vt hanc sententiam nostram assererent esse hæresim damnatam: quod isti Spinę tam arroganter contra apostolicum Xysti Decretum faciunt. Quod si quidam illorū veterum & pręclarissimorum Doctorum etiam assertiuè loquuti esse videātur, talem nos autoritatem (cum illorum tamen honore & bona gratia) hac parte iam cum vniuersa Ecclesia consentientes non sequimur, idq; magnis (vt paulò ante diximus) rationibus persuasi, quarum aliquot nunc proferemus.

Prima ratio. ¶ Prima igitur ratio est, quoniam si illos sequeremur, videmus derogari gloriæ CHRISTI & Matris eius: quod illi Sancti penitus nollent, cum pro illa gloriosè certauerint, quam suæ ipsorum gloriæ semper anteponi volebant. Nunc autem tantò magis cupiunt, quantò ipsis oculis certius veritatem certissime conspiciunt.

Secunda ratio ¶ Præterea, Si illos sequeremur, à sensu Ecclesiæ pculdubio declinaremus, quæ dū singularem hanc Virginis prærogatiuā in ipso

cultu diuino profitetur, vel in hoc ipso suam fidem ostēdit, quam omnes gloriosi Doctores æmulari perpetuò studuerunt: quod vel hoc in loco ex illorum disputationibus facilè colligi potest, vt inferius, Deo largiente, perspicuum faciemus.

¶ Tertiò, Si illos sequeremur, videremur eorundem probare rationes, quibus tunc ad substinendam illam opinionem mouebātur. *Tertia ratio.* At cum hæ rationes nihil faciant aduersum nos, sed conuertantur & militent manifestè aduersus illos, vt iam superius latè, clarè, atq; apertè demonstrauimus: longè iustius est vt relictis illis, si veritas potius sectāda est, iuxta illorum rationes concludamus. Maxima illorum ratio, qua concedere hoc priuilegiū B. Virgini reformidabant, erat ne derogaretur CHRISTO, & negaretur ipsius Redemptor. Cum autem patefactum iam sit tantum abesse vt derogetur, vt plurimum arrogetur: & tantum item abesse vt negetur eius Redemptor, vt etiam nobilior asseratur pro Matre sua Redemptor: meritò nullum iam pondus autoritatis videmus, cum eorum rationes, quibus ipsimet opprimūtur, hac parte mirificè talem sic eleuent autoritatē, vt oppositam stabiliant veritatem.

¶ Quartò, Iam perspicuum redditū est illos *Quarta ratio.* Doctores germanum Scripturarum sensum & sanctorum Patrum nec attigisse, nec propterea vituperandos esse. Nondū enim aperta erat rei veritas, quæ per disputationes solet elucescere. Necdum illam Deus per miracula & reuelationes manifestauerat, nec tanto cōcursu populorū & Magistrorum & Vniuersitatum celebrabatur. At nunc omnes illam libentissimè vltrò amplectuntur quicunq; nō sint addicti sectis.

¶ Quintò, Non mouemur horum autori- *Quinta ratio.* tate, quos in huiusmodi, de originali peccato disputationibus non videmus constantē tradere doctrinam, sed obscuram & sibiipsis in multis aduersantem. De his loquor qui huic sententiæ sunt aduersati. Etenim (& id sanè accipi pro miraculo potest) quod attinet ad hunc articulum, fateri necesse est B. Thomā nostram aliquādo admisisse sententiā, *B. Thomas.* quum dedit Virgini eam puritatem, qua sub Deo maior non queat intelligi, & eum gradū quo esset propinquissima CHRISTO. Nunc addo & eundem in expositione Salutationis angelicæ vbi dixit: Ipsa enim purissima fuit quantum ad culpam: quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit. Ita enim in multis codicibus antiquis cōmuniter legebatur, quod non ausus est etiā ipse Tur-

recremata

recremata inficiari. Addo insuper, Cum illam immunem ab omni actuali facit in tota vita, istam solummodo rationẽ affert: Aliàs, inquit, nõ fuisset idonea Dei Mater. At hęc ipsa ratio nõ minus virium habet contra originale peccatum. Ipse enim corroborat eam rationem quatuor mediis. Primum est, Alioqui ignominia Matris redundaret in Filium. Secundum est singularis affinitas, qua alligabatur cum Filio, cui erat carnem datura. Quapropter longè ab ea debuit esse peccatum, quia scriptum est: Quæ conuentio CHRISTI ad Belial. Tertium, singularis inhabitatio CHRISTI in illa corporaliter. Vnde prædictum fuit: Non habitabit in corpore subdito peccatis. Quartum, autoritas illius scripturę: Tota pulchra es, cuius implementũ desideraretur, nisi hîc in aliqua persona verificaretur perfectè: cui adiungitur Ecclesiæ sanctæ autoritas in illo sensu ad B. Virginem applicantis. At hæ cunctæ rationes non minus, imò magis concludunt de originali quàm de actuali peccato (veniali tamen) cũ illud multò maioris sit ignominiæ, & maiorem constituat affinitatem cum Belial, & magis subditum corpus reddat peccato, maioreq; macula fędet animam, cum faciat hominem iniquum, impium, impurum, Deo inimicum, captiuum deniq; Diaboli & peccati: ad quod expiandum oportuit pati Filium Dei & crucifigi. At nihil horum fit à veniali, quod stat cum pietate, & amicitia Dei.

Rationes B. Thomas pro Matre Dei.

Præterea, Ecclesia illam Sponsi vocem: Tota pulchra es, aptauit iam nõ solùm ad actuale peccatum, verùm etiam ad originale: imò ad originale peculiariter, vt patet in diuino officio ab ipsa Romana Ecclesia ordinato & in solennem cultum recepto. Et cum ita sit, isti tamen disputatores adeò peccatum originale suis exquisitis distinctionibus extenuarũt, vt penè suaserint imperitis nihil mali esse, perinde ac si ludus aliquis sit, sub ira Dei cõstitui, & mancipium esse Diaboli. Verùm multa sectarũ affectione dicuntur, quæ alioq nec somniarentur.

Ponderanda sunt hæc.

Sed aiunt inepti quidam: Quando B. Virgo concipiebatur, non erat tum Dei Mater cui honor deberetur. Quasi verò tunc esset Dei Mater quùm erat in vtero, & tamen sanctificabatur, nec propter aliud, D. Thoma teste, nisi quia futura erat Dei Mater. Cur igitur & hanc præseruationem tantę maternitati non donent? Verè non erat tunc Dei Mater, sed electa erat vt esset, & à Filio suo electa. Te hîc conuenio, & obnixè rogo vt paulisper semota omni affectione respondeas. Si datum tibi esset vt matrem posses eligere qualẽ velles, imò vt eã posses ipsemet fabricare, fabricares ne habẽtem maculã, an nõ habentẽ? Si ais, habentem maculam: crudelis es & amator sordiũ. Dices: Iustitia hoc exigebat vt talis conciperetur. Et nos obiicimus: Iustitia etiam exigebat vt talis nasceretur. Cur ergo non talis nata est? Hîc tę medium teneo. Et addo: Si iustitia quæritur, & nos in iustitia nitimur: quia CHRISTVS hanc præcelsam pro Matre sua meruit liberationem. Ita igitur de illo cogita qui iustè poterat hoc priuilegii suis meritis imputare, & ab initio donare Matri suæ. Quid est enim tam grande quod passione sua non obtinuerit? Si igitur in hoc dono salua fuit iustitia; quomodo putas defuisse misericordiam? Cõsidera hæc, rogo te, qui stas ex aduerso, & sedato animo recognosce, non in contentione repositam esse veram gloriam, sed in veritatis agnitione ac defensione. Ego .n. vel ipso B. Thoma teste & iudice, non minus q̃ tu etiam hac parte Thomista sum.

Nota.

Beatus quoq; Bonauentura quamuis putaret illam in originali peccatõ conceptam, attamen multa dicit ad eius gloriam, etiam celebrationẽ Cõceptionis eius defendens, quę certè cum peccato illo nõ possunt cohærere. Quin ipse libenter ei concedit quicquid non derogat Scripturis & glorię CHRISTI: vt si piè sapimus, tacitè spiritum quendam in eis fuisse intelligamus, qui deprecabatur intus p veritate. Missum facio quod de illo fertur, propè mortem ea retractauisse quæ contra scripserat. Quod mihi quidem nõ est incredibile, tametsi ingenuè fatear, nisi legitimè ostendatur, parum in disputationibus habere momenti.

B. Bonauẽture

Idem dixerim de Alexãdro de Hales illius præceptore, quem testatur Magister Gulielmus super .3. Sententiarum, similiter recantasse, & eius hac de re libellum ostensum fuisse Tholosæ dum eiusmodi quæstio ibi disputaretur. Verùm cum minimè ignoremus ad conuincendos contentiosè resistentes hęc adduci in disputationem non oportere, non iam ad eum finem ista cõmemorauimus: sed in eorum gratiam potissimum qui benigniore sunt animo, & ita paratiores atq; promptiores ad credendum quæ incredibilia non sunt. Charitas enim omnia credit & congaudet veritati, vt ait Apostolus.

Alexander de Hales.

Albertus Magnus ea similiter dixit de gloriosa Virgine, quæ certè illi conuenire non possunt, si vllum habuerit vnquàm peccatũ. Hæc eius sunt verba: Sanctissima est caro B. Virginis

Albertus Magnus.

Virginis, quæ nunquam admisit aliquid sanctitati contrarium. Omnes alii sancti admiserunt aliquid sanctitati contrarium.

Henricus. Henricus quoque de Gandauo in Quodl. art. 13, statuit, quam citò B. Virgo sanctificari potuit, eam fuisse sanctificatam. Hoc nos dicimus. Quid autem prohibet dicere in primo instanti animam illam fuisse sanctificatã?

Sexta ratio. ¶ Sexta ratio est, Non esse mirum turbam multam Doctorum in eam tali tempore conuenisse sententiam. Nam plurimi in autoritate suorum magistrorum innitebantur interdum quidem clausis oculis, nec aliud adhibẽtes iudiciũ. Nonnunquam verò (quod multò est deterius) affectione improba ac pertinaci, qua imbuti etsi multi sint numero, tamen pro vno tantum teste habendi sunt, & illo quidem adhuc suspecto. Nam cum hoc in suis legibus habeant, vt quicquid eorũ magister & autor dixerit, obligentur defendere: factum est vt minus idonea sint ipsorum testimonia, quæ non esse libera constat, sed addicta. Fatere mi frater, fatere ingenuè veritatem: nec eum odio prosequi velis, qui tibi eam amicè ante oculos ponit.

Hîc addam, in citandis autorum sententiis eos sæpenumerò non fideliter citare, tanta est affectio & cupido victoriæ, non veritatis: quod & latius in aliis opusculis nostris prodidi. Hîc vno aut altero contentus ero exemplo. Ecce afferunt B. Ambrosium contra nos in psal. 108. in hæc verba: Venit Dñus in carne, quæ peccato in Matre fuerat obnoxia: sic citat Caietanus. Hæc non sunt B. Ambrosii verba, sed ista. Solus est (de CHRISTO loquebatur) quem retia non inuoluerunt peccatorum. Omnes intra retia erant, imò extra retia sumus: quia nemo sine peccato nisi solus Deus, quem non cognoscẽtem peccatum, peccatum pro nobis fecit Pater. Etenim tradidit eum laqueis, tradidit eum retibus, mittens eum non in peccato, in quo erant omnes homines, sed in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne. Peccatum erat caro secundum illud: quia hæreditario erat damnata maledicto. Peccatum erat illecebra & ministra peccati: venit IESVS & in carne peccato obnoxia militiam virtutis exercuit: hæc B. Ambrosius. Non ergo ait: In carne quæ in Matre fuerat peccato obnoxia, vt isti citant, sed ita: Venit IESVS, inquit, & in carne peccato obnoxia militiam virtutis exercuit. Vbi manifestè de carne CHRISTI loquitur, quam ea ratione peccato obnoxiam vocauit, quia omnem peccati reatum in se contraxit.

B. Ambrosius.

Vnde & CHRISTVM factum peccatum dixit, vt per passionem & mortem illo assum pto etiam peccatum extingueretur. Ipse.n. carnem nostram in qua puniret delictum assumens, rectè dicitur carnem peccato obnoxiam assumpsisse. Non autem existimo Caietanum hunc locum B. Ambrosii animo fallendi citasse. Hoc, inquam, de viro illo credere non possum: quin potius ipse falsus, recitauit bona fide eo pacto quo ab aliis qui contentiosè scripserunt, scriptum reperit.

Accedit etiam & Robertus Olcot ordinis nostri, quem in libro Cardinalis Turrecrematæ his verbis loquentem producũt: Sicut lignum plantatum in terra solidat terram ex omni parte, & per radices suas colligat & cõstringit ne defluat, ita CHRISTVS plantatus in Virgine MARIA Matre sua, eam solidauit virtutibus, & gratiis sic cõstrinxit quòd nunquam defluere potuit per peccatum. Fuit.n. sic sanctificata in vtero, quòd emũdata à peccato originali fuit, & in ea fomes ligatus sic quòd nunquam eam ad peccãdum inclinauit. Et hæc fuit prima sanctificatio in vtero Matris suæ. Sed secunda fuit in conceptione Filii, in qua fomes ablatus fuit secũdum essentiam, & gratia superaddita, & inflexibilitatem liberò arbitrio determinauit ad bonum, sic quòd ex tunc nullo modo potuit in malum flecti. Vnde tunc confirmata fuit, sicut in via potuit. Hæc Robertus secundum istos, & sic tandem legitur in exemplaribus quæ recẽtius sunt prælo excussa. At non sic habent vetustiora, sed sic ad verbum: Istud lignum plãtatum fuit in terra benedicta, de qua dicitur: Benedixisti Domine terram tuam. Et subdit: Nam specialiter, singulariter, & appropriatè fuit benedicta. Et sicut lignum plantatum in terra solidat terram ex omni parte, & per radices suas colligit & constringit ne defluat: ita CHRISTVS plantatus in Virgine benedicta Matre sua, eam solidauit virtutibus, & gratiis sic astrinxit quòd nunquam defluere potuit per peccatum mortale vel veniale. Fuit enim sanctificata in vtero, ita quòd mũdata à peccato originali, & in ea fomes ligatus sic quòd nunquam eam ad peccandum impegit. Et hæc fuit prima sanctificatio in vtero Matris suæ: & ista sanctificatio fuit vera eius conceptio. Nam quàm citò B. Virgo habuit esse in vtero, tam citò fuit sancta. Non enim potuit esse sancta antequàm esset. Vera ergo conceptio B. Virginis attenditur & sumitur penes instans infusionis animæ in corpus sufficienter & debito modo organizatum, necnon ab omni qualitate inordinata quam constrinxerat, ratione

Robertus Olcot.

IN SEQVENTEM AVTORIS DEFENSIONEM

contra quendam Magistrum falsò & calumniosè ipsius doctrinæ detrahentem,

PRAEFATIO.

QVVM EGO TRIDENTI AGEREM, ET *Romæ de promotione mea ad ordinem Episcopatus ageretur, quidam non ignobilis Magister (cuius nomen honoris ipsius gratia non commemoro, & ut parcam manibus) zelo succensus libellum obtulit Summo Pontifici Paulo Tertio, ubi solùm nudus catalogus quinquaginta articulorum, quos ex opusculis nostris excerpserat, descriptus erat sub hoc titulo, Errores Catharini. Quod ubi mihi significatum fuit, & illorum articulorum exhibita copia, scripsi ad delatorem, ut suæ criminationis rationem redderet. Ille autem coepit stropha quadam & tergiuersatione post illam mihi iam notam inustam detrectare certamen. Ego uerò cum huius rei rumor apud plurimos clarissimos uiros sparsus esset, non putaui satis esse ad excutiendam à me eiusmodi infamiam si ille taceret, nisi ad ipsum quoq; Summum Pōtificem ad quem ille errores meos (ut aiebat) detulerat, referrem ex aduerso defensionem meam, ac calumnias delatoris mei detegerem. Quod feci ut in subiectis latius apparebit: quæ nunc etiam coactus sum non importunè publicare, quibusdam adhuc aduersus famā sui fratris iniquè & contra ueritatem mussitantibus atq; detrahentibus.*

AD SANCTISSIMVM DOMINVM NOSTRVM PAVLVM TERTIVM PONT. MAX.

F. *Ambrosius Catharinus Politus Electus Minoriensis.*

CVM CERTO AC FIDELI NVNTIO perlata esset ad me schedula hoc titulo prænotata, Errores Catharini, quam tuæ Sanctitati à quodā Magistro delatam accepi, perlegi, facileq; pernoui immeritò atq; iniuria me ab eo fuisse traductum, & eius rei nomine quam non sit mihi fas vllo pacto dissimulare, aut silentio præterire. Nolo .n. (inquit B. Hieronymus) in crimine hæresis quenq̄ esse patientem. Nec enim absq; rectę fidei præiudicio & multorum scandalo negligerem hac parte bonam famam, quā multis annis tum sermone, tum scriptis in hæreticos atq; adeò ipsas hæreses pro virili decertans mihi comparaui, & hactenus (Deo gratia est) illibatam & sine querela seruatam custodiui. His addo, quod & me vehementer ad respondendum permouit, quoniam tueri debeo iudi-

autoritate reprehenderit, cui hæc nostra primũ opponere, puto esse plus satis. Reliquum est ut me ouem tuam, quam peculiariter cępisti respicere summe Pastor, non deseras. Ipsa enim parata est audire uocem tuam, ut ueri Pastoris uocem & CHRISTI uicem gerentis, ut quicquid siue de hac re, siue de quauis alia, tua sancta Sedes pronũciauerit, illud tanq̃ Euangelium Dei sit osculatura.

VT IGITVR ORDINATE PROCEDAM, *ponam sigillatim conclusiones ab eo notatas, & continenter singulis nostras subyciam defensiones, quoad fieri poterit strictim ac paucis uerbis.*

Aliqua enuntiatio neq; vera est, neq; falsa, vt omnis de futuro contingenti. Conclusio.

Et si hæc conclusio nihil ad fidem attineat, sicut nec plurimæ caril quas carpit Magister, ut indignum fuerit eas ad cognitionẽ tuæ s. Sedis adducere: Illud tamen summoperè admiror, quomodo eam quasi meam reprehenderit, cum non sit mea, sed Philosophi in libro Peri hermenias, & omnium ueterum nobilium illius interpretum, si de contingenti ad utrumlibet intelligere uelit (sicut ego declaro) licet hoc recentiores quidam negauerint, qui tamen maiorum ac multò doctiorum, scilicet Ammonij, Pselli, Boetij, & aliorum etiam D. Thomæ nostri autoritate facile retunduntur. Est & Gregory Ariminensis testimonium, qui ostendens hoc quod dixi, sensisse Philosophum, in hunc modum pro nobis scripsit: Patet euidenter quòd opinio Philosophi fuit, quòd nulla propositio singularis de futuro contingenti, est determinatè secundum se sumpta, uera uel falsa. Et miror multum quomodo aliquis intelligens putet Philosophum illud non sensisse, præsertim cum oppositum dicentes nullum textum uel sententiam Philosophi ad probationem sui dicti adducant, uel adducere possint. Item moderni magni Doctores dixerunt, non solùm fuisse de intentione Philosophi, sed etiã esse uerissimam & utiq; demonstratiuam: hæc ille. Vnde concludit quòd nullus debet dubitare fuisse Philosophi, & citat etiam quendam suæ ætatis theologum doctorem, nimirum Aureolum uirum certè acutum & doctum, qui non solum conclusionem hanc ut rem claram ponit esse Philosophi, uerùm etiam illam esse uerissimam contendit, & euidentissimis argumentis demonstrat. Defensio.

Nolo tamen quisquàm existimet me citasse Gregorium ut mihi seruiat, præter quàm in eo dumtaxat quòd quæ reprehendit Magister, asserit esse Philosophi. Nam quod ipse Gregorius ausus fuerit Philosophum reprehendere, nedum non probo, sed uehementer admiror: quia cum illo multos etiam doctissimos & insignes uiros reprehẽdit qui hac parte Philosophum sectati sunt, quod ipse etiam minime inficiatur. In eo autem uehementer deceptus est, quòd putauit dixisse Philosophum, alteram duarum harum diuisim, Erit, uel, Non erit nauale bellum, esse uerã, quod nunq; dixisset Philosophus: sed solam hanc totam simul esse ueram, Erit, uel non erit nauale bellum. Quia igitur non uidet differentiam super hæc, quæ alioqui tam latè patet, & putauit uerum & falsum esse opposita contradictoriè non contrariè, ideò dixit Philosophum turpiter logicè & physicè aberrasse, non uidens quòd hoc totum sibi potius conueniebat: sed ad rem.

Si igitur tantorum uirorum autoritas, & in primis ipsius Philosophi stat pro me, & hoc ipsum non ignorabat Magister, cur me unum petit, & non eos potius quos ego autores sequutus sum? Nam turpe est Magistro dicere, Ego hoc ignorabam. Posset enim in eum obyci: Qua ergo confidentia Magistrum agis, præsertim alios reprehendens de eo quod nescis? Verùm quia scio Magistrum ualdè, & meritò quidem, autoritate B. Thomæ moueri, unico argumento ex doctrina ipsius Sancti Doctoris collecto, uolui probare quod iste reprehendit. Mitto ipsius expositionem ad

dam in Deo ponere. Quod, inquam, nequeant aliqui à gloria excidere, & cęteri nequeant ad eam pertingere, impium est & Deo indignum hoc iudicium. Pęnas, inquã, ante peccatum meditari, prius odisse quempiam quàm sit odio dignus, & volens hoc modo damnationem vult consequenter peccatum vt habeat quod puniat atq; ita laudetur, quænam piæ possent aures admittere tam peruersa tanquàm vera? Quin & Augustinus hoc dogma tanquàm impium & absurdum improbat pluribus in locis. Ne igitur manifestissimis hæreamus mendaciis, manifestissimis resistamus Scripturis, ne ita cogamur clausis oculis deuorare tam horrendum dogma.

Hanc superiorem doctrinam, tametsi truncatè nec satis fideliter citet, omittens plura quæ lucē dabant perspicuam, & alia quædam inuertens ut inuidiam moueat, fateor tamen esse doctrinam nostram, quam uel probare uel defendere arbitror esse superuacaneum, tum quia in libellis editis id plus satis mihi uideor effecisse: tum uerò quòd ipsamet ueritas sui perspicuitate & claritate se defendit, & hactenus nullius Doctoris *&* Theologi *& sapientis autoritate potest reprehendi, cum opposita doctrina manifestè sit impia & in* Deum *blasphemia.* Nam *lutherana prædicatio nihil habet magis horrendum, quodq; grauius infirmæ fidei plebes in miserandam anxietatem adducat, quàm hoc* Dei *præiudicium contra quod ego scripsi.* Vnde *cogitur infelix homo aut arrogãter præsumere, ad quod hortatur lutherana prædicatio: aut (si magis sapiat) miserabiliter desperare.* Sed *hac de re fusius in libris nostris.* Verè *Beatissime* Pater, *admiror uehementer ac stupeo quomodo adduci potuerit hic* Magister *ad reprehendendum ea quæ, sola communis animorum conceptio facilè potest aduersus quamlibet munitionem tueri.* **Defensio.**

Certus est apud Deum numerus prædestinatorum non autem saluandorum. Non enim soli prædestinati salui fiunt Dei voluntate, cum Deus velit omnes homines saluos fieri: Alioqui non idonea media ad salutem non prædestinatis præparasset Deus. **Conclusio.**

Etiam pergit non fideliter nostra citare. Ego *enim non dixi absolutè,* Non *esse certum numerum saluandorum apud* Deum, *sed dixi,* Non *esse certum in prouidentia* Dei: *hæc mea sunt uerba.* Non *est igitur certus ille numerus saluandorum in prouidentia* Dei. Et *mox adieci, quòd certus erat omnium numerus in præscientia* Dei. Licet *enim (ut B.* Ioannes *Damascenus ait) omnia præuideat* Deus, *non tamen omnia prædeterminat.* Cur *igitur tam sæpe inuertit uerba mea?* Cur *de his detrahit?* Cur *& addit de suo, sicut iam patuit, & patebit adhuc?* Quare *meo iure poteram duo ab eo postulare antequàm responderem quicquàm,* Primùm *ut citaret nostra fideliter: alterum ut ratione, & non sola sui ipsius autoritate me premeret esse* Pythagoræũ *& dicere:* Ipse *dixit.* Nã *et nos manũ ferulæ (eius bona pace sit dictũ) iamdudũ subduximus.* **Defensio**

Augeri potest ac minui numerus saluandorum secundum materiam seu personas, & nequaquàm Deo certus est, nisi secundum speciem numeri: secus de numero prædestinatorũ qui certus est etiam secundum personas, & augeri non potest nec minui. **Conclusio.**

Et hic deest quod etiam in superioribus ipse detraxit: quoniam ego loquor de certitudine nõ secundum præscientiam, sed secundum prouidentiam: & sic est eadem conclusio cum superiore. **Defensio.**

Hæ sunt concedendæ simpliciter. Prædestinatus necessariò simpliciter saluabitur, necessariò non damnabitur, non poterit non saluari, non poterit non damnari. **Conclusio.**

Hic menda est: unde uenerit nescio. Abundat *enim in ultimis uerbis negatio, ubi pro eo quod legitur,* Non damnari, *reponi debet,* Damnari, *& rectè habet.* **Defensio.**

Istæ neq; veræ sunt neq; falsæ. non prædestinatus saluabitur. Non prædestinatus damnabitur, sed possibiles. Nam si vera esset secunda, iam non prædestinatus necessariò dãnaretur, quam tamen nullus concedit præter hos nouitios Magistros. **Conclusio.**

Reprobatus, necessariò simpliciter damnabitur, neq; poterit saluari, præscitus tamen saluari saluabitur, non tamen necessariò simpliciter vt non possit non saluari.

Ratio differentiæ inter prædestinationem & præscientiam Dei communi sensu sumpta respectu dictarum propositionum est, quia prædestinatio certam importat ordinationem, & salutis causam includit necessariam ad necessarium effectum, secus per omnia de præscientia. Non enim quis saluabitur, quia præscitus sit saluari, sicut prædestinatus saluatur, qa prædestinatus. Certò enim & necessariò ex suppositione tantũ præscitus saluari saluabitur.

Defensio. *Agnosco has quatuor superiores conclusiones, & si suis uerbis ineptè & mendosè positas, emendatas tamen, & fateor esse meas, quas intelligentibus terminos ipsos arbitror esse claræ ueritatis & omni acceptione dignas. Nam & sic positæ probatæ sunt ab illa celeberrima Vniuersitate Parisiensi, cum omnibus superioribus quas notauit Magister. Videat ergo ipse quo pacto eas ualeat expugnare. Sed prius studeat bene capere quæ dico, quoniam non dubito (bona eius cum uenia dictum sit) pleraq; ipsum carpere quæ non capit.*

Conclusio. Multi ergo præsciti potientur regno & saluabuntur, licet non sint prædestinati.

Defensio. *Non sic scripsi de præscitis simpliciter, sicut usurpant Scholastici, qui præscitos intelligunt reprobatos: sed sicut rectius usurpat Scriptura, quod ego disertè declarãs dixi, Præscitos saluari. Quod contingere etiam multis non prædestinatis existimo. Cur igitur toties falsò citat?*

Conclusio. Non concederet S. Thomas & alii Scholastici, quod huius ordinis qui possunt uidelicet saluari & damnari, quales sunt omnes præsciti non prædestinati, saluentur nulli, sed damnentur omnes.

Defensio. *Verè credo quòd non concederet B. Thomas quod nulla consequentia educi potest, quodq; minime est uerisimile, uidelicet quòd Dominus Deus constituerit ordinem alium post prædestinatos, qui contineat innumerabilem hominum numerum, & tamen nemo illorum assequatur salutem, cũ omnes assequi possent, & ad illam omnes essent ordinati à Deo. Quare contra hoc asserentes, nihil uideo quid ualeat obyci, cum ex Philosopho, Dato possibili in esse, nihil sequatur absurdi: & cum ex non prædestinatione minime etiam sequatur damnatio. Quæ si bene cõsiderare uellet Magister, & absq; ulla affectione sectarum, quæ res plurimum uiam claudit multis ne multas ueritates queant agnoscere, non dubito quin facile in sententiam nostram ueniret, sicut & multi uenerunt & py & catholici, & ingentes egerunt mihi gratias, quia in abstrusissima quæstione uiã illis ad lucem ostendi.*

Conclusio. Explanat illud: Qui uiuit in æternum creauit omnia simul, quod per vnicam eius, quæ ab æterno fuit, productionem emanarunt cuncta, suis tñ illa distincta naturis & tẽporibus.

Defensio. *Et si nesciam ubi locum illum sic explanauerim, uolo tamen agnoscere hanc expositionem ut meam. Nam cũ in se sit uerissima, & uerba textus illi non obstent, non uideo quid bonæ causæ mouerit illum ad reprehendendum.*

Conclusio. Hi qui nõ sunt pdestinati non ppterea reprobari intelliguntur, sed minore fauore digni.

Defensio. *Tædet toties idem repetere. Quare breuiter respondebo, Si quid sit prædestinatum esse reprehensor noster intellexisset, iuxta sensum Apostoli & B. Augustini quos ego sequor, nullam hic mihi moueret quæstionem. Sciret enim ex uera logica ex non prædestinatione minime inferri reprobationẽ à gloria, non magis quàm ex non esse coruum, inferatur non esse animal nigrum.*

Conclusio. Præter CHRISTVM & B. Virginem, immunes fuerũt & alii ab actuali peccato: quod specialiter affirmat de B. Ioanne Baptista, sine assertione tamen vult hæc esse dicta contra communem opinionem Ecclesiæ.

Defensio. *Mirificè loquitur Magister dum ait, Primùm me affirmare, & mox quòd sine assertione uolo hæc esse dicta: ita quòd apud Magistrũ protestari sine assertione me loqui, est affirmare. Quis hic non uideat animum propensum nimis ad reprehendendum, dum uult omnino me affirmasse, quod etiam me non affirmasse ipsemet fatetur? Sed ait, hæc à me dicta esse contra communẽ Ecclesiæ opinionem. Hic uerè quid Ecclesiæ nomine ipse intelligat, ignoro. Ego certè non legi circa hoc quicquàm determinatum neq; opinatum ab Ecclesia: Imò audio canentem illam de B. Ioãne Baptista, Ne leui saltem maculare uitam famine posses. Quæ certè uerba à nonnullis catholicis in eum sensum accepta sunt, ut indicent B. Ioannem immunem fuisse etiam ab actuali. At communis Doctorum opinio (inquit) oppositum docet. Primum hoc ego nescio. Nã istam quæstionem non uidi particulariter à ueteribus tractatam. Sermones autem uniuersales qui procedunt ex regula, non obstant singulariter priuilegiatis. Deinde fingamus sic esse quòd cõmuniter Doctores ita opinati fuerint. At nunquid omnis opinio, quæ non est cõmunis Doctorum opinio, continuò*

est

est damnanda? Si hoc fatemur, iam nihil disputationi & ingeniorum exercitio relinquitur: quia in quauis ferè controuersia oportet maiorem Doctorum numerum in alterā partem inclinari. Vix enim unquam habebunt se æqualiter. Et quot opiniones B. Thomæ damnarentur, quæ iam non sunt communes? Et quot nunc sunt communes quæ antea non erant? Imò aliquando communes opiniones factæ sunt hæreses. Ego enim arbitror esse hæresim, sicut & B. Thomas affirmat, existimare prædestinationem esse ex præuisis meritis, quæ tamen aliquando ante B. Augustini tempora erat communis opinio, ut ego ostendi. Itaq; non debuit Magister habere hanc pro damnata conclusione ob eam solam causam, quia plures Doctores non probauerint, quod minimè ignorabā: sed ad illum attinebat respondere rationibus, quas ego ualde probabiles pro illa adduxeram. Aut econuersò improbabilitatem nostræ opinionis ostendere aliqua ratione, & constanti autoritate. At inquiet, B. Augustinus illam non probat. Scio & fateor, sed in eo calore disputationis aduersus Pelagianos, & tamen ipsemet Augustinus in re proposita in hunc modum scripsit: Piè & christianè dubitari posse, utrū aliqui tanta gratia præditi fuerint ut omnino à peccato fuerint immunes, sed si hoc fuit, per gatiam Dei fuit. Et alibi: Non contendo cum eis qui asserunt hominem per gratiam Dei posse in hac uita sine peccato uiuere: non contendo, non contradico. Hæc B. Augustinus. Cur igitur non sequutus est hoc in loco Magister B. Augustinum, qui non uult contradicere neq; contendere etiam in asserentem? Magister autem etiam me non asserentem adeò fœdè traducit, cum opinio tamen fauorabilis sit & benigna, præsertim cum & illud cautè adiecerim, me non excusare B. Ioannem ab omni penitus defectu, sed à peccato imputabili, ut indicarem quòd haberet quandam ex natura collapsa necessitatem, quæ non dignè ueniat appellatione peccati. Nam etiam memini quodam in loco sic dicere B. Augustinum. Quid uerò habet improbabile, hominem eousq; ore Christi commēdatum, quo maior Propheta non surrexit, à peccato actuali & imputabili fuisse immunem propter excellentē Christi gratiam? Erat ne Deo hoc impossibile? Nōne hoc promeruit pro eo IESVS si uoluit? Quid ni uoluerit? Nunquid non pertinet ad perfectionem & pulchritudinem Vniuersi, dari omnes rerū omnium gradus? Cur nō & omnes gratiæ gradus, ut sit ipse Christus immunis ab omni peccato natura, quia Dei filius singularis: cæteri autem sola gratia liberentur? Et Beatissima quidē Virgo sic liberata, ut esset immunis etiam ab originali, non natura, sed priuilegio. Ioannes Baptista ab actuali: plurimi à mortali, ut sic omnes gradus gratiæ in Christi corpore inueniantur. Quod uerò hoc de B. Ioanne non placuerit Magistro, non miror: quia nec placet illud de immaculatissima Virgine Dei Matre, quantumuis nunc totus christianus orbis unanimi consensu & cultu receperit. Sed de his hactenus, quæ certè non erant digna quæ ad cognitionem Sanctitatis tuæ deducerentur. Poterant enim disputari ad mensam, & unumquenq; sinere abundare in sensu suo, modo quilibet paratus fuerit subdere intellectum in obsequiū fidei. Nam si quando aliter fuerit ab Ecclesia decisum, non aperiam os uel ad muttiendum.

Quòd in peccato originali si homo perseuerasset, in omne præcipitium actualium peccatorum caderet: uerùm quòd non essent imputabilia magis quàm primum originale peccatum, eo quòd hæc (inquit) ab illo de necessitate prodirent. Conclusio.

Nescio quid de superioribus reprehendat. Si primum dictum, quòd si homo in statu originalis peccati perseuerasset, in omne præcipitium peccatorū caderet, certe non me reprehendit, sed uniuersam Ecclesiam, & Concilia, & Scripturas sanctas, cum qui natus est ex carne, caro sit, & opera carnis sint manifesta quæ docet Apostolus, nimirum adulterium, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorum seruitus, ueneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia. Si hæc non uidentur Magistro nostro præcipitium malorum, doceat nos quodnā sit aliud. Ad hæc, Qui traditi sunt in reprobum sensum, nonne sunt hi qui dimissi sunt sibi ipsis & proprijs uiribus? Defensio.

Modo uideamus quid ijs contingat. Audiamus Apostolum *ipsum de his testificantem.* *Tradidit* Deus, *inquit, illos in reprobum sensum ut faciant ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores,* Deo *odibiles, aut potius* Dei *osores, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absq; fœdere, sine misericordia.* Hæc *testatur* B. Paulus *de his qui relinquuntur à* Deo, *& dimittuntur sibi ipsis.* Hæc *uerò nunquid non sunt præcipitium malorum ante oculos Magistri? Sed piget & tædet de his disserere quæ sunt nostræ fidei fundamenta.* Quòd *si secundū dictum reprehendit, & uelit quòd si homo omnino derelictus à* Deo *in eo statu peccaret ea necessitate compulsus, nihilominus esset illi peccatum noua imputatione imputabile, proculdubio non iam mecum, sed cum* B. Augustino, *imò cum euidenti ratione pugnabit.* Dixit *enim ille gloriosus* Doctor: Non *quod naturaliter nescit, & naturaliter non potest, hoc animæ imputatur in reatum, sed quod scire non studuit, eo quòd dignam facultati comparandæ ad rectè faciendum operā non dedit.* Hæc *ille.*

Conclusio. Quòd sub lege scripta non potuerint opera bona fieri.

Defensio. *Primum quod ait me dixisse, Sub lege scripta non potuisse opera bona fieri, non est uerum, et si posset etiam ad bonum sensum trahi. Sed dixi & dico, quòd homo existens sub lege siue sub litera legis, & non sub gratia, cum dominaretur ei peccatum, non poterat operari opera bona. Si hoc reprehendit* Magister, *non me reprehendit, sed Scripturam sanctam, &* B. Augustinum, *qui passim hoc docet, & omnes posteriores sequuntur. Non me latet esse quæstionem inter Scholasticos, An homo absq; speciali fauore* Dei *possit aliquid boni saltē moraliter operari, quod multi etiam non concedunt: & hoc esse de mente* D. Thomæ Capreolus *asserit.* Nec *debet esse dubium de* B. Augustino, *sicut* Gregorius Ariminensis *late probat.* In *hanc sententiam etiam ueteres sanctos* Patres *conuenisse, testis est* Ioannes Roffensis Episcopus *nostra ætate gloriosus et uerè martyr, qui egregiè magnaq; cum laude contra hæreticos huius temporis scripsit.* Si *ergo me hac in re damnat* Magister, *cum non me solum, sed mecum tot & tantos uiros &* Patres *simul damnet, seipsum potius damnat.*

Conclusio. Quòd obseruantia illius legis vitę æternæ meritum non habet.

Defensio. Nec *ego hoc unq; dixi quod mihi* Magister *falsò imponit, cum secundum uim uerborum scirē esse contra sententiam* Domini *aientis: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata.* Nam *semper ego docui, neminem potuisse illam legem perficere coram* Deo, *hoc est, ad meritum æternæ uitæ, sine fide & gratia* Dei. Quòd *si hoc uelit impugnare, nihil aliud aget nisi quòd simul una & eadē opera declarabit se non esse christianum.* Quare *& illud quod continenter annotat, eiusdem generis est.*

Conclusio. Talem quoq; legem non potuisse bonam reddere humanam voluntatem, imo peiorem eo tum faceret, quo non obediret homo legi nisi timore pęnæ. Per legem insuper eandem eò magis in corde concupiscentiam & offensionem Dei creuisse, quo maior erat prohibitio legis, & quòd esset impossibile non transgredi legem in eo statu.

Defensio. *Agnosco hæc omnia ut uera, ut sancta, ut* Apostolica. Non .n. *ferè aliud declarat* B. Paulus *in ea quæ ad* Romanos, *& ad* Galatas. Quamobrem *ut excusem hominem, cogor credere hæc illi excidisse aliud cogitanti.* Alioqui *si hæc ex certa scientia diceret, nescio quomodo defendere posset se* Iudæum *non esse, qui nititur in litera quæ occidit, & spiritui* Christi *qui uiuificat, contumeliam facit.*

Conclusio. Quòd iustitia quę procedebat ab lege scripta, erat iustitia humana & coram hominibus, & non coram Deo. Erat iustitia falsa, cuius finis erat esse in reputatione hominum, & in ea non erat charitas Dei. Et quòd de tali intendebat Paulus cum dicebat se omnia arbitrari vt stercora &c. Nec illa iustitia procedebat ex fide vel gratia, vt iustitia legis nouæ, sed ex libero arbitrio vigore legis.

Totum hoc quod notat, hausi ex doctrina Apostoli & B. Augustini et omnium Catholicorū. Defensio.
Videat Augustinum qui volet in libro tertio cap. vij. contra duas epistolas Pelagianorum, ubi et illum Apostoli locum sic exponit ad literam, sicut ego. Quamobrem quis sibi temperare queat, et à stomacho se abstinere, cum quae ipse reprehendit, alius reprehendere nisi Pelagianus non possit? Neq; mihi dicat quisq;, hoc esse conuiciari. Non est enim conuiciari in re ualdè seria & tanti momenti defendere ueritatem, & ostendere rem incredibiliter peruersam, quòd homo christianus, religiosus, ac praepositus ut sit speculator & censor peregrinarum doctrinarum, ea taxet in fratre suo & eiusdem ordinis uiro, quasi falsa & haereseos suspecta, quae si ille non confiteatur uera esse & catholica, continuò se prodat haereticum. Et qualem haereticum? Nempe talem, qui uelit iterum naturam lapsam erigere, & Christi gratiae facere contumeliam. Haec igitur aperire, non est conuiciari, sed est admonere ut qui legit intelligat, & ipse saltem discat quomodo debeat alios posthac reprehendere, scilicet consultius & rationabilius.

Quod iustitia qua iustificamur, non est aliud quàm charitas. Conclusio.

Haec item conclusio ad literam est B. Augustini, ut ego admonui: quam multis in locis, & praesertim in eleganti libro de Natura & gratia, saepenumerò asserit & repetit, uidelicet nō aliud Defensio. *esse iustitiam Dei de qua Apostolus, quàm Dei charitatem. Primùm ergo aut eximat se Magister ab Augustino, aut pugnet cum illo, & interim dimittat me. Non sum tamen nescius, esse hac de re apud Scholasticos opiniones. Verùm nouerit Magister in praesenti Synodo à multo maiore parte tum doctrina, tum numero & Theologorum & Patrum, illud esse probatum quod hic taxat quasi errorem suspectum, quanq; non processerit absoluta definitio. At ualdè iniquum est, uelle uel haereticum, uel de haeresi suspectum quenq; pronunciare ob id solum, quia B. Thomae aliquo in loco opinionem non sequitur.*

Quod ex fide necessariò procedat charitas. Conclusio.

Si inuenerit uspiam hoc me scripsisse sic absolutè sicut ipse adducit, fateor iure me esse reprehensum, sed non inueniet. Nunquàm enim ego uel per somnum id cogitaui, sed expressè scripto Defensio. *& uerbo aduersus haereticos oppositum defendi. Quare meritò conqueri possum, qua conscientia eousq; frequenter his obiectis me Magister asperserit tam apertè falsis. Quid poterit hic de illo suspicari homo qui ista intelligat, & non sit mente captus?*

Quod Habraham anteq̄ crediderit Deo se patrem futurum multarum gentium, fuit Conclusio. peccator & nullo modo iustus. Et quòd per illā fidem primò fuit iustificatus in conspectu Dei.

Etiam perpetuò pergit non fideliter nostra producere. Vbi enim (quaeso) dixi, Abraham Defensio. *anteq; crederet Deo se patrem futurum multarum gentium, fuisse peccatorem & nullo modo iustū, cum ego oppositum doceam è diametro in libro nostro De perfecta iustificatione à fide & operibus, & in Cōpendio contra libellum inscriptum, Beneficium Christi? Item contra Summarium Scripturae? Hoc porrò est quod constanter docui & doceo, quòd Abraham antequàm crederet Deo ea quae sunt propriè fidei de Christo, non erat iustus, sed peccator. Hoc autem non ego, sed B. Paulus ait. Sic omnes Catholici citra ullam controuersiam recipiunt & confirmant. Consideret ergo Magister quid ipse dicat.*

Actuale peccatum Adae solum est singulorum originale, licet fomes seu cōcupiscentia, Conclusio. & similiter aliae pęnae sint in diuersis diuersae.

Homines contrahere peccatum originale nihil aliud est quàm ipsos effectus, reatum et pęnas Adę peccati, in quibus peccatum apparet, in se recipere.

Si quaeris quodnam fuit peccatum nostrum quod originale dicimus, dico propriè loquendo, non fuisse amissionem donorum iustitiae originalis. Nam hęc amissio ex peccato uenit, non autem peccatum fuit.

Ergo peccatum illud ex quo processit haec donorum priuatio in nobis, fuit peccatum nostrum originale. Hoc autem fuit, nimirum ille esus vetiti fructus, quem fecit Adam, in quo etiam comedente comedisse censemur.

Defensio. *Fateor has meas esse, licet ab ipso ineptè recitatas, quas etiam magnis puto me rationibus probasse: multis autem pijs & doctis certus sum etiam persuasisse. Quòd uerò eas Magister non probet, non ualdè miror. Quòd etiam reprobet non rationibus agens, hoc mirandum est; cum id sit præter magisterium, præsertim in articulo circa quem Scholastici inter se dissentiunt, et Ecclesia nihil certi determinauerit. Quantò prudentius egit hæc sancta Synodus Tridentina; quæ noluit de hac re controuersiam admittere? Verùm ego de hoc ipso nouum libellum composui, ubi planè ostendo quæ ego docui de essentia peccati originalis, non esse nouum meũ cõmentum, sed penè omnium ueterum. Quod enim nonnulli recentiores è nostris qui scripserunt in hæreticos, idẽ tenuerint, facile ego indico, quos expugnare erat gloriosius Magistro, quàm me qui corã illo (ut ex suis literis ad me datis innuit) eram potius contemnendus.*

Conclusio. Quia peccatũ Adæ maxime apparet in ea deordinatione quæ est in carne nostra ex peccato illo, quæ fomes, libido, & tyrannus dicitur, & quæ superat animæ superiorem partẽ, & dominatur ei, ideò apud Paulum & in tota Scriptura conuenientissimè peccatum dicitur.

Defensio. *Cum hoc ipsum frequenter doceat B. Augustinus, nec ullus reprehendat, miror hoc tam doctum hominẽ latere. Quòd si etiam in Augustinũ tendit, producat rationes benignè et audiemus.*

Conclusio. Puniuntur Adæ filii, sed magis ipse in filiis suo solo peccato, & non propriis singulorum ab eo contractis.

Defensio. *Verè nescio quisnam sit horum uerborum sensus. Si locum reperiat in libris meis, ubi ego talia scripserim, admirabor. Nam sic truncatè excerpta, & proculdubio non ex fide recitata, fateor me non solùm non agnoscere ut mea, sed nec intelligere.*

Conclusio. Incurrimus pęnas Adæ peccato debitas, quod nostrum est in quantum in eo eramus ex pacto lucri vel amissionis donorum gratiæ & originalis iustitiæ, quæ pacta non erant circa alia peccata sequentia vel filiorum.

Defensio. *Quamuis de more ineptè satis suis uerbis recitet sententiam nostram, fateor tamen esse nostrã, quam existimo uerã, & puto me abundè hoc persuasisse Scriptura & rationibus. Nunc si aliud uideatur Magistro, disputet & probet.*

Conclusio. Si Heua non peccasset, peccante tamen viro contraxisset peccatum originale quia sic erat in pactis.

Conclusio. Heua quoq; si sola peccasset, & similiter filii, non amisisset originalem iustitiam.

Si ante peccatum genuisset Adam filios, etiam in filios transfunderetur peccatum posteà factum, alioqui homines diuiderentur, vt aliqui essent sub peccato & morte, aliqui non.

Defensio. *Hæ cõclusiones uno illo nostro innituntur fundamento, quod est pactũ Dei cum homine. Hoc si euulserit Magister, & aliud ipse posuerit solidius, dabimus manus.*

Conclusio. Si parentes primi nostri stetissent, etiam filii stetissent, & nullus peccasset, vt probabiliter credere licet.

Defensio. *Hæc fuit opinio B. Anselmi, quæ mihi probabilior uisa est, quia etiã benignior. B. Augustinus etiam dixit: Si mãsisset Adam in iustitia, etiam filiorum fuisset et fœcunditas & felicitas, & omnes salui fuissent. Si putat Magister posse aduersus hæc demonstrare, suos tendat neruos. Sed quæ, rogo, hæc iniuria ut in probabilibus, ubi nullum sit fidei periculum, non permittat quenlibet abundare in sensu suo, cũ nulla sit assertio temeraria?*

Conclusio. Illi qui baptizati sunt, non considerantur adhuc vt filii Dei, sed vt filii huius seculi.

Defensio. *Etiam pergit secus nostra recitare q; se habeant. Non n. truncatè, sicut ipse calumniosè recitat, ego scripsi: sed hæc mea sunt uerba. Quantum ad hoc opus propagationis, etiam qui baptizati sunt non considerantur ut filij Dei, sed ut filij seculi. Quare igitur omittit Magister uerba hæc mea priora* (Quantum ad hoc opus propagationis) *quæ reddebant conclusionem ueram & lucidam: nisi fortè uelit etiam sic stantem, sicut ego disertè scripsi, damnare positionẽ. Quòd si ausit, nouerit se damnare non doctrinam meam, sed B. Augustini & B. Thomæ: imò etiam Christi apud Lucam. xx.*

Beata

Beata Maria pars magna fuit Crucis opprobrii & passionis, & obtulit carnem suam cum carne Christi, & Christi carnem cum carne Matris, vt esset sacrificiũ perfectum pro nobis. Conclusio.
Oportuit & ipsam B. Mariam prædicto modo pati, vt ipsa intraret in gloriam suam.

Inuertit hic Magister, ut solet, uerba mea, truncatè atq; ineptè meum sensum suis uerbis nec dum non explicans, sed prorsus implicans. Ego enim in hunc modum scripsi de illa Sanctissima Virgine: Quid dicam de crucis opprobrijs & passionibus quas non solùm ipsa uidit, sed pertulit, & quarũ pars magna fuit? De ipsa .n. sola scriptum est quòd fletit iuxta crucẽ, & nunqͣ quòd sequuta sit eum à longè, sicut aliæ mulieres. Et paulò post: Sic enim oportuit utrũq; pati, et ita intrare in gloriam suam. Nam quæ Sponsi erat gloria etiam Sponsæ congruè debebatur. Et paulò post. Vterq; utranq; carnem obtulit, Filius quidem suam & Matris sponsæ carnẽ: Mater autem & Sponsa similiter Filij Sponsiq; carnem & suam, ut sic perfectum esset sacrificium duorum passerum, & duorum pullorum columbarum. Et continenter adieci: Hem quando hoc mihi dabitur ut intelligatur, & cum gaudio recipiatur à pijs? Hæc fuerunt uerba mea. Et nescio quid in illis insit quod reprehendi possit, cũ eiusmodi ferè dixerint pleriq; sanctissimi homines, Ambrosius, Hieronymus, Bernardus, Anselmus, & alij plures. Existimauit fortè aliquid Christi sacrificio detrahi, ne minus perfectum sit, si illi adiungitur Beatissimæ Virginis cõpassio: sed non est ita. Alioqui quomodo dixisset B. Apostolus de se ipso: Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius? Si autem negat Beatissimã Virginem fuisse passã in cruce Filij, exponat nobis Simeonis de illa prophetiam: Et tuam ipsius animã pertransibit gladius, Et id quod sequitur: Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Væ illi qui tantæ illius Virginis meritorum expers fuerit, quam B. Bernardus esse collũ Ecclesiæ continenter sub Christo capite appositissime dixit, ut per illam ueluti per collum à capite omnia dona recepta in cætera membra deriuent. Hæc autem deuotissimi illius Abbatis uerba quæ hic subijciam, quid aliud sibi uolunt, quàm quod Magister reprehendit? Vehementer (ait) nobis, dilectissimi, uir unus & mulier una nocuerũt: sed gratias Deo, per unũ nihilominus Virum et Mulierem unam omnia restaurantur nec sine magno fœnore gratiarum. Neq; enim sicut delictum ita & donũ, sed excedit damni æstimationem beneficij magnitudo. Sic nimirum prudentissimus & clementissimus artifex quod quassatum fuerat non confregit, sed utilius omninò refecit, ut uidelicet nobis nouũ formaret Adam ex ueteri, & Heuam transfunderet in Mariã. Et quidẽ sufficere poterat Christus (siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est) sed nobis bonum non erat esse hominẽ solum. Congruum magis ut adesset nostræ reparationi sexus uterq;, quorum corruptioni neuter defuisset: hæc ille. Quid ergo mali est, quid periculi, dixisse: Oportuit eã pati & sic intrare in gloriam suam? Et quod Christus suo iure habuit, cõtulisse illud matri suæ de congruo & priuilegio gratiæ? An non etiam dicitur oportere nos per multas tribulationes intrare in regnũ cælorum? Quocircà uideat, quæso, Magister quid agat, dũ contra honorem & gloriã tantæ Virginis et Matris Dei semper immaculatæ certat, quæ est gloria Christi: et meminerit Antidicomarianitarũ. Defensio.

Homo primus, quem sua manu condidit Deus ut esset proprium ipsius opus, multis donis honoratus fuit, quorum alterum & præcipuum fuit gratiæ, qua Dei amicus constituebatur & filius: sed hoc donũ in Christo accepit. Excedebat enim omninò naturæ nostræ conditionem: atq; ideò oportebat esse inter ipsum primum Hominem & ipsum Deum aliquem alium medium, quo ipse homo primus ad gradum ipsum filiationis subueheretur, cuius gratia in ista gratia collocaretur. Conclusio.

Hoc in loco ẽt nescio sanè quid ualeat reprehendere, nisi uelit me Thomistarũ opinioni astringere, uidelicet quòd Verbum non fuisset incarnatum in gloriam nostram, si Adam non peccasset. Dixi circũspectè, Thomistarum, non Thomæ: quia S. ille Doctor sinit nos in hoc articulo quod uolumus tenere. Vnde & qui se Thomistas profitentur, uerè hac in parte Thomistæ non sunt. Nam B. Thomas hanc sententiam nostram aliquando ut probabilem defendit: quod & nunc absq; dubio longè uehementius faceret. Scripsi duos libellos de hac eximia Christi Prædestina- Defensio

tione. Si uult nos docere Magister, primum respondeat rationibus nostris. Sin autem nos contemnit, non grauiter ferat si nos item nudam eius censuram non adeò magnifaciamus.

Conclusio. Henoc & Elias in Paradiso terrestri vident Deum facie ad faciem.

Defensio. *Si potest nobis oppositum demonstrare Magister, audiemus eum libenter. Interim malo piè hæc opinari cum beato & non contemnendæ doctrinæ uiro Ioanne Dominico Florentino ordinis nostri & S. R. E. Cardinali, quàm nudam Magistri reprehensionem nulla ratione aut probabilitate suffultã suscipere. Nam & æquitas & pietas pro nobis egregiè facit, ne cogamur dicere, tot annorum milibus uiros Deo charissimos fraudari beatitudine, cum interim tot milia miliũ animarum, quæ multò minoris gratiæ apud Deum fuerunt, illa fruantur.*

Conclusio. Vxorẽ põt hõ ob fornicationẽ nõ à thoro tãtũ, sed ẽt à cõiugio separare, & aliã ducere.

Defensio. *Egregiè conclusit suam accusationem Magister per hanc suam ultimam reprehensionem, idest, meram calumniam, ut responderent ultima primis. Ego enim in Caietanum scribens, è diametro oppositum eius docui quod iste quasi meum ex illo loco colligit & reprehendit. Hæc enim est mea contra Caietanum conclusio. Homo propter adulterium coniugis non potest licitè, tanquàm omninò solutus à uinculo matrimonij, aliam ducere. Adieci tamen magnis rationibus & autoritatibus adductus, quòd ego putabam hoc illi posse ab Ecclesia permitti causa cognita. Has rationes præteriJt Magister. Et nihilominus hoc totũ censuræ Ecclesiæ subdidi et melius sentientium, sicut et cætera oĩa quæ scripsi, et scribo, et scribã in omni tẽpore (dante Deo) reuerẽter ac syncerè submitto ut homo christianus et catholicus fidelissimus. Et hæc satis ad Põtificẽ summũ et Christi Vicariũ pro satisfactione nostra.* Ex Tridento. XVII.. *Septẽbr.* M. D. XLVI.

TRACTATIO SECVNDA ILLIVS QVAESTIONIS

Quibus uerbis Christus Eucharistiæ sacramentũ confecerit.

VT PROPOSITAE quęstionis resolutio dilucidius pateat, triplici procedendum ẽ via. Prima à Scripturarũ autoritate. Secunda, à rationũ momentis. Tertia, ab autoritate Doctorum, quę & Scripturæ cedit & rationi, vt docet B. Augustinus.

Si igitur ad Scripturas spectemus, neminẽ puto ita audacem vt asserat Scripturam clarè vsq̃ dicere, Christũ illis verbis: Hoc est corpus meũ, consecrauisse. Et ideò in quęstionẽ venit apud Catholicos, & rationibus inter eos actum est, & argumentis. Nunc ergo videndũ, vtra opinio robustioribus rationibus fulciatur. Qui dicunt illis verbis Christũ confecisse, hoc vno nituntur argumento. Christus aliquibus verbis consecrauit, & non aliis quàm istis: Hoc ẽ corpus meũ. Ergo etc. Quòd ipse aliquibus verbis cõsecrauerit, patet (vt inducit Sanctus Doctor) ex verbo Euangelii attestante quòd benedixit, quod intelligi debet de benedictione cõsecratoria. Benedictio aũt sine verbis non fit. Quo in loco (si Caietano credimus) nullum est hoc argumentum: quoniam ipse apertè de benedictione non consecratoria exponit, cõtra D. Thomam & alios. Nos aũt cum D. Thoma & aliis, de benedictione consecratoria intelligimus. Et tñ argumentum nullum esse putamus, qa principium petunt q̃ manifestissime. Sumunt .n. quod negamus & in quęstionem vertitur, Christum scilicet nõ aliis verbis cõsecrasse. Et quod rursum sumunt, Christũ illis verbis consecrasse qbus nos consecramus, pariter principium petunt.

Pergunt: Si Christus illis verbis non cõsecrauit, nec nos consecraremus. Sacerdos .n. ea pfert ut sunt à Christo prolata. Ego verò expecto qua ratione hoc sumptũ pbet. Dicunt, Quia benedictio cõsecrationis fit per imitationem eorum quæ tunc acta sunt. Et hoc rursum est petere principium: qm̃ nec oportet, nec decens fuit, nos in sacramentorum confectione imitari Christum q habebat potestatem excellẽtiæ, nec alligabatur formis verborum, vt eleganter Innocentius Tertius vir excellentis doctrinæ & sanctitatis testatur, dicens de Christo quod virtute diuina confecit, & posteà formã expressit sub qua posteri

bene

Possemus & ex aliis ordinibus, vt Carthusiensium, Heremitarum, Carmelitarum, Servitarum multos adducere probatæ pietatis & doctrinæ viros, qui ad has nostras partes accessere. Sed quid opus est privatos aliquos proferre, cum iam ipsi integri Ordines ipso facto, videlicet celebrando sub ipso nomine ac titulo Conceptionis, vt par est, matrem ac magistram suam Romanam Ecclesiam sequendo, quam hac de re fidem habeant, plusquam manifestißime declarent?

Thomas Argentinas. Habemus & pro nobis Thomam Argentinatem ordinis Heremitarũ Generalem præpositum, qui cum aliis rationibus ad hãc nostram sententiam amplexãdam impelleretur, tum maxime (vt ipsemet testatur) in obsequiũ Romanæ Ecclesiæ adductus est, quę manifestè tempore suo celebrabat eam Conceptionem, vtpotè immaculatam & sanctam.

Ioan. Bachon. Possem & de Carmelitis Ioannẽ Bachon, & Michaelem, & alios viros præclaros eius ordinis simul adiungere: & de Servitis similiter. Verùm inuitus nimis in hanc descendo concertationem quasi in numero testium cõfidamus, cum multò maiora habeamus & firmiora testimonia non iam hominũ, sed Dei viuentis. Nam quòd ita commutata sit res, vt quæ olim erat opinio paucorum, & videbatur trepida nec satis secura, nunc facta sit communis ferè omnium sententia, & incedat adeò securè confidenter ac tutò, vt potius trepidet aduersa pars & nutet, & proxima iam sit casui ac ruinæ: vnde hoc quæso? Nonne pro miraculo haberi debet? Considera hæc mi frater, considera, & noli proteruire. Noli esse incredulus, sed fidelis, ne indignetur Dominus qui superbis resistit, & stultos facit qui sibi solis præ aliis tribuunt sapientiam.

Non prætereo tamen excellentis doctrinæ, infinitæ propemodum lectionis, insignisq; pietatis virum Dionysium Carthusiensem qui nihil non legisse videtur, quemadmodum in numerosißimis libris quos ipse cõdidit, apparet. Ipse enim post nonnullam disputationem his verbis eleganter nec minus

Diony. Cartusen. in. 3. Sen. dist. 3. sapienter conclusit. Veruntamen, inquit, quicquid in hac re sit sentiendum, non disputationibus contentiosis, sed determinatione Ecclesiæ catholicæ, cui obedire tenemur, est inquirendum, quæ in nouißimo Concilio vniuersali finem (vt dixi) his dissentionibus imposuit; & dignißimam Dei Matrem in sua Conceptione ab omni originali labe ꝑ præuenientem gratiam à summo capite CHRISTO ortum habentem, præseruatam, atq; ideò festum de ea sub nomine Conceptionis, & non Sanctificationis esse celebrãdum determinauit, sicut & hodie celebrat. Ita etiam ordo noster Carthusiensium obseruare vi- detur. Hoc & mihi magis pium apparet & rationabile. Horremus enim Mulierem quę caput Serpentis erat contritura, quandoq; ab eo contritam, atque Diaboli filiam fuisse Matrem Domini fateri. Insuper & Dominam Angelorum seruam fuisse peccati, atq; amantißimam Dei Patris filiam quãdoq; fuisse filiam iræ. Autoritates & rationes in contrarium adductæ faciliter possunt solui. Nã constat purißimam Virginem à multis sacrę Scripturæ regulis, quæ vniuersaliter proferuntur, fuisse exceptam, vt est: In dolore paries filios. et: Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos. Item: Non est homo qui non peccet. et: Puluis es, & in puluerem reuerteris, & similibus. Nec alicui hoc mirũ videatur, cum piißimus Filius nihil omisisse credendus est, quod ad optimæ Matris suæ honorem spectabat, sicut ipse nobis iusserat honorare parentes. Contulit ergo Matri suæ quicquid potuit ac decuit. Potuit autem eam præseruare, & decuit eam præseruari, & ideò eam præseruauit. Nec in hoc Filii derogatur excellentiæ: quoniam ipse Dominus IESVS in peccatum originale incidere non potuit. MARIA autem potuisset, nisi præseruata fuisset. Et Matris honor refertur vtiq; in Filium, à quo habet quicquid habet: hæc ille. Quid his poterat verius, quid elegantius, quid presius dici & copiosius ad satisfaciendum omnibus contradicentium argumentis? Fuit'ne, quæso, indoctus hic Dionysius, qui tot ac tanta scripsit volumina, quot vix vllus hominum legere in tota vita sua valeat? Fuit'ne homo qui vellet euertere fundamenta fidei, vt isti rabulæ & Spinæ obiectare non verentur, cui ad venerandam illius sanctitatis gloriam nihil deest nisi sola canonizatio, tantæ fuit sanctimoniæ, & totius vitæ inculpatæ?

Nota diligenter pie lector.

Notandum.

Non me latet quid valeãt ad maledicendũ promptuli obiicere, nempè Dionysium Carthusianum determinationem Basiliensis concilii sequutum esse, quod dum illud statuit, erat acephalum. Ego verò respondeõ, Primum satis esse mihi, quòd cum tantus vir in hanc sententiam venit, eam esse contra fidei fundamenta ignorauit, ita vt nunc nostris duntaxat Spinis lumen hac parte datum sit ad agnoscenda fidei fundamenta. Deinde falsum est omninò, Dionysium sola illius Synodi autoritate motum fuisse, quasi cap-

tiuasset intellectum in obsequium fidei. Vidit enim, & egregiè manifestauit probabilitatem opinionis ob excellentiam tantæ Virginis, vnde & rationes ad eam corroborandam affert irrefragabiles.

De Concilio Basilien. Præterea non est existimandum, nisi ab eis qui prauè affecti fuerint, eos talis siue Concilii siue congregationis viros (fuit enim Concilium legitimũ ab initio) qui cum magna discussione maturoque tractatu rem tanti momenti definiuerunt, eousque mente excęcatos vt non viderint contra fidei fundamenta se definire: aut si viderint, voluisse nihilominus fidem euertere. Denique illud item animaduertendum, et si non fuerit eo tempore ibi autoritas Synodi, erat tamen autoritas virorum Doctorum ac sapientum. Nec parui est momenti, Concilium illud (quod ad hanc determinationem attinet) à nonnullis nationibus esse receptum: quodque magnoperè est considerandum, non reclamante summo Pontifice, & Sede Apostolica minime reprobante. At istud fieri omninò etiam expressissima sententia debuisset, si contra fidei fundamenta determinatio illa, vt isti arrogantissimè iactant, militasset: præsertim verò quod tunc legitimum habebatur Concilium, & iam notum erat plausibilem esse omni populo illam determinationem pro honore sanctissimæ Dei Matris. Itaque scelerosissimè à tanta Sede prætermissum fuisset illud, quod ab ea debebat omninò prohiberi, ne totus christianus orbis præter vnum Prædicatorum ordinem tanta labe inficeretur, si Spinæ isti veritatem dicant. Verùm sancta illa Sedes quæ à Spiritu veritatis dirigitur, minime potuit damnare quod & secundum veritatem determinatum fuit, & quod illa tacitè iam receperat, & cultu diuino honorabat. Sapientissime itaque siluit, vt hoc solum, nimirum silere, minimèq; reprobare, intelligeretur à sapientibus non esse aliud quàm consentire & probare: præsertim cum in illa sententia sanctæ Romanæ Ecclesiæ vsus & autoritas allegaretur. Itáne cęci sunt fratres mei, vt hæc tam clara non videant, quæ vel lippis patere possunt?

Richardus de S. Victore. Adiungam & Dionysio virum admirandæ contemplationis Richardum de sancto Victore, quem Spiritus sanctus de Scripturarum mysteriis mirificè erudiuit & docuit, qui & hanc de sanctissima Dei Matre habuit persuasionem. Ipse enim tractans illud Cant. Tota pulchra es &c. ita scripsit. Tota pulchra est meritò: quia pulchra facie fuit, pulchra mente, pulchra corpore, quæ etiam principibus tenebrarum terribilis fuit. Deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes & feruor deuotionis, stupebant immunem à peccatis. Nemo enim tam sanctus qui maculam non habuerit & defectum præter ipsam. Luna enim quæ nocte splendet, & stellæ non sunt mundæ in eius comparatione, idest, ii qui sanctitate vitæ lucent, vt Luna vel stellæ, obtenebrantur in eius comparatione. Obtenebrantur enim stellæ caligine humanæ culpæ, sed beatissima MARIA Virgo tota pulchra, quam totam illustrauit & perfudit Sol iustitiæ, vt nec maculas habuerit, nec tenebras culpæ: hæc Richardus ad literam. Quid hîc dicant? De originali enim macula loquitur manifestè Richardus, tum quia indistinctè loquitur: tum quia autoritatem ex B. Iob assumit, quæ (vt exponit beatus Gregorius & Thomas) ad peccatum originale refertur cum ait: Obtenebrantur stellæ in caligine eius. Neque verò humanæ culpæ caligo propriè potest nisi ad originale referri.

Sunt & alia huius viri testimonia, quem testatur Durandus pro nobis assistere, quibus nec aduersarii respondere valuerunt. Capreolus eius autoritatem ponderans, autoritatem beatissimi Augustini quasi illi aduersam obiecit, eamq; sic elisisse arbitratus est. Sed oportebat constare prius beatũ Augustinum contradicere, cum secus se veritas habeat. Præterea, aliud est nolle cogi hominum autoritate: aliud eos ita deprimere & conculcare, annumerando hos tantæ gloriæ viros inter indoctos & eos qui fidei fundamenta subuertant.

Fuit & vir amplissimæ autoritatis beatus Hildelphonsus Hispanus, cuius verba Vincentius in suo historiali recitat. *B. Hildelphonsus.* Beatissima Virgo, inquit, nisi in vtero Matris sanctificata esset, minime eius natiuitas colenda esset. Nunc autem quia autoritas totius Ecclesiæ veneratur, constat eam ab originali peccato immunem fuisse, per quam non solùm maledictio Heuæ matris soluta est, verumetiam benedictio omnibus condonata. Nullis ergo quando nata est, delictis subiacuit: nec originale peccatum in vtero sanctificata contraxit: hæc ille. Nec me item latet quibus glossis tam claram sententiam disputatores obscurare conentur: sed non est operæpretium respondere, vbi facilè potest per se cuiq; non omninò socordi in promptu adesse responsio.

Fuit

Fuit & magnæ literaturæ doctor D. Alphōsus Tostadus Episcopus Abbullēsis, qui in vtrunq; testamētum amplissima edidit cōmentaria. Et hic in B. Mathæum scribens, manifestè nostram sententiam probat, quamuis grauiter iis succenseat, qui ex contentione potius, q̄ ex veritate, huiusmodi dissertationibus incumbunt.

Nicolaus de Cusa Card. Fuit & acutissimi ingenii ac non vulgaris doctrinæ Dominus Nicolaus de Cusa Cardinalis. Et hic in libro octauo excitationum, hanc sententiam vt piam & catholicam adeò extollit, vt ferè nihil addi posse videatur.

Linconiensis. Fuit et antiquus & pręclarissimus doctor Robertus Archiepiscopus Linconiensis. Et hic citra controuersiam nostræ sententiæ asti pulatur & adhæret.

Io. Gerson. Fuit & non mediocris autoritatis vir Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis, qui pro Matris Dei perpetua puritate atque innocentia absque vllo prorsus scrupulo disputauit, conclusit, & carmine non ineleganti eius laudes perstrinxit.

Iacobus de Valentia. Fuit & Dominus Iacobus de Valentia, qui quidē elegantissima commentaria in psalmos edidit. Hic tanto spiritu hanc Dominæ pręrogatiuam defendit & probat, vt vix aliquid valeat vlterius desiderari. Videat eum qui velit super Psalmum. 13. & Canticum, Magnificat, & ita comperiet.

Gabriel Biel. Extat & Gabrielis Bielis non contemnendi theologi suffragium, qui non eleganter hanc quæstionem pertractat, & aduersariorum iacula non ineptè retundit. Item Gulielmus Pepin nostri ordinis qui in libro De imitatione Sanctorum, sermonem pecu liarem pro immaculata Virginis Conceptione inseruit.

Fuerunt & alii diebus nostris qui egregiè in hæreticos scripserunt, & præclara commētaria reliquerunt, qui iam non vt controuersam istam pro Domina sententiam habuerūt, sed vt ab omni Ecclesia receptā probaramq; quasi attinentem ad fidei pietatem, literis com mendarunt. Inter hos fuit (quem honoris gratia super lubens nomino) Reuerendissi-

Car. Roffensis Martyr. mus Dominus Ioānes Roffensis Cardinalis, inclytæ gloriæ vir, cuius magna laus est in Ecclesia cùm propter doctrinæ sanę & catholicæ integritatem, tum verò propter martyrii istis diebus perpessi claritatem. Item Do

Io. Maioris. minus Ioannes Maioris Scotus. Dominus

Clicthoueus. Iodocus Clycthoueus, vir claræ piętatis, qui etiam plurima egregia scripsit commentaria. Dominus Albertus Pius Carpensis

Albertus Pius Carpensis. vir acutissimi ingenii, nec minus sapientia q̄ eloquentia nostro seculo inter sui loci viros illustrissimus. Hic aduersus Erasmi pestiferam doctrinam scribens, qui videbatur hāc Virginis prærogatiuam in suis ludicris temerasse, huius rei nomine, nō quasi de problemate dubio vt in vtramuis partem liceat inclinare, sed vt de re iam recepta in Ecclesia meritissimè illum increpauit. Nec ille vafer & subdolus aliud ausus est hac parte respondere, nisi quod quæ pronilit contra priuilegium istud, non ex propria sentētia protulit, cum diuersum alibi scripserit.

Rodulphus Agricola. Addo Rodulphum Agricolam magnæ eruditionis ac doctrinæ virum: Et Ludoui-

Ludouicus Viues. cum viuem Hispanum, multæ literaturæ. Hi ambo pariter non quasi de re ambigua disceptantes, sed vt sapientes & religiosi tanq̄ de re explorata & comperta loquentes, nullum dubitationi locum relinquunt. Addo

Driedon & egregium theologum Ioannem Driedonem, qui similiter sententiam nostram probat & eleganter declarat. Dominus item

Ecchius. Ioannes Ecchius Germanus de religione catholica aduersus nouos istius temporis hæreticos extra controuersiam benemeritus, peculiaribus concionibus illam veritatem prædicat. Addo & Gulielmum Budæum non

Budeus solùm in eruditione linguarum peritissimum, sed in omni disciplinarum genere virum magni acuminis & iudicii, qui clarè hanc nostram sententiam probat in libro quem inscripsit: Detransitu Hellenismi ad Christianismum.

Non prætereo duos eorum qui viuunt indefessi studii & multifarię lectionis multisq; aliis nominibus pręclaros Antistites, Dominum Aloisium Lippomanū Episcopum Ve-

D. Federicus Nausea episcopus Viennen. ronensem, & Fridericum Nauseam Episcopum Viennensem. Hic enim manifestè hoc Matris Dei priuilegium absq; vlla titubatione defendit & prædicat. Ille autem Vero-

Aloisius Lipomanus Episcopus Veronensis. nensis quid momenti argumenta aduersariorum habeant minimè ignarus, sed veritati sedmota affectione ingenuè studens, in sua Catena ad librum Gen. cap. 15. in hunc modū suo nomine testatum reliquit. Sunt autem, inquit, protectionis diuinæ diuersi gradus. Nam B. Dei Genitricem non solùm ab omni mortali & veniali, sed etiam ab originali peccato protexit, vt beatus Thomas super primo sententiarum, quæstione. 44. articulo tertio dicit &c. Hos grauissimos autores libēter citaui, quia illos (vt par est) colo & obseruo. Nec verò pro singulari eorū modestia indignè ferent se cum citatis superius.

præstantibus viris esse commemoratos, qui potuerint quoduis seculum omni scientiarũ & pietatis splẽdore illustrare: vt ii Spinæ paulò attentius se pungi sentiant, & considerent quos lacerarunt, & in quos transfixerunt. Quis enim patienter tantam iniuriã ferre debeat, fidei fundamenta ab iis ipsis audire subuerti, qui tantum abest vt id aliquando cogitauerint vel cogitent, vt cõtrà nihil aliud tot sudoribus & scriptis procurarint, q̃ vt veros fidei catholicæ subuersores subuertant? Sed nõ opus hîc esse puto in exaggerãda tam insigni contumelia vberioribus verbis, cum non dubitem viros doctos ac pios tantam ignominiæ notam sibi inustam persensuros, & remedium præsentaneum iam adhibituros.

❡ *Discussio epistolæ D. Bernardi ad Canonicos Lugdunenses, quæ iam non fauet aduersarijs.*

NE QVIS AVTEM PRO illis B. Bernardi autoritate moueatur, quæ verè apud oẽs magna esse debet (quãquàm B. Thomas noster eius doctrinã non vbiq; pbat, vnde & nos possemus eam similiter hoc in loco declinare) attamen quia lõgè fortius in aduersarios, quàm in nos militat, operæpretium duxi eius mentem paulò diligentius ac subtilius discutere. Ingenuè primùm fateor cum aliquãdo illius ad Canonicos Lugdunẽ. legerem epistol, ã me fuisse decepnĩ, nec eius verũ ac germanũ sensum perspexisse. Quamobrem nunc manifestandũ esse, duxi necessarium, postquàm in eo libro quẽ Turrecrematæ ascribunt plus centies, opinor, hunc autorem & eundem locũ nobis obiectant, quem tamen potius nobis mirificè fauere patefaciam. Animaduertat igitur attentè lector & amator virtutis: & si qua fortè præoccupet mala affectione, eam (obsecro) prius exuat, & facilè tum probabit hunc sanctissimum Abbatem sententiam nostram & ecclesiæ prorsus tueri. Fatemur primò illum asserere conceptionem Virginis nõ fuisse sanctã, & ideò non colendam. Id autem unica ratione probat: quia non de Spiritusancto processit, sed modo hominum communi, quem esse immundum & non sine peccato pro re constanti assumit. In primis autem excludere deceptionem curauit, si quis fortè vellet pposterè sic argumentari. Natiuitas sancta, ergo cõceptus sanctus: quod est ridiculum.

Sed præstat vt eius verba adducam. Vnde ergo, inquit, conceptionis sanctitas, an dicitur sanctificatione præuenta, quatenus iam sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fuerit & conceptus, quemadmodum iam sanctificata in vtero dicitur, vt sanctus consequeretur & ortus? Sed non valuit ante sancta esse quàm esse. Siquidem nõ erat antequàm cõciperetur: hactenus ille. Vbi quærendũ est de qua ipse cõceptione loquatur. Ex hac enim sola intelligentia pendet apprehensio mentis illius deuotissimi Abbatis. Est namq; (vt volunt) duplex cõceptio, quarum prior est dum in coeundo semina coalent in vtero ad generationẽ. Altera est dum elapsis multis diebus infunditur anima, & fit homo. Mihi autem nunc non est dubium, B. Bernardũ de prima conceptione loquutum esse: quod patere faciemus idq; euidenter duabus potissimum rationibus.

Conceptio duplex.

❡ Et prima est: quoniam de ea conceptione manifestè loquebatur, cuius memoria erat anniuersaria illo die quo festum ipsum cœperat celebrari. At ille dies erat octauus Decẽbris, quo die fuit primus ille conceptus beatissimæ Virginis, quando coiere parentes.

De qua cõceptione D. Bernardus loquatur.

❡ Secunda ratio est: quia de illa conceptione illũ loqui oportet, quæ iuxta illius rationes non fuisse sancta cõuincatur. Hæc autẽ non est nisi illa prior quæ fuit in seminũ cõmixione, & in ipso maritali complexu: vnde confestim subdit, An fortè inter amplexus maritales sanctitas se ipsi cõceptioni immiscuit vt simul & sanctificata fuerit & concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namq; aut sanctitas absq; Spiritu sanctificãte, aut sancto Spiritui societas cum peccato fuit? Aut certè peccatum quomodo non fuit, vbi libido nõ defuit? Nisi fortè quis dicat de Spiritusancto eam, & non de viro cõceptã fuisse: sed id hactenus inauditũ. Ecce quàm manifestè hanc conceptionem intelligit quã maritales comitantur amplexus, & ex illa carnali copula confestim resultat.

❡ Secunda autem cõceptio quæ per infusionem animæ fit, à Deo est qui animam creat & infundit, vbi nihil turpe fit nec immundũ. Nulla .n. ibi, quatenus est opus Dei, accedit noua immunditia. Vnde nihil valet et quod ait: Quomodo sanctitas potuit ibi se admiscere, vt simul sanctificaretur & conciperetur? Quid enim prohibet sanctificari hanc secundam conceptionem per infusionem animæ sanctificatæ? An, quæso, non potuit Deus animam creando, in eo instanti sanctificare, vt in eodem & sit, & sancta sit, vtpote creata

Secunda conceptio.

cum donis? Si enim potuit sanctificare postq̃ creata est iam contracto peccato, quæ ratio fingi potest cur nõ similiter anteà in ipsa creatione anteq̃ vllam maculam contraheret, valuerit eam sanctificare? Nõ enim hîc amplius obstitant maritales amplexus, qui iam præcesserant: & iccircò conuenienter obstitisse dicuntur sanctificationi in ipsa prima cõceptione, quæ secum peccatum libidinis habere potuit, vnde adiecit: Nisi quis dixerit eam non de viro, sed de Spiritusancto fuisse cõceptã: quod inauditum est. Et addit: Lego denique Spiritumsanctum in eam non cum ea venisse, dicente Angelo: Spiritussanctus superueniet in te. Et si licet loqui quod Ecclesia sentit, & verum ipsa sentit, dico Gloriosam de Spiritusancto concepisse, non autem conceptam fuisse. Dico peperisse Virginem, nõ tamen partã à virgine: alioqui vbi erit prærogatiua Matris Domini, qua singulariter credi tur exultare & munere prolis & integritate carnis, si tantundem dederis & matri ipsius? Nõ est hoc Virginem honorare, sed honori detrahere: hæc ille. De quibus apertè ea colligimus quę desideramus.

Pro intelligentia fomitis naturalis. Attamen pro eorum profundiore intelligentia, videndũ est, an verum sit quod videtur ipse supponere, nimirum non posse inter marẽ & fœminam esse concubitum sine peccato. Nam nec B. Augustinus, nec Thomas, nec communiter sancti Doctores hoc admittunt. Ipsa etiam ratio quæ est in promptu, resistit: & præcipuè in tantis parẽtibus sanctissimæ Virginis, qui (vt piè creditur, & ex pluribus non temerè spernendis reuelationibus acceptum est) ex præcepto Dei ad hanc tantam prolem generandam, alioqui steriles & segregati thoro, magno cum merito cõiuncti sunt, tantum abest vt cum peccato: nisi quis fortè blasphemus dixerit, Deum illud præcipere quod sine peccato fieri nequit, & obedire Deo peccatum esse. Igitur sanctissimus Abbas noster à Scripturis sanctis, & ab ipso Dei Spiritu edoctus considerauit primũ ipsum incorruptæ naturæ statũ, in quo fuisset quidem generatio, sed non cum libidine & ardore isto pudendo, in quo & ipsa ratio succumbit, qui improbus ardor in statu naturæ lapsæ successit. Vnde & ipse vocatur peccatum, non quia peccatum propriè sit, idest, culpa: sed quia à peccato illo descendit.

Cur fomes dicatur peccatũ. Sic fomes etiam in renatis peccatum dicitur, non quia verè peccatum sit: sed quia malum & morbus quidam à peccato veniẽs, vt rectè admonet D. Augustinus. Quo efficitur vt semen inde veniens dicatur immundum: quoniam non illo modo quem Deus ordinauit, sed à culpa processit. Et ideò in ipso semine immunditia inest & peccatũ: nõ quòd ipsum semen aut libido, aut actualis ille maritalis amplexus sint culpa: sed quia tales ex culpa illa procedunt. Et iccircò nõ agnoscuntur à Deo, idest, nõ probantur ob eiusmodi immunditiam. Et qui inde procedit homo etiam immundus est & Deo inuisus: quia tanquam opus primi hominis præuaricatoris à Deo respicitur, non tanquàm opus ipsius Dei. Propterea illi conceptui infunditur anima quã promeretur illud opus, quod est hominis opus, non Dei. Itaq; nuda & spoliata donis inuenitur anima in secũda cõceptione de communi lege, nisi renouetur ac renascatur quod conceptum est & natum. Hoc ille S. Abbas respiciens, de primo conceptu pulchrè dixit: Cum esset illa actualis libido non probata à Deo, vtpote quæ non ab illo, sed à peccatore facta est, conceptus qui ex illa adhuc feruescente libidine processit, non potuit esse nisi immundus, idest, cũ peccato, aut potius cum vitio, ita vt sanctificatio eo tempore ibi admisceri non potuerit. Hoc enim est quod ait: Quo modo peccatũ ibi non fuit, vbi libido nõ defuit? Loquendo igitur de hoc primo conceptu, & negans fuisse absq; peccato, eo pacto peccatum intelligendo sicut est declaratum (nec enim aliter declarari potest, nisi velint Sanctũ illum falsa loqui) non est contra id quod ponimus: quoniam nos de illa conceptione B. Virginis loquimur, quãdo infusa est anima illa benedicta quæ à Deo venit, quãdo cessauerat iam libido illa (si qua tamen adfuit) atq; amplexus maritales: ac suo modo sanctificata erat caro illa in conspectu Dei, vt dignam reciperet animam quæ conueniret Dei Matri. Dicimus enim creatam fuisse illam animam donis plenam, & in instanti infusam: & ideò quę inde processit humana illa creatura Virago sanctissima, inuenta est gratiosa coram Deo, nunquàm cum debito illius iustitiæ originalis quouis momento temporis deprehẽsa. Illud enim debitum conpensatum est gratia quam dono summi Patris accepit, quæ maculam ipsam anteuertit.

Nec quenquàm moueat quod ipse ait: Si quidem non erat ante quàm cõciperetur: ita vt videatur loqui de conceptione posteriore, per quam quilibet verum esse cõsequitur, & ante quam non verè dicitur quisquam esse, siue existere: quoniam etiam cum prima cõceptio est ob eam causam dicitur cõceptus homo, qa in eo cõceptu virtute cõtinetur. Nã si

quis in lumbis patris existens consideratur & dicitur esse, quantò magis si iam sit in semine concepto? Quòd autem is sit communis loquendi vsus non est dubium. Quòd verò etiã ab hoc dicendi modo nõ abhorreat Scriptura, satis ostendit B. illa Machabæorum mater, quæ dicit nouissimo filio suo: Ego te in vtero nouem menses portaui, quod falsum esset nisi primæ conceptionis tempus computaretur, anteq̃ fœtus animetur anima intellectiua, & nisi intelligeretur iã esse homo, quod adhuc formãdum esset per animæ infusionẽ. Imò ego existimo hoc nomen conceptionis seu conceptus, quod frequens est in Scripturis, nunquàm ibi pro secunda conceptione accipi, sed pro prima duntaxat. Vnde & quod dixit ille Rex: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, citra vllam hæsitationem de prima conceptione debere intelligi existimo. Sic enim B. Anselmus manifestè declarat, & paulò post etiam à nobis declarabitur. Tota igitur illa B. Bernardi ratiocinatio aut hanc habet interpretationem quam exposuimus, aut certè inconcinna est & inefficax, & falsa præsupponeret, & male de secunda cõceptione concluderet. Quod & Caietanus annotauit ne deciperet Thomista, & nõnulli alii qui non considerantes verum sensum illius gloriosissimi Abbatis, dixerũt illum inefficaciter esse argumentatum. Collige ergo ex eo processu conclusiones & media.

Prima conclusio ex epistola B. Bernardi. ¶ Prima conclusio est. B. Virgo non potuit ante sui conceptum (de primo ipso conceptu loquitur) sanctificari. Medium quo probatur est: quia illa ante istum conceptum nondum erat. Quod autem nullo modo est, quo modo potest sanctificari?

Secunda conclusio. ¶ Secunda cõclusio. B. Virgo in ipso conceptu, aut potius ipse primus B. Virginis cõceptus, in primo instanti sui esse non potuit (secundum decentiam loquitur) sanctificari. Medium est: quia in eo peccatũ aderat, hoc est, vitium ex libidinoso parentum coitu veniens, idest, communi modo procedens, nõ secundum institutionem primam diuinam.

Tertia conclusio. ¶ Tertia conclusio: Restat vt post conceptum in vtero iam existens sanctificationem accepisse credatur. Huius medium est: quia nata creditur cum sanctitate, & dignum est credere in illa acceleratam fuisse sanctificationem præ aliis. Quid ergo obstat quin in primo illo instanti cum anima creata est & infusa, inueniri posset sanctificata? Huius rei gratia celebrabatur olim & nunc etiam illius Natiuitas: quia tunc nihil aderat peccati vel libidinis, vel cuiusquàm immunditiæ actualis prohibentis Spiritum sanctificationis, sicut erat in primo conceptu. Natura tamen prius inuentum est in illa id quod animale, quàm quod spirituale. Contrà autem fuit in Domino nostro IESV CHRISTO: quia Verbum prius erat quàm factum sit caro, non prius caro vt fieret Verbum. Ecce in hunc sensum omnia profectò consonant & ipsæ voces, & totus ille sanctissimi Abbatis processus. Vnde magno admirabilis Dei miraculo factum est vt fratres nostri imprudenter in celebratione huius festiuæ diei huic doctrinæ nostræ astipulentur, qui nomine Sanctificationis celebrant illum diem, quãdo animæ sanctificatio esse non poterat, & consequenter nec ipsius sanctificatio. Quare ergo illa die celebrant suam sanctificationem, quam si Physicis credant, post duos ab ea die menses venisse, idest, octogesima die à primo conceptu fateri debẽt? Ecce quomodo eos oportet, si congruè illa die celebrare velint, sanctificationem carnis intelligere, quæ ad animæ sanctificationem præparatio quædam fuit. Et hæc bene notabis tu Thomista, vt Caietani verbis vtar. *Notandum.*

Porrò ad ampliorẽ adhuc declarationem, recole duo quæ aliquantulum scrupuli iniiciunt non assuetis in scripturis sanctis. *Soluuntur duo scrupuli.*

¶ Primũ est quod iam tetigimus: quoniam in illa prima conceptione dum dicitur sanctificata, præsupponitur fuisse B. Virgo. Quod autem non est, quomodo potest sanctificari? At in cõceptu primo nondum existebat, cum nondum esset anima infusa. Sed ad hoc iam respondimus: Erat.n. iam in eo concepto semine aliquo modo. Siquidẽ quod est sic inchoatum, accipi solet perinde ac si esset. Talis est modus loquendi & frequens, vt declarat B. Anselmus. Vnde quidam de obscœna mollitie dixit: Quod perdis, homo est. Et B. Augustinus de iis qui cõcepti in vtero perduntur ita scripsit: Aliquando eousq; peruenit hæc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam sterilitatis venena procuret, & si nihil valuerit, conceptos fœtus intra viscera aliquo modo extinguat aut fundat, volendo suam prolẽ prius interire quàm viuere. Prolem vocat quæ nondum erat nisi in semine. *Primus scrupulus.* *B. Augusti. de Nup. et cõcu.*

¶ Secundum quod solet scrupulum iniicere est: quia nihil videtur esse capax sanctificationis, nisi anima hominis. Quomodo igitur poterat esse quæstio de primi conceptus sanctificatione antequàm anima infunderetur, cum talis conceptus non esset vllo modo sanctificabilis? Respondeo, illud sanctum dici in Scripturis, quod mundum est, è regione ad *Secundus scrupulus.* *Sanctum quid.*

ad immundum. Et quemadmodũ non vna est immunditiæ species, sed pro varietate rerum naturæ plures: ita non est vna species sanctificationis, sed multæ, vt fert. naturarũ diuersitas. Ecce in lege prisca dicebantur animalium quædam immunda, & ciborum similiter. Id verò quamobrem, cum essent opera naturæ ac Dei, nisi quia Deus illa ad sacrificium, aut ad esum hominis non probabat? Neq;.n. illa immunditia erat naturalis: quoniam ipse porcus non ad alium vsum videtur esse natura productus, quàm ad esum hominis, vt aiunt Physici: & tamen inter immundas carnes cõputabatur. Ante diluuium etiã omnes carnes erant immundæ ad esum, quia prohibitæ. Post diluuium & ante legem omnes erant mundificatæ & sanctificatę per verbum Dei dicentis: Omnes pisces maris, & omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibũ: quasi olera virẽtia tradidi vobis omnia. Per legem autem distinctio facta est, vt quidam cibi dicerentur mundi, quidam verò immundi, vt quicunq; ex immundis ederẽt, immundi fierent. Per CHRISTVM autem legis sublata seruitute omnia munda facta sunt. Ita oportet in re proposita arbitrari, semen quidem viri ad generationem immũdum esse, non quia sit in illo qualitas vlla morbida & immunda (Hoc enim existimare, teste B. Anselmo, est nimis crassum) sed icircò immundum, quia nõ eo modo quo Deus ordinauerat ab initio, deciditur, hoc est, cum statu & tranquillitate rationis. Quapropter cõceptus inde propagatus immundus est, non planè coram Deo, tanquàm non opus suum. Posset autem Deus oculum cõuertere ad certum conceptum, & continuò si vellet eundẽ sanctificare: quia beniuola Dei erga illum voluntas sanctificatio esset. Posset & quod concipitur, manu Angelorum pertractari, atque ab aliqua sorde materiæ purgari, non sorde peccati siue culpæ, cuius caro non est capax: & ita sanctificari diceretur ea sanctificatione cuius capax esset, quo modo sanctificantur cibi, & etiam res inanimatæ. Ego verò non dubito conceptum B. Virginis etsi ex viri semine venerit, & non de Spiritusancto, fuisse tamen à Deo vtroq; modo sanctificatũ, hoc est, respectum oculo diuinæ gratiæ, vt esset dignum ex quo Dei Mater generaretur. Credo insuper quamprimùm decisum est semen illud in vterum B. Annæ, statim non defuisse Angelos Dei qui aliquid circa ipsam materiam cooperarentur, vt cõceptus fieret mundissimus. Sicut enim ad creationem primorum Adam rationabiliter creditur (quod & B. Thomas testatur) ministerio Angelorũ præparatam aptatamq; fuisse materiam, & eorum corpora fabricata quatenus Angelorum manus extendi potuit: ita me rationabiliter existimo credere de secundo Adam. & de secunda Muliere, quæ quodammodo in illo continetur spiritualiter: & ita sanctificatum fuisse conceptũ illum vt congruè anima omnibus donis cumulatissime ornata suo tempore posset infundi. Et fortassis vt quædam reuelatio habet meo iudicio non contemnenda, valdè accelerata fuit animæ creatio atq; infusio. Sed hæc non sunt proponenda detrisoribus: ideóq; tanquàm non dicta accipi ab his velim, qui nihil admittunt quod in suis libris non legerint. Sed ad rem.

Cur animalium & ciborum quędã munda et quædam immunda.

Gen. 6.

De vera igitur B. MARIAE sanctificatione intelligentes, quæ fuit in anima & in instanti creationis animæ, non probamus illam B. Thomæ ratiocinationem quatenus nos petit: quoniam etiam ipsemet Caietanus animaduertit non esse illam idoneam ad laedendam sententiam nostram. Argumentabatur enim sic: Non fuit sanctificata B. Virgo ante animationem: ergo post. Datur.n. medium possibile, videlicet in ipsa animatione: & inchoatio quædam (vt credibile est) potuit esse in carne in ipso fętu quàm primũ conceptus fuit. Et hìc considera q̃ conuenienter sacrosancta & veritatis magistra Romana Ecclesia, & cæteræ totius orbis omnes Dei Spiritu directæ illum diem meritò colũt quo primùm cõcepta fuit: quia pręseruationis illius est festum, quæ præseruatio manifestata est in ipsa fętus sanctificatione ab initio suæ conceptionis. Tunc enim inchoata est sanctificatio in carne, vt tum demum in spiritu terminaretur, & tempore suo consummaretur. At ego quidem existimo multa diuinarum gratiarum arcana nobis adhuc incognita, quæ collata fuerunt in hanc arcam Dei semper benedictam, quam Deum sibi fabricasse ab initio, & à diluuio aquarum (sicut suum paradisum) conseruasse iam minimè dubitandum est. Non enim diluuio interire poterat Enoch, id est, dedicatus, nec sine loco manere poterat. Hic est CHRISTVS Dominus noster & Redemptor. Sed à Spiritu paulatim pręuenimur ac dirigimur, vt mysteria oportunis temporibus nota fiant Ecclesiæ sanctæ.

B. Thomæ ratiocinatio pro sanctificatione inefficax.

Satis itaq; sint hæc pro declaratione veri sensus B. Bernardi, qui non aduersatur sententiæ nostræ, vtpote loquens de prima cõceptione, non de secũda. Istud ipsum adiuuat etiam B. Anselmus, qui in hunc modum nobis

nobis interpretatur dictum prophetæ: Ecce enim in iniquitatibus cõceptus sum. Verba B. Anselmi hæc sunt: Sed si nõ statim infans ab ipsa conceptione (loquitur manifeste de prima conceptione) habet peccatum, quid dicit Iob Deo: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus es? Et quomodo verum est quod dicit Dauid: In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea? Quæram igitur si possum, quomodo (quanuis nõ statim ab ipsa cõceptione sit in infantibus peccatum) de mundo tamen semine in iniquitatibus & peccatis concipi dicitur? Sæpe vtiq; diuina Scriptura asserit aliquid esse quando non est. Hoc autem, quia certum est futurũ esse. Sic quippe Deus Adæ de ligno vetito dicit: In quacunq; die comederis ex eo, morte morieris, non quòd eo die mortuus sit corpore: sed quoniam die illa necessitatẽ accepit aliquando moriendi. Et B. Paulus similiter ob necessitatem moriendi aliquando dicit: Si autem CHRISTVS in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum: spiritus verò viuit propter iustificationem. Non enim corpora eorum quibus loquebatur, mortua erant, sed moritura propter peccatum: quia per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. Sicut in Adam omnes peccauimus, quando ille peccauit: non quia tunc peccauimus ipsi, qui nondum eramus: sed quia de illo futuri eramus, & tunc facta est illa necessitas vt cum essemus, peccaremus: quoniam per vnius inobedientiã peccatores constituti sunt multi. Simili modo de immundo semine in iniquitatibus & peccatis cõcipi potest homo intelligi, non quòd in semine sit immunditia peccati, aut peccatum siue iniquitas: sed quia ab ipso semine & ipsa cõceptione ex qua incipit homo esse, accipit necessitatem vt quùm habebit animã rationalem, habeat peccati immunditiam, quæ non est aliud quàm peccatum & iniquitas. Nam etsi ex vitiosa concupiscentia semine generetur infans, non tamen maior est in semine culpa quàm in sputo, vel in sanguine si quis mala voluntate expuit, aut de sanguine suo aliquid emittit. Non enim sputum aut sanguis, sed mala voluntas arguitur. Patet igitur quomodo & in infantibus non statim ab ipsa conceptione sit peccatum. Et vera sunt quæ de diuina Scriptura opposui, quippe non est in illis peccatum: quia non habent, sine qua non inest peccatum, volũtatem. Et tamen dicitur inesse: quoniam in semine trahunt peccandi, quùm homines iam erunt, necessitatem: hęc ille. Quid amplius, rogo, aut quid clarius dici potest, vt probentur non solùm quæ superius diximus, verùm etiam totus doctrinæ nostræ neruus, & quod nonnullo modo potest dici cõtractum peccatum, etiam à beatissima Virgine, ob necessitatem contrahendi illud secundum naturæ conditionem? Nec tamen necessariò sequitur eam contraxisse de facto (vt sępè diximus) nec pro tempore aliquo aut momento in mente Dei, idq; per euidentem rationem priuilegii, quo dignum erat omninò Matrẽ Dei à suo Filio decorari. Quod ex hac B. Anselmi doctrina facile elicitur: quoniam apud eum ille de facto dicitur peccatum originale contrahere, qui cum primùm est in rerum natura peccandi necessitatem trahit: quod de B. Virgine iam nullus Catholicus admittit.

Aliquot S. Doctorum sententiæ in fauorem immaculatæ Conceptionis Matris Dei.

NON SVNT A' NOBIS omittendæ quædam inter plurimas, grauissimę S. Doctorum pro hac Matris prærogatiua sentẽtię, quas procul dubiò in Spiritu Dei effati sunt. Audiamus quid deuotissimus Abbas Bernardus noster dicat: Caro MARIAE, *B. Bernardus.* inquit, ex Adam sumpta maculas Adæ non admisit. Quid clarius? Et alibi: Pura siquidem humanitas in MARIA, nõ modo pura ab omni contaminatione, sed etiam pura singularitate naturæ. Quid dicere voluit per singularitatem naturæ, nisi indicare eius generationem singularem, quæ existens de peccato, maculas tamen peccati non contraxit, vt rubus ille qui in medio ignis existens non conburebatur? Vnde & alibi exclamat idem deuotissimus Abbas. O' Beata, sola inter mulieres benedicta: sola à generali maledicto libera, & à dolore parturientium aliena. Et alibi: Mihi sanè singularis rutilat fulgor, Primò quidem in Mariæ generatione. Et hunc fulgorem singularem declarans, dixit: Quòd ex Regibus orta, quòd ex semine Abrahæ, quòd generosa ex stirpe Dauid. Sed hactenus nihil singulare ex ea verè expressum, cum ferè innumerabiles fęminæ de his tribus potuerint secundum carnem gloriari. Ecce ergo quod erat illi generationi singulare continuò adiecit. Si id parum videtur, ait, addè quòd generationi illi ob singulare priuilegium sanctitatis diuinitus nosci-

tur

tur esse concessa. At hoc singulare, nisi fuerit præseruata, non apparet. Non enim abundantior sanctificatio facit singulare priuilegiũ sanctitatis. Alioqui innumeri essent priuilegiati. Non sum nescius posse hæc dicta variis interpretamentis infici et contorqueri. Quid enim tam clarum ꝓponi queat, quod suis excogitatis commẽtis (vbi volunt) contentiosi disputatores non reddant obscurum? Ideò non hæc producimus ad conuincendum peruicaces & obstinatos, sed ad instruendum dociles, vt cernant prouidentiam Dei & Spiritum in sanctis suis, quos non ita errare, quàm ex propriis interdũ loquuntur, permittit, vt non alia ex parte antidotum ꝓcuret. Facit enim illos non rarò ex spiritu loqui vera, etiam si forsitan non considerent. Quapropter non tam quid senserint sancti Doctores explorandum est, quàm quid dixerint est ponderandum. Ob eam causam Caietanus cũ exposuisset verba B. Thomæ contra eius mentem, agnoscens & prudenter excusans factum dixit: At si quis contendit expositiones has posse cõuenire literæ, & nõ intentioni Autoris, qui videtur ex proposito docere oppositum, meminerit primò me ab autore didicisse post Augustinum, talem exibere aliorum lectorem, qualem meorum exopto. In vltimò siquidem præcedentis quæstionis articulo Autor verba Innocentii in Cap. Marthæ, ad verum sensum trahit, non curans de intentione opinãtis &c. Idem dixit in tractatu de autoritate Papæ & Cõcilii, dum exponeret decreta quædam Constantiensis & Basiliensis concilii, nihil curans de intentione loquentium. Hoc egregii Doctores sæpenumerò nec irrationabiliter obseruarunt, autorum verba potius ad veritatem aptantes, quàm ad eorum mentem.

Caietanus 3. q. 28. ar. 1.

Affero & iterum B. Anselmum cuius illa verba sunt, quorum (nisi violentissima detorsione violentur) significatio vix alia iis efficaciora pro sentẽtia nostra reperias: Decuit, inquit, illam Virginẽ ea puritate nitere, qua nulla maior sub Deo potest intelligi. Non afferam quæ ex eius epistolis, & aliis libris pleriq; produxerunt; quoniam nõ recipiuntur à disputatoribus tanq̃ B. Anselmi scripta.

B. Anselmus.

Hanc quoq; singularem Dominæ præstantiam & immunitatem à peccato satis declarat illud Chrysostomi, quod tamen aduersarii pro sua opinione inducunt, vbi ait: Nõ est de singulari Virgine ambigendum, quin ipsa maternis visceribus sublimiori genere sanctificationis mundata sit quàm Ioannes & Ieremias. Hîc velim accuratè notari verba.

B. Chrysosto.

Non dixit sublimiore sanctificatione, sed sublimiore sanctificationis genere. Sublimius autem genus sanctificationis non est commune cum cæteris: & ideò illud oportet intelligere quod à peccato præseruat.

Nonnulla item de hac nostra sanctissima Virgine effatus est B. Hieronymus, quæ in cordibus non adeò duris huius rei statuere persuasionem possint, quale est illud quod tractans versiculum illum psalmi: Eduxit eos in nube diei, dixit: Ecce Dominus venit in Aegyptum in nube Leui. Nubem leuem aut propriè corpus Saluatoris, quia leue fuit & nullo peccato grauatũ: aut certè debemus accipere MARIAM nullo semine humano prægrauatã. Ecce Dominus venit in Aegyptum seculi huius super nubem leuem Virginem: Et eduxit eos in nube diei. Pulchrè dixit diei. Nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce. Hæc ille grauissimus Autor, quæ profectò nisi sophisticè peruertantur, perpetuam Dominæ nostræ gratiam & innocentiam comprobant. Appellat enim Virginẽ Nubem nullo humano semine prægrauatam. Quid, obsecro, est hoc nisi apertius dicere illam nullo peccati pondere, quod ex humano semine descendit, fuisse prægrauatam? Et quid est non fuisse illam nubem vnq̃ in tenebris, sed semper in luce, nisi nunquàm fuisse inuolutam peccato per quod significantur tenebræ? Quid hîc dicturi sunt quantũuis ingeniosi & ad commenta copiosi?

B. Hierony.

Idem in sermone de Assũptione eius quæsita dicit, quæ cum hac indignitate peccati nullo modo conuenire possunt? Ait: Qualis & quanta esset MARIA ab Angelo diuinitus declaratur cum dicit: Aue gratia plena. Quia cum cæteris per partes præstatur, MARIAE verò simul se totam infudit plenitudo gratiæ quæ est in CHRISTO, quanquàm aliter... Hoc quippe est quod Dauid canit: Descendit sicut pluuia in vellus. Nanq; vellus cum sit de corpore, nescit corporis passionẽ: hæc ille. Quis igitur cum tanta plenitudine gratiæ posset peccati tenebras cõponere? Nam ea plenitudo dicitur in B. Virgine quæ fuit in CHRISTO, quanquàm aliter fuit. Quia CHRISTVS suo iure habuit: Maria verò tanquàm precario & ex gratia. Quæ igitur conuentio lucis ad tenebras, & CHRISTI ad Belial? Deniq; aduerte quàm egregiè velleri comparatur quod cum sit de corpore, nescit tamen corporis passionem. Quid est hoc, nisi quòd licet MARIA esset de corporẽ peccati, id est, de massa peccatrice, tamen quasi vellus ignorauit corporis passionem? Tale erat Gedeonis vellus

Idem in sermone de assũptione B. Virg.

etiam

etiam antequàm descenderet in illud pluuia, & ros æternæ nubis, idest, Altissimi Filius: ne fortè dicas hæc intelligi post Filij conceptionē. Nam & Angelus salutando, iam gratia plenam anteà illam enunciat.

Adhæc, Idem B. Hieronymus cū MARIAM super Angelos exaltatam miraretur, & multis prosequeretur laudibus, ita subdidit: Hoc priuilegium non naturæ, sed gratiæ est B. Virginis MARIAE, de qua natus est ipse Deus & homo: icircò & ipsa plus meritis est & non natura, quàm virgo & homo.

B. Augusti. B. Augustinus etiam penè eadem verba in eodem Spiritu dixit, videlicet Virginē illa summa obtinuisse ex priuilegio quæ erant super eius naturam: quia gratia in illa superauit naturam. Non est enim iam inter homines computanda quæ Angelos superat gratia, neq; omnibus cęterorum hominum regulis astringenda. Et ideò non ponenda est fuisse vnquàm sub fœtore peccati, sub ira Dei, sub manu Diaboli, quæ vsq; ad thronū Dei omnium propinquissima accessit. Infanda enim hæc sunt, abhominabilia, horribilia. Quare addit, quod & ad rem nostram egregiè aptandum est: Nulli, inquit, dubiū quin totum ad gloriam laudis Filii pertineat, quicquid dignæ Genitrici suæ impensum fuerit atq; solenniter attributum. Quocirca fretus tanti Doctoris autoritate, his paucis interpello Patres & Fratres meos. Si hoc tanto priuilegio dignam non putatis Virginem Dei Matrem: at saltem nō reputetis indignū IESVM eius filium pro illa. Si piget dare Matri, non pigeat concedere Filio, cui omnia data sunt in manu. Accepit enim ipse dona in omnibus, qui magna profectò fecit, & præcipua quæq; dedit Matri suæ. Vnde illa plena spiritu exclamabat: Quia fecit mihi magna qui potens est. Ipse eam elegit & prælegit, & fundauit sibi tabernaculum suū Altissimus, quod quantò impollutius, tantò certè ipso dignius. Hæc ex B. Hieronymo.

B. Ambro. Vnam solummodo B. Ambrosii producam sententiam, quæ tamen sumpta est ex prædicatione magni Apostoli Andreæ fratris Petri. Ipse enim tam excellens Apostolus non contra fidei fundamenta prædicans, sed potius fidei fundamenta statuens, inter cetera dixit: Quia de immaculata terra factus fuit præuaricator, congruum fuit vt de immaculata Virgine nasceretur Reconciliator. Idē & B. Matthæus fidei nostræ fundamenta prædicans & declarās, vt habet historia, enunciatur. Respondent contradicentes hoc nihil facere aduersum se, qui nequaquàm inficiātur eam Virginem fuisse & immaculatam semper, quæ nunq̄ contaminata fuit in carne. Nec aliud putāt inesse in horum virtute verborū, nisi carnis incorruptionem, quasi corruptio mentis nihil sit: neq; attendunt ad figuram, vt inde valeant elicere veritatem. Quis autē nesciat primum hominem typum fuisse secundi, idest, CHRISTI: vt ait B. Paulus ad Romanos? Modo cum iuxta B. Andreæ & B. Matthæi prædicationem, illa terra vnde manu Dei compositus est homo ille Deus, significet B. Virginem, qualis illa terra fuerit respectu peccati, talem oportet B. Virginem subintelligere. Hoc verò & illi Apostoli declarant, quorum sententiam nobis B. Ambrosius explicat ad Sabinum scribens libro sexto Epistolarum, his verbis: Quòd si primus ille homo qui cum Deo loquebatur, in paradiso positus labi tam facilè potuit ex terra creatus virgine, quæ ad verbū dei formata & creata recenti fuerat exortu, nondum ea parricidiali cędiumq; concreta sanguine: flagitiis & dedecore polluta, nondum carne nostra damnata maledicto obnoxiæ hæreditatis, quantò facilius &c. B. Ambro. Audis'ne terram cui comparatur B. Virgo? Nonne illam quæ nullum penitus Dei senserat maledictū, neq; vllam carnis damnationem, vtpotè præuenta in benedictionibus dulcedinis, & de qua singulariter dictum est: Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob? Hanc Salomon inquirebat aiens: Mulierem fortem quis inueniet? Procul & de vltimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit. O pulcherrimam veritatem & omni acceptione dignam. Quis mihi det vt hæc à meis fratribus tandē aliquando penetrentur, & quæ sunt Virginis Virgini, & quæ sunt CHRISTI CHRISTO concedantur? Quodcunq; .n. Matri Filii dono cōcedit, Filii magnificētiæ ascribitur: nec illi quicq̄ detrahitur, sed redditur quod suū est. Domine IESV, q de tenebris fecisti lucē splēdescere, da (obsecro) fratribus meis intellectū, vt videant & sinant se aliq̄n ab inuictissima veritate superari. In hoc .n. erit eis honor & laus corā Deo & Angelis eius.

Refellitur postremus contradicentium zelus pro Ecclesia Dei.

RESTAT ILLE ZELVS pro Ecclesia sancta Dei, quo nostri Spinæ vrgeri se ostentant, clamantes vigere in cultu Dei in cunctis christiani orbis ecclesiis errorem iamdudum ab

Apostolica sede damnatum. Quid poterat dici ab istis Spinis atrocius? quid inopinabilius? Possem ego optimo iure hanc insignē calumniam, ne dicam blasphemiam, redarguere primum ipsorummet confessione, qui dum huius rei nomine arguuntur, quod nō sequatur communem totius Ecclesiæ cultum & fidem, respondere solent ex Caietani doctrina, Ecclesiam & sedem Apostolicam nihil circa hoc determinasse, vt patet in Xystina constitutione, & ideo non cogi ab opinione sua decedere.

In determinationibus Ecclesiæ. Sed vide, pie lector, huius mēdacii peruersitatem. Est enim eousque peruersum, vt nullo aduersario destruat semetipsum. Nam si quod semel condemnatum est ab Ecclesia & Apostolica sede, rursus ab eadem Ecclesia & Apostolicæ Sedis autoritate recipitur & in diuinum cultum assumitur, nonne hinc plane infertur, in Ecclesia Dei circa ea quæ fidei sunt, inueniri eiusdem articuli simul damnationem & approbationem? Et ita non iam Spiritus veritatis, sed spiritus inconstantiæ & leuitatis esset in illa, nimirū, EST, &, NON, & non illud, EST, sempiternum. At hoc quid est aliud quàm ipsam destruere Dei Ecclesiā? Et hæc sunt lucra quæ nobis hi Spinæ sua fecunditate protulerunt.

Concilium Mileuitanum non facere aduersariis. Piget ea producere decreta quibus innituntur. Est quidē Mileuitanum cōcilium vbi legimus decisum, Paruulos recentes ex vteris matrum baptizari in remissionem peccatorū, idque verè propter originale peccatum quod ex Adam contraxerunt. Neque enim aliter est intelligendum quod ait Apostolus: Per vnū hominem peccatum intrauit in mūdum &c. nisi quemadmodum Ecclesia catholica vbique diffusa semper intellexit. Propter hāc enim regulam fidei etiam paruuli qui nihil peccatorum in semetipsis committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorū veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt: hæc ibi. At quid inde cōtra Matris Dei prærogatiuam? Quasi verò quia ponitur exceptio, negetur regula: aut ex eo quòd defenditur priuilegium, destruatur commune ius: cum potius econuersò, & regula scilicet & commune ius per affirmationem exceptionis ac priuilegii asserantur, non autem negentur. Decretū ergo erat contra hæreticos qui omninò negabant originale peccatum: & neminē prorsus illud propagatione contrahere, nec debitum habere ex sui natura contrahendi asserebant. Neque enim vllam quæstionē mouebāt de priuilegio cuiusquam, sed omnē omninò vim illius peccati destruebant. Nos verò (vt sexcenties diximus, & tamen nolunt considerare) illud peccatum palàm confitemur, & secundum debitū ex natura sui ad omnes pertinere vltrò asserimus nullo, nec B. Virgine, excepto. Ex gratia tamen CHRISTI & singulari erga Matrem priuilegio credimus & cum sacrosancta Romana Ecclesia defendimus illā à cōmuni labe præseruatā atque redemptam: hoc Spinis non placet. Cuperemus tamen vehementer vt eis etiam placeret; neue à reliquo Ecclesiæ vniuersalis corpore se hac parte separarēt, cum ipsa verè sit Lilium; nos autem spinæ omnes. Sic enim scriptū est de omni carne, præter illam singularem: Spinas & tribulos germinabit tibi.

Non quiescunt tamen, sed insuper quæ prorsus plana sunt, eis videntur perplexa. *Aduersariorū argumentum.* Putant enim hæc simul constare non posse: eandem esse præseruatam ac redemptam. Si enim (inquiunt) fuit præseruata, non indiguit redemptione. Quomodo igitur re-dempta? Tanto tempore res hæc versatā est in disputatione, nec adhunc intelligunt quæ nos dicimus. *Solutio quō dicatur Virgo præseruata & redempta.* Ipsi falsō opinantur nos adeò desipere vt ponamus primò B. Virginē fuisse ab ea labe præseruatam, & postremò redemptam: quod meritò esset ridiculum. At nos dicimus ipsam præseruationem nihil aliud fuisse, quàm illam singularem redemptionem, quam Ecclesiæ omnes celebrant, & nos hîc defendimus.

Obiectio. Sed iterum vrgēt: quia, inquiunt, Apostolica sedes aliud determinauit, videlicet nō posse dici redemptum qui per peccatum non fuerit antè verè captiuus. Ita enim testatur D. Augustinus Zozimum Papam in sua epistola scripsisse. Vnde exclamant zelatores Spinæ isti, O clarissimum verbum veritatis: O verbum vnicum sufficiens vniuersam soluere quæstionem. *Solutio.* At quàm longè opportunius nobis in eos exclamare liceret & dicere: O clarissimam vanitatis vocem, ò sophisticam, ò phantasticam persuasionem. Ehò dicite nobis: Est'ne hoc absolutè verū, non posse dici redemptum eum qui cum de facto non fuerit captiuus, captiuitati tamen obnoxius, seruatus est ne in eam incideret? Pontifex enim absolutè loquutus est. Si igitur vultis hoc absolutè verum esse, manifesta est peruia vestra. Nam & ipsi vestri autores vobis potenter aduersantur, & Beatus Augustinus & scripturæ ipsæ sanctæ, sicut superius latè ostendimus. B. Bernardus etiā Angelos dixit redemptos. Quod si falsum est absolutè hoc dictum, cur vultis hoc falsum

dixisse

dixisse Pontificem, & per illud vestram opinionem constabiliri? Durandus ipse expressis verbis docet, quòd si B. Virgo peccatum illud non contraxisset, potuisset dici verè redempta. Illud verò quod dixit Pontifex nō posse dici redemptum, qui non esset antè verè captiuus, opposuit hæreticorum dicto, qui cum nullum peccatum, neque vllam obligationem peccati & captiuitatis in quouis hominum concederent, oportebat eos confiteri falsum esse saltem in pueris, illud vniuersale dictum, quòd in remissionem peccatorū baptizarētur. Neq; enim fatebantur hæretici pueros debuisse quidem captiuati succumbere, sed præuenti Dei misericordia non succumbebant (quod etiam falsum fuisset) sed & factum & simul debitum ipsum pernegabant. Vnde in eos rectissimè conclusum est, illa verba Domini: Si filius vos liberauerit verè liberi eritis, attinere prorsus ad omnes etiam pueros, nec poterant verificari nisi in his qui verè, idest, cū veritate dici possent captiui. Hoc autem vsitato scripturarū more verè dici potest de omnibus quicūq; ex se obnoxii fuerint captiuitati, vt diximus, & repetere sępe cogimur propter istorum qui contradicunt, obtusionem & importunitatem. Est enim Scriptura quæ dicit, & Ecclesia sancta canit, CHRISTVM esse omnium Redemptorem & Saluatorem. Quod quis neget verè dictum? Et multos tamen *Notandum.* de facto non redimit neq; saluat. Hoc autem non ob aliam causam, nisi quia ex se & vi meritorum hoc habet, vt velit & possit redimere & saluos facere etiam illos qui de facto non redimuntur neq; saluantur. Cur ergo non similiter possit verè dici quis ratione meriti & obligationis esse captiuus, etsi non fuerit de facto captiuus? Siquidem ne accederet captiuitas, prohibitum est à præueniente gratia speciali. Si enim ea sola consideratione verificatur Redemptor etiam si non redimit de facto, quoniam ex se in hoc paratus est atq; idoneus, scilicet redimere, qd causæ fingi potest cur similiter nō verificetur is esse captiuus, qui ex se præceps quidem in captiuitatē rueret, sed obice interposito captiuitas de facto insequuta non fuerit. Concludimus ergo placuisse omnipotenti & clementissimo Patri Deo acceptare dilectissimi Filii sui merita pro ipsius Matre charissima ad effectū præseruationis ab ira, quatenus singularis illa persona seruaretur sola in quā meritum peccati Adę nullo pacto extenderetur, nec esset quouis momento iræ filia. Tantum valuit pro illa meritum CHRISTI & pretium sanguinis, & id quidem iure optimo. Decuit enim vt illa caro facta hostia pro peccato, & ille sanguis factus pretium pro nobis, primò & maximè illi prodesset, à qua ipse Dominus accepisset: & hæc fuit præseruatio. Et hoc in loco exclamare meritò libet, O veritatem luce plenam, iis tamen qui sese noluerunt excęcare. Nam huc est deuentum tandem ob affectionem sectarum & superbiam nostram, quam satis istos ostendisse existimo, qui soli sua sententia sint zelatores pro CHRISTO scilicet, qui CHRISTI beneuolentiam erga Matrem suam coarctant & coangustant. Hi zelatores pro Matris gloria & honore scilicet, qui eam constituunt peccatricem. Hi zelatores pro scripturis sanctis scilicet, qui se solos faciunt fidos ac veraces earum interpretes. Hi zelatores pro sanctis Patribus scilicet, qui similiter soli spiritum sanctorum Patrum imbiberint. Deniq; hi soli pro Ecclesia zelatores & veri ecclesiastici scilicet, quia ipsi soli iustæ ac piæ petitioni Romanæ Ecclesiæ, quā tacitè & cum illorum honore iure suo postulat, non obtemperant, dum quem illa instituit cultum non solùm non recipiunt, sed reprehendunt, & audent vocare hęresim & impietatem. Parcat illis clementissimus Deus Pater.

PARS SECVNDA IN QVA OSTENDITVR OMNES FIDELES TENERI AD CELEBRANDVM DIEM *festum immaculatæ Conceptionis* B. VIRGINIS *sub ipsomet immaculatæ Conceptionis titulo, & iuxta sensum Pontificio Decreto expressum.*

POSTQVAM FALso zelo frustrà incensos fratres meos superiore disputatione circa rei veritatē abundè ostēdi: nūc illud occurrit vt ad Patres ordinis nostri sermonem meū conuertens, ostendam pios omnes iure suo postulare vt id ipsum dicamus omnes, & in cultu Dei hanc fidem vniformes profiteamur. Quam rem vt quàm validißimè persuadeam, illud inprimis ante oculos eis obiicio, Romanam Ecclesiam recepisse, imò instituisse in diuino cultu celebrationem hanc de immaculata B. Virginis Conceptione. Est'ne verum istud, an falsum? Quàm sit verum (Deo gratia est) luce clarius patet in prima constitutione Xisti summi Pontificis: CVM PRAECELSA &c. Quid ad hoc responderi potest? Res clara est & aperta nimis.

Ab autoritate Rom. Eccl. probatur celebrā da Conceptio.

B. Thomæ piū olim cōmētum

Neque verò locum vlterius habet, quod olim piè quidem ac benignè commentus est D. Thomas de quibusdā Ecclesiis quæ tunc sub nomine Conceptionis celebrabant, volens illas potius ad sanctificationem respexisse q̄ ad conceptionem. Quia piè creditur, inquit, post animę infusionem, in qua peccatum originale contraxit, illicò fuisse sanctificatam. Hoc, inquam, iam non valet: quoniam expressè & plusquàm manifestè suum sensum Romana Ecclesia in Missa & officio Conceptionis declarat, quæ tale officium se instituisse ac ordinasse scripto suo ipsamet præcipuè contestatur, miram & immaculatam vocans beatißimæ Virginis Conceptionem. Huius item festum à Rom. Ecclesia fuisse ordinatum & institutum, etiam secunda Decretalis, GRAVE NIMIS, post septem annos à prima edita, irrefragabiliter manifestat: in quo officio & Missa clarißimis verbis hæc Matris Dei prerogatiua exprimitur.

Quid hîc dicent? Res facti est, & manifesta nimis. Certè terribilis est locus iste, & periculosum est in eum impingere, cum hîc sit Petra. Si enim non immaculata fuit B. Virginis Conceptio, & nihilo minus celebratur immaculata à sacrosancta Romana Ecclesia & cęteris omnibus totius christiani orbis (vt certè celebratur) error profectò est celebrare, & quidem error magnus & pernitiosus & intolerabilis. Quis enim ferat (ait Innocentius Primus) ad Deum orantem mentiri? Proferretur enim mendacium in cultu Dei. Omne autem mendacium in cultu Dei pernitiosum est, vt D. Augustinus, & Thomas, & cūcti Theologi contestanť. Et re vera istud per se est adeò manifestum, vt siquis negare velit, stolidum se aut impium prodat necesse est. Quantò igitur magis erit perniciosum, si quid contra fidem catholicam celebri ecclesiarum omnium solennitate colatur? Perniciosè ergo errat primaria Ecclesia & reliquarū omniū dux & regina, cui Deus Spiritū veritatis pmisit perpetuò adfuturum: & secū cæteras in errorem trahit, si sit verum quod proferunt Spinæ. Quin & vide, obsecro, pie lector, & attētius rem omninò infandam ac prorsus peruersam considera. Huius prerogatiuæ Matris Dei cultores (si falsa ponitur) inuenientur non solummodo mendaces orando, sed ēt orationis loco dirā in seipsos porrigere ad Deū imprecationē: sic.n. orāt. DEVS QVI PER IMMACVLATAM VIRGINIS CONCEPTIONEM DIGNVM FILIO TVO HABITACVLVM PRAEPARASTI: Ecce mēdaciū. PRAESTA QVAESVMVS, VT SICVT ILLAM AB OMNI LABE PRAESERVASTI: En iterū mēdacium. ITA NOS QVOQVE MVNDOS AD TE PERVENIRE CONCEDAS. Ecce omnino imprecatio dira. Nam si illa non fuit ab omni labe præseruata, & nos tales ad Deum peruenire oramus, iam nō oramus vt mundi, sed vt immundi perueniamus ad Deum. Et hoc acceptū referimus sacrosanctę matri nostræ Romanæ Ecclesiæ & illi Sedi, vbi nulla vnq̄ inuenta est macula, & quam Deus omnium Ecclesiarum matrem ac magistram constituit.

Nota.

Innocētius Papa.

Absurdum nō ferendum.

Nota omnino.

Grauitas ab orationis ueritate.

Quid hîc respondeant, quæso, fratres mei? Nunquid iam dissimulare valēt, & negare rem hanc esse grauissimā & maximi ponderis, siue falsa sit ipsorum positio, siue sit vera? Nam si vera (quod tamē est impossibile) cui dubium, esse perniciosum ac summoperè præposterū, Romanā Ecclesiā & reliquas totius orbis ecclesias celebrare dogma falsū, & quod fidei fundamenta subuertat? Sin autem falsa (vt re vera est) quis non videat intolerabile esse, è medio ipsius Ecclesiæ quosdam prodire Spinas qui tanta scandala disseminent, audentes asserere Romanam Ecclesiam, ad quam Dei prouidētia pertinet diuinum cultum, ne qua superstitio amisceatur, ordinare, illam ipsam sacrosanctam Romanam Ecclesiam recipere & instituere dogma falsum, impium, & hæreticum? Id autem non clām aut priuatim, sed in diuinis officiis & publicis ipsius sacrificiis, & eum obseruare cultum quo detrahitur dignitati CHRISTI & Matris eius, sicut volūt hi Spinæ. Nonne si ita se res haberet, Ecclesia quæ debuit esse magistra fidei, sicut vocata est semper, & columna ac firmamentum veritatis, facta esset nobis magistra erroris & hæresis? Nónne per eius magisterium omnis clerus & populus immane & irreparabile scandalum incurrerent, quià re falsa suam deuotionē ac pietatem alerent & nutrirent? Nam in ipso cultu ecclesiastico, vbi res cum Deo qui est summa Veritas, non cum homine agitur, ministri Ecclesiæ orantes ante altare, vbi putarent se veritatem dixisse & obsecrasse, inuenirētur & falsum pronunciasse cum Deo loquentes, & execrandos se ab eodem fieri postulauisse. Quæ res in Ecclesia Dei si non grauis est, quænam alia grauis fingi potest? Extat Cœlestini Papæ præclara sententia in articulorū damnatione quos Pelagiani tuebantur. Legem credendi, inquit, lex statuit supplicandi. Si igitur hæc supplicandi lex falsa fuerit, etiā lex illa credendi erit falsa: quod est horribile in Ecclesia sentire, & in dedecus & magnam fidei nostræ iniuriam.

Cœlestini Papæ sententia.

Mitto nunc quæ aliquando in patria mea quidam ausi sunt mihi respondere, cum ego ad hāc celebritatē recipiendā eos sedulò adhortarer obiiciens Romanæ Ecclesiæ morē, cui adhærescendum esse populus ille iure flagitabat. Dixerunt enim se viros esse veritatis, & ordinem Prædicatorum esse maximam & nobilissimam S. Romanæ Ecclesiæ partem. Quod si verum est: Ipsi ergo sunt caput, cœteri mēbra. Nam maxima & nobilissima cuiusq; ecclesiæ pars, caput est: & ad ipsum pertinet membrorum omnium directio. Verùm de his qui tam peruersa loquuntur, illud solum considerandum est, sint'ne potius miseratione digni ob corruptā affectionē, quàm animaduersione ob insolentiam & arrogantiam. Responsione proculdubiò tales iam digni non sunt.

Doleo autem adhuc esse qui secundum carnem cogitantes, respondere ineptissimè solent, Pontificem illum Xistum fuisse ordinis Minorum, qui ordo illam opinionem videtur extollerē, & ideò iudex minus idoneus, interim non animaduertentes quales ipsi sint, vt vacent hac parte suspicione. Nam vel hac sola responsione nō obscurè ostendūt quàm parum piè considerent prouidentiā Dei, qui existimant hominum voluntate agi ac regi ea quæ ad vniuersalem Ecclesiam attinent & ad cultum Dei, in quo est (D. Thoma teste) protestatio ac professio fidei nostræ. Qua in re si erraretur à summa illa Ecclesia quam cæteræ omnes æmulari debent, quid firmum iam & indubitatum tenere possemus?

Xisti Pontificis determinatio defenditur.

Præterea qui ante Xistū fuerunt, præsertim & uestri ordinis Pōtifices, & alii erga ordinē optimè affecti, cur alteram partem cui tunc plurimi fauebant, cum iam in controuersiam res deducta esset, pro vestra opinione nō determinarunt? Nonne vos necessariò cogimini fateri digitum Dei hîc adfuisse? Præterea si tam grauis error à Xisto, vt isti Spinæ volunt, commissus esset, qui post illum sequuti sunt tot Pontifices nō iam ordinis Minorum adeo'ne vel stupidi fuerunt, vel sedis Apostolicæ eiusq; autoritatis & honoris ita omnes obliti & contemptores, vt nullus tam perniciosum errorem emendare curauerit? Et cū tot præclari Magistri, tot Inquisitores fidei extiterint & sint in Ordine nostro acres veritatis defensores, cur non aliquando interpellarunt, aut etiam nunc non toto conatu interpellant vt illæ Xistinæ quę intolerabilem cultum, vtpote damnatam hæresim cōtinentem, in ipsam Rom. Ecclesiam & totum Christianismum induxerunt, funditus absorbeantur? Neq; enim est nouū vt posteriores Pontifices interdum corrigāt errores antecessorum, vt in Decretis patet.

Nota.

Verū Deus vt olim semper, ita ēt diebus istis puidit vt misera hæc fuga & puerilis tergiuersatio sit iam vobis erepta. Nā Tridētina Synodus vnanimi omnium Patrum consensu Xistinas illas constitutiones renouauit & confirmauit. Quid hîc amplius excusationis manet vobis? Omnes enim Episcopi id cōcorditer egerunt & concluserunt, nec fuit

Concilium Tridentinum Xistinas pro Conceptione approbauit.

quisq; qui sese opposuerit. Non est igitur vobis integrum dicere: Illa constitutiones fuerunt Xisti qui fuit ordinis Minorum, quãdo quidem eas vniuersalis S. Synodus confirmauit, in qua erant plures Episcopi ordinis Prædicatorum qui, nequaquã reclamarunt.

Ecce ergo quo tandem res deducta est, & in quas se coniecerunt angustias aduersarii disputantes, vt cogantur fateri sanctã Romanam Ecclesiam cũ cæteris cunctis catholicis in his decretis, & vsu atq; ritu suo ecclesiastico tam perenni aberrare à veritate fidei, ac tanto errore inuolui vt in diuinis officiis & sacrificiis non solùm mendacium clara voce asserat, sed etiam colet & veneretur. Neq; mendacium tantum, sed impietatem insuper & hęresim: & hoc pertinere ad abusus Romanæ curiæ (vt quidam illorum blasphemãt) quos oportebat emendari in sacro Concilio, in quo tñ Xistinæ illę, ac per hoc cultus ac ritus probatus iam fuerit. Quãobrem iustissimæ sunt multorum querelæ ob insignem istorum arrogantiam & contumaciam.

Addo ego etiam inscitiam hac in re & mirificum errorem, si hæc se arbitrantur sentire atq; enunciare secundum spiritum & doctrinam B. Augustini & Bernardi, Thomæ, & aliorum sanctorum quos ipsi habere autores falsò gloriantur. Profectò non est hæc in primis doctrina B. Thomæ, qui in his quæ ad fidem attinent, Romanam Ecclesiam errare non posse propter Spiritus sancti assistentiam, multis locis nos docet. Hic verò sententiam quis fortius tenuit ac defendit quàm ordo Prædicatorum? Vbi est ergo vestra in hoc articulo gloriatio, de vestro Sãctorum exercitu quem aduersus nos opponitis, cum vel in ipsis foribus tam vehementer omnes vobis obsistant, prædicantes & protestãtes nolle sibi vlla in re credi quicquã, quæ repugnet Ecclesiæ sanctæ non solùm decisionibus, sed decretis quoq; ac ritibus: cuius autoritati magno consensu & syncera professione semper cesserunt, & quod illa vel inuit semper suis propriis sententiis anteponunt?

B. Thomæ fides & summissio erga Rom. Ecclesiam. Ecce ipse B. Thomas in hoc ipso articulo vt suam fidem in hanc Ecclesiã, ostenderet quæ nondum suo tempore admiserat hoc festum immaculatę Conceptionis, & nihilominus perpendens magnam in ritu & obseruantiis etiam particularium ecclesiarũ adesse autoritatem, dum hanc tractaret quæstionem Vtrum B. Virginis Cõceptio fuisset immaculata & sancta, pro affirmatione argumẽtatus est in hunc modum: *B. Tho. ĩ quod libet.* Non celebratur festum nisi de aliquo sancto, Quædam autem

ecclesiæ celebrant festum Conceptionis B. Virginis. Ergo &c. Postmodo respondet his verbis. Licet, inquit, Romana Ecclesia non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum ecclesiarum illud festum celebrãtium: vnde talis celebritas non est totaliter reprobanda: hæc ille. Nota primùm mi frater, eam celebritatem non recepisse tunc Romanam Ecclesiam, & tamen (teste sancto Doctore) non fuisse totaliter reprobandã. Hoc verò quia tolerabatur in quibusdã ecclesiis ab Ecclesia Romana. Quid nostris diebus diceret, quãdo tota prorsus Ecclesia sub eo Cõceptionis nomine celebrat: & ipsa quidẽ Romana in primis, idq; iam tanto tempore? Cur tu igitur eam non solùm non recipis, sed contra respuis ac tantoperè detestaris?

Dices Ar B. Thomas retulit eam celebritatem ad sanctificationem à peccato. Fateor: sed hoc olim, quando locus erat interpretationi ac coniecturæ. quia Romana Ecclesia nedum sensum suũ declarauerat. Nũc aũt cum sensum suũ verbis clarissimis, post tot disputationes & hinc inde rationes matura cõsideratione discussas in suis decretis Declarauerit, præclusus est vobis hic omnis euadendi locus. Putabat enim S. Doctor ideò Romanam Ecclesiam sub nomine Conceptionis non celebrare, quia haberet hanc fidẽ, videlicet conceptam sub peccato. Sic enim ait expressè in quodl. 6. art. 1. his verbis. Nã Romana Ecclesia & plurimæ aliæ considerantes conceptionẽ Virginis in originali peccato fuisse, festum Conceptionis non celebrant: hæc ille. Ecce quomodo hic locus ab autoritate Romanæ Ecclesiæ, à qua ipse pendebat, decidit vobis è manibus, fratres mei. Nec enim vlterius loco illo B. Thomas vteretur, nisi aduersus antiquam illam opinionem suam, vt eam deponeret: quia Romana Ecclesia certam & claram suam mentẽ ostendit in cultu, cuius Spiritum & autoritatem non solùm sibi ipsi, verùm etiam cunctis Ecclesiæ Doctoribus semper esse anteponendam docuit. Et quia in hac summissione scripsit & docuit, ideò fuit sanctus & catholicus Doctor. Quin (quod est admirandum) ipsimet Thomistæ omnes hac parte idẽ faciunt in aliis articulis, hoc vno excepto. Quamobrem verò, nisi re in contentionem semel deducta, & aliquot diebus vt benignitate Matris allicerentur, in illis tolerata, inanẽ victoriam magis amant quàm veritatem? Ecce S. Doctores innitens Nicolai Papæ autoritate, putauit clericos qui suæ defensionis gratiã quenquàm occiderent irregulares fieri. Cõ

fecta est pôst decretalis Clementis quæ secus determinat. Dicunt Thomistæ, si tempore B. Thomæ fuisset illa decretalis, non ita docuisset. Caietanus autem in alio loco ob istā causam ausus est dicere: Teneo quòd apud S. Thomā potest Ecclesia dispensare in voto religionis & ordinis. Quòd autem hoc sit de mente S. Thomæ, manifestè concipi potest ex initio & fundamento positionis suæ in cōtrarium in. 2.2. Siquidem concludere volēs quòd Papa non posset dispensare cū religioso, pro radice positionis assumit autoritatem decretalis dicens. Sed quia decretalis: Cum ad monasteriū, manifestè dicit &c. Et deinde vt conformaret se decretali, adinuenit illam adaptationem de consecratione, vt ibi patet. Ex quibus omni passione semota quilibet perspicacis ingenii elicere potest, quòd si tempore suo summus Pontifex dixisset oppositum verbo vł facto (vt postmodū fecit) ipse quoque accomodasset rationem in obedientiam sedis Apostolicę. Et propterea illa opinio, videlicet quòd Papa non possit dispensare non est sua, nisi pro quanto sustentatur ab illa decretali: hæc ille. Ac si per hoc simpliciter cōcludat illam opinionē nō fuisse B. Thomæ, qui putauit eam per decretalem substentari, per quam sanius intellectam re vera non substentabatur. Vide ergo, mi frater, quàm pulchrè & optimo iure in re proposita idem possumus dicere, eatenus tunc illi festo immaculatæ Conceptionis & ipsi prærogatiuæ S. Doctorem aduersatum fuisse, quatenus arbitrabatur hoc esse contra sensum præsumptum Ecclesiæ, quæ tunc non celebrabat de Conceptione, etsi quædam aliæ celebrarent. At si illius tēpore in ritu & diuino cultu Romana Ecclesia suum sensum tam clarè explicuisset, quis Thomistarum, si verè sit Thomista, queat ambigere virum sanctū pro sua humilitate, deuotione, & obsequio debito ad illam sanctam Sedem, quod semper (vt par erat) exhibuit, primum omnium in hanc sententiam fuisse subscripturum, cum iam sciret ex fide catholica certam in illa Ecclesia & infallibilem adesse Dei prouidentiam, seruantē illam in huiusmodi ab omni errore? Nonne tantum detulit hac parte nō solùm Romanæ Ecclesiæ, verùmetiam aliis particularibus, vt putauerit, modo maneant in catholica, nec eas in suis ritibus quicquām contra diuinā veritatem admittere? Vnde & Caietanus prudenter hanc sequens doctrinam, post Petrū de Palude ita extulit quorundam particularium ecclesiarum autoritatem in eiusmodi obseruantiis, vt in illis innitens nō dubitauerit postponere clarissimorum Doctorum & sui magistri D. Thomæ doctrinā. Nam cū quæreret de materia sacramenti Eucharistię, an necessariò debeat esse panis triticeus, cum multi ita obseruandum esse affirmarent, & pro his ille argumenta tenderet: postremò quarundam nec ita nobilium ecclesiarū aduersam cōsuetudinem inducens, tem paucis sic conclusit. Ad hæc fundamenta si liberè inspexerimus, nullum cogentem inuenitur habere rationem, nisi vltimum propter autoritatem Spiritus sancti gubernantis Ecclesiam: hæc ille. Hactenus igitur ista satis sint de mente & doctrina B. Thomę.

Nunc vos obsecro fratres optimi, B. Bernardi sensum sedulò & affectione improba vacantes perscrutemur, postquàm existimatis illū hac parte potissimum militare pro vobis. Ego verò si causa ad ęquum & prudentem iudicem deferatur, hoc vno contra vos tanti viri solo testimonio certare velim ad confutandam cuiuscunque duritiam. Audite igitur & veritatem ipsam ingenuè recognoscite. *B. Bernardi non fauet aduersarys.*

Cęperat derepentè Lugdunensis Ecclesia cuiusdam reuelationis admonitione celebrare de immaculata conceptione B. Virginis. Cū ad aures sancti illius Abbatis ea fama peruenisset, sapientissimè cōsiderans quàm sit periculosum quemlibet cultum in Ecclesiis non sanè probatum admittere, zelo sancto permotus cępit inuehi aduersus illius celeberrimę Ecclesiæ Canonicos, & eam nouitatem improbare. Hæc enim potissima erat eius vrgēs ratio, quòd scilicet eum ritum nesciret Ecclesia, nec vlla commendaret antiqua traditio, sed priuata autoritas præsumpsisset. Vnde ait: Nunquid Patribus doctiores aut deuotiores sumus? Periculosè pſumimus, quicquid in talibus istorum prudentia prǽteriuit. Nec verò id tale est quod nisi prætereundum fuerit, Patrum quiuerit diligentiam præteriisse. Hactenus ille argumentum in eos mouet, eo quidem tempore validum satis ad reprimendum illorum ausum, quem ex leuitate aliqua putabat inchoatum. At nunc iamdiu argumentum istud euanuit, cum hunc ritum omnis Ecclesia venerabiliter susceperit ac seruauerit. Quin attendite, fratres, quàm sit euidens & certissimum argumentum, hīc esse digitum Dei. Nam cum anni iam quadringenti fluxerint, ex quo cępta est Lugduni & in aliis etiam ecclesiis sensim hæc festiuitas celebrari, nunquā prorsus facta est vlla intermissio, sed in dies altiores egit radices, cum tamen interim tot Sancti, tot Magistri ab initio eam reprobarent, inter quos hic noster Abbas qui *Aduertendum diligenter.*

tam vehementer in eam excanduit. Tantum autem abest vt quicq̃ hi omnes profecerint, vt contrà omninò, quantò prohibuerunt seuerius & fortius clamauerũt, tantò magis amplificatus est & vbiq; creuit hic cultus. Id verò qua poterat virtute fieri, nisi diuina & Dei Spiritu? Sic nũc, & in posterũ perpetuò, eueniet, quantò vos altius clamabitis, tantò magis stabilietur hæc veritas. Habet enim fermentum latens plenum virtutis, quo iam fermentata sunt omnia. Soli vos paucissimi & inter vos adhuc diuisi remansistis, qui nisi extrema pertinacia renitemini, etiam fermentabimini: ita confido in Domino IESV qui quod pro Matre iam in ordine vestro inchoauit, absolutè tandem perficiet.

Mira inter B. Bernardum et Thomam consensio.

℄ Præterea animaduerte, quæso, rem mirificam. B. Bernardus omninò hoc festum reprobat: At B. Thomas tolerandum censuit. Considerate igitur vos ipsi mirum eorũ etiam in hac dissensione consensum. Quid causæ est cur B. Bernardus illam omninò respuit, nisi ab autoritate atq; exemplo Ecclesiæ, quæ tunc ritum illum nesciebat? Erat.n. eo tempore recens huiusmodi celebratio. Quare rursum B. Thomas tolerandum duxit, nisi quia tunc illum tolerabat Ecclesia? Quid ergo inde colligemus? Nonne fateri necessariò cogimur, si Romana Ecclesia B. Bernardi & Thomæ temporibus hoc festum ea solennitate recepisset, quemadmodum citra hæsitationem nunc recipit & celebrat, ambos fuisse etiam toto corde illud penitus amplexuros? Si enim Abbas ille deuotus propter Ecclesiam respuendum censuit: B. Thomas item propter Ecclesiam tolerandum, certè ambos etiam propter Ecclesiam quæ illud postmodo accepit, humiliter ac deuotè censuissent recipiendum. Ob hoc enim ille Abbas continuò adiecit: *B. Bernardus.* Nam si sic videbatur, consulenda erat prius Apostolicæ sedis autoritas, & non ita præcipitanter atq; inconsultè paucorum sequenda simplicitas: hæc ille. Et adiecit: Ego quod ab illa accepi securus & teneo & trado. Quod verò non, fateor scrupulosius admiserim: hæc ille deuotissimus Abbas.

Considera prudens lector primùm verba fidei in eo quod ait: Ego quod ab illa accepi securus & teneo & trado. Cur ergo pariter tu, mi frater, non hanc huius tanti viri fidem sequeris, vt ab ea quoq; accipias & securus in eo maneas quodcunque ibi tradiderit? Hoc te Abbas ille docet. Cogita & verba prudentiæ in eo quod adiecit: Quod verò nõ, hoc est, quod ab ipsa Ecclesia non accepi, scrupulosius fateor admiserim. Non dixit: Illud quod non acceperim ab ea, continuò penitusque damnauerim, aut etiam penitus non admiserim. Etenim multa quibusdam temporibus non erant ab Ecclesia cognita & accepta, & tamen non erant damnanda, si quidem illa recepit postmodo & probauit. Sed dixit: Scrupulosius admiserim, idest, non facilè, non leuiter, non temerè, non inordinatè admiserim, sed consulta prius ipsa Apostolica sede. Denique cum in ea epistola aliquot rationes, quæ videntur facere pro vestra opinione, induxisset, non sibi ac scientiæ propriæ confidens, sed timore sancto plenus & fide, totam quæstionem in hæc verba conclusit: Quæ autem dixi, absq; præiudicio sanè dicta sint sanius sapientis. Romanæ præsertim Ecclesiæ autoritati atque examini totum hoc, sicut & cætera quæ huiusmodi sunt vniuersa, reseruo. Ipsius si quid aliter sapio, paratus sum iudicio emendare: hæc ille. Certusne es tandem mi frater, si B. Bernardus nunc in terris ageret, non solùm non aperiret os aduersus Ecclesiam, sed certò videns declaratam eius mentem, id quod antea protulit, iuxta protestationem suam, emendaret, aut potius declararet? Nam re vera hũc modum præseruationis medium nõ cogitauit, contra quem nihil conclusit, vt superius puto me reddidisse manifestum.

Nolo autem quisquam hîc mihi opponat illud ex eodem B. Bernardo, & aliis qui eum sequuti sunt, nimirum si hæc celebritas fuisset admittenda, non præteriisset veterum Patrũ diligentiam. Hoc enim manifestis instantiis diluitur, cum tempore B. Bernardi non esset institutum festum corporis CHRISTI, & festum Visitationis B. Virginis, & alia plura quæ olim Patres non cogitarunt: quæ si quis nunc reprobare vellet, hæretici & schismatici esse spiritus conuinceretur. Quo spiritu ductus Lutherus postq̃ festa ferè omnia cõculcasset, dixit. Nullum festum magis odi *Lutheri blasphemia.* q̃ festum corporis CHRISTI, & Cõceptionis B. Virginis. Nec fuit alia Ecclesia priscorum Patrum ab ea quæ nostro tẽpore viget: sed vna eius est & eadẽ potestas & autoritas. Nec Pontificum mores ponderandi sunt cũ de Cathedra decernunt. Sed hęc in fratres meos & ipsos quidem Thomistas inducere valdè piget, cũ huius doctrinæ potissimùm ipsi debeant esse magistri.

Erat ergo tum locus ille à coniectura, nõ videri scilicet verisimile illud veteres preteriisse. Sed vbi veritas venit in lucem perspicuã, quid possunt aduersus illam coniecturæ? In

incertis enim, non in certis locus est cõiectu-ris. Iam patet quàmlatissimè Romanã Ecclesiam & cæteras cunctas hanc celebritatem recepisse. Nostri autem ordinis Fratres non constituunt per se ecclesiam, sed sub Romana sunt: & tamen magna ordinis portio, & vbi maximè vigent cum scholasticarum, tum sacrarum literarũ studia, eam recipit & nemine reclamante celebrat.

Omnes S. Patres ad Rom. Eccl. aspexisse Quòd verò omnes prisci Doctores ad coniectandum circa hunc articulũ primariæ Ecclesię sensũ, ab ipsius vsu & ritu aspexerint, vt illã veluti boni æmulatores sectarent, multis argumẽtis cõfirmari potest. Ecce qui ad persuadendam renitentibus huius festi celebrationem instabant, obiiciebant B. Anselmum, *B. Anselmus.* quem dixisse ferebant: Non puto esse verum amatorem B. Virginis, qui festũ eius Cõceptionis colere respuit. At illi ex aduerso respondebant. Ecclesia Romana non celebrat, quæ tamen supponitur vera amatrix VIRGINIS. Hanc responsionem probarunt cuncti illius temporis eximii doctores, Egidius, Ioannes de Neapoli, & Capreolus noster doctrinæ B. Thomæ acerrimus & strenuissimus defensor. Quid ergo ex hac responsione licet colligere, nisi quòd omnes huius quæstionis resolutionem à facto Romanæ Ecclesiæ, quod nunc est notissimum, pẽdere cõfitebantur? *Hugo Cardi. in Eccle. c. 2.* Hugo Cardinalis manifestè, vbi ait Virginem originale peccatum contraxisse, ex eo inferebat ꝓpterea eius conceptionem non celebrari. Qui verò bonus est logicus, ab opposito consequentis necessariò colligit oppositum antecedentis.

B. Ioan. Dominicus. B. Ioannes Dominicus ordinis nostri in eodem loco scripsit: Libenter hoc, inquit, MARIAE concederem, si Ecclesiæ non repugnaret.

Thomas Argentinas. Tomas Argentinas Generalis ordinis Heremitarum S. Augustini (vt iam meminimus) tutatus est hanc B. Virginis prærogatiuam cum aliis rationibus, tum hac potissimum: quia Romana Ecclesia illam suo tempore inceperat celebrare. Et re vera hic vnus est in fide nostra lapsus grauissimus & præcipuum periculum, si huius autoritatem Ecclesię sinimus apud nos periclitari. Hinc. n. vt elegãter scribit B. Cyprianus, schismata & hęreses oriunt: quia vnus in ecclesia ad tẽpus sacerdos, & ad tẽpus iudex vice CHRISTI nõ cogitat. Quod si patimur, ô Patres, hãc ꝑsuasionẽ inualescere, & apud eos ẽt vigere qui se maximè Catholicos profitentur, certè (quod cum dolore dico, dicam tamen quia veritas est) Lutheranæ sectæ, imò communi omnium hæreticorũ errori perniciosissimè fauemus. Nam in hanc Petram in omni suo dogmate impingunt, omnia respuentes quæ ab ipsa fiunt sine Dei verbo (vt aiunt) expressò. Quid si quis obiiciat, illos minus irrationabiliter quàm vos hac parte loqui? Nihil. n. non certũ admitti volunt in cultu Dei, quod quidẽ sapiẽter dicũt ꝓpter periculũ idolatriæ: quo stante, in eo solùm aberrant, quòd nihil certum esse arbitrantur etiam ab Ecclesia ꝓbatum, nisi fuerit verbo Dei & in Scripturis expressum, ideóq; totam Ecclesiæ faciem deturpant. Vos autem dum in iis ordinandis atq; instituendis quę ad cultum diuinum pertinent, aberrare posse Romanã & vniuersalẽ ecclesiam existimatis, ac de facto in hac celebritate aberrare contenditis, incertum nobis omnem diuinum cultum redditis, & nutantẽ facitis christianam fidem, quam præcipuè in diuino cultu profitemur atq; protestamur. *Absurda ex positiõe aduersariorum.* Minus autem insipienter erraretis nullos penitus cultus admittendo, quòs Ecclesia instituit absq; Dei verbo expresso (vt habet Lutheranum dogma) quàm illos admittendo fateri simul posse eos esse mendaces, vt cuiq; liceat ad libitum vel admittere, vel negare absq; nostræ fidei præiudicio & scandalo. Mauult. n. penitus non coli Deus, qui summa est veritas, quàm mendacibus coli cultibus aut incertis. Vix autem in Ecclesia Dei vllum est argumẽtum validius, quàm quod ab institutis Patrũ sumitur in cultu diuino. *Consuetudinis Eccle. robur.* Vnde B. Paulus quò contumaces confunderet, hoc vnũ tanquàm cęteris potentius seruauit sibi telum (& hoc eleganter notat B. Thomas) ritum videlicet & consuetudinem Ecclesiæ. Dixit enim: Si quis videtur esse contentiosus, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesiæ Dei. *1. Cor. 11.* Hoc vno lapide orthodoxi Patres hæreticorum frontem perfregerunt semper & plurima euicerunt. Aduersus Anabaptistas quid robustius valuit ad confirmandum puerorum baptismum quàm Ecclesiæ consuetudo? Peccatũ item originale nõne potissimùm à baptismo puerorum B. Augustinus euicit, & ab ipso baptismi ritu? Purgatoriũ itidẽ quo medio euidentius comprobatur, quàm à sacrificio & precibus quas pro mortuis fundit Ecclesia & semper fudere cõsueuit? Et quid potentius contra Donatistarum hæreses olim obiectatũ est, quàm Ecclesiæ ritus & consuetudines? Vnde & contra D. Cypriani errorem disputans ille Beatissimus Pater, quò autoritatem tanti Martyris (huius articuli duntaxat gratia) retunderet: nõ nisi hunc, hunc inquã murũ inexpugna-

bilem opposuit, videlicet: Ego huius viri laudem, inquit, assequi non valeo, eius multis literis mea scripta non comparo, eius ingeniũ diligo, eius laude delector, eius charitatem demiror, eius martyriũ veneror: hoc quod aliter sapuit non accipio, quia Ecclesia non accipit, pro qua sanguinem fudit: hæc ille. Sed innumera sunt & ea quidem certè grauissima exempla, quibus obrui facilè possetis, fratres mei charissimi, quæ cum sciam vos non latere, consultò prætereo. Hæc pauca commemoraui vt applicetis ad quæstionem, & cognoscatis vos hac parte habere cum veteres omnes, tum recentiores Doctores & Magistros, & præcipuè quos vestros autores facitis, irrefragabiliter contra vos contestantes.

¶ Ostenditur frustrà à Spina publicatum fuisse librum Turrecrematæ, qui ad ueram illius Doctoris mentem maximè prosternit aduersarios.

POSTQUAM DISPUTAtionem Cardinalis de Turrecremata pro vestra opinione in medium produxistis, superest nũc vt luce clarius ostẽdam quanta tantum virum iniuria affeceritis, librũ cõtra illius voluntatẽ (vt nullus sapiẽs dubitare debet) publicãdo, & quàm strenuè etiam ipse contra vos hac parte militet, quæ præiudicium habet. Primum istud certo certius est iuxta huius gloriosi viri doctrinam, Ecclesiam Romanam in his quæ ad cultum Dei attinẽt errare non posse: quia fides nostra, vt ille testatur, læderetur. Vnde pro re indubitatissima affirmat Ecclesiam Romanam in canonizatione Sanctorũ nullo modo errare posse. Si hoc est verum, vt certè verum est, saltem iuxta huius viri sententiam: redditur ergo perspicuum & in promptu totam eius disputationem contra immaculatam Matris Dei Conceptionem euanescere. Siquidem perspicuum nobis est & promptissimum ostendere, Romanam Ecclesiam non solùm recepisse, verumetiam instituisse hanc solennitatem & comprobasse, & iam diuturno temporis ritu illam & obseruatione perpetua confirmasse & corroborasse. Quid igitur nunc diceret vir ille nedum catholicus, verùmetiã acerrimus catholicæ veritatis & illius Apostolicæ sedis peculiaris defensor? Nonne Ecclesiæ adhæresceret? Nonne vltrò palinodiam apertè & ingenuè (quẽadmodum & alii multi) caneret? inter quos me ipsum, licet omnium sim minimus & tanquàm abortiuus, libenter annumero. Et vt omnes nertuos prius ad impugnandam tantæ Dominæ prærogatiuam intenderat, ita nunc illos ad defendendam illam fortius conuerteret. Volo hoc totum lector absque vlla dubitatione comprobet ex illiusmet viri testimonio & in eodem libro, vbi disputat aduersus hoc priuilegiũ. In parte enim nona illius libri cap. 10. vbi de celebratione huius festi agitur, cum ex aduersariorum disputatione aduersum se opposuisset ab Ecclesia Romana hanc celebritatem iam fuisse receptam, & tam Cardinales quàm Episcopos & cæteros de curia conuenire solere ad eius solennia, & audire sermones qui eam celebritatem declarantes veritatem huius prærogatiuæ astruebant, ille respõdit his verbis: Ad istam rationem dicitur negando quòd Ecclesia Romana siue sedes Apostolica festiuitatem illam aut instituerit, aut canonizauerit, aut prouũciauerit, aut celebrauerit, aut in calendario annotari iusserit. Nõ enim quicquid fit in Romana curia, aut per Dominos Cardinales, aut Episcopos & populũ, aut per scriptores Breuiariorũ aut Missalium dicitur Ecclesia Romana siue sedes Apostolica fecisse, aut mandasse, aut instituisse: imò ipsa quæ nullis vnquàm temerariis nouitatibus succubuit (vt in cap. A recta. 24. q. 1.) aliis in exemplum celebrare hoc festum videtur recusasse. Non enim Ecclesia Romana, vt loquimur communiter de Ecclesia Romana pro sede Apostolica, in qua totius Ecclesiæ Dominus principatum collocauit (iuxta Cap. Basilicas, de consecra. di. 1.) dicitur celebrare festum aliquod, quãdo Cardinales, aut Prælati, siue populus Romanus, aut Domini de cancellaria pro sua deuotione conueniunt in aliqua ecclesia Missarum solennia audituri: sed quando summus Pontifex cum collegio Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium solenniter in loco publico (vt moris est in aliis præcipuis solennitatibus) celebrat & festiuat. Quòd non facit in hoc festo, vt tam ex doctorum magnorum libris, quàm ex ipsa experientia rerũ magistra cognoscimus. Licet enim sedes Apostolica toleret quòd alicubi hoc festũ celebretur, supponens celebrantes sanum & catholicum respectum habere, non tamen propter hoc approbare dicenda est: quia quod permittitur, non approbatur, vt cap. Denique, dist. 4. & in cap. Hac ratione. 11. q. 1. Ex quibus vnusquisq; clarissimè videre poterit quàm parum conuincant argumenta ex aduerso fundata super hoc quod Ecclesia Romana instituerit aut celebrauerit hanc festiuitatem. Hæc ille Cardinalis, quæ fortasse eo

tempore

Responsio Turrecrematæ olim, quæ nũc facet Conceptioni.

Nota.

tempore potuissent vtcunq; (quaq̃ egrè admodum) satisfacere. Sed demus tunc satisfactum esse. Nunc certè, Deo gratia est, per hæc ipsa proprius autor conuincitur, colligatur, constringitur. Et illud citra dubitationem magno Dei miraculo fit, vt ipsa arma quæ in nos affertis, eadem in vestrum interitum fabricata sint. Ecce enim S. Romana Ecclesia in qua Dominus totius Ecclesiæ cõstituit & collocauit principatum, & nullis vnquam temerariis nouitatibus (vt ipsemet egregiè tradit & confitetur) succubuit. Illa, inquam, S. Romana Ecclesia summo Pontifice teste, cuius vocem etiam sacrosancta Synodus Tridentina vnanimiter approbauit, iam olim instituit, pronunciauit, canonizauit, & celebrauit hoc festum, & ita exertè vt nulla alia expositione sit opus: imò eousque clarè vt omnẽ vestram reiiciat interpretationem. Ipse enim summus Pontifex in capite: Graue nimis, sic ait: Sanè cum sancta Romana Ecclesia de intemeratæ semperque Virginis MARIAE Conceptione publicè festum solenniter celebret, & speciale ac proprium super hoc officium ordinauerit, nonnulli (vt accepimus) diuersorum ordinũ prędicatores in suis sermonibus ad populum publicè per diuersas ciuitates & terras affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non cessant, omnes illos qui tenẽt aut asserunt eandem gloriosam & immaculatam Dei Genitricẽ absque originalis peccati macula fuisse conceptã, mortaliter peccare, vel esse hæreticos: eiusdẽ immaculatæ Conceptionis officiũ celebrantes, audientesque sermones illorum qui eam sine huiusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare grauiter. Sed & præfatis prædicationibus non contenti, cõfectos super his suis assertionibus libros in publicũ ediderunt: ex quorum assertionibus & prædicationibus non leuia scãdala in mentibus fidelium exorta sunt, & maiora meritò exoriri formidantur in dies. Nos igitur huiusmodi temerariis ausibus ac peruersis assertionibus ac scandalosis quæ exinde in Dei Ecclesia exoriri possunt (quantum nobis ex alto conceditur) obuiare volẽtes, Motu proprio, non ad alicuius nobis sup hoc oblatæ petitionis instãtiã, sed de nostra mera deliberatione & certa scientia, huiusmodi assertiones ꝓdicatorũ eorundem, & aliorum quorumlibet qui affirmare præsumerent eos qui crederent, aut tenerent eandem Dei Genitricem ab originalis peccati macula in sua conceptione pręseruatam fuisse, propterea alicuius hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare: aut huiusmodi officium Conceptionis celebrantes, seu huiusmodi sermones audientes, alicuius peccati reatum incurrere, vtpotè falsas & erroneas & á veritate penitus alienas, editosq; desuper libros prędictos id continentes, quo ad hoc, autoritate Apostolica tenore præsentium reprobamus & dãnamus: ac motu, scientia, & autoritate prædictis statuimus & ordinamus ꝙ prædicatores verbi Dei, & quicunque alii cuiuscunque status, gradus, aut ordinis, ac conditionis fuerint, qui de cętero ausu temerario præsumpserint in eorũ sermonibus ad populum, seu aliàs quomodolibet affirmare huiusmodi sic per nos improbatas & damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros ꝓ veris legere, tenere, vel habere, postq̃ de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrãt, á qua ab alio q̃ á Romano Pontifice (nisi in mortis articulo) nequeant absolutionis beneficium obtinere. Item motu, scientia, & autoritate similibus, simili pęnę ac censuræ subiicientes eos qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem MARIAM cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen vel peccatum incurrere mortale, cum nondum sit á Romana Ecclesia & Apostolica sede decisum: hæc summus Pontifex. Quo in loco æquos vos arbitros imploro, Si ille vir catholicus Turrecremata nunc in terris ageret, & tam expressam Pontificis vocem & determinationem audiret, nonne manus vltrò daret, & primus cremari librum illum suum iuberet, videns hoc vno solo ecclesiastico fulmine, cuncta quæ tanto labore construxit subruisse? Et tamen suus illi reddendus est honor, qui pro suo zelo acutè & ingeniosè causam istam etiam cum laude defendit, vt cum honore sepeliretur. Scripturas protulit quæ illi in speciem videbantur attestari. Similiter sanctos Patres, & Doctores egregios q olim plurimum in scholis profecerunt. Certauit igitur illo tempore absq; vitio, absque periculo: imò, vt ego existimo, etiam cum merito, qui se pro veritate pugnare arbitrabatur tantis prauiis ducibus & autoribus fretus. Verùm illucusque satis, quia tunc ab vtraq; parte pro Ecclesia certabatur, quæ nondũ mentem suam patefecerat, Spiritusancto interim cuiusque zelum tentante ac spectante. At nostra pñti ætate quando iam clara est pronunciatio, auderet'ne vir ille pius iuxta ac doctus vlterius contra matrem communem sacrosanctam Romanam Ecclesiam quicq̃ mutire?

Margin notes: *Xisti summi Pontificis Decretum.* — *Nota omnino.* — *Pondera verba.* — *Nota.*

Et nunc

Mira origo celebritatis Immaculatæ Conceptionis. Et nūc, obsecro vos patres & fratres, adiūcite fidei oculum & perspicaciam, & considerate quō res tandem paulatim mira Dei benignitate adducta est, sicut est proprium sapiētię Spiritus disponentis omnia suauiter iuxta statum & conditionem temporum. Nam cū festum hoc repentè non posset in Ecclesiam penetrare, cepit occulta Dei inspiratione pri mò à quibusdam ecclesiis celebrari. Hoc persenserunt custodes domus & serui boni, qui instar canum fidelium sibi metuentes ab ingressu extranei hominis ac furis, cęperunt latrare in celebrationem illam, quam de facie non agnoscebant. In hoc statu inuentus est B. Bernardus fidelis Domini seruus ac prudens, qui velut bonus catulus candidus & subruffus (qualis adhuc in vtero existens in somnis à matre visus est) cępit latrare. Noluit.n. deesse officio sibi diuinitus cōmisso: quoniam periculosè præsumi vir prudēs arbitrabatur, quod Apostolica Sedes non cognouisset. Perseuerabant tamen illæ ecclesiæ etiam post hos latratus editos in suscepto iam ritu & cultu: imò & aliæ insuper aggregatæ sunt, quæ celebrationem illam admittebant. Hanc igitur cum latius in dies serpere animaduerterent serui alii domestici & canes Domini fideles, partim similiter indignabātur, partim verò qui prudentiores erant, à latratu quidem abstinebant; quoniam ad Patremfamilias aspiciētes, videbant eum etsi celebritatem huiusmodi nondum probauisset, non tamen improbare, quin potius permittere ac tolerare. Itaq; pro sua ipsorum prudētia eam celebritatem in eam partem trahebant, quam existimabant veriorem: potissimum cum cernerent ipsum Patremfamilias nondum illam in suum proprium penetrale domus admisisse, idest, in Romanam Ecclesiam. Et in hoc temporū statu inuenti sunt B. Thomas & Bonauentura. Cępit ergo postmodum hæc celebritas vires fortiores acquirere, & vsq; in penetralia domus ingredi, & in Romana celebrari Ecclesia: & summus Pōtifex sua præsentia illud festū etiam honorare cum fratribus suis in sacello proprio priuatim ac publicè. Tum canes bene sagaces continuerunt latratus, agnoscentes rem non iam extraneam sed domesticam, notam, & claram Domino domus. Quidā verò subdubitarunt, rati hæc surreptitiè fieri, & ipso Patrefamilias minus rem totam ponderante: quo in statu viguit Dominus de Turrecremata. Venit tandem tempus cum Paterfamilias expressis verbis solēni Decreto, ex certa scientia & deliberatione eam celebritatem recepit, & proprium & particulare officium & Missā ordinauit atq; instituit, vt patet in Xistina illa; CVM PRAECELSA &c. Ex quo quidē facto turbari sūt aliq, & latrare nō fuerunt veriti in Patrēfam. vociferati perperam illud esse factum. At mox obturatū est illis os, & meritò. Arguebant enim ipsum Patrēfamilias; quod certè nō est opus fidelis, sed rabidi canis. Nata est itaq; illa eiusdem Patrisfamilias alia cōstitutio iam recitata: GRAVE NIMIS &c. Qua tamen non obstante surrexerunt nunc denuò isti Spinæ & tribuli, qui adhuc latrare, imò & morsibus lacerare nō desinūt quod sanctum est. Quos tandem moneo vt animaduertant quanto miraculo iamdudum omnia prorsus in quibus confidebant, conuersa sunt illis in mendacium, & in argumentum contra ipsos potissimum, vt queant verè dicere si animaduertant: Digitus Dei est hîc.

Sunt qui dicant Romanam Ecclesiā olim celebrasse de Sanctificatione, non de Conceptione: quod ideò fingunt vt Matrē suam de instabilitate sugillent, quasi prius illis fauerit, ac deinde sententiam mutarit, vt minor ei fides adhibeatur. Sed nunq̄ ita se res habuit: quoniam ecclesia Natiuitatē celebrabat, in qua sāctificatio in vtero celebrabatur, sicut testatur B. Bernardus. Sic sanctificatio B. Ioannis Baptistę honoratur, dum eius celebratur natiuitas. Nunq̄ ergo celebrauit sub nomine Sanctificationis, sed dies ille infestiuus olim in illa Ecclesia transibat, & in aliis multis; sicut & dies Natiuitatis eius festiuus, qui diuturno temporis cursu fluit. Deus.n. pedetentim hæc in suam Ecclesiā introduxit, vt omnia maturè fiant. Festum autem sanctificationis postmodo superfluò est introductum ad æmulationē aduersus ecclesiam, quæ sub nomine Conceptionis celebrabat, ab iis qui falsam celebrationem illam putabāt. Ne autem ea die omninò silerent, Sanctificationis festum nulla ecclesię autoritate probatum inuenerunt; quod solùm apud nostros, nec hoc in toto, sed in dimidiato ordine durat. Verùm citò Domino procurante spero & confido cessaturū, postq̄ omnis prorsus est illis sublata excusatio.

Dicebant enim ab initio (Nota prudens lector quò paularim redacti sunt) Ecce Romana Ecclesia non celebrat. At nunc contrà opportunè in eos dicitur: Ecce iamdudū cępit celebrare Romana ecclesia. Dicebant: Non instituit illam celebrationem, sed tantùm pmisit. Et nos: Ecce nedum permisit, sed etiam iam solenni Decreto instituit;

&

& quod ipsa instituit, tandem generale Tridentinum Concilium nemine reclamante comprobauit. Dicebant (imò etiam nunc aliqui dicunt, postquam hoc in libro isto nouo Turrecrematæ legerunt) in ecclesia S. MARIAE Maioris in Vrbe celebratur sub nomine Sanctificationis. Quasi verò si fortè hoc verum fuerit aliquando, necesse sit esse verũ semper. Sed demus fuisse verum olim, (quod tamen nequaquàm legitimè probatur, nec ego puto verum) ecce nunciam mutatus est ritus. Celebratur enim ibi palàm de Conceptione. Cur igitur vos pariter cũ illa, postquàm eius nobis autoritatem obiicitis, ritum vestrum non mutastis? Aiebant similiter & obiectabant ex eodem libro: Apud ordinem Carthusiensium, quem meritò integerrimũ & sacerrimum appellant, obseruari celebritatem Sanctificationis non Conceptionis.

At hoc etiam antiquatum est. Celebrant .n. nunc omnes totius christianitatis religiosorũ Ordines de Conceptione, hac vna (vt veros filios decet) autoritate permoti, quia sic magistra omnium Ecclesiarum Romana Ecclesia celebrat. Nec enim somniculosè audierunt B. Bernardi sententiam aientis: Ego quod ab illa accepi, securus & teneo & trado. *B. Bernardus.* Vidistis'ne videri pro eodem deuoto Abbate feruentius zelantes, quàm ipsiusmet ordinis professores? Nam & Cistersienses & Clarauallenses, ad quos pertineret suum doctorẽ & patrem defendere, illud festum immaculatæ Conceptionis celebrant. Potius enim ad mentem sui Abbatis quàm ad argumẽta aspicientes, illius epistolæ conclusionẽ prudenter considerarunt, & ad quos ille remittebat, eius voci paruerunt, nimirum Ecclesiæ Romanæ, vt securè tenerent quicquid ab ea acciperent. Producebant & Mauritiũ olim Episcopum Parisiẽsem, qui (vt testatur Guilelmus Altissodorensis) prohibuit ne Parisiis hoc festum celebraretur. At nos post vnũ illum, producimus pro nobis omnes quotquot subsequuti sunt post Episcopi Parisienses, & legem illius celeberrimæ & doctissimæ Vniuersitatis, quæ piaculum aliter opinari seuerissime statuit. Producebant & nescio quas particulares ecclesias, vt Gerundensem, & si quas fortè alias. At hæc omnia argumenta nedum eorum causã iuuant, sed egregiè damnant, eosque de intolerabili (si vlterius repugnare velint) peruicacia conuincũt: quoniam omnes nunc ritum celebrationis mutarunt & Romanum amplexatæ sunt.

Quin, & ipse noster ordo secum minime cõstat, cum Transalpini fratres nostri ordinis sapientissimè cõcedant, & morem vniuersalis Ecclesiæ sequantur sub nomine Conceptionis celebrantes: inter quos tamen non desunt doctissimi pattres & magistri, qui in lectione B. Thomæ Italis non cedunt. *Oẽs conuentus f. Prædicatorum in Gallia celebrant de Conceptione.*

Vos igitur si aliorum autoritate & exemplis olim mouebamini vt in ea opinione psisteretis, eisdem mutatis cur non item & vos mutamini vt ab opinione decedatis, cum & magna ex parte etiam vestri à vobis desciuerint? Quid tentatis Dominum in illa Ecclesia? Nunquid fortiores illa estis quæ fregit omniũ capita quicunque cornua erexerunt in illam? Iam omnes Ecclesiæ, iam cuncti Ordines, ex quibus numerosam doctorum multitudinem collegistis, etiam vester magna ex parte (vt dixi) sub nomine Conceptionis cũ bona pace suorum doctorum diem colunt festiuum. Quid ergo? soli vos in orbe christiano sapientes estis, & vobiscum sepelietur sapientia? *Iob. 12.* O fratres mei dilecti, an non sentitis iam hoc esse nimium? Non est enim illa sobrietas quam commẽdat Apostolus, iuxta mensuram fidei. Quod enim ad excusationem soletis obiicere, Romanam Ecclesiam non decidisse quæstionem hanc, sed vnumquenque permittere in suo sensu abundare, nõ vos releuat à iusta duræ ceruicis reprehẽsione: multò autem minus quosdam à temeritate & arrogãtia. Esto enim fuerit olim hoc vobis Matris benignitate donatum. At dies ipsa, idest, tẽporis diuturnitas iam diu p se vos admonebat, vt aliquando cõsiderantes vestrã opinionem ab omnibus ecclesiis & religiosorum omnium cœtibus deseri, & vos solos in ea remanere adhuc diuisos, libentes & volentes postposito veritati pudore decederetis de sententia. *Nota.* An putatis (& istud omninò consideratione dignum est) Romanam ipsam ecclesiam, quam reliquæ omnes, vt par est, sectantur, postquam semel eam celebrationẽ ex certa scientia suscepit & aliis suscipiendam tradidit, vlla ratione probare posse quicquid illi palàm vel priuatim aduersetur? Et ob eam causam si vultis veritatem capere, non aliud expresso Pontificis verbo vobis indulgetur, quàm oppositam partem absque hæresis nota tenere, cum hoc vnum quod scilicet hæretici sitis, nondũ à Romana Ecclesia & Apostolica sede sit decisum. *Quid Xisti decretalis permittat aduersariis* Hoc inquam vnicum est quod indulsit vobis Pontifex, vt vel ipse Spina ex verbis Decretalis animaduertit. At quod oppositum vel prædicetis vel doceatis, præsertim mittentes in publicum (quod citra magnum scandalum & infirmorum conturbationem fieri non potest) nec permittitur

vobis

vobis,nec ſtante illo Decreto permitti poteſt, quoniam in Apoſtolicæ ſedis iniuriam & Spiritum eius ad nutrienda zizania & ſchiſmata redundaret.

Obiectio. Quod ſi rurſũ obijcitis: Cur ergo vel nũc nobis pmittitur celebrare de Sanctificatione, non de Conceptione, ſic oſtendentes alium cultũ reprehẽſibilẽ eſſe? *Solutio.* Reſpõdeo,me nõ arbitrari vos eouſq; ignaros vt nõ ipſimet apprimè ſciatis qd momẽti habeat hæc vrã obiectio. Vtinã nõ multa eſſent alia ſcandala,quę ſpeculatores nõ corrigũt: & iſtud vnũ eſſet illorũ,cuius grauitatẽ (quæ iam nimia eſt) nõ põderant. Deinde multa ad duritiã nrãm tolerant, ne deteriora contingant. Ob eã eñi tolerati ſunt olim Iudęi in ſuis cęremoniis, donec mortiferæ factæ ſunt. Contrariũ tñ & falſum cultũ certa ſciẽtia in ſua Eccleſia tolerari, Dei prouidẽtia nõ patitur. Nam vos qui ſanctificationẽ celebratis, nihil falſi exprimitis. Nemo.n.ſanctificationẽ negat,& quidẽ à peccato. Sed à nobis diſcrepatis in ſenſu, nõ in verbo: qñ à peccato incurſo vultis ſanctificatã. Nos aũt ab eo quod incurrere debuit, ni pſeruata fuiſſet: quod ſanctificationis genus lõgè dignius eſt, vt abũdè declarauimus. At veſtrũ erat à cõi cultu nõ recedere, nec nouũ vobis quaſi ſoli ſaperetis, cõtra Eccleſiã fingere, quæ in vos hac parte meritò cõqueritur: Spreuerunt me iuniores tempore.

Exhortatio ad Patres ordinis Prædicatorũ. QVapropter reliquũ tãdem eſt,Patres obſeruandiſs. & fratres dilectiſsimi atq; intimi cordi meo, vt iuſtam querimoniam chriſtiana ac pia mente ſuſcipiatis, nec aſpernatis conſilium pacis quod à vera charitate proficiſcitur. Satis iam ſuperq; ſatis vtrinq; certatum eſt, & iam plus nimio datum contentionibus. Quòd ſi victoria quæritur, quæ glorioſior poteſt expeti victoria, q̃ ſegregare ſe à contentionibus, & ſalua fide conſentire Matri veſtræ Eccleſiæ? Cõſiderate celebritatem hanc (quæ ſuo iure tandem aliquando à vobis obediẽter ſuſcipi deprecatur) non niſi cum maiore in dies multorum ſcandalo & opprobrio veſtro reſpui à vobis vlterius poſſe. Sancta enim Tridentina Synodus nemine Patrum diſcrepante, Xiſtinas illas conſtitutiones de hac celebritate coram oculis veſtris cõfirmauit, & obſeruari mandauit. At in prima illa conſtitutione intonat Apoſtolica vox, inuitans omnes CHRISTI fideles vt de B. Virginis mira & immaculata *Notandum.* Cõceptione dignas Deo gratias & laudes referant, celebrando Miſſas et officia ſignanter ad hoc ipſum ab ea compoſita & inſtituta. Cur igitur vos qui inter CHRISTI fideles non ſine laude connumeramini, & fauorabiliter atque immediatè ſub Romana Eccleſia concludimini, tantam celſitudinem non intuemini, & ſummi veſtri Paſtoris, à quo tot gratiis & immunitatibus & priuilegiis honorati eſtis, vocem benignam non agnoſcitis, ſed renuitis ſoli vos vnius Prędicatorum ordinis in ſe adhuc hac in parte diuiſi? An vobis ipſis teſtimonium hoc veſtro facto perhibere vultis (quod horreo vel cogitare) vos iam inter CHRISTI fideles nequaquãm numerari? aut potius vos paucißimi ſpernitis totam reliquam Eccleſiam Dei? Non ego quidem iſta dico, ſed vos. Vos, inquam, ipſi hoc facto veſtro id indicare & id loqui videmini: licet re vera non ita ſit. Deſinite igitur trepidare timore, vbi iam ſublatus omnis eſt timor: & conſiderate ad catholicam & vobis opportunius ſeruientem ſanctißimi illius Abbatis Bernardi ſententiam: Ego, inquit ille, quod ab illa accepi, ſecurus teneo & trado. Accipite & vos vt ſecuri teneatis & tradatis: alioqui quis non iudicabit vos illius autoritate cõtra eiuſdem autoritatem abuti?

Verùm vt vos in anguſtum concludam, interrogo vos. Putatis ne in hac celebratione quam Romana tradidit Eccleſia, & Tridẽtinum concilium confirmauit, vllum eſſe peccatum ſeu peccati periculum,an non? *Nota uim argumenti.* Si primum aſſeritis, eiuſmodi aſſertio iamdudum ad perfrangẽdam eorum temeritatem qui ita blaſphemabant, ſecurè damnata eſt ab illa Sede,in ſecunda decretali: GRAVE NIMIS, vt falſa & erronea, ac penitus à veritate aliena. Et quicunq; illam aſſerit, ſententia proſternitur anathematis. Sin aũt hoc aſſerere non poteſtis nec audetis, quid ergo cauſæ aſsignari à vobis poteſt, cur in tam piam & ſecuram ſentẽtiam cum reliquo Chriſtiano orbe nõn concurritis? Profectò non alia fingi cauſa poteſt, niſi quòd ſaltem veſtra repugnantia conteſtamini ineſſe peccatum ſic celebrare, ac propterea turpiſsime & grauiſsi peccare Eccleſiam Dei,quę cum ſit mater omnium & magiſtra,non ſolum peccatum celebrando peccat: verumetiam talem celebrationẽ proponens,aliis peccati materiã præbet. Itaq; conſtituitis voſmetipſos cenſores & iudices tantæ Sedis, & omnium Eccleſiarum, & Ordinum, & Vniuerſitatum quæ à vobis (vt noſtis) apertè toto corde diſſentiunt: nec Eccleſiæ definitionem, quæ hunc veſtrum ſenſum iamdudum damnauit, tenetis; cuius ſententiam, quã & Tridentina Synodus (vt diximus) comprobauit, contemnitis. Hæc autem à quonam ſpiritu originem trahant, co-

gitandum vobis ipsis relinquo, ne cogar duriorà prosequi. Ego enim cũ omni hac mea querimonia, protestor ante Deum & vos Patres, Ordinem vestrum imò & nostrum, à me & amari & obseruari syncerè in CHRISTO & in Matre peculiari illius protectrice, & ita amari vt nemini pro meo gradu cedam. Ob eam causam nollem vlla prorsus macula eius gloriam obscurari. Nam cum in cęteris gloriosè incedat, hoc vnúm retinet quo plurimi scandalum meritò patiuntur: quoniam multi vestrûm illam Virginem macula aspergunt, quam omnis Ecclesia Sponsi vocem audiens concinit penitus immaculatam.

Cęterum quòd in istos, quos suo ipsorum cognomine nõ ab re Spinas appello, possem fortasis à quibusdam qui grauitatem rei nõ ponderant, videri vehementius commotus, non puto ad vllam Ordinis pertinere contumeliã. Isti Spinæ sibi meritò hęc accersierũt, qui suis illis virulentis aculeis & punctionibus quęq; speciosa ac pretiosa (quod in eis fuit) fędarunt & lacerarũt. Profectò longè adhuc duriora, q̃ stylo paulò acriore retundi merebantur. Quid.n.ab istis Spinis euomi potuit iis fędius quę in prędatione ex illorum scriptis pduximus! nimirũ quinquaginta & octo erroribus in fide oẽs totius orbis catholicas Ecclesias; oẽs catholicos inuolui, q hãc celebrationẽ colunt: cuius pcipuos defensores appellãt nouitatũ amatores, immoderatioris audaciæ, ac petulantis inscitiæ, deniq; alienũ admodũ à sacris literis, dissonum ab Euãgelio CHRISTI, & humanum commentum, vanam insuper deuotionem, & christiana religione indignã, imò ẽt impietatẽ! Quis eñ nullius zeli p Ecclesia sancta reperiri potest, quẽ ista iniuriarũ & mendaciorũ portẽta non cõmoueãt? Nam vt finem nostræ disputationi tandem imponamus. Putatisne sacrosanctam Rom. Eccle. ea leuitate ferri, vt sit aliqñ vel opinionem vestrã amplexatura, vel saltem cultũ illũ reprobatura, quem semel Pontificio decretò suscepit, & solenni omnium Ecclesiarum ritu cum munificentisima Indulgentiarum largitione iamdudũ celebrare pseuerat? Ah vllũ, quæso, potestis similis mutationis exẽplũ proferre, quo in spẽ bonã erecti expectare posîtis ex vestra opposita opinione victoriam? Si hoc vobis psuasistis, quis non videt in q̃to errore versemini, quámq; parũ piè de prouidentia Dei erga Ecclesiã & eius gubernationẽ sentitis! Quòd si victoriæ spẽ vobis ereptã clarè cernitis, cur nõ anteuertitis seueriorem aliquã Ecclesię sentẽtiã, quę nõ patietur vlterius serpere in dimidiato vno ordine opinionẽ diuino cultui repugnãtẽ? Quid.n.vobis pręter imminẽs periculũ publicæ ignominiæ restat? Reddita sunt iã vobis clara omnia. Probatũ est, sentẽtiã nr̃am nõ solùm CHRISTI dignitati nõ detrahere, sed magnificentisimè illã extollere: Matrẽ Filio nõ æquari, sed locũ ei ex Filii meritis conuenientisimum dari. Scripturę nedũ non reclamãt, sed mirificè fauẽt. Soluta sunt S. Patrũ argumenta. Omnes totius orbis ecclesiæ: omnes religiosorum ordines celebrãt. Vniuersitates celeberrimæ comprobãt. Ipsa tandem sacrosancta Romana Ecclesia grauisimo Decreto p concilĩu Tridentinũ cõfirmato ita sanxit. Quem igitur finẽ vobis pponitis? Vos'ne ea spe sustinetis, vt totus christianismus cultũ suũ deserat, & vestræ opinioni adhæresca; sicq; pertendam esse à vobis in posterum ecclesiasticarum solennitatum veritatem credat? Nõ existimo certè vos ita desipere. Vestrum igitur est sapienter veram ordinis gloriam quęrere: quam tum demum sarctam tectam existimare debetis, quũ gloriæ CHRISTI & Matris potisimũ studebitis, & ab institutis Rom. Ecclesiæ nõ recedetis. Quod futurũ propter Dei bonitatem & merita illius mitisimę Matris, & patris nostri Dominici & filiorum eius, quos per illum Dominus in gloriam adduxit, spero & confido.

Nota pie lector.

NVNC AD VOS ME VERto Sanctisimi Patres, obnixè orans atq; obsecrãs, vt si quę scripsi, ad gloriam CHRISTI & amantisimæ Sponsæ & Matris, & ad Rom. Ecclesiæ reliquarũq; omnium, & catholicarũ Vniuersitatũ defensionẽ, & ad amouendas iamdiu nimis agitatas contentiones, & præscindenda scandala & schismata, pertinere cognosciris, autoritatem vestrã interponatis, vt (quẽadmodũ par est) idipsum præsertim in diuino cultu dicamus omnes; cum iuxta ecclesiasticos Canones non liceat à capite membra discedere. Nam cum multa ad persuasionem faciant, illud certè plurimum apud vos momenti habere debet, quòd (vt superius memorauimus) ille schismaticus Lutheri Spiritus illam insignem inter alias blasphemiam ex illius ore euomuit: Nullum festum magis odi quàm festum corporis CHRISTI, & Conceptionis B. Virginis. Hinc enim satis intelligi potest quid Spiritus veritatis & vnitatis à vobis pro Matre Dei postulet ac desideret, de qua verè scriptũ est: Tota pulchra es Amica mea, & macula non est in te.

Conclusio operis ad S. Synodum.

SVMMARIA OPINIONVM DE DIVINA PRAEDESTINATIONE AC REPROBATIONE EXPLICATIO

qua clarè latèque pateat quid in eis explosione, quid acceptione sit dignum

AD EANDEM SANCTAM SYNODVM.

MVLTI SVNT, SANCTISSIMI PATRES, & hi quidé insigniter pii & catholicæ veritatis amantes, qui mecū de prædestinationis ac reprobationis articulo, cognitionem, animaduersionem, denique sententiam vestram vehemēter desiderant: & meritò quidem desiderant. Etenim nostra hac infelici tempestate per nouos hæreticos & ecclesiasticos concionatores & recentes Scripturarum tractatores, non
I sine multarum subuersione animarum, ea disseminata est atq; in dies disseminatur doctrina, quam nec pię aures, nec humana ratio possint admittere: vtpotè quæ aduersus Dei bonitatem apertè pugnet, & maximam pretio sanguinis CHRISTI contumeliam faciat, multorumq; conscientias torqueat, deniq; vel ad elationem atq; segnitiem, vel ad desperationem & blasphemiam animos cogitantium adducat. Contrà verò ex altera parte non desunt, qui vt hæc absurda deuitent, in aliam iam damnatam hæresim pelagianam diuertant: & quod perniciosius est, nonnullorum veterum autoritate nitantur, qui tamen rem ipsam nec de industria nec exactè tractandam susceperunt, sed obiter tantum quædam scripserunt, quæ nisi piè
II ac benignè interpretemur, illi pelagiano errori fauere nō obscurè videantur. Mitto quæ Beatiss. Pater Augustinus, vt magnis & arduis occurreret quæstionibus, de massa perditionis commentus est. Hæc enim, si fas est vera loqui, nedum quæstionem non explicant, sed magis perplexè implicant, vt ipsemet contra suam illam positionem argumentum sibi opponens, ingenuè fassus sit illud se nescire resoluere. Certè Hilario & Prospero testibus, omnes Episcopi Galliarum, vbi primum eam doctrinā spargi senserunt, mox ab ea vel primo auditu exhorruerunt, cum tamen cætera illius gloriosi Doctoris scripta magno assensu approbarent. Vnde coactus est ipse se de nonnullis expurgare articulis, quos sibi falsò fuisse impositos conqueritur. Sigisbertus Chronographus hæresim de prædestinatione suis exortam temporibus narrat, acceptā ex ipsius D. Augustini scriptis, perperā tñ (ait ille) intellectis. Quid porrò dicemus de Scholasticis, quorum hac in re quot capita, tot opiniones? Nam suis disputationi-
III bus eò rem deduxerunt, vt quidam ex eis iam quæstionem esse inexplicabilem dicāt, & perpetuo sepeliendam silentio. Verùm cum impossibile sit ligare linguas, & calamos scribentibus intercipere, & animos iam excitatos, ab ista anxia cogitatione auertere, postq̄ hic non iam de leui aliqua quæstione, sed de summa rerum omnium agatur: et cum videamus non solum hæreticos manifestos, verum etiam (quod detestabilius est)

qui eis clanculum fauent, & interim se catholicos subdolè fingunt, quò facilius populum à catholica Ecclesia ad Lutheranismũ traducant, in suis concionibus & libellis pestiferam hac de re tradere doctrinam, malitiosè antiquorum autoritate abutendo præsertim in his locis, quæ cum ab initio obscura essent, nec exactè pertractata, progressu temporis maiorem & certam in Ecclesia lucem acceperunt: Cum inquam, sanctissimi Patres, hæc ita se habeant, longè profectò præstabilius est, magisq; expetendum, vt saltem ii errores qui sunt manifesti, & ad scandalum faciunt christiani gregis, & piarum mentium conturbationem, secernantur, & ab Ecclesia funditus extirpentur atq; extermineniur. Quamobrem vt meo & piorũ hominum desiderio satisfacerem, opus omnino pium & hoc tempore necessarium me facturum non dubitaui, si ad liberandas tanta anxietate conscientias, & tranquillitatem animi procurãdam, opiniones ipsas summatim perstringerem, & ante oculos vestros fideliter atque distinctè proponerem. Vestrũ erit, si opportunũ videbitur, in singulis censuram adhibere.

Fuit ergo primùm quorundã opinio, quam & nunc nonnulli hæreticorum pro fidei articulo tradunt, Deum scilicet ab æterno, seposita omni operum nostrorum ac meritorum siue demeritorum præuisione, decreuisse ex tota hominum multitudine certos quosdam & eos quidem paucos omninò erigere & prædestinare in salutem ac vitam æternam: reliquos verò omnes ab ea vita reprobare, idq; totum ob eam solam causam, vt eius gratia erga illos paucos, iustitia verò aduersus istos repudiatos collaudaretur. Hæc opinio quantum attinet ad non prædestinatos, palam seipsam sua crudelitate condemnat. I

Quidam ergo à prioris opinionis nimis manifesta sæuitia & impietate abhorrentes, dixerunt, Deum ipsum velle quidem omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire, ac propterea cunctis (quod ex se est) remedia ad salutem opportuna offerre: prædestinationem verò ex meritis, & reprobationem ex demeritis prouenire, quòd quidam suo arbitrio obediant gratiæ, quidam verò resistant. At hæc opinio verè pelagiana quod ad partem prædestinationis attinet, à Beatiss. Patre Augustino egregiè ac meritò reprobatur. Duo enim continet absurdissima. Primum est, quoniam gratia quæ in prædestinatione concluditur, daretur ex meritis: quod est stultum & iam ab Ecclesia damnatum. Nam si ita esset, gratia iam non esset gratia. Alterum est, quoniam hæc opinio ex parte ordinis & prouidentiæ Dei nullam statuit differentiam inter prædestinatos & non prædestinatos: quod esse contra apertas scripturas B. Thomas vidit & notauit. Quod cum ita sit, nonnulli tamen qui recenter scripserunt, istam hæresim mordicus defendere conantur. II

Verùm quia ab omni Ecclesia explodebatur, ad primum ferè dicendi modum aliqui redierunt, videlicet nec prædestinationem nec reprobationem ex propriis cuiusuis personæ meritis vel demeritis nasci, sed vt dictum est, ad commẽdandam Dei misericordiam ac iustitiam. Aliquantulum tamen hoc pacto mitigata est illa crudelitas. Dixerunt enim prædestinationem ac reprobationem in mente quidem Dei ab æterno fuisse, sed III

suo quodam ordine in Deo, videlicet post præuisum Adę peccatum. Nam cum vidisset Deus omnes homines propter illud peccatum quasi vnam massam perditionis, decreuisse ex ea massa certos paucos eripere, reliquos verò omnes derelinquere, vt de misericordia erga illos paucos laudaretur, & de iustitia erga reliquos, qui cum illius peccati rei inuenirentur, nihil haberent vnde queri possent. Verùm huiusmodi opinio (quod ad non prædestinatos attinet) innumeris & irrefragabilibus argumentis quæ in Opusculis & in Commentariis nostris in Paulum recitantur, funditus euertitur. Derogat .n. apertissimè Christi omnium Redemptoris sanguini & redemptioni: & contra gratiam Spiritus quæ in ritu Ecclesiæ manifestatur, perniciosè & contumeliosè pugnat.

Cum igitur dura quoq; & meritò repudianda videretur hæc opinio, conuersi sunt quidam ferè ad pelagianam, constituentes quemadmodum reprobationem ex demeritis, ita prædestinationem ex meritis prouenire. In hoc tantum à pelagiana recedunt, q́ in prædestinatis negant gratiam esse effectum prædestinationis, ne primum absurdũ cogantur fateri, videlicet gratiam ex meritis conferri. Ergo secundum istos gratiæ collatio & bonus eius vsus ordine præcedit in mente Dei prædestinationẽ. At istud est contra propriam vocis significationem ab omnibus communiter acceptam. Nec propterea secundam absurditatem vitant, cum inter prædestinatos & non prædestinatos ex parte ordinis ac prouidentiæ Dei nullam constituant differentiam, sed solùm ab exitu siue à præscientia exitus: quod B. Augustinus & Thomas esse contra manifestas Scripturas apertè testantur. Nam hic dicendi modus (vt iam dixi) violat vocis natiuã significationem & communem acceptionem. Etenim loco prædestinationis, postdestinationem nobis reddit. IIII

Est & quintus dicendi modus qui magis accedit ad veritatem. Hic eorum est qui in primis claram illam Apostoli sententiam: Deus vult omnes homines saluos fieri & ad agnitionẽ veritatis venire, non ad solos prædestinatos, sed simpliciter, vt verba indicant, ad omnes prorsus pertinere asserunt. Quamobrem duos ordines ponũt, sicut Scripturæ docent, videlicet primum ac præcipuum ordinem prædestinatorum, idest, eorum qui infallibiliter ordinati sunt ad vitam, & ordinem alterum non prædestinatorum qui in illo numero non comprehenduntur. Et de prædestinatis quidem fatentur infallibilem salutis euentum. De non prædestinatis autem concedunt eos posse saluari & posse damnari. Et hanc potentiam qua saluari possunt, non esse potentiam remotam docent: quia Deus volens illos saluos facere nisi ipsi sua culpa resiliant, cuncta remedia ac media sufficientia præparauit & aptauit, paratus re ipsa dare in temporibus opportunis ea, quæ, nisi fuerit homo contumax & obstinatus in peccato, ducant eum ad æternam vitam. Hoc igitur totum concedentes, non admittunt tamen dari vllum huius secundi ordinis non prædestinatorum qui de facto salutẽ sit aliquando consequutus, aut etiam vnq̃ consequuturus. Quod certè postremum dictum nec vllo Scripturarum testimonio, nec vlla vel de facie colorata ratione suadent. Hoc vno nituntur V

præsidio, eam esse communem omnium persuasionem, vt contrà audire quidam non valeant. Et tamen si pacificè ac benignè huius persuasionis fundamentũ audirent, & amota mala quauis affectione secum considerarent, iam omnis vetus illa ipsorum persuasio ex animo deleretur: quod luce clarius mox ostendam.

Est igitur sextus dicendi modus, nec paucorum, qui mihi ea ratione placet, quoniam certum signum habet veritatis. Fugat.n.dubia, & facit animum quiescere, nec vllum videtur secum gestare scrupulum. Dicunt itaq; qui hanc doctrinam sectantur, Omnes homines venientes in hunc mũdum à clementissimo Patre Deo ordinatos esse ab initio ad vitam æternam, non tamen absque lege & conditione seruandi mandata charitatis. Quoniam verò nullus hominum diuina mandata sine gratia & auxilio ac protectione Dei seruare potuisset: iccircò Deus qui ordinauit illos ad finem, etiam media ipsa quæ ad eum finem perducunt, consequenter prouidit, vt nemini prorsus quantum attinet ex parte sua deessent. Istud necesse est nos fateri, nisi velimus peregrinis & violentis interpretationibus violare claram illam Apostoli sententiam: Deus vult omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire. VI

Hoc ergo Dei beneplacito erga omnes stante ex mera eius beneuolentia & absq; vlla meritorum nostrorum habita ratione: cum nihil æqualitate (vt quidam sapienter dixit) inæqualius: ex innumerabilibus hominibus quos certissimos habet in sua præscientia Deus, elegit nonnullos quos præsciuit, hoc est, præ aliis dilexit, & ideò speciali quadam ordinatione multò maioris gratiæ munere quàm cæteros destinauit ad vitam, ita vt omninò certa esset eorum vocatio, certa iustificatio, certa glorificatio & magnificatio. Hos autem sic electos quicunq; sint illi, vocauit Apostolus prædestinatos, vt propterea duo principales ordines ex Dei prouidentia in hominibus constituantur ad cursum, vt valeant obtinere brauium. Primus est prædestinatorum: Alius non prædestinatorum. Igitur cum oculus prouidentiæ & clementiæ Dei absq; vitio acceptionis personarum fauorabilius feratur in prædestinatos q̃ in alios, diligenter est consideranda hæc differentia, vt sciamus quæ verè & propriè de prædestinatis dicantur, & quę item de non prædestinatis verè dici non possint.

V

Deprædestinatis ergo dicimus, dum sunt in via, cũ in præscientia, tum in prouidentia Dei, certum esse eorum numerum, paucorũ tamen qui nec augeri possit nec minui. Ipsos insuper dicimus salutem omninò adepturos, nec posse contingere quin salui non fiant propter excellentem Dei gratiam ac protectionem, & assistentiam Spiritus, qui vel præseruabit à peccatis, vel ab illis incursis eripiet & liberabit, quò tandem cum pace dormiat & in Domino requiescant. Nec propterea liberum ab illis aufertur arbitriũ nec meriti ratio: imò magis in illis liberum arbitrium statuitur per abundantiorem gratiæ copiam, vt valeant etiam longè magnificentiora opera ardentius facere, & consequenter per ea, grandiora præmia promereri. Hęc sunt quæ de prædestinatis cum B. Augustino & Thoma nostro sentimus. De non prædestinatis verò dicimus secundum primam huius doctrinæ

partem, eorum quemlibet saluari posse, cum sit ordinatus quisq; ad vitam; & item posse damnari. Si enim saluari non posset, nec quidem damnari: quia damnatio est priuatio vitæ & salutis. Nullus autem posset dici eo bono priuatus ad quod non esset destinatus. Potest ergo saluari quilibet non prædestinatorum, quia per liberum arbitrium, iuncta gratia & sufficienti auxilio Dei, qui ad consequendum finem nemini deest nisi illi qui desit sibiipsi, potest vsq; in finem perseuerare. Et nihilominus quia idem homo per liberum arbitrium potest gratiam vel recusare vel abiicere, dicimus eum posse damnari, sicut certum habemus de facto multos esse sua culpa damnatos, adeò vt iam nulla sit alia ab æterna vita reprobatio, præter eam quam sibi quisq; ob propria peccata & flagitia acquisiuerit.

Cum igitur ita sit vt & saluari & damnari possit homo non prædestinatus, duo hic dicimus. Primum, non esse in prouidentia Dei determinatum numerum eorum qui salutem consequentur, licet in præscientia sit determinatus. Quamuis enim, vt rectè & vere ait D. Ioannes Damascenus, omnia Deus sua præscientia præuideat, non tamen sua prouidentia prædeterminauit omnia. Alioqui nihil posset euenire contingenter, sed omnia necessariò si cunctos & singulos effectus ipse prædeterminaret. Aliqua ergo permittit euenire, quæ vt sic euenirent non sunt certa determinatione ab ipso prouisa, vt in his maxime contingit quæ vt sic eueniant vel non eueniant, ex libero nostro pendent arbitrio.

Præterea, cum hæc de non prædestinatis ita sese habeant, dicimus consequentissime, esse omnino probabile, vt eorum qui in hoc secundo ordine constituuntur (quos ab origine mundi ad consummationem vsq; innumerabiles esse negare nemo potest) multos adeptos & adepturos salutem. Nam dicere datum omnibus esse à Deo vt possint saluari, & tamen ex tam innumerabili istius ordinis numero neminem saluari, ita vt in vniuerso hoc ordine benigna illa Dei dispositio penitus frustretur, non est iam procedere ex regulis logicæ aut philosophiæ, nedum summæ bonitatis diuinæ, sed voluntariè effutire, præsertim cum nullam pro hac opinione afferre valeant scripturam, nullum adducere in vniuersa rerum natura exemplum simile, ut quid possit fieri & euenire in propemodum infinitis, idq; potentia ordinaria & propinqua, & tamen in nullo penitus euenire de facto. De qua re latius scripsi in Opusculis nostris & nouissime in Summa doctrinæ de prædestinatione.

Vnum solummodo huic sententiæ præiudicium apud nonnullos facit, quia ueluti quædam dignitas recipiebatur, neminem nisi prædestinatũ saluari, ita ut qui rem, ut oporteret, non curant diligenter expendere, paradoxum putent, opinari ullum non prædestinatum obtinere de facto salutem, cum tñ uel pueris luce clarius patere ualeat huius argumenti fallacia. s. Non est quis prędestinatus: Ergo non saluabitur, si id significat prędestinatus quod semel posuimus, nempe, certò determinatus ad uitã, cum de facto multa eueniant quæ non certò sunt à Deo determinata. Quamobrẽ non magis ualet illud argumentum, q̃ si quis de aliquo equo ita argumentaretur: Hoc animal non est Coruus; Ergo non est animal nigrũ. Vt argumen

tum in hunc modum componatur. Omnis coruus est animal nigrum. Hoc animal non est coruus. Ergo hoc animal non est animal nigrum. Hic est modus in prima figura inutilis, cum maior sit vniuersalis affirmatiua. Sed o me imprudentem, cogunt me isti ad tantam Synodum puerilia deferre.

Verum dicet aliquis, Nolumus id eo argumento obtinere, quod manifestè fatemur esse inutile, sed quia hactenus ferè omnes Doctores aliter senserunt, qui pro re impossibili habent vt quis non prædestinatus saluetur. Hic rogo videat sancta Synodus ad se in primis pertinere paratam esse & promptam ad reddendum rationem de his quæ sancit secundum fidem, & prouidere ne perplexa & inuicem sibi opposita simul cōcedantur. Si enim concedimus illam Apostoli sententiam, Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, etiam ad non prædestinatos pertinere, vt illis quoq; Deus præparauerit sufficienti modo salutem; ex hoc ipso manifestissime possibilitas adipiscendæ salutis in illis deducitur. Quomodo igitur impossibilitas prædicatur?

Sed sunt qui cum audiunt non prædestinatum, continuò intelligunt non ordinatum ad vitam, non autem (vt oporteret) secundo ordinatum. Nec mirum si illud pleriq; Doctorum enunciarunt, cum aliter causam prędestinationis ac reprobationis acciperent. Cum enim, vt superius declaratum est, fuissent duæ præcipuæ opiniones circa hunc articulum, secūdum vtranq; valebat argumentum istud, Non est quis prædestinatus, Ergo est a vita æterna reprobatus. Valebat inquam apud eos qui prædestinationē oriri ex meritis existimabant. Valebat item & apud alios qui ex aduerso crediderunt quemadmodum prædestinatio non oritur ex meritis, ita nec reprobationem ex demeritis propriis cuiusquam euenire, sed omnes non prædestinatos relinqui in massa perditionis. At nunc cum ambæ eiusmodi opiniones meritò a plurimis reiiciantur, & iam præualeat apostolica illa digna Dei clementissimi Patris summa bonitate sententia, Deum scilicet velle omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire, profecto non debet in conclusione valere eorum autoritas quæ non valet in fundamento vnde ipsa elicitur conclusio. Aut ergo qui nobis molesti sunt fateantur principia vnde educitur ea conclusio (id quod non faciunt) aut acquiescant pulcherrimæ veritati, quę absq; vllo scrupulo incedit, & illucet omnibus q claudere sibiipsis oculos nolint: id quod sępe facit amor sectarum & pertinax verbi semel emissi defensio.

Sed quid non efficit uis ipsa pietatis? Audiant, quæso, pietatis amantes. Non desunt ex amicis meis quidam, qui licet hanc opinionem non sequantur, fatentur tamen esse piam & plausibilem & quæ facile defendi valeat. Solam ei obstare arbitrantur veterum autoritatem. Quibus respondeo, nec veterum autoritatem obstare, & si antiquitas quæritur, pietatem esse illis veteribus antiquiorem. Et hæc satis de prædestinatione ac reprobatione ad sanctam Synodum.

PRO EXIMIA PRAEDESTINATIONE CHRISTI

ANNOTATIO SPECIALIS IN COMMENTARIA DOMINI CAIETANI.

DISSERENS OLIM EGO IN LIBELLO nostro pro eximia prædestinatione Christi, studui consequenter magnis, ni fallor, rationũ momentis persuadere non proteruis, Etiam si Adam non peccasset, Verbi incarnationem futuram, & ipsum Christum prædestinatum venturum in gloriam nostram, alioqui non fuisset illius prædestinatio eximia. Prætermisi autem respondere quibusdam Caietani argutiis, quibus conatur aliam partem apud D. Thomam defendere. Existimabam.n. illas probare vt efficaces neminẽ posse hominem, nisi vel proteruum omnino ac deprauati cordis & mentis, vel penitus insanum. Liceat, quæso, mihi in loco, pro Christi gloria, verà dicere, quæ etiam probare (Deo gratia est) in promptu habeo. Nam quia non desunt qui voluissent hoc me in scriptis ostendere, id nunc oneris in eorum gratiam suscipiens, etiam nonnulla circa B. Thomę doctrinam, pro ampliore luce ad veritatem adiiciam.

Argumentabatur ergo B. Thomas pro illa quam proculdubio puto veriorem esse sententia, videlicet etiam non peccante Adam, fuisse venturũ Christum. Primo sic, Aliæ causæ erant incarnationis præter remediũ peccati: Illis igitur stantibus debebat incarnari. Ad hoc respondit ꝙ omnes aliæ causæ pertinebant ad remedium peccati. Contra hãc responsionem in promptu est illa ratio quam ipse B. Thomas adduxerat, ꝙ attinebat ad summam bonitatem communicare se summo modo creaturę. Hæc certe ratio & aliæ plures quas nos in eo libello adduximus, suadent incarnationem Christi absolutam decretãmꝙ à Deo, etiam non stante peccato. Hic tacet Caietanus.

Argumentabatur item B. Thomas, Quòd attinebat ad diuinam omnipotentiam & bonitatem perficere omnia opera sua, & manifestare se per aliquem effectum infinitum, qualis est admiranda illa vnio Verbi cum carne. Respondet quòd satis manifestabatur omnipotẽtia & diuina virtus infinita in modo productionis rerum, ex nihilo creans illas. Cui solutioni nos occurrimus in libello nostro, dicentes, ꝙ omnipotentia Dei non satis manifestabatur in modo producendi, nisi etiam in rebus productis, & in earum gradibus manifestaretur. Nam hoc Verbũ quod factum est, nisi fuisset factum, impossibile factu videri potuisset. Maior.n. gloria Deo est, quia & omnipotentiæ eius maior manifestatio est per ea quæ condidit cęlestia & incorruptibilia corpora, quàm per terrena & corruptibilia tantum. Nam per illa magis cognoscimus diuinam eius virtutem & sempiternitatem. Vnde & B. Augustinus ait: Si prætermisso cęlo terram factam videres, rectè reprehenderes: quoniam diceres ita fieri debuisse cęlũ sicut cogitare potuisses. Ergo si ego potuissem cogitare hoc tam pulchrum & excellens ac singulare

opus excelsius cęlis omnibus, præ quo reliqua omnia opera ferè nihil esse conspiciuntur, fieri potuisse, & non factum esse: profecto non auderem quidem reprehendere conditorem, sed mirum in modum desiderarem, ac tacitus (quantum possem) piè lamentarer: quod puto omnes bonos Angelos, sed præsertim homines hoc pio desiderio fuisse rapiendos si cogitare hoc ualuissent.

Illud verò quod ait S. Doctor, perfecta Dei opera satis fuisse absq; hoc opere vnionis, quia ad perfectionē Vniuersi sufficit q; naturali modo creatura ordinetur in Deum tanq̃ in finem: nō video quomodo possit defendi. Nam si hoc opus vnionis ad perfectionē vniuersi dicitur non attinere, quid est quod ad hoc pertineat? Non.n.opus hoc excluditur ab operibus creationis, quod maxime perficit & honorificat cætera. Vnde & ipse dixit, Ab initio & ante secula creata sum &c. Neque enim hic loquimur de ordinatione creaturæ in Deum, vt supponit sanctus Doctor, sed de existentia creaturarum, vt inueniantur omnia quæ faciunt ad perfectionem uniuersi, inter quæ maxime est hoc opus, per quod omnia perficiuntur & honorantur.

Ad hæc, Si Adam non peccasset, non constitisset uniuersi perfectio in hoc q; creatura naturali modo ordinata fuisset ad Deum: quoniam ordinata fuisset per gratiam, ut ipse S. Doctor docet. Quomodo igitur non excessisset ordinem perfectionis naturæ? Verè aut ego hæc non intelligo, aut certe non resoluunt argumenta. Et Caietanus hactenus nihil notat.

Argumentabatur tertiò sic B. Thomas. Humana natura non est per peccatum facta capacior. Maxima ergo gratia unionis non debuit subtrahi humanæ naturæ si non peccasset, quæ etiam illi peccāti concessa est. Respondet q; capacitas in humana natura est duplex. Vna secundum ordinem potentiæ naturalis. Alia secundum ordinem diuinæ potentiæ, cui obedit creatura ad nutum. Prima capacitas semper impletur, secunda uerò non semper. Hæc ille. Negatur ergo ab eo sumptum illud, uidelicet Quia natura humana erat capax huius unionis, iccirco debuerit impleri illa capacitas. Non enim semper, inquit, impletur talis capacitas quæ est secūdum ordinem diuinæ potentiæ. At non propterea argumenti uis eliditur. Non enim solummodo ex capacitate concludebatur impletio, sed ex eo q; uidemus à Deo factum, uidelicet, in ea natura peccatrice id esse impletū, cuius naturæ capacitas minor erat. Concludebatur ergo q; non minus, imò multo magis debuit impleri talis capacitas in ea natura quæ non fuisset peccatrix, cum illius naturæ capacitas maior longe fuisset: quandoquidem ea sit peccati natura, ut non accersire, sed excludere gratiam potius debeat.

Nec me latet sensisse hanc obiectionē B.Thomam & occurrisse, vbi ait: Nihil autem prohibet ad aliquid maius humanam naturam perductam esse post peccatum. Deus.n.permittit mala fieri, vt inde aliqd melius eliciat. Vnde scriptū est; Vbi abundauit delictum, superabūdauit & gratia. Quare & alius, O felix culpa quæ talē ac tantū meruit habere redemptorē. Hæc ille.

Nos verò dicimus, Etsi interdum Deus occasione habita à peccato gratiam excitet à bonitate sua maiorem, non tamen ipse gratiam conue-

nientem subtrahit non peccanti. Ecce data est gratia homini peccanti & naturæ humanæ peccatrici, vt habeat hominem nō solum glorificatorem, sed etiam redemptorem. At non propterea debuit hoc subtrahi naturæ humanæ, habere scilicet glorificatorem, cuius non minus, imò magis erat capax talis natura in illo statu. Nam etiam si venisset Dominus Adam non peccante: veniens tamen illo peccante, dedit etiam locum illi quod scriptum est: Vbi abundauit delictum superabundauit & gratia. Nam qui illo non peccante fuisset venturus vt glorificator tantùm, illo peccante venit etiam vt redemptor, in quo opere redemptionis superabundare gratiam videmus, vt possimus dicere, O felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.

Argumentabatur & quarto sic. Prædestinatio Dei est ęterna; Ergo prędestinatio Christi non præsupponit peccatum, quod fuit ex tempore. Respondet quòd prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum. Sicut enim Deus prædestinat salutem puta Paulo per orationes B. Stephani, ita etiam Deus prædestinauit opus incarnationis in remedium peccati. Hæc S. Doctor, quorum sensus est, Etsi prædestinatio Dei sit æterna, non inde sequitur, Ergo prædestinatio Christi fuit in mēte Dei ante præuisionem peccati: quoniam etiam præuisio ipsa Dei æterna est. Vult ergo B. Thomas, primò in mente Dei fuisse præuisionem peccati ab æterno, & tunc fuisse ordinationem vnionis Christi, quam consequuta sit prædestinatio eius ad gloriam. Verùm contra hanc B. Thomæ doctrinam argumentatur Scotus, Si prædestinatio cuiuscunq; ad gloriam præcedit ex parte subiecti naturaliter præscientiam peccati cuiuscunq; vel damnationis, quanto magis hoc debet dici de prædestinatione Christi ad gloriam?

Respondet Caietanus assumptum Scoti esse falsum, quia in prædestinatione Petri primò est in mente Dei peccatum Petri & deinde ipsius prædestinatio, & loquimur de peccato actuali. Hoc autem Caietani commentum vere adeò falsum esse existimo, vt (saluo honore qui illi debetur) non ducam dignum quod ad disputationem ponatur. Nam antequàm peccaret Petrus illud peccatum, fuit in gratia, quam gratiam obtinuit propter prædestinationem, quia gratia in his qui prædestinati sunt (vt & ipsi docent) est effectus prædestinationis. Similiter falsum est quòd prædestinatio Pauli præsupposuerit peccatum eius & orationem Stephani, sed contrà, ipsius prædestinationis effectus fuit oratio Stephani pro Paulo. Quia.n. prædestinatus fuit, ideo parauit Dominus peccato eius remedia, sicut docet ipse B. Thomas in Quarto. Non enim per orationes aliorum fit prædestinatio cuiuslibet, sed ipsæ orationes sunt effectus prædestinationis. Nam vere est inopinabile dicere de quolibet q; pręuiso eius vel alterius peccato prædestinetur: quoniam peccatum sui natura obuiare potius debet prædestinationi, q̄ ei dare occasionem, & præsertim peccatum actuale cuiuscunque.

Ad hæc, Quotquot sunt prædestinati, in Christo prædestinati sunt, & hi ante mundi constitutionem, idest, anteq̄ cęteri mundani appareāt in conspectu Dei, & consequēter ante peccatum cuiuslibet, etiā ipsius Adę,

Vnde Dominus de se ait: Ab initio & ante secula creata sum, videlicet in mente & prædestinatione Dei. De qua re abundius in Opusculis nostris videre licet.

Ad hæc, Caietani doctrina hæc est. Effectuum aliqui constituuntur per prædestinationem, aliqui ordinantur tantum. Qui constituuntur per illam, præceduntur ab illa. Econuersò autem qui ordinantur. Verbi gratia, Petri anima prædestinata ad gloriam, anima quidem ordinatur tātum, & non constituitur per prædestinationem, & sic prædestinationi præsupponitur. Gratia autem & gloria constituitur & ordinatur: & sic sunt effectus prædestinationis, ante quos præsupponitur prædestinatio. Omnes autem res naturales quæ non constituuntur per prædestinationem, & effectus naturales, præsupponuntur prædestinationi. Et quia peccata sunt in hoc ordine rerum naturalium, ideò præsupponuntur etiam ipsa peccata prædestinationi: quoniam nostrum peccare non spectat ad ordinem gratiæ, sed ad ordinem naturæ, quia ex nobis solùm peccamus. Hæc ille, quæ certè mihi monstra videntur. Et adiecit, Et si perspicacius consideremus, videlicet ordinem naturæ, ordinem gratiæ, & ordinē Dei & creaturæ simul, hoc est, vnionis, videbimus ꝙ secundus supponit primum, & tertius vtrunque. Et similiter præordinatio & præuisio primi præsupponitur à præordinatione & præuisione secundi. Et similiter præordinatio & præuisio tertii, præsupponit pordinationē ac puisionē vtriusq;. Ita ꝙ Deus ordinauit primò vniuersum secundū ordinem naturæ. Et qm̄ vniuersum secundū talem ordinē non attingit ad fruitionem diuinam, superaddidit ordinē gratiæ. Et quoniam talis ordo non pertingit ad vnionem summo modo possibilem cum Deo, præordinauit creaturam ad vnionem personalem cum Deo. Quocircà cum peccatum pertineat partim ad ordinem naturæ, partim ad ordinem gratiæ vt opposita illi, consequens est ꝙ prædestinatio IESV Christi vt sit filius Dei, præsupponat præuisionem futurorum peccatorū, vtpotē spectantium ad præsuppositos ordines in genere causę naturalis. Hęc sunt Caietani. Ego vero vix adducor vt super huiusmodi cōsiderē: sed propter eos qui hæc putant esse oracula suscipiendus est labor.

Primùm, ꝙ peccatum pertineat ad ordinem naturæ, falsum est: quia peccatum est contra ordinem gratiæ ac naturę: ita vt natura & gratia etiā præsupponantur peccato.

Adhæc, si verè peccata pertinent ad ordinem naturæ, & hic ordo pręcedit ordinem gratię, sequitur vt coram Deo omnia peccata hominū præsentata prius fuerint q̄ sit datio gratię cuiuscunq;, puta Adę, ita vt in mente Dei & prouidentia sua prius oportuit peccare Adam & Antichristum, q̄ Adam ipse præpararetur ad gratiā. Prius igitur expectauit Deus videre peccatum Adæ vt sic prępararet illum ad gratiam. Et similiter omniū peccatorum habuit præuisionem, etiam Antichristi (quia peccata sunt in ordine naturę) priusquàm vellet Adę aut cuiquàm hominum, etiam ipsi Christo, gratiam. Qui autem potest istà sibi persuadere, certè autoritate ducitur, non ratione: voluntate, non intellectu. Nimis enim absona sunt hęc & absurda.

Ad hæc, Prius ergo est peccatum Antichristi & omnia peccata mundi, quia spectant ad ordinem naturæ & gratiæ, quàm sit incarnatio ipsius Christi in mente Dei, & ita peccatum quod est contra gratiam, & Antichristus qui est contra Christũ, præsupponitur ipsi gratiæ & ipsi existentiæ Christi. Quomodo ergo dicitur Antichristus? Qui potest capere capiat.

Vide quid faciat velle defendere positionem ex zelo ad æmulationem. Nihil enim puto posse absurdius, imò ignominiosius dici aduersus dignitatem existentiæ Christi, quàm ipsius existentiæ prædestinationem in mente Dei fuisse post prouisionem ac præuisionem omnium creaturarum & omnium effectuum tam bonorum quàm malorum: quod tamen necesse est dicere iuxta hanc doctrinam, vt planè porrigit. Nam vult & monstra esse præuisa in mente Dei & præordinata, etiam cursus leporum, prius quàm fuerit existentia Christi: quod non solum est contra manifestissimas Scripturas, verum etiam contra id quod sanæ mentis homo possit admittere, cum hæc doctrina maximè dignitatem Christi extenuet.

Ad hæc, prædestinatio aliorum preter Christum, pertinet ad ordinem gratiæ, quia Christus pertinet ad tertium ordinem vnionis. Ergo prior est aliorum prædestinatio quàm ipsius Christi. Quis verò piæ mentis homo ista cum audit non exhorrescat? siquidem quotquot prædestinati sunt, in ipso Christo Domino nostro, vt testatur Apostolus, prædestinati sunt.

Ad hæc, Cum argumentaretur Scotus, ꝙ ordinatè volens, prius vult finem, & postmodò quæ sunt propinquiora fini. Sicut enim vult alicui prius gloriam quàm gratiam, sic inter prædestinatos prius vult illi gloriã quem vult esse fini propinquiorem, quàm cuiuis alteri. Nam & cuilibet vult prius gratiam & gloriam, quàm eius aut cuiuscunq; peccatum preuideat. Hæc certe manent insoluta.

Argumentabatur etiam Scotus, Quòd redemptio humani generis non est tantum bonum quantum anima Christi. Ideò hanc primum & magis debuit Deus velle. Negat Caietanus ex maius volibili sequi magis volitũ de facto: quoniam salus omnium hominum est magis volibilis quàm salus paucorum aut certe non omnium, nec tamen magis uolita de facto. At nos dicimus eam esse magis uolitam de facto uoluntate antecedente, secundum quam est magis uolibilis. Voluntate autem consequente non est magis uolibilis, quia obstant peccata, & ideò non magis uolita. Anima aũt Christi & eius existentia simpliciter est magis uolibilis quàm redemptio humani generis, quia simpliciter est maius bonum. Et reuera intolerabile uideri potest recte arbitranti atque semota sectarum affectione, Dominum Deum ita ordinauisse Adæ salutem vt in omnem euentum esset illa potiturus, Christi autem existentiam & gloriam ordinasse in eum tantum euentum, si peccasset primus ille parens Adam.

Cætera Caietani quæ super his falsis fundamentis ædificata sunt, prudens omitto, ne frustrà verba effundam. Illud firmiter teneatur, ꝙ quæ sunt gratiæ in oculis Dei, vt prouideantur à Deo, nõ præsupponunt omnem prouidentiam & præuisionem omnium rerum & euentuum naturalium, sed eorum tantum sine quibus gratiæ ordinatio minime fieri posset,

DISPVTATIO

R.P.F. AMBROSII CATHARINI POLITI EPISCOPI MINORIENSIS

De Cultu & adoratione Imaginum.

CHRISTIANORVM cultum & adorationem ad Imagines alio libello aduersus hæreticos defendi, nō tamen quæstiones illi, quæ inter catholicos uersantur excussi. Nam cum nemo catholicus sit qui nō probet usum Imaginum ad memoriam & doctrinam & animi excitationem: dubitant tamen nonnulli, nunquid ipsis Imaginibus ullus cultus ac ueneratio debeatur, & quenam & quo pacto. Qua de re nunc facere disputationem censui non inutile.

Vt ergo propositæ quæstionis ueritas illucescat, Primò uidendum est, Vtrum pingere aut sculpere simulacra sit reuera in Scripturis prohibitum. Videtur enim prima facie, ut Iudæi uolunt, prohibitum in Decalogo, dicente Domino: Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra &c. Quòd si fateamur prohibitum, additur, Vtrum ex se sit malum, an contrà potius iccirco malum quia prohibitum. Quod autem non ex se sit malum, facile potest ratione persuaderi, cum & pictura & sculptura inter artes ponantur non illaudatas, unde & multi cum laude in historijs memorantur & uiuunt: imò in ipsa Scriptura sancta laudatur Beseleel quòd fabrè effigiaret instructus à Domino. Hoc si ex se malum esset, nunq̄ Deus eam artem illum docuisset, nec iussisset sculpi Propitiatorium et Arcam et Cherubim & Leones & Boues, nec mandasset Moysi ut Serpentem æneum erigeret in deserto.

Facere Imagines non est ex se malum.

Cum igitur non sit ex se malum pingere aut sculpere simulacra & Imagines, uidendum est Vtrum reuera simpliciter sit prohibitum in Scripturis: quod erat propositum prius. Sunt enim qui negent simpliciter fuisse prohibitum pingi aut sculpi Imagines et simulacra, sed solùm conditionaliter, ad colendum ea, ita ut si non ob hanc causam pictum quid aut sculptum fuisset, non fuisset præuaricatio mandati. Huic autem opinioni uidetur attestari Scriptura ubi legitur: Non faciatis uobis Idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra uestra ut adoretis eum &c. Ecce quomodo non simpliciter uidetur esse prohibitum facere sculptile aut Imaginem & huiusmodi: sed hac mente, uidelicet ad adorandum & colendum ea. Sed est aliorum sententia uerior, ut simpliciter interdictum intelligamus Iudæis pingere aut sculpere quidpiam quod posset more Gentium redigi in cultum, à quarum ritibus uolebat Deus illum suum populum abhorrere. Quare, tametsi ex se non esset malum sculpere aut pingere ullam Imaginem ad aliquem usum non malum, saltem ad oculorum oblectationem: attamen quia poterat facile inde exoriri malum, ut more Gentium adorarent & colerent Idola (Nam & ipsi in hoc scelus sua quadam admirabili insania prouocabantur, quasi æmulatione Gentium) Idcircò simpliciter dicendum est (sicut & uniuersaliter semper intellectum fuit) non licuisse Iudæis propria & priuata autoritate ullas Imagines aut ulla simulacra effingere. Non .n. semper quod prohibetur, ideò prohibetur quia sit malum, sed uel ad tentationem & ueræ obedientiæ exactionem, sicut primis Parentibus contigit, quibus interdictum fuit de ligno uitæ edere: uel ad cautionem, ne quod non est ex se malum, si permittatur ac liceat, facile ad malum atq; illicitum adducat aut impellat. Sicut quùm prohibentur ciues portare arma, nō prohibētur quia simpliciter portare arma sit malum, sed quia in ciuitate fortè seditiosa ea licentia perduceret ad malum. Ita erat in proposito sicut dictum est, uidelicet propter periculū idololatriæ prohibitum fuisse simpliciter ne ullum sculptile aut ullā similitudinem facerent. Huic autem sententiæ attestatur Scriptura ubi prius absolutè ait: Non habebis Deos alienos coram me. Et subdit: Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem quæ est in cœlo &c. Et confestim subiecit: Non adorabis ea neq; coles. Vbi duo apparent præcepta diuisim: alterum non facere, alterum non colere. Astipulatur huic sententiæ & quod legitur Deuteronomio cap. 5. & cap. 4. Vbi habetur: Nō uidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est uobis Dominus in Horeb de medio ignis: ne fortè decepti faciatis uobis sculptam similitudinem omnium iumētorum quæ sunt super terram, uel auium sub cœlo uolantium, atq; reptilium quæ mouentur in terra, siue piscium qui sub terra morantur in aquis: ne fortè eleuatis oculis ad cœlum uideas Solem & Lunam & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creauit Domi

Imagines facere prohibitum Iudæis.

Exo. 20.

nus Deus tuus in ministerium cunctis Gentibus quæ sub cœlo sunt. Hæc ibi: Vbi uidetur omnino simpliciter prohibitū quicq̄ sculpi propter idololatriæ periculum.

Cur Dominus iussit fieri Cherubim &c.

Sed hinc or.tur dubium: Si periculi gratia uetabantur similitudines, ne adorarentur: cur Dominus iussit sculpi Cherubim & Propitiatorium, quod erat oraculum, & ibi fieri adorationes? Et cur iussit exaltari Serpentem & ad illum spectari, quòd non erat nisi quidam adorationis modus? Vnde & incensum illi adolebant, ut ait Scriptura. Quòd si per has similitudines Serpentis & Cherubim & Boum & Leonum non dabatur causa ad scelus, nec incurrebatur periculum: cur ergo prohibitum fuit tam uniuersaliter ne quam ipsi formarent sibi similitudinem? Difficile hoc argumentum profectò. Verùm ex illius resolutione ueritatis resultabit manifestatio.

Errorum pericula uersabantur ex omni parte hanc circa rem, quibus oportuit occurri. Si enim non prohibuisset fieri simulacra Deus et similitudines, periculum idololatriæ incurrebatur, sicut iam diximus. Rursum, si stante illa prohibitione non iussisset pingi uel sculpi & erigi aliquid aliquo modo adorabile, reliquisset magnam rationem Iudæis omnino reprobandi omnem Imaginem ac similitudinem & omnem modum adorandi ad illas: & meritò putassent illud ex se esse malum, & nulla ratione posse unquam licitum reddi: quod certè præiudicasset ueritati ac legi gratiæ quam prærordinauerat. Stabat igitur probibitio illis eo tempore congruentissima, ne quam ipsi propria & priuata autoritate sibi facerent similitudinem. Et ut hoc non tanquam ex se malum arbitrarentur fuisse probibitum: alia parte prouidit dum iussit erigi Serpentem illum, & sculpi Cherubim & Leones & Boues. Voluit enim per figuras illas significare illud per quod reddi poterant licita simulacra & quandoq; etiam adorationes ad illa. Nam per Serpentem proculdubio CHRISTVS crucifixus designabatur: & per illos duos Cherubim CHRISTVS et MATER. Creditur enim traditione acceptum, illos Cherubim fuisse humanæ formæ, sed alterum marem, alterum uero fœmellam, sponsum & sponsam, puerum ac puellam, ut summa puritas et innocentia significaretur eorum, scilicet Filij & Matris, sponsi & sponsæ, per quos ad nos propitiatio & redemptio ueniebat. Erant enim super Propitiatorium, alter ex una parte, alter ex alia: qui extendentes alas super Propitiatorium sic ue oraculum, tegebant illud, et sese mutuò et illud respiciebant. Hoc nunq̄ intellexerunt Iudæi carnales, nec habent quicquam quod super his loquantur, & dubia literæ resoluant.

Cherubim quid significarent.

Nos autem nunc ad rem nostram illud sanæ doctrinæ accipimus, prohibitionem illam sculptilium & omnis similitudinis factam fuisse ad compescendam priuatam autoritatem, & ipsius prohibitionis rationem solummodo fuisse periculum Idololatriæ, ut eo periculo cessante, etiam mandatum cessaret, & huius rei admonerentur Iudæi in tempore Messiæ, & agnoscerent quem ignorantes coluerunt.

Quo in loco insurget quis & dicet: Si periculum Idololatriæ erat causa illius prohibitionis, potuisset igitur aliqua similitudine exculpi ipse Deus & adorari eius Imago, cum Deus ipse sit omni ueneratione & cultu dignus, ac per hoc nullum fuisset Idololatriæ periculum: & tamen neq; hoc Hebræi quasi licitum sibi arbitrabantur. Ad quod respondemus, Deus ipse uerus non poterat ulla similitudine repræsentari: ideò quicquid de pictura aut sculptura mente exciperemus, nullo pacto nobis repræsentare Deum uerum potuisset. Quicquid ergo pictum aut sculptum fuisset gratia repræsentandi Deum ipsum: quoduis aliud magis repræsentasset quàm Deum. Quapropter si etiam repræsentatum coleretur, aliquid aliud quàm ipse Deus coleretur pro uero Deo: quod esset Idololatria manifesta. Quamobrem B. Ioannes Damascenus in capite de Imaginibus dixit: Magnæ impietatis & insipientiæ est figurari quod diuinitatis est. Prædixerat enim Scriptura, Cui similem fecistis Deum, aut quam Imaginem ponetis ei? Et B. Paulus: Non debemus æstimare auro & argento & lapidi sculpturæ artis & cogitationis hominis diuinum esse simile.

Verùm nec sic quiescimus. Nam Deus seipsum per similitudines nonnunquam ostendit prophetis, ut patet in sacris literis: cur igitur non liceret eo modo illum pingere? Exempli gratia, Danieli ostensus est omnipotens Deus Pater per Imaginem uiri antiqui dierum sedentis in throno candido, induti uestimento tanquàm niue, & capilli tanquàm lana alba. Si igitur incircunscriptibilis erat Deus et inessigiabilis, cur tamen sic apparuit Prophetæ? Et cum talem habérent iam designatum in Scriptura per Prophetam, cur idem prohibeatur fieri in pictura per artifices? Et quod de Deo dico, etiam de Angelis dictum uolo, qui cum sint & ipsi incorporei, consequenter inessigiabiles sunt. Præterea, nunc in ecclesijs non solùm Angeli, uerùm etiam sanctissima ipsa TRINITAS depingitur et colitur, et Spiritus sanctus per columbam significatur. Quo pacto igitur redditus est Deus effigiabilis, qui ante non erat? Et ubi illud, Ego Deus et non mutor? Quòd si hoc malum est, cur tolerat Ecclesia Dei sancta?

Respondetur ad hæc: Cùm Dominus prophetis illis figuris seipsum designabat, simul intelligentiam quoque præstabat, ne per illas prophetæ fallerentur: nec bonum erat sic illum proponere turbis sicut sese indicabat prophetis. Illæ enim ut crassæ & imperitæ & indociles, facile inde contraxissent errores: siquidem & pleriq; uiri docti concipientes mente Deum, sicut non nisi in specie & forma humana concipiebant, nec alia species occurrebat: sic etiam talem esse arbitrati sunt, hoc est, Deum esse corporeum & humanæ formæ: quod est manifestè falsum atq; insulsum, & ab omnibus in Ecclesia Dei iam explosum. Nunc igitur cum iam manifestatus sit hic error, & ebris

christianitas repleta sit scientia Dei, & omnes obligati sint credere apostolicæ & catholicæ doctrinæ, quæ de Deo recta sentit & tradit, non est metuendum ne prætextu picturæ aut sculpturæ in errorem ullum incurramus: sicut nec incurrimus prætextu Scripturæ quæ Deum certa aliqua Imagine ac similitudine prophetis ostensum fuisse describit. sed in qualibet similitudine aliquam Deo conuenientem proprietatem licebit absq; errore agnosci. Verbi gratia, depingatur Deus Pater ut est apud Danielem in specie uiri, antiquus dierum, sedens in throno candido: significabitur nobis ea pictura, diuina maiestas, æternitas, sapientia: & ille thronus candidus significabit Ecclesiam sine macula & ruga, in qua quiescit: & ita cæteræ circunstantiæ depictæ aliquid nobis referent conueniens Deo. Nec quisquam adeò desipiet iam nunc, ut ex illa figura accipiat sibi propterea, ut certum præstituat, Deum esse corporeæ aut humanæ formæ: cum nemo nesciat pictores non omnia imitari posse & formare ad ueritatem. Quòd si quis fortè hebes & imperitus aliter sentiat, uidelicet Deum aut Angelũ esse humanæ formæ, non hoc tam ex pictura accipiet, quàm ex priore falsa illi hærẽte existimatione: siquidẽ, ut Marcus Tullius ait, Quicunq; Deum imaginatur siue uigilans siue per somnium dormiens, nullam aliam illi formam tribuere potest quàm humanam, cum nullam nos uideamus spectabiliorem: & ob hanc causam Angeli in ea specie apparuerunt hominibus, & quasi homines in scripturis describuntur: ut Beatissimus Pater Dionysius eleganter docet. Quin & Dominus noster in parabolis Deũ per hominem et patrem familias sæpè designat. (De cœlest. hier. cap. 15.) Quamobrem instruendi sunt rudes de ueritate rei, non autem propter eos omittenda est quæ potest de ipso Deo à cordatis uiris etiam per picturas salubri recipi disciplina ac notitia. Quòd uerò Spiritussanctus in figura columbæ depingitur, minus præstat ad errorẽ occasionẽ. Nã, ut B. Dionysius elegãter docet, quanto sunt dissimiliores similitudines quæ nobis referunt Deum, tantò minus periculosæ sunt. Nemo enim ita est stultus ut Spiritumsanctum putet esse columbam, aut formam habere columbæ: sed confestim in columba, eius sanctitatem ac puritatem intelligit significari.

Quòd uerò de Messia, qui in specie hominis expectabatur, nulla olim fieret similitudo, rectum erat. Nondum enim uenerat, nec erat satis tunc reuelatum de illo, nec eius dignitas benè cognita, nec certa erant magnifica eius acta ac gesta, ut in illis posset per simulacra & picturas ostendi: & adhuc manebat nonnihil periculi Idololatriæ ne similiter ad alios prophetas transferretur hic honor, & ad Mosen potissimum aut Abraham & Dauid patres eius. Non enim erat dignum illud eis tribuere ut per Imagines coleremur, quod & Deo & Messiæ & Angelis negabatur: nec fuisset illa licentia citra Idololatriæ periculum. Et reuera non decuit tunc quicquam esse ad hoc religiosum adorationis opus uerè sanctificabile & aliquo cultu & honore dignum antequam ipse omnium sanctificator ueniret, eo quòd durante peccato cuncta erant immunda.

(Dubium de adoratione Serpentis.) Verùm unus adhuc scrupulus restat dissoluendus. Legimus enim quòd Domini mandato Moses erexit Serpentem illum æneum, & diximus quòd eum Hebræi colebant, quoniam incensum ei adolebant, &, quod est magnopere considerandum, hoc seruatum fuit usq; ad tempus Ezechiæ Regis. Hic enim quæritur, Vtrum ille cultus esset conueniens & iuxta Dei mandatum, an non. Si asseritur conueniens: cur ergo Ezechias prohibuit, & iussit eum Serpentem confringi, uituperans illum, et derisoriè eum appellans NEVSTAN, idest, ænulum? Quod factum Scriptura in laudem illius Regis commemorare uidetur. Quòd si uegatur fuisse conueniens cultus ille: quomodo ergo Moses & alij prophetæ & Dauid tam diu illam superstitionem tolerarunt, nec Dominus misit in aliquem prophetarum spiritum zeli, ut eam idololatriam detestaretur & admoneret? Verè hic locus non facilem uidetur habere resolutionem, nisi dixeris quòd reuera malè fecerunt adolentes ei incensum, idest, sacrificantes illi. (Solutio dubij.) Neq; enim fuit eis mandatum à Domino ut sacrificarent ei, sed hoc solummodo ut ad illum aspicerent quasi signum. Quod autem est signum, alterius signum est: ut sic intelligerent non ab eo exire illam sanandi uirtutem quæ ex illo exire uidebatur. Nam quid uirtutis poterat ex inspectione illius statuæ procedere ad sanandos saucios à uerorum serpentum morsibus? Illa ergo uirtus, non signo, sed signato erat tribuenda: & similiter illa statua tanquam signum erat aspicienda, ut inde mens ad prototypum euolaret: quod quia non est factum, sed eò processum ut more Gentium illud simulacrum adoraretur tanquam ibi esset illa uirtus sanandi, et non in exemplari: iccircò Ezechias iussit illud Serpentis simulacrum confringi. Quia igitur adoratio et exhibitio incensi poterat esse conueniens, & certè fuisset si relata fuisset ad prototypum: icirco tacitè fuit tolerata ac permissa, cum error esset in mente adorantis, non autem in externo illo cultu, qui (ut dixi) defendi poterat si non signo, sed signato redditus fuisset. Error ergo processerat in hoc quòd non iam inspiciebatur & adorabatur illud (sicut præcepit Dominus) ut signum referens signati uirtutem, sed quasi habens in se sanctificationem & uim aliquam diuinam, sicut existimabant Gentes de Idolis suis. Quare ad hunc Gentium errorem amouendum iussit Ezechias confringi Serpentem illum, uocans ænulum, ut quiddam despicabile & indignum cultu.

Hactenus ergo uidimus quid prohibitum erat Iudæis, ut errores Gentium non incurrerent. Prohibebantur enim primùm adorare Deos alienos, & hoc quia malum erat ex se, & scelus Gentium. Prohibebantur item nedum adorare, sed etiam facere propria autoritate simulacra, ne similiter more Gentium adorarent ea. Quæ autem Dei mandato siue picta siue sculpta in tabernaculo & in templo erant, debebant dum

taxat habere pro signis & figuris eorum quæ futura erant in Ecclesia, & non adorare illa, sed ad illa, seu coram illis externam habere adorationem, referentes omnem cultum spiritualem ad Deum & CHRISTVM qui in illis significabatur.

Quid dicendũ de Imaginibus inter christianos.

EX his iam dictis, ex parte quid sit dicendum de Imaginibus aut simulacris in Ecclesia Dei, acutus lector facile potest educere: nempe illud primum, ut omne quod ex se malum est, etiam in Ecclesia prohibitum intelligatur. Ergo totum hoc, uidelicet habere Deos alienos, & simulacra illis erigere, & colere atq; adorare illa quouismodo, ut potè malum ex se, ideò perpetua prohibitione interdictum. Hæc enim in Gentibus detestatur Scriptura.

Verùm fuit nescio quis, ut B. Augustinus testatur, qui cum esset idololatra, suas uolens tueri partes, aduersus Scripturas conquerebatur, quòd immeritò ab eis eo nomine Gentes damnarentur, quasi essent Idolorum uel simulacrorum cultores. Aiebat enim: Non ego illum lapidem colo, nec illud simulacrum quod est sine sensu, nec audit auribus, nec uidet oculis. Non ego illud colo, sed adoro quod uideo, & seruio ei quem non uideo. Hæc ille. Cuius hic erat sensus, quòd quamuis externum honorem redderet ante lapidem, internus tamen, qui erat latriæ, ferebatur in numen quod colebat, & in lapide repræsentabatur. Poterat fortassis ille homo hoc ita de se testari, sed uniuersaliter aliud erat: unde alij ea excusatione non defendebantur, qui, teste Scriptura, in ipsis simulacris esse aliquam uirtutem diuinam arbitrabantur propter Dæmonum deceptiones, qui in illis responsa reddebant, & nonnulla prodigia ostendebant. Neq; tamen ille homo se propterea defendebat à scelere: quoniam & si fortè rectè sensisset de lapide, non tamen rectè de numine qui erat falsus aliquis Deus. Quocirca duplici tenebatur errore. Primò quòd falsum Deum pro uero Deo colendum sibi proposuisset: deinde quod etiam eius Imaginem adorasset, aliquem illi cultum exhibens propter numen, hoc uel ipso confitente cum dixerit: Adoro quem uideo. Sed ad rem nostram.

Gentilium error circa simulacra.

Secundò ex dictis illud etiam educitur, cum iam Deum uerum non ignoremus, & iam dudum falsos Deos abiecerimus, et ab ipso uero Deo seruos & sanctos eius rectà ratione disiungimus, & in cultu nostro interiore segregamus, nulli latriam præterquàm ipsi Deo deberi scientes: nihil periculi posse accidere eorum quæ Gentibus contingebant de falsis Dijs, ac propterea iam nullum habere locum quod legitur in Decalogo: Non facies tibi sculptile &c. cum præceptum illud ita tunc absolutum rem prohiberet (sicut diximus) non ex se malam, sed ea ratione ne ea licentia ad malum alliceret aut induceret, uidelicet ut falsi Dij pro ueris inducerentur & colerentur, cuius rei tunc periculum magnum erat in Iudæis promptis ad æmulandum Gentes, ut passim sacræ scripturæ docet historia, & sic inanimatis signis diuinus honor tribueretur. At iam nunc, hac periculi ratione cessante, meritò & ipsum præceptum cessauit, cum de Idolis & falsis Dijs iamdudum triumphauerit Dominus IESVS, & liberatæ sunt Gentes, nec metuendum est ne rursum ad idololatriam propter Imagines recurrant, sicut cas lumniosissimè heretici incusant, atq; impijssimè Dei Ecclesiam matrem suam fugillant. Præterea, iam illud mandatum, ut diximus, eò pertinebat, ne quis priuata propriaq; autoritate sculperet quidpiam, aut similitudinem faceret. At Imaginum in Ecclesia introductio & approbatio, non priuata hominum autoritate contigit, sed Spiritu Dei Apostolos & seruos suos inspirante, et Ecclesia ipsa approbante et præcipiente. Est .n. ueterum traditionibus acceptum, ab Apostolis hoc Imaginum institutum incœpisse. Fertur, B. Athanasio narrante, Nicodemus primò Imaginem CHRISTI habuisse, & Gamalieli reliquisse, qui illam tradidit Beato Iacobo Apostolo fratri Domini. Nota item est historia illius sanctæ mulieris, quæ à fluxu sanguinis curata fuit. Ipsa enim rem gestam curauit sculptura exprimi, ut semper ante oculos haberet Domini beneficium. Eusebius à Seth filio Adæ primùm cœpisse pingi Dominum nostrum narrat. B. Lucam quoq; Euangelistam & CHRISTI & VIRGINIS nonnullas reliquisse pictas Imagines constantissima est populorum fides & antiquissima, quæ & uarijs in locis solemniter ostenduntur. Sunt præter hæc historiæ multæ ac testimonia sanctorum uirorum Basilij, Chrysostomi, Damasceni, & aliorum plurimorum pro hoc Imaginum ritu, quæ contemnere non potest nisi homo superbus & omninò malè catholicus, præsertim cum et in plerisq; Synodis et sexta ac septima fuerit contra hæreticorum insaniam & rabiem commendatus & confirmatus hic Imaginum usus in ecclesijs: & B. Gregorius Serenum Massiliensem Episcopum temeritatis arguerit, quòd iussisset Imagines auferri de templis.

Nullum periculum Christiano ex imaginibus.

Hæreticorum calumnia.

Imaginum usus ab Apostolis introductus.

Non est ergo fas ulterius contra ritum Imaginum quicquam audere: quo solo ausu comprobantur hæretici & schismatici quicunq; siue facto siue uerbo contra Imagines insurgunt. Etenim à sacris Imaginibus multum utilitatis percipit homo si his legitime utatur, non autem ad oculorum oblectationem, quemadmodum fit ubi quàm fabrè & eleganter sculptum quid aut pictum sit contemplamur, ipsam solummodo artem & artificis manum admirantes, non de eo quod repræsentatur cogitantes. Hoc autem est curiosorum. Non .n. id solatij & oblectationis oculorum intendit in usu Imaginum Ecclesia, quæ non uult nos sistere in Imagine, sed ad id maximè quod Imagine repræsentatur continuò animum euolare. Et propterea Imagines quas probat Ecclesia illæ sunt quæ nobis referunt certam rem, siue personam, siue aliquid gestum uel actum quod ad doctrinam uel memoriam uel ædificationem & excitationem pertineat spiritualem. Indigent enim

Quas Imagines Ecclesia probet.

his

bis Idiotæ & illiterati ad doctrinam mysteriorum & beneficiorum Dei, ut quod alij de Scripturis addiscunt, ipsi hauriant de picturis. Sicut ergo uiolare Scripturas sacrilegium est, quia libros literatorum sacros uiolas: ita uiolare picturas, cum sint & ipsæ sacri libri Idiotarum. Indigent etiam præter Idiotas cæteri mortalium Imaginibus ad rememorandum & recolendum ea quæ assiduè ante nostros oculos uersare deberent de CHRISTO, quæ pro nobis gessit, quæ passus est. Cum enim simus homines, non Angeli, & per sensus hauriamus quæcunq; mente inspicimus & pertractamus, ea quæ mente quasi sopita delitescunt, eiusmodi sensibilibus obiectis excitantur & fit rememoratio. Obiecta enim nobis per Imagines angelica salutatione, continuò illud immensum recolimus beneficium, quo nullum poterat nec excogitari nec esse maius ad dignitatem & felicitatem nostram. Hinc excitamur ad gratiarum actiones & glorificationem summæ TRINITATIS, & animus ad feruorem dilectionis in spiritu humilitatis & obedientiæ miris modis incenditur. Et quùm nobis repræsentatur CHRISTVS ex utero Beatissimæ VIRGINIS recens natus & in præsepi positus, adoratus à VIRGINE, clarificatus ab Angelis hymno sancto: quæ (rogo) in pio corde & quàm ingens creatur delectatio, dum exultat & dicit, Puer natus est nobis, Filius datus est nobis? Mitto cætera mysteria. Sola illa Imago CHRISTI crucifixi quantus est liber, quàm longum latumq; uolumen? Ibi enim maximè & cuiuis contemplari licet quæ sit longitudo, latitudo, altitudo & profundum potentiæ, bonitatis, sapientiæ, et consilij eius: inde omne exemplum cunctarum uirtutum accipere et omnem excitationem bonorum desideriorum. Verùm de his latius alio libello scripsimus. Nunc satis est innuisse: quoniam hac de re nō est inter catholicos controuersia.

VErùm (ut ab initio diximus) de ipsarum Imaginum cultu ac ueneratione, etiam inter Catholicos aliqua est disputatio, uidelicet, præter utilitates prædictas & solatia spiritualia quæ de Imaginibus capiuntur, Vtrum etiam ad hoc sculpantur uel pingantur Imagines ut ipsæ adorentur, & aliquis eis cultus reddatur. Sunt enim qui hoc omninò negent, & clament esse Idololatriam. Videntur autem non futilibus argumentis moueri, nec absq; maiorum, imò Scripturarum autoritate. Haud enim dubium Scripturam uituperasse Idola & simulacra paganorum, nō solùm quia repræsentabant falsos Deos, uerum etiam quia ipsa Idola erant opera manuum hominum, & sine ullo sensu, ut uel ex hoc ipso nullam mererentur uenerationem & cultum ex seipsis. Et hanc opinionem probare uidentur nōnulli antiquorum doctorum si quod aliquando scripserunt consideremus. Ecce B. Gregorius qui doctrinam maiorum callebat, iam recepto usu pingendarum Imaginum, Serenum quendam Massiliensem Episcopum, qui Imagines, ne adorarentur, confringi iussit, his uerbis prima epistola admonuit: Præterea indico dudum ad nos peruenisse quòd fraternitas uestra quosdam Imaginum adoratores aspiciens, easdem Ecclesiæ Imagines confregit atque proiecit. Et quidem zelum nos (ne quid manufactum adorari possit) habuisse laudauimus, sed frangere easdem Imagines non debuisse iudicamus. Iccircò enim pictura in Ecclesijs adhibetur, ut hi qui literas nesciunt, saltem in parietibus uidendo, legant quæ legere in codicibus non ualent. Tua ergo fraternitas & illas seruare, et ab earum adoratu populum prohibere debuit: quatenus & literarum nescij haberent unde scientiam historiæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minimè peccaret. Hæc ille. Et ad eundem in alia epistola, iterum illū corripiens, & præcipiens ut rei ueritatem populo prædicaret, in hunc modū scripsit: Dic frater, à quo factum sacerdote aliquando auditum est quod fecisti? Si non aliud, uel illud te non debuit reuocare, ne despectis alijs fratribus, solum te sanctum & esse crederes sapientem? Aliud est .n. picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus Scriptura, hoc Idiotis præstat pictura cernētibus: quia in ipsa etiam ignorantes uident quod sequi debeant, in ipsa legunt qui literas nesciunt. Vnde & præcipuè Gentibus pro lectione pictura est: quod magnopere à te qui inter Gentes habitas attendi debuerat, ne dum recto zelo incautè succenderis, ferocibus animis scandalum generares. Frangi uerò non debuit quod non ad adorandum in Ecclesijs, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum: et quia in locis uenerabilibus, Sanctorum depingi historias non sine ratione uetustas admisit. Et paulò post, quia illo facto Episcopus ad se plebem suam alienauerat, subdit sanctus Pontifex: Conuocandi .n. sunt dispersi Ecclesiæ filij, eisq; Scripturæ sacræ est testimonijs ostēdendum, quia omne manufactum adorare non liceat: quoniam scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Ac deinde subiungēdum est, Quia picturas Imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant factæ, ut nescientes literas, ipsam historiam attendentes discerent quid actum sit: quia transisse in adorationem uideras, iccircò commotus es ut eas Imagines frangi præciperes. Atq; eis dicendum: Si hanc instructionem ad quam Imagines antiquitus factæ sunt habere uultis in Ecclesia, eas modis omnibus & fieri & haberi permitto. Atq; indica quòd non tibi ipsa uisio historiæ, quæ pictura teste pandebatur, displicuerit, sed illa adoratio quæ picturis fuerat incompetēter exhibita. Atq; in his uerbis eorum mentes demulcens, eos ad concordiam tuam reuoca. Et si quis Imagines facere uoluerit, minimè prohibe: adorare uerò Imagines omnibus modis deuita. Sed hoc solicitè fraternitas tua admoneat, ut ex uisione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis sanctæ TRINITATIS humiliter prosternantur. Hæc ille sanctus: Ex quibus nulla distinctione adhibita

An Imagines sint adorādæ.

B. Gre. in lib. 7. Epistolarū Epist. 109.

aut considerata, negare omnino uidetur adorandas esse Imagines, & solummodo ad memoriam & doctrinam & excitationem esse inuentas. Idem ferè & B. Ambrosius *B. Ambrosius, aiens: Habeat Helena quæ legat, unde crucem Domini recognoscat. Inuenit ergo titulum: Regem adorauit, non lignum: utiq; quia hic gentilis est error & uanitas impiorum: sed adorauit illum qui pependit in ligno. Hæc ille. Ex quibus patet φ adorationem cruci non tribuebat, sed Crucifixo.*

Verùm hæc opinio quæ omnem uenerationis siue adorationis modum uidetur Imaginibus denegare, habet et communem Doctorum sententiam refragantem, & usum Ecclesiæ ipsum repugnantem, cum uideamus nonnullam esse adorationis speciem erga Imagines. Et ideò ipse B. Gregorius alibi non negauit aliquem ueneratìonis modum, nec in citatis locis si rectè considerentur, ut suo loco dicemus.

Sunt ergo qui ecōuersò dicunt, Imagines non solùm adorādas esse, uerumetiā latria adorandas si CHRISTI imagines fuerint: hac tamen distinctione seruata, quòd si Imago consideretur ut est quædam res, puta æs aut lignum & quæuis materia, nulla ei adoratio conuenit: quia ueneratio & adoratio non conuenit nisi rationali creaturæ. Sin uerò consideretur ut est Imago, puta Crucifixi: exhiberi debet illi ueneratio eadem quæ ipsi debetur Crucifixo. Crucifixo autem latria debetur: Igitur & Imagini. Medium quo hæc conclusio probatur, est quoniam (ut ait Aristoteles) Motus in Imaginem ut est Imago, et in illud cuius Imago est, unus motus est. At uerò hæc positio & prima facie falsa uidetur, & fundamento inniti ualde infirmo. Et quidem contra ipsam positionem sunt argumenta Henrici, Durandi, Olchot, et aliorum quorundam scholasticorum: sed cuncta uuum habent medium in quod resolnuntur, nempe hoc: Latria nulli rei debetur quæ non sit Deus: Soli enim Deo hæc species adorationis & cultus debetur. Imago autem quouis modo considerata, etiam ut Imago, non est Deus: cui Imagini si conueniat illiusmodi adoratio, profectò aly rei quàm Deo conueniret ac deberetur: cuius contrarium sumpsimus omni acceptione dignum. Quod uerò ad probandam illam opinionem affertur, quòd unus est motus in apprehensione Imaginis ut est Imago, & rei cuius est Imago, nihil facit: quia hic motus unus ueritatem rei non tollit aut inuertit. Non enim faciet unquam meus quilibet motus, ut quod non est Deus sit Deus, neque ut cui non debetur latria, debeatur.

Ad hæc, Rogo de motu illo adorationis. Qui enim adorat, in id respicit quod adorat: nec enim aliter adoraret. Adorans ergo Imaginem, quem (obsecro) conceptum habet de illa? Vtrum quòd illa sit Deus, an non? Certè Imago ut Imago est, non est Deus, sed repræsentans Deum. Si igitur habet illam pro Deo, & quòd sit uerè Deus, error est horribilis & detestandus. Sin agnoscit illam non esse Deum, sed solummodo referre Deum, & nihilominus adorat latria: hoc non est aliud quàm alteri à Deo latriam reddere. Quòd si dixeris: Hæc adoratio est unus motus qui fertur in Imaginem & exinde in imaginatum, itaq; una adoratione adoratur Imago et imaginatum: & cum sit una adoratio, non potest esse nisi latria: si inquam ita dixeris, hic dicendi modus non satisfacit. Si enim uerum est dicere φ adoratur Imago, necesse est ipsam Imaginem esse obiectum adorationis, ac propterea aliquo modo ipsa Imaginis adoratio terminetur in Imagine. Quòd si non terminatur in illa, sed in imaginato, non potest dici adoratio Imaginis, sed imaginati. Nec uidetur consistere quòd duo sint adorata, & una sit adoratio.

Est autem qui, ut argumentum resoluat, dicit quòd Imago & imaginatum sunt ueluti unum totale obiectum adorationis, & ideò fit una adoratio tantum, & illa est latriæ. Verùm mira est hæc confusio, ut pari modo respiciatur ut obiectum Imago & imaginatum, & terminetur adoratio pariter in utrunq;. Quòd si dixerint incipere quidem ferri adorationem in Imaginem, sed terminari in ipsum imaginatum: non est ergo uera adoratio Imaginis, in quam adorationis terminatio nō extenditur. Et quomodo erit Imago obiectū partiale, si nullo modo in ipsam adoratio terminetur?

Euadunt quidam alia uia, qui hanc opinionem uolunt defendere, et dicunt. Est adoratio latriæ duplex: quædam per se, quædam uero per accidens. Et illa quæ per se, debetur ipsi uni & uero Deo: Illa autem quæ per accidens, etiam creaturæ potest reddi, ut est Imago CHRISTI. Verùm hæc responsio non stat cum priore, quæ unam constituit adorationem Imaginis & imaginati: ut sic una numero existens adoratio, sit adoratio per se & per accidens: quod est ridiculum. Præterea, quod est per accidens non est repugnandum: alioqui quælibet res posset adorari latria per accidens. Quare consideratio hæc non est iuxta mentem eorū qui Imagini adorationē latriæ tribuunt.

Sunt et qui dicant, Adorationem hanc Imaginis non terminari ad Imaginem, sed ad imaginatum tantum: & tamen ipsi uolunt eandem adorationem esse Imaginis ut est Imago, quæ ut sic, non est imaginatum. Quare adorabitur Imago ut Imago absq; termino adorationis in Imaginem: quæ non sunt intelligibilia. Quamobrem Capreolus uolens aliquo modo tueri dictum Magistri, huc tandē se trusit dicens: Licet signum & signatum, exemplar & Imago realiter semper, & quandoq; conceptibiliter distinguantur, tamen quandoq; Philosophi & Theologi ea quæ dicuntur de uno, attribuunt alteri, sicut dicit .S. Thomas de uerit. q. 4. art. 8. Sic dixit Philosophus: Anima est quodammodo omnia. Et ipse D. Thomas: Similitudo creaturæ in Verbo est quodāmodo uita creaturæ. Hæc ille in summa. Verùm nec sic defenditur positio. Licet .n. Imago & imaginatum sint quodammodo idem, nunquā tamen uerè & propriè dicentur esse idem: sicut nec Philosophus ausus est dicere animam esse omnia, sed di- Capreolus.

xit est quodammodo omnia. Et D. Thomas *similiter non dixit quòd similitudo creaturæ in Verbo sit uita creaturæ, sed quodámodo.* Quare illo argumento hoc *saltem obtinetur, quòd non propriè dicitur, Imago ado ratur adoratione latriæ, sed impropriè, reddendo Ima gini quod uerè competit in imaginatum quodam figu rato dicendi modo, qui non est proprius Philosopho rum aut Theologorum, sed Rhetorum & Poetarum. Non enim magis propriè dicitur, Imago adoratur ado ratione latriæ, quàm Imago est imaginatum: quod propriè loquendo nullus sanæ mentis concederet.*

Non me latet Caietanum hunc modum dicendi, *Imago ut Imago adoranda est adoratione latriæ, cona ri defendere ut omninò uerum ac proprium dictum, sic exponens: Imago ut Imago, idest, ut exercens Ima ginis officium repræsentans imaginatum, quia ut sic, idem est Imago quod imaginatum: quod ego certè non possum capere, quoniam nullo exercitio Imaginis (ut ita loquar) aut hominis per Imaginem fieri potest hæc metamorphosis et conuersio. Si dixisset: quia in Ima gine insPicitur imaginatum sit mihi ipsa Imago quo dammodo unum cum imaginato, ex quo rationem ado rationis accipio, et in illud ipsam termino adorationem, poterat sustineri. At uelle defendere secũdum quem libet conceptum uerum quòd Imago ut Imago uel ut exercens officium Imaginis (quod est repræsentare) sit ipsum imaginatum, & quòd adoratio latriæ termi netur quouismodo in ipsam Imaginem, non est aliud quàm uelle insanire, aut alios ad insaniam redigere. Sed hoc facit amor ille sectarum inordinatus, cui ad tuendum quoduis à Magistro emissum uerbum satis est Pytagoricum illud, Ipse dixit.*

Est igitur & alius quorundam dicendi modus, *qui negant uerè ac propriè dici, esse adorandas Imagines quouismodo: sed potius adorationem esse faciendam ad Imagines, uel ante Imagines, uel in Imaginibus, ipsum Deum uerum ibi adorando.*

Contra hunc tamen loquendi modum, *qui parum differt à primo qui omnem adorationis terminum au fert ab Imaginibus, uidetur mos Ecclesiæ: quoniam & gestus & uerba adorationis & ipsa latriæ signa di rigimus in Imagines, quibus adolemus & thus: Sic et Crucem salutamus adorantes et dicentes: O Crux aue spes unica &c. Nec ualere debet quorundam im pietas & malè sobria sapientia, qui hoc factum deris dent ut superstitiosum et ad idololatriam pertinens, & huius rei gratia in hæresim incurrunt, & schismata moliuntur. Talis fuit Erasmus, qui seditiosissimè ac mendacissimè scripsit hæc uerba: Ut Imagines sint in templis, nulla præcipit uel humana constitutio. Et ut facilius, ita tutius quoq; est omnes Imagines è templis summouere, quàm impetrare ut nec modus prætereatur, nec admisceatur superstitio. Iam ut animus sit ab omni superstitione purus, tamen non ca ret superstitionis specie orantem ad lignum simula crum procumbere, in hoc intẽtos habere oculos, ad hoc*

Erasmus in Symbolo.

uerba facere, nec orare prorsus absq; Imagine. Illud addam, quicunque sibi aliusmodi fingunt Deum quàm est, contra præceptum hoc colunt sculptilia. Hæc ill: : cui abundè in alio libello respondi.

NUNC ergo quod ad rem pertinet *(quoniam, ut uerum fatear, haud dubiè credo Catholicorum mentem unam fuisse, & idem omnes sensisse, licet inter se uerbis dissenserint, et alius alium se mutuò nõ intelligentes reprehendat) in hoc mihi uideo esse la borandum, ut quæ minus eruditè ac parum propriè ab aliquo dicta sunt, ad sensum uerum ac proprium redigantur, in quem omnes consentiunt, et paucis con clusionibus tota res perstringatur.*

Summa præ dictorum per conclusiones.

I ¶ Concludo ergo primò ex iam dictis, *Posse Deum et ipsam* S. TRINITATEM *et beatos Angelo rum spiritus picturis nobis significari: quod nũc usus Ecclesiæ probat. Quod autem D. Ioannes Damasce nus dixit, summæ impietatis & insipientiæ esse effi giare quod est diuinum: hoc uerum est (ut diximus) quando ex ea opera aliquid erroris ueniret, non au tem si potius aliqua notitia & deuotio & excitatio, sicut accidit à pictura sanctæ* TRINITATIS *et Spiritussancti in specie columbæ. Nam si in scriptu ris monstrantur nobis hæ personæ eo modo quo pin guntur: cur culpabitur pictura cum nõ culpetur Scrip tura? Non me latet aliquos Doctores hoc non probas se, antequàm usus esset in Ecclesia.*

NOTA

II ¶ Secundò concludo, *de* CHRISTO *iam nullam esse dubitationem cum fuerit incarnatus, ac per hoc effigiabilis redditus. Et addo, posse & ipsum figura ri & adorari in specie Agni: quanquam & hoc ali quando prohibitum fuisset uitandi erroris gratia, cum adhuc Idololatriæ sacrilegium non penitus esset extinc tum. Sed quis nunc adeò hebes, qui possit putare Dominum uenisse in forma Agni, quia in ea specie uideat illũ pictum, ac non potius per eam picturam in telligat, quæ in illo animali singulariter conspiciun tur, in* CHRISTUM *eminenter competere, ui delicet, innocentiam & mansuetudinem & sacrifici um pro peccato? Profectò nimis soliciti sunt qui uo lunt propter Idiotas eiusmodi prohibere picturas, ne quis in eum errorem incidat, in quem qui incide ret, proculdubio non peccaret, sed excusaret eum Deus propter insignem & stolidissimam suam sim plicitatem.*

III ¶ Tertiò concludo, *quòd usus Imaginum utilitatem plurimam in multis præstat, sicut dictum est, quia sunt libri Idiotarum, & rememorant beneficia Dei, reddentes quodammodo illa nobis præsentia. Quòd si sermones & scripturæ hoc faciant, fortius tamen hoc agunt repræsentationes per picturam & sculpturam, sicut quidam eleganter dixit: Segnius irritant ani mos demissa per aures, quàm quæ sunt oculis subiec ta fidelibus, quæ ipse sibi tradit spectator. Et hinc alia magna utilitas, quia per ea spectacula emollitur*

Utilitas ex Imaginibus.

cor, & excitatur animus ad adorandum & orandum & reddendum gratias & gloriam Deo, quum uidet per Imaginem IESV CHRISTI *res præsentari sibi illa immensa atq; admiranda beneficia & dona*. Testabatur de se Gregorius Nissenus, *quoties respiciebat Imaginem Crucifixi, totiens excutiebantur sibi lacrymæ ex oculis*. Excitatur ergo *quiuis christianus ab aspectu Imaginis Crucifixi ad execrandum ingratitudinem suam, & petendam ueniam admissorum, & deliberandum firmiter amplius non offendere*. Excitatur & ad imitationem sui Ducis & Magistri, *cernens in picturis gesta eius heroica et Crucis trophæa*. Nec dicat mihi quisquam *hæc fieri posse cōmodè, immò et melius absq; picturis, cum Dominus dixerit*, Patrem *quærere adoratores qui adorēt in spiritu & ueritate: quasi uerò obstent nobis Imagines ne adoremus in spiritu & ueritate: cum uel ad hoc ualdè adiuuent, ut nemo (nisi qui suæ sit nescius conditionis) inficiari potest: quod mox latius declarabo*.

IIII ℭ Quartò igitur concludo, *quòd rectè & uerè & propriè dicitur, adorationē latriæ fieri commodissimè ad Imagines uel ante Imagines* IESV CHRISTI *propter repræsentationem personæ ipsius, qui Deus est uerus, per quem excitatur feruor adorationis et orationis*. Nec sentio cum illis qui dicunt, non *deberi* CHRISTO *latriā per id quod nobis repræsentatur per talem Imaginem, eò quod solummodo repræsentatur humanitas* CHRISTI *quæ non est adoranda (ut uolunt) adoratione latriæ*. Non *sentio, inquam, cum his, eò q per illā* CHRISTI *Imaginē repræsentatur mihi totus* CHRISTVS *& ipsa persona* CHRISTI, *& non sola humanitas*. Ex figura enim traho conceptum personæ, *non humanitatis solummodo distinctæ à persona. Alioqui nulla pictura mihi hominem repræsentabit: quia animam hominis quæ incorporea est non repræsentat*. Homo autem *sine anima nullus est: & tamen nemo negaret hominem pingi*. Et ideò uana est *proculdubio illa consideratio sapiens metaphysicalem abstractionem hoc in loco importunam: deniq; talis cui septima Synodus aduersatur*. Mitto quæstionem *de adoratione humanitatis* CHRISTI, *quæ meo iudicio etiam superuacua est*. Quis enim *adorans separet* CHRISTI *humanitatem à Verbo?*

V ℭ Quintò etiam concludo, *& illud rectè ac uerè & propriè dici, in Imagine adorari* CHRISTVM *et ueneraṙi*. Nec *hic dicendi modus significat q etiam adoretur Imago, sed q Imago est per cuius officium mihi repræsentatur* CHRISTVS, *& ipsum ibi repræsentatū adoro: sicut adorās* CHRISTVM *in cruce, non adorat crucem, sed per illam & in illa* CHRISTVM *uerum sibi repræsentat & agnoscit, & illum adorat*.

VI ℭ Sextò concludo, *quòd aliquo modo etiam potest dici, ut est apud B. Thomam, adorari ipsam Imaginē, & deberi illi latriæ adorationem, non ut est res quædam, idest, non ut secundum materiam consideratur; quoniam sic considerata non est digna ullo honore, nisi fortè propter contactum aliquem, ut dicimus de Cruce illa ubi* CHRISTVS *pependit (de qua re etiā dicemus) sed ut Imago est, hoc est, ut iam officium fecit Imaginis, quod est ita repræsentasse imaginatū ut ipsa Imago quodammodo nobis in ipsum euadat imaginatum, quod in illa tanquam ibi præsens suspicimus ac ueneramur, & quæ internè ad ipsum habemus uerba, externè ad eius Imaginem illa dirigimus tanquam si ibi esset, aut tanquam si illa Imago esset ipsum imaginatum*. Hinc illa Ecclesiæ uox: O Crux *aue spes unica &c. quæ certè uerba nimis offenderent nisi in hæc resoluas ut dicas*: Aue ò Crucifixe mihi *per crucem repræsentate, qua utor perinde ac illa tu esses, mihi id tua benignitate concedens, qui miseræ conditionis naturæ nostræ misereris, & illi inclinaris, quæ desiderat uidere quem colit, & sibi esse præsentem quem diligit & affatur*. Nullus enim est *Christianorum qui ita desipiat ut arbitretur idem esse crucem quod est Crucifixus, & idem esse* CHRISTI *imaginē quod est ipse* CHRISTVS. Quòd *si rogaretur*: Cur ergo inuocas Crucem dicens, O Crux aue &c. *Responderet*, nō illam siue rem siue Imaginem inuoco ut ipsa intelligat, *quam sensum nō habere scio, sed ut ille intelligat & exaudiat quem uerè recolo & inuoco in illa*.

Cum ergo sic Imaginem accipimus ut nobis serulat pro imaginato, & dicimus adorari Imaginem latria, non est detestandus penitus hic sermo. Idem est *enim ac si dixerimus adorari imaginatū latria: quia Imago pro imaginato sumitur*. Sed nunquam benè *dicitur adorari Imaginem latria ut est Imago: quia hic sermo designat adorationem terminari ad Imaginem & non ad imaginatum: quia Imago ut Imago non est imaginatum*.

Concludo igitur quòd hæc non propriè dicuntur neq; secundùm ueritatem iuxta communem acceptionem uocabulorum, scilicet q Imago ut Imago, aut ut exercens officium Imaginis, quod est repræsentare CHRISTVM *aut Deum, sit adoranda adoratione latriæ*. Quapropter ille modus dicendi iam multos *offendit: & quia offendit, nec ab re cum sit improprius, mittendus est: quanquam si piè & indulgenter accipiatur, permitti queat propter autoritatem tanti uiri, & nonnullum communem abusum sermonis*. Nam & Imaginem Domini demonstrando solemus dicere, Hic est CHRISTVS, *ut sit sensus q qui per Imaginē repræsentatur est* CHRISTVS: *sicut dixit de petra B. Paulus*: Petra erat CHRISTVS. Nullus *tamen sanæ mentis intelliget petram illam uerè fuisse* CHRISTVM: *sed per eam petram* CHRISTVM *significari*. Dicimus etiam *percussa Regis Imagine, percussum esse Regem: haud tamen uere et propriè*. Cautius ergo & absq; offensione

sione dixerunt & magis propriè qui ita sunt locuti, CHRISTUM *ad Imaginem aut ante Imaginē aut in Imagine adorandū esse latria.* Vnde D.Athanasius dixit: *Qui Imaginem adorat, in ipsa Imperatorem adorat: ac si dixerit: Nō uere ipsam, sed in ipsa illum quem repræsentat Imago adorat uera latria.* Nam reuera nullus antiquorum (quantum ego legerim & animaduerterim) *dixit unquam Imagines quouismodo adorandas adoratione latriæ, sed hunc dicendi modum abominati sunt omnes.* Nam quùm simpliciter B. Gregorius negabat Imagines adorandas, de hac latriæ adoratione proculdubio intelligebat, non excludens omnem adorationis modum ac uenerationem. Nolebat enim Imagines more Idolatrarum haberi pro Deo. Quapropter in alia septimi libri epistola 53. mittens ad Secundinum Dei seruum quasdam Imagines, & laudans illum quòd eas desiderasset atq; expetiisset, admonens illum dixit: *Scio quòd Imaginem Saluatoris non ideò petis ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filij Dei in eius amore recalescas, cuius te Imaginem uidere consideras: Et nos quidem, non quasi ante diuinitatem, ante illam prosternimur, sed illum adoramus quem per Imaginem aut natum aut passum, sed & in Throno sedentem recordamur.* Hæc ille: ubi duo licet inspicere in huius sanctissimi Pontificis doctrina. Alterum negari latriam Imagini, cum negat eam esse habendam & colendam quasi Deum: Alterū non negari prostrationem ante Imagines: quod certè modum aliquem uenerationis in Imagines ipsas significat. Nam & ipsas exosculamur, & uerba in illas dirigimus, ut ille audiat qui repræsentatur in illis.

Redeo ad rem. Dicebam, sicut & uerum est, neminem antiquorum dixisse unquam adorādas esse Imagines adoratione latriæ. Et tamen si hæc est uera, Imago ut Imago est adoranda adoratione latriæ, etiam hæc simpliciter erit uera, Imago est adoranda adoratione latriæ: quia formaliter accipiendo propositionem hanc, Imago est adoranda &c. idem est apud sapiētes ac si explicatū fuisset, Imago ut Imago &c. Formales enim sermones sapientiorum sunt. At in antiquis scriptoribus non solum non habetur Imaginem esse adorandam adoratione latriæ: uerum econuersò habetur ea adoratione Imaginem non esse adorandam. Hoc uerò multoties in responsis Episcoporum protestatum legimus in septima Synodo & in Decreto ipso quammanifestissimè, quod ad manus B. Thomæ non peruenisse certissimè credo. Si enim peruenisset, non eam nobis tradidisset doctrinam, aut saltem mentionem sanctæ Synodi fecisset, & aliquo modo suam cum illius doctrina conciliasset. Ibi enim hæc legimus: *His se sic habentibus regiam uiam incedentes, & sanctorum nostrorum & diuinorum Patrum doctrinæ insistentes, & catholicæ Ecclesiæ, in qua Sanctus Spiritus inhabitat traditionem obseruantes, definimus, cum omni diligentia & cura uenerandas & sanctas Imagines ad modum & formam uenerandæ et uiuificantis Crucis è coloribus & tessellis, aut alia quauis materia commodè paratas dedicandas & in templis sanctis Dei collocandas habendasq;, tum in sacris uasis & uestibus, tum in parietibus & tabulis, in ædibus priuatis, in uijs publicis: maximè autem Imaginem Domini & Dei Saluatoris nostri* IESV CHRISTI: *deinde intemeratæ Dominæ nostræ Deiparæ, uenerandorum Angelorum, & omnium deinde sanctorum uirorum: quo scilicet per hanc Imaginum pictarum inspectionem omnes qui contemplantur, ad prototyporum memoriam & recordationem & desiderium ueniant, illisq; salutationem & honorariam adorationem exhibeant. Non secundum fidem nostram ueram latriam, quæ solùm diuinæ naturæ competit, sed quemadmodum typo uenerandæ & uiuificantis Crucis & sanctis Euangelijs, & reliquis sacris oblationibus suffitorum & luminarium reuerenter accedimus: quemadmodum ueteribus piè in consuetudinē hoc adductum est. Imaginis .n. honor in prototypum resultat: & qui adorat Imaginem, in ea adorat quoq; descriptum argumentum. Sic enim sanctorum nostrorum Patrum obtinet disciplina, uel traditio catholicæ Ecclesiæ, quæ à finibus usq; ad fines Euangelium suscepit &c.* Hæc ibi. Et Epiphanius: *Nemo christianorum eorum qui sub cœlo sunt, Imagini latriam exhibuit. Etenim hoc est Gentilium fabulamentum, dæmonumq; inuentio.* Et iterum: *An nondum sentimus probam & laudabilem esse Imaginum erectionem? Sanè sentimus. Quapropter non indignas habebimus eas honore, salutatione & ueneratione, debitamq; adorationem illis dare debemus. Siue igitur placebit salutationem, siue adorationem appellare, idem profectò erit: modo sciamus excludi latriam. Hæc enim est alia à simplici adoratione, ut alibi sæpe est ostensum.* Hæc ille Epiphanius.

Verba Decreti septimæ Synodi ĩ ultima actione.

NOTA.

In sexta actione septimæ Synodi.

VII Quo pacto sacræ Imagines sint adorandæ

¶ Concludo ergo septimo loco, quòd ipsæ quoq; Imagines ut sunt Imagines CHRISTI, uel Beatissimæ VIRGINIS, aut Angelorum & Sanctorū, uenerandæ sunt, salutandæ atq; exosculandæ, & alio quo modo adorandæ, non quidem latria, ut iam conclusum est, sed aliâ ueneratione: neq; id propter materiam aut colores, sed propter archetypon: ita ut maior honor & ueneratio tribuatur CHRISTI Imagini quàm Imagini VIRGINIS Deiparæ: et maior ipsius DEIPARAE Imagini quàm Imaginibus Angelorum uel Sanctorum. Quod autem talis ueneratio illis reddatur, illa Synodus passim ac multis argumentis & autoritate maiorum testatur: ita ut secundum B. Thomæ doctrinam potius detrahatur Imaginibus suus honor qui in ipsas Imagines terminari debet: non inquam propter seipsas, sed propter personas quas repræsentant, quarum gratia etiam illæ sacrosanctæ habentur, & aliqua ueneratione dignæ, cum ad cultum Dei seruiant non solùm propter memoriam, sed quia Dei cultus magis conuenienter circa

ipsas fit ob proprietatem naturæ nostræ, qui per sensibilia ducimur & instruimur.

Falsa est igitur ac reprobata quammanifestissimè in ea Synodo assertio hæc, Sufficere usum Imaginum ad memoriam tantum, non autem etiam ad adorãdum & salutandum. Vnde ille Epiphanius rectè dixit. Qui verò dicunt sufficere usum Imaginum ad memoriam solùm, non vero ad salutationem eas habendas, illud quidem recipientes, hoc verò recusantes, semiprobi quadantenus & falsoueri (ut ita dicam) deprehenduntur: altera quidem parte ueritatem confitentes, ex altera verò peruersè agentes. Hæc ille. Vnde satis apparet, parum consideratè dixisse Erasmum, nõ carere superstitionis specie, orantem ad ligneum simulacrum procumbere, in illud oculos intendere, ipsumq; alloqui. Non enim uidit hoc datum conditioni naturæ nostræ, ut Imagine quasi prototypo abutamur. Sic & Dauid ante Arcam gestiens saltauit (ut Scriptura inquit) coram Domino: ut intelligas in illa Arca respectum fuisse Dominum à Rege, & quod externè fiebat in Arcam illam, internè in ipsum Dominum dirigebatur. Verùm hanc rem Michol despexit atq; derisit. Putasne lector propter Michol tantùm illud fuisse scriptum? Minimè, sed in illa Michol comprehensus fuit Erasmus & illi similes, qui ob suam ipsorum nimiam sapientiam, ut ipsi sapere soli uideantur, cuncta despiciunt quæ suæ prudentiæ non arrident. Hos autem Dominus Deus sicut illam Michol opprobrio sterilitatis meritò ulciscitur, Valeant igitur cum sapientia sua ij derisores matris suæ.

In Erasmum

EX disputatis ergo constat abundè, christianum & ecclesiasticum ritum circa erigendas in ecclesijs Imagines ad pietatem attinere, non solùm doctrinæ gratia propter Idiotas, & uniuersaliter propter omnes, memoriæ, excitationis, et orationis causa (quia sic animus excitatur ad amorem & deuotionem & orationem et uarios laudabiles ac pios affectus, ad gratiarum actionem, & glorificationem Dei, ad imitationem optimarum uirtutum) uerum etiam adorationis seu uenerationis gratia, sicut declaratum est. Neq; enim quùm uenerandas aut salutandas aut exosculandas aut etiam adorandas esse Imagines asserebat & docebat antiquitas, intelligebat per hæc latriæ cultum. Vnde præfatus Epiphanius: Venerandas itaq; (inquit) Imagines Christiani neq; Deos appellant, neq; ut Deo cultum exhibent, neque salutis spem in illis constituunt, neque ab his iudicium aliquando futurum expectant. Quòd si autem in recordationem & memoriam, item & singulari quadam affectione in ipsa prototypa ferebãtur, salutauerint et honorificè adorauerint Imagines, non tamen ob id illis latriam exhibuerunt, aut diuinã uenerationem adscripseruut. Absit hæc calumniatio. Hæc ille.

Imaginum usus non ad memoriam tantum.

In 6. actione

Non me latet ipsos sanctos Patres hanc uocem ADORATIO uariè usurpasse, & quosdam ita illam augustasse, ut solum per illam summum latriæ cultum intelligerent: sicut fuit B. Hieronymus, qui negauit adorationem reliquijs sanctorum, & uenerationem concessit. Et similiter B. Gregorius accepit, ut superius diximus. Et B. Epiphanius dixit: ueneretur MARIA, adoretur DOMINVS. Verum contra tam arctam acceptionẽ uocis huius plurimi docuerunt, & Scripturæ ipsæ, quæ passim hanc uocem usurpant in laxiorem significationem. Adnotauit enim D. Chrysostomus sapienter loqui Scripturam ubi ait: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Non enim (inquit) Dictum est, Dominum Deum tuum solum adorabis, cum adoratio etiam alijs debeatur quàm Deo: sed benè dictum est, illi soli seruies: quod ad latriam pertinet. Græcè enim legitur λατρεύσεις. Adorationis igitur appellatione non continuò auditur latriæ cultus, nec in Scripturis nec in sanctis Patribus, sed ut habet & Græca & Hebraica dialectos, et ab eruditis declaratũ fuit in præfata sancta Synodo, adorare, salutare, inclinari, genuflectere, amplecti, osculari, unum sunt, signa amoris & honoris cuncta, sed non cultum latriæ profitentia, qui est internus in spiritu & ueritate, CHRISTO. Et hinc acutus lector de Crucis atque Imaginum CHRISTI & aliorum Sanctorum adoratione, quod Græcè dicitur προσκυνεῖν, resolutionem sibi conflare potest, ut sanè & irreprehensibiliter respondeat cuiuis quærenti.

Adoratio uariè sumitur.

Si ergo quærat quis, Suntne adorandæ Imagines? Intrepidè respondeat, Adorandæ. Num latriæ cultu? Nequaquam. Quo ergo? Eo honore & ueneratione quæ illis debetur propter illum quem referunt, & propter sanctificationem quam eo ipso accipiunt, & ad hos sacros usus distonuntur, ut ante illas adoremus et inuocemus Maiestatem, et illi gratias agamus, eamq; glorificemus, & reliquas orationis partes exerceamus, deprecando, postulando, obsecrando. Sicut .n. templa & sacella & aræ consecrantur & benedicuntur et digna fiunt ut dicantur domus siue locus orationis: non minus Imagines ad hoc sanctũ officium Spiritu sancto proculdubio inspirante destinatæ, hanc sanctificationem promerentur & assequuntur, ut qui illas uiolauerit, non rem prophanam, sed sacram uiolasse censeatur, & crimen etiam læsæ maiestatis incurrat. Nam & ipse Dominus ibi esse particulari quodam modo rectissimè creditur, dum ad Imagines ostendit uirtutes & suam præsentiam, cum sæpenumero illis utatur ut inde effundat oracula, ut & hac parte impleatur quod ipse dixit: Ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi. Propter illam ergo peculiarem Dei præsentiam, quam etiam sensibiliter experimur, & ego (quamq̃ peccator & indignus & mirum in modum ingratus) si dixerim me nunq̃ expertum esse, mendax fuerim, Imagines inter alia sacra quæ absque mente existunt digna sunt eximia adoratione præter latriam: quoniam ad hæc spiritualia officia peculiariter

riter sanctificatæ sunt.

Verùm contra hanc sanctificationem quam dicimus hæreticus quidam Iconoclasta sub nomine Gregory, cuius dissertatio in ea Synodo recitatur, in hunc modum argumentabatur dicens, neq; CHRISTI neq; Apostolorum traditione cœpisse hunc ritum Imaginum, nec habere ullam precationem sacram qua sanctificarentur, sed manere communes siue prophanas et inhonorabiles sicut apud pictorem. At Epiphanius ille qui contra hæreticum eleganter disseruit, ita respondit, primò redarguens illum de mendacio in eo q negauit usum Imaginum non fluxisse à CHRISTO: siquidem secus narrāt ecclesiasticæ historiæ. Et nos Romæ uultum sanctum, quem Veronicam uocant, in templo B. Petri adoramus & ueneramur. Et sunt Patrum testimonia de Apostolis, quòd & ipsorum aliqui CHRISTI et beatissimæ VIRGINIS Imaginem gestabant, et (quod satis esse deberet uon proteruis) unq̃ Ecclesia damnauit hunc usum: imò nunquam non reprehendit ac damnauit damnantes. Nam & B. Chrysostomus deuotionis gratia in cæra ferebat sacram CHRISTI Imaginem, memoriæ & deuotionis gratia, ut ipse aiebat. Quod uerò dixerat ille hæreticus, nulla precum sanctificatione eas à prophanitate segregari, ac propterea ita manere sicut absoluit pictor: ut rem clarè falsam retudit dicens, quod & si nulla precatione consecrarentur, attamen eo ipso quòd ad hoc proponuntur ut seruiant enarratis modis, diuino cultui continuò dedicatæ & sanctificatæ sunt, nec tales sunt quales apud pictorem inueniuntur adhuc uenales: cuius rei illud est signum, quia ibi, idest, apud pictorem nullus salutat, nullus adorat, donec alicubi ad hoc ipsum erigantur, et propterea consecrantur: quanquam reuera nunc in ecclesijs sæpè ad consecrationem Imaginum adhibentur solemnes preces, quæ tamen necessariò non requiruntur.

Imagines in ecclesijs quō sacræ fiunt.

Illud tamen ex prædictis etiam concludendum, q illa crux CHRISTI superbenedicta, ubi ille fuit affixus, etiam alio nomine & peculiari honore est ueneranda, ut quædam res quam dignatus est Dominus suo contactu, et aspergi ac sanctificari suo superbenedicto sanguine: non tamen cultu latriæ est ei exhibēdus, sicut docuit B. Thomas in Scriptis, quamuis sibiipsi in Summa contradixerit, id quod & Capreolus confitetur: ut uideas nobilissimum illum Doctorem in hac materia non satis constantem: quod dictum uon in eius detractionem accipi uolo, cuius doctrinam soli non admirantur qui uel maleuoli fiunt, uel scioli, aut diuersis scholis addicti: sed ut nostri, qui eius doctrinæ se addixere, non ita proteruè cuncta defendant quæ ibi legunt. Quòd si quis uelit uel hoc defendere, uidelicet D. Thomam non fuisse in hoc sibi contrarium, quia Caietanus illum à contradictione defendat: uideat ne apud doctos fiat ridiculus. Ego enim ut in multis sum admiratus Caietanum incredibiliter aberrantem, in hoc certè penè obstupui. Nam B. Thomæ uerba in Summa hoc planè sonant de cruce illa, Quòd etiam ut est quædam res ex contactu CHRISTI, eadem adoratione cum CHRISTO adoratur, uempè latriæ. In Scriptis autem dixerat non posse adorari eadem adoratione cum Verbo, sed hyperdulia. Caietanus uerò hæc inuicem nō pugnare contendit. Me uerò in tam perspicuis uerba fundere, nimium tædet. Qui uult uideat illum in Commentarijs ad B. Thomam.

Cæteras quæstiones quæ præter prædictas in hac materia possunt incidere, puto uel satis ex disputatis resolui, uel inde ad earum resolutionem quemlibet sibi uiam & modum facilem comparare posse.

SVPEREST nunc ut abusus multos qui circa Imagines incuria Prælatorum, ne quid etiam deterius dicam, admittuntur, breuibus perstringamus. Sunt autem picturæ et sculpturæ quædam prophanæ, quædam uerò sacræ. Peccatur ergo primum in prophanis siue picturis siue sculpturis non modicum, dum magna diligentia idola Gentium exquiruntur, ut quæ ceciderant & confractæ erant, erigantur & sarciantur ad ornandas ædes & lucos. Nec respondeant mihi corrupti homines & faciles ad excusanda delicta, quòd hæc erigantur & sarciantur non uenerationis aut adorationis causa, sed spectaculi & memoriæ antiquorum gratia, & ostentandi artificum peritiam. Ego uerò dico non excusari propterea curiositatem, uanitatem, prodigalitatem, cum multo pretio comparentur, quod ex ecclesijs accipitur, & pauperibus debebatur, solùm ad oculorum oblectationem. Nec deest quædā apparentia cultus ipso facto etsi fortè nō animo, quū similiter ut sacra in editis locis ponuntur. Gaudent enim dæmones dum iterum erigi iam prostrata simulacra sua perspiciunt quauis de causa, nec se omninò prostratos fatentur, ut est eorum superbia, quūm sua uident restitui ac instaurari habitacula. Nam cum tanti fiunt ut celebria loca sibi uendicent, quæ Imaginibus ueri Dei debentur, imò cum ipsa hæc idola plures habeant spectatores et contemplatores, & pluris fiant q̃ sacræ ipsæ Diuorū Imagines: profectò nonnihil ob hoc factum lætantur dæmones & recreantur. Fertur B. Gregorius multas Vrbis statuas iussisse confringi, eò q peregrini & qui Sanctorum Basilicas uisitare ueniebant, per illarum spectacula à pia illa opera distrahebantur. Sunt uerò animales homines qui in sanctum illum Pontificem clamant, Indignū facinus, Piaculum magnum. Platina uerò huius rei gratia, ut Pontificem defendat, factum negat, quod si fuisset factum, non ualuisset inficiari malè factum. Verum non mirum, hominem uersatum in libris Gentilium ea magnifacere quæ spiritualis oculus floccifacit. Quòd si duntaxat ad hoc ponerentur ut artificū manus admiraremur, nec in editis locis extollerentur, nec memoriam simul falsorum illorum Numinum susci

Abusus circa Imagines prophanas.

tarent, nec ad libidinem mouerent spectantium oculos dum nuda Veneris aut Dianæ membra conspiciunt, et Satyrorum salaces gestus, & Bacchi & baccantium turpes & uinosos furores, minus peccaretur: attamen uanitas esset & curiositas. Quantò melius & religiosius Deoq; gratius illam tantam pecuniam qua uana ista emuntur & collocantur, erogasse CHRISTI amore in pauperes, & hoc pacto sibi præparasse æterna multoq; incomparabiliter iucundiora spectacula in summis cœlorum templis? Dicent aliqui forsan: Hoc facimus, & illud in pauperes non omittimus. At multò melius hoc omisisse, ut illud erga pauperes abundantius fieret: quod ut abundantius, ita multò Deo gratius foret. Mitto q̃ fortassis hæ uoluptuosæ expensæ ualde superant pias erogationes. Illud uerò quàm odiosum est, quum hæc uana de peculio & bonis ecclesiarum comparantur ad concupiscentiam oculorum explendam. Sed utinam quæ sobriè & animo tranquillo, gratia duntaxat ueritatis & religionis scribere impellor, eà mente exciperentur qua deberent. Noui prouerbium: Obsequium amicos, ueritas odium parit. Sed falsum hoc omninò. Non enim reuera parit odium ueritas, quæ ex se amabilis est, sed animi prauitas facit ut ueritas odio habeatur. Qui habet aures intelligat quid suggerat benignitas Spiritus. Et hæc satis de prophanis Imaginibus siue statuis.

Abusus circa Imagines sacras. Venio ad abusus qui circa sacras Imagines admittuntur. Primus est quum per illas quippiam repræsentatur falsum aut fictum aut apocryphum. Vidi .n. ego in nonnullis locis picturam B. VIRGINIS qua recumbens in lectulo ostenditur quasi puerpera, quæ passa dolores ex ipso partu, inualida & imbecillis reddita, corpus suum sustinere non queat. At hoc est iniuria in CHRISTVM & MATREM. Nõ .n. fuit unq̃ illa sub ea sententia aduersus mulierē cui dictum est: In dolore paries filios. Neq; conueniebat Filio ullum dolorem exhibere Matri partu sui. Quanq̃ aduersus hanc catholicam persuasionem Erasmus ille omnium hæresum quæ nunc uigent excitator malignus, quæpiam effutierit, de quibus alibi scripsimus. Debet ergo in ecclesiis saltem ac publicis locis animaduerti Antistitum diligentia & cura, ne quicquam ibi pingatur non certæ receptæq; ueritatis: & si quæ huiusmodi sunt, penitus obliterari aut expungi procuret.

Est & secundus abusus circa loca et res ubi pinguntur imagines. Nunc .n. nimis (meo iudicio) sunt frequentes, ita ut minuatur deuotio, et (quod ualde indignũ est) collocãtur in locis minimè decoris, atq; etiã cõtra Principũ constitutiones ubi pedibus cõculcantur. Est etiam uidere illas & Crucem in locis turpibus & quæ memorare non est honestum. Vbicunq; igitur respicis ipsam Crucem aut Imagines alicubi pictas siue sculptas indecorè & non commodè ad cultum (quod frequenter licet deprehendere) abusum esse negare non possumus.

Est & tertius nec dissimulandus abusus, quum Imagines non repræsentant decenter archetypon, eo quòd ipsæ turpes sunt & ab artificibus imperitis fabricatæ, nescientibus per artem imitari naturam. Vidi enim ego quasdam Imagines ita inconditas ut uix humanam speciem referrent, sed potius monstrosa membra. Alias autem econtrario tanta arte compositas, ut quibusdam importunis gestibus interim personarum decorem non seruent, nihil grauitatis habentes, nihil deuotionis excitantes. Quod uerò est omnium deterrimum, hac tempestate in excelsis templis ac sacellis offendas picturas tantæ lasciuiæ, ut quicquid natura occuluit turpe nostrum, ibi liceat contemplari, ad excitandum non deuotionem, sed cuiusuis demortuæ carnis libidinem: quod tãtum nefas nostra, idest, prælatorum culpa contingere, qui & hæc nedum patiuntur turpissima spectacula, sed eorum nonnunquam etiam autores sunt, nemo potest inficiari.

Est deniq; postremus abusus in hoc, quòd quamuis decenter & suis locis collocatæ sint Imagines, non tamen ea custodia seruantur qua deberent à carie & situ & aliis noxiis. Quæ si etiam seruentur, non tamen uenerantur eas homines ut par esset; & ideò uerum inde fructum non referunt quem deberent. Non dico ut inde expectent oracula & signa, quæ rara sunt, neq; curiosis conceduntur, nec expedires hoc perfectis eã dari, perfectis autem minimè necesse est: sed ut inde post adorationes & gratiarum actiones ueri & deuoti adoratores recedant recreati spiritu, animatiores ad humilitatem & obedientiam, ad charitatem & patientiam: ut placeamus per has ueras et christianas uirtutes Deo Patri et CHRISTO: ut quem in terris per inanimes Imagines conspicimus, digni habeamur in cœlis per ueram & uiuam speciem facie ad faciem contemplari. Amen.

TRACTATIO
R. P. F. AMBROSII CATHARINI POLITI EPISCOPI MINORIENSIS

De ueritate incruenti sacrificij noui & æterni testamenti.

QVI SANCTISSIMVM Altaris sacrificium Domini uerbo in sua Ecclesia ad expiationem peccatorum institutum funditus conantur euertere, & si rem impossibilem aggrediantur, cum (sicut diximus) uerbo Domini fundatum sit, & diuturna consuetudine per sanctos Patres in omnibus Christi ecclesijs confirmatum: quia tamen sophisticis argutijs & cauillis, quibus à magistro suo Diabolo instructi sunt, mentes imperitorum exagitant, quibus facile possunt imponere: nō duxi superuacaneum in id operis meas qualescunque conferre uigilias, quibus & ueritatem apostolicam declarem uberius atq; confirmem, et quæ ab illis obiectantur retundam pro uiribus atq; prosternam. Quare inuocato prius diuino præsidio, in lumine Domini IESV lucis ueræ, in re proposita declarationem simul & defensionem catholicæ ueritatis aggrediar.

Catholica ueritas de sacrificio.

Hæc est catholica & sanctissima ueritas, Esse in nouo testamento et lege gratiæ uerbo Domini institutum externum ac sensibile sacrificium super altare uisibiliter à sacerdotibus & ministris Dei offerendum ad expiationem peccatorum suorum & aliorum cum uiuorum, tum defunctorum. Hoc autem sacrificium est corpus & sanguis Domini nostri IESV Christi in sacramento absconditi.

Consequens ergo est, ut si præfata positio catholica sit & sanctissima, ista quam nunc subdo sit hæreticissima & prophanissima, utpotè à spiritu Satanæ profecta, & per suum organum Lutherum pronunciata ad sustentationem & uitam delictorum, ne Christi sacrificio expientur.

Impia uerba Lutheri.

Ait enim Lutherus: Certus esto, nec ulla persuasione falli te sinas quisquis esse uoles purè christianus: nullum esse in nouo testamento sacerdotium uisibile et externum, nisi quod humanis mendacijs est per Satanam erectum. Hæc ille. Quod cum quantum ualuit suadere conatus esset, hac tandem execranda periodo rem conclusit. Præstat, inquit, esse publicum lenonem aut latronem, quàm huius generis sacerdotē.

Hæc sunt Lutheri uerba plena blasphemiæ & contumelijs, quas nos quidem Deo omnipotenti relinquimus uindicādas: solum ad elucidationem ueritatis cum illo congrediemur. Ais tu ò Luthere, Certus esto &c. Sed unde me certum facis, ut rem inauditam recipiam contra sensum uniuersæ Ecclesiæ ac sanctorum omniū? Vnde nam, quæso, ista tua tanta fiducia, ne dixerim arrogantia, ut dicas, certus esto? Si enim propria autoritate hoc agis, persuadebis fortasse iam perfidis & impijs, aut amentibus & leuis ingenij hominibus: At pijs & qui non omni uento doctrinæ circumferantur, alia autoritate oportet inniti ut persuadeas, quàm tua tantum qui homo es, si tamen homo, & non aliquid multò deterius homine. Quid ergo ais, ut me certum facias tuæ huius doctrinæ? Dicis primum, et hoc tibi sumis, hoc sacrificium non probari per Scripturas. Hoc uerò, uidelicet, Non probari in Scripturis, probare te oportebat primum, non tibi sumere. Nunquid uerò tu cognitam habes & intellectam, & insuper in promptu uniuersam Scripturam? Id enim oportet sibi præsumere hominem dicentem: Hoc in Scripturis non est: Nisi forte contrarium ex illis euidenter educat. Hoc enim ostenso quòd contrarium habeatur in Scripturis, satis euincitur illud non haberi, cuius contrarium habetur. Verùm cum tu oppositum haberi in Scripturis non probes, quo ausu tu solus audes asserere hoc non haberi in Scripturis, ubi hoc haberi omnes sapientes asseruerunt, ut si uerum asseras, cunctos præter teipsum solum oculos amisisse necesse habeas confiteri?

Quo pacto dici possit aliquid non haberi in Scripturis.

Mitto hic quòd hæc uestra, idest, hæreticorum propria siue excusatio siue obiectio, Hoc non habetur in Scripturis, iam nimis uetus & protrita & putida est, quam tamen tanquàm dignitatem imperitæ & curiosæ plebeculæ obtruditis, & dicitis: Quodcunq; in Scripturis sanctis non habetur expresè, non solùm non esse admittendum, uerumetiam tanquàm Satanæ commentum respuendum. Quo in loco euidenter quorum patrum filij sitis ostenditis, quorum pronunciatū tenetis, & fallitis, & contra ipsas manifestas Scripturas docetis, de quibus clarè accipitur multa & fecisse Dominum & docuisse quæ non sunt scripta: & similiter Apostolos multa tradidisse, quæ ad nos proculdubiò peruenerunt, non tamen commendata scripturis sanctis: de quibus dicere quòd à Satana profecta sint,

blasphemia est non ferenda. Vnde Dominus: Multa, inquit, habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo. Et adiecit: Quum autem uenerit ille Spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem. Quare & B. Paulus monebat ecclesias ut obseruarent traditiones Apostolorum ac Seniorum: & plura ordinauit atq; se ordinasse testatus est, quæ tamen de Scripturis haberi expresse non poterant, sed inspirabat Spiritus sanctus iuxta pollicitationem Domini. Nam illud quod in ueteri illa Synodo Gentes iuberentur abstinere à sanguine & suffocato, unde, quæso, de Scripturis accipiebatur, cum inde potius oppositum educeretur? In Christo namq; cuncta reddita erant munda, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione perciperetur: & tamen ausi sunt discipuli scribere: Visum est Spirituisancto & nobis ut abstineatis &c. Ad hæc, nonne Magi adorant & offerunt mystica dona aurum, thus, & myrrham? Sed unde à Scripturis ea didicerunt? Ergo & illi Idololatræ? Absit.

Apostoli tradiderunt multa quæ î Scripturis expressa non habentur.

Possent pro hac ueritate & multa alia & multorum ueterum Patrum sententiæ aduersus istam fatuitatem afferri, quæ quia sunt alterius loci, hic omittentur. Hactenus enim satis ad confutandum hoc illorum Axioma: nam (ut dixi) iam putet. Illo autem sumpto adiecerunt: Quodcunq; præter uerbum Dei in cultu diuino fit & exhibetur Deo, Idololatria est. Sed hoc erat opus tibi probare, Hoc sacrificium non esse uerbo Dei institutum. Ais, non probari per Scripturas. Si hoc etiam tibi daremus, non tamen sequeretur non uenisse à uerbo Dei, quando (ut iam dictum est) non omnia quæ uerbo Dei tradita sunt, in Scripturis contineantur. Verùm detur interim hoc proteruo, non esse scilicet à uerbo Dei quod in Scripturis non continetur: non quia sit uerum, sed ut prorsus & omnifariam expugnetur. In hoc primò uersetur controuersia: Vtrum hoc quod nos defendimus sacrificium probetur per Scripturas. Ego id mihi oneris assumam, ut ostendam de Scripturis sanctis id absq; dubio colligi ac probari: quod & si minime à me probaretur, ut probatum tamen deberet recipi propter tantam Doctorum & Ecclesiæ autoritatem, & consuetudinis uim, admixta prouidentia Dei, qui tam perniciosum errorem & tot seculis regnare in uniuersa Ecclesia sua nunquam permisisset. Quis enim de Deo bene sentiens queat admittere, aut in animum inducere, ut credat, Spiritumsanctum tanto tempore permisisse tantam in toto Orbe uigere idololatriam, quod esset Diabolum triumphasse de Christo, sicut isti blasphemant in ipsum Spiritum Dei & contra apertissimas Scripturæ prophetias, quæ prænunciarunt idololatriæ scelus per aduentum Christi penitus tollendum ac pessundandum?

Sacrificium missæ probatur è scripturis.

NOTA

Verùm ut etiam per ipsas expugnentur sacras literas, pro ueritate adduco in primis oraculum Isaiæ inducentis Dominum de sua Ecclesia propaganda in Gentes in hunc modum effantem: Mittam ex eis qui saluati fuerint ad Gentes in mare in Aphricā et Lydiā tenentes sagittā, in Italiam et Græciā, ad Insulas longè, ad eos qui nō audierunt de me, et non uiderunt gloriam meā, et annunciabunt gloriā meā Gentibus & adducent oēs fratres uestros de cunctis Gentibus donū Domino. Et quasi continuò adijcitur: Et assumam ex eis sacerdotes & leuitas dicit Dominus, quia sicut cœli noui & terra noua quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus: sic stabit semen uestrum & nomen uestrum. Hæc ibi Dominus. Ex quibus duo pulchrè eliciuntur contra hanc teterrimam hæresim. Primum φ in futura Ecclesia statuendum erat sacrificiū. Nam teste B. Paulo, de uocatione Gentium sermo est ibi manifestus. Si enim sacerdotes assumendi: ergo & sacerdotium. Si autem sacerdotium: ergo & sacrificium, ut declarat Apostolus. Non enim potest intelligi sacerdotium absq; sacrificio, cum illud sit primum & proprium sacerdotis offerre hostias & munera, ut ait B. Paulus. Alterum quod elicitur est, quòd non omnes sumus sacerdotes, sicuti hæc hæresis dogmatizat. Alioqui non diceret Dominus: Assumam ex eis sacerdotes: claram nobis relinquens intelligentiam, quòd quùm aliqui assumuntur de multis in hunc ordinem, reliqui in sua uocatione & loco inferiore manent. Et quàm pulchrè ait, Assumam: quod est propriè euehere in altiorem honoris gradum: quem nulli licet sibi assumere, dicente Apostolo: Nemo sibi assumit honorem, sed qui uocatus est à Deo tanquam Aaron. Quare sacerdos & Pontifex ex hominibus & ipsis quidem fidelibus assumitur. Est ergo sacerdotium in Ecclesia ordo quidam et honorabilis gradus. Non igitur omnes Christiani sacerdotes, ut iste uir anormalus dogmatizat. Et ideò lector acute accipe ex Propheta sacerdotij causam, quæ est ut staret semen & nomen, uidelicet Christianorum & Christianitatis: quod certè absq; sacrificio dissiparetur & stare non posset, sicut uidemus omnia dissipari ubi nunc sacrificium istud conculcatur. Et quàm aptè dixit: Sicut cœli noui & terra noua facio stare nomen uestrum & semen uestrum. Sacerdotes enim tanquam cœli sunt: & plebes quasi terra coram Domino. Illi enarrant gloriam Dei, & terra debet recipere, sicut terrestris terra recipit influxus à cœlis. Ecce ut palàm hoc testimonio confutatur hæreticus, qui tametsi ualdè sit audax & impudens, uix tamen existimo ausurum illum hiscere aduersus hunc locum, sed sicut consueuit semper, uidelicet non respondere obiectis, nec illa inducere quibus premitur & coarctatur: sed præterire, et dare interim uerba & aliquo schemate, aut dicacitate, aut mordacitate lectorem ineruditum atq; incautum à re proposita alienare.

Locus ex Isaia pro sacrificio.

Non omnes Christiani sunt sacerdotes.

Subterfugiū Lutheri.

II. Ad hæc, secundo loco Dominus per Malachiam nō tam prophericè enunciare, quàm historicè enarrare sacerdotium uidetur. Alloquens enim Iudæos ait: Non est mihi uoluntas in uobis, & munus non suscipiam de manu uestra. Ab ortu solis usq; ad occasum magnum

gnum est nomen meum in gentibus. Hæc ibi: ubi uides tanquam digito sacrificium hoc ostendi, dum ait, hoc in Gentibus faciendum: scilicet reprobatis Iudæis & eorum sacerdotio & hostijs. Et adiecit: *In omni loco,* idest, non in Iudæa solum, sed in toto terrarum orbe. Et dixit: *Offertur,* tanquam rem præsentem cernẽs. *Oblatio munda,* idest, panis & uinum, corpus & sanguis Domini. Nam quæ alia oblatio potest uerè & propriè atque euidenter dici munda præter hanc Dominicam hostiam & Eucharistiam? Certè si quis fortè alius potuisset dicere aliam oblationem præter Christum esse mundam, hoc Lutheranus non potest, cum uelit omnes nostras iustificationes siue iustitias esse tanquam pannum menstruatæ. Et nota quod Propheta unam oblationem manifestè designat, & illam mundam & quam in omni loco offerri ait. Quomodo poterat aptius describere illam unam oblationem quam fecit Christus in Cruce sui corporis et sanguinis, qua nihil mundius cogitari potest ut sit oblatio? Et cum dicat offerri talem oblationem in omni loco, nonne manifestè significatur id quod est factum et fit assiduè per sacerdotes, qui in omni loco terrarum eandem offerunt hostiam & oblationẽ? Christus enim non eam obtulit in omni loco, sed solum in Iudæa & in monte Caluario semel. Quid hic mutiant, & si sint argutuli ad illudendum? Verùm duntaxat miseras plebes & idiotas superbos. Nam & hunc locum non sunt ueriti obscurare suis tergiuersationibus & cauillis: qui tamen ita sunt futiles, ut nec pueris negocium facere possint. Volunt enim per illam oblationem mundam significatã fuisse Euangelij prædicationem: quasi prædicare Euangelium sit propriè sacrificare & offerre oblationem. Quis unquam locum illum sic intellexit? O miseros, quò se conijciunt. Ibi manifestè prædicebatur futurum sacrificium quod cum antiquo comparabat, ut illud auferretur quod non placebat: hoc uerò statueretur quod erat placitum in conspectu Dei, ut B. Paulus eleganter ad Hebræos declarat, sicut mox abunde & suo loco manifestabitur.

Locus Malachiæ pro sacrificio expẽditur.

III. Tertiò loco ex ipso Apostolo intelligentissimè colligitur huius probatio sacrificij. Ipse enim inducit locum Dauid aientis: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Hoc de Christo exponit, & eius inde colligit sacerdotium, declarans in quo opponebatur inutili illi antiquo & leuitico, ut probaret quod illud cessare debuit in hoc statu, quoniam in hoc sacrificio æternus est sacerdos & Pontifex insolubilis, non in illo. Et dedit signum differentiæ respectu modi oblationis. Dixit enim hoc offerendi officium esse secundum ordinem Melchisedec: quod sacrificium fuisse Deo gratum ipsa Scriptura testatur aiens: *Erat enim sacerdos Dei altissimi.* Hic Altissimus est Deus Pater, cuius sacerdos est Christus, qui illi sacrificat: illud uerò sacerdotium antiquum fuit secundum ordinem præstitutum Aaron, qui offerebat sanguinem animalium, quo erat impossibile placari Deum, ac per hoc adducere hominem ad perfectum. Unde scriptum est, quòd non placebant Deo sacrificia illa, nec Dei uoluntas erat in illis. Placebat ergo Domino sacrificium quod est secundum ordinem Melchisedec, quod sub specie panis & uini offertur, cœlestis ambrosia & diuinum nectar absconditum. Alioqui exponãt nobis ordinem datum ipsi Melchisedec sacrificandi. Non enim ualet quicquam id quod Deo offertur non ordinatum ab ipso. Ecce Melchisedec significauit Christum in sacerdotio, Christus autem obtulit seipsum semel in cruce cruento modo, & antea in cœna in pane & uino. Melchisedec ergo in suo sacrificio quod erat figura, quomodo repræsentauit Christum? Certè non cruentè, sed in pane & uino. Hoc est ergo sacrificium quod defendimus incruentum, in quo tamen inest cruenti uirtus, quoniam & mors & sanguinis effusio commemoratur & quodammodo repræsentatur.

Melchisedec figura Christi.

Ad hæc ut ista ueritas illustretur, illa Melchisedec oblatio sic est ab omnibus orthodoxis semper intellecta, sic interpretata, ut sit figura noui sacrificij, præter id quod aliter accipi & exponi aptè minimè potest. Quæ est ergo tanta sapientia & tanta autoritas, quæ nudo dicto ualeat hæc destruere? Fuit enim proculdubio oblatio Melchisedec Deo altissimo, quam fecit in pane & uino. & de Christo prædicitur: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec:* & de Domino ipso habemus, quòd in cœna in pane et uino instituit sacramentum. Illud ergo in pane & uino instituisse sacramentum, quid erat aliud quàm se uerum Melchisedec ostendere, & consequenter declarare illud totum quod ipse fecit in cœna fuisse sacrificiũ, quod mandauit discipulis faciendum in perpetuum ipso summo sacerdote Christo durante in æternum? Si fuit sacrificium: ergo fuit oblatio. Obtulit ergo Christus in cœna seipsum. Est autem pro hac interpretatione (ut dixi) autoritas omnium sanctorũ Pontificum. Hanc B. Cyprianus in sermone de cœna Domini, & in epistola ad Cæcilium accipit et tradit: & B. Hieronymus in epistola ad Euagrium probat. Item B. Augustinus in libro de doctrina christiana capite 21. B. Ambrosius similiter in lib. quarto de sacramentis. Sic deniq; B. Gregorius, sic B. Bernardus, sic B. Thomas: sic deniq; sancti Patres omnes & doctores gloriosi tum ueteres, tum recentes, tum tractatores, tum interpretes Scripturarum, tum Scholastici. Et nunc uenit unus Lutherus, qui nec hoc ipsum quidem inficiatur, uidelicet, sic sensisse autores & Sanctos omnes: uerùm ait à Dæmone fuisse illos deceptos, & sic alios decepisse audet asserere: & huius rei se à quodam Cacodæmone certiorem factũ testatur. Considera, quæso, testimonium pie lector, & Luthero ipsomet confitente doctorem huius nouitatis fide dignum, nempè Cacodæmonem. Quod si ad Sanctorum contumeliam solum pertineret ferendum non esset, quantò minus cum

Christus obtulit seipsum in cœna.

NOTA

per hoc sugilletur bonitas & prouidentia Dei benedicti, qui permiserit tot & tantos Patres seruos suos in re tanti momenti à Diabolo ludificari? Melancthon uerò qui mollius interdum loquitur, quantum leges rim, non uenit in illam blasphemiam: non quia ipse metuat blasphemare: sed quòd uidebat non nisi stultis simul atque manifestè impijs id posse persuaderi, alio usus est cauillo in sua hypocrisi. Excusat enim sanctos Patres quòd lapsi fuerint uerbo, non autem sensu. Vocaverunt enim, inquit ille, Missam sacrificium, non quia uerè esset sacrificium, sed quia de uero sacrificio admonet. Quo in loco non est ueritus mentiri. Satis enim sciebat illorum sensum ac mentem, cum plana sint uerba, & claræ illorum interpretationes asserentium quòd illud sacrificium Melchisedec fuit figura huius. Si illud huius figura: ergo hoc uerum. Et ut magis confundantur, ostendemus illos superare perfidiam Iudæorum, quorum antiqua est traditio huius mysterij. Hæc sunt uerba Rabbi Samuelis: Hic Melchisedec mysteria sacerdotij tradit. Erat enim ipse sacrificans panem & uinum Deo sancto & benedicto, sicut dictum est ibidem: Et erat sacerdos Dei altissimi. Hæc Rabbi Samuel. Et Rabbi Pinas dixit: Tempore Messiæ cuncta sacrificia cessabunt: sacrificium autem panis & uini nunquàm cessabit, sicut scriptum est: Et Melchisedec Rex Salem, hoc est, Rex Messias. Dicitur enim Melchi Rex, quia Rex totius mundi erit, & sedech iustitia, quia ipse mittet iustitiam suam & pacem super uniuersum orbem. Hic ergo Rex Salem, idest, Hierusalem supernæ, accepit panem & uinum, hoc est, separabit à cessatione sacrificiorum sacrificium panis & uini, ut dictum est Psalmo. 108. Tu es sacerdos in æternum &c. Sunt & alij Hebræorum magistri, qui & hoc ex alijs locis eliciunt. Nam ubi nos legimus: Et erit firmamentum in terra in summis montium · ipsi legunt, Erit placentula in terra in capite montium, hoc est, sacerdotum Dei, qui sacrificantes hostiam super caput extollunt, & exhibent adorandam: cui interpretationi etiam catholica interpretatio consonat. Hæc ex Rabbinis Iudæorum Reuerendiss. Cardinalis & Martyr Episcopus Roffensis in Lutherum obiecit & meritò, ut eius perfidiā & errorem magis retunderet, non quia testimonijs hostium egeamus. In hoc enim stat inuictissima uis argumenti: Melchisedec offerens & proferens panem & uinum figura fuit Domini nostri IESV Christi similiter offerentis & proferentis panem & uinum in cœna. Hoc iam est euictum. Igitur hoc ut faceret necesse fuit, ut figuram impleret. Fecit ergo IESVS ipse, & postquam illud fecit, dum proferret illud discipulis suis & nobis, dixit: Hoc facite in meam commemorationem. Quid est, hoc facite, nisi quod ego feci & uos facite? Quid autem fecit nisi sacrificium & sacramentum? Vnde illis uerbis sancti Doctores aiunt quòd & sacerdotium nouum instituit & sacerdotes ipsos Apostolos. Et hæc uolo satis esse quantum attinet ad Scripturas pro sacrificio isto.

Melancthon.

Hebræorum testimonia pro sacrificio

Illud tamen non omittendum, quòd si nihil aliud esset, quàm quòd ab initio nascentis Ecclesiæ usque ad hunc diem in omni terrarum loco ordinati sunt Presbyteri & Diaconi ad hoc mysterium iugiter peragendum, hoc deberet sufficere ad plenam probationem & ordinis sacerdotalis & muneris sacrificij. Quòd enim B. Paulus ordinauerit Episcopos & presbyteros & diaconos, & iusserit etiam ordinari: satis apertè patet in eius epistolis ad Timotheum & Titum. Quòd enim per presbyteros intellexerit sacerdotes, stolidi esset inficiari. Si enim solam ætatem illa uox significaret, quomodo esset in manu hominum illos facere? Item si nullus ordo, aut status, aut officium significabatur illis uocibus, ut quid iussisset B. Paulus Tito constitui presbyteros & diaconos? Item, si omnes ipso iure erant sacerdotes, quid oportebat eos constitui per Episcopos & per manuum impositionem sicut fiebat, & alijs solemnitatibus quas ignoramus? Scripsit idem Apostolus ad Timotheum, quem ipse iam Episcopum consecrarat: Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum meatum. Antea dixerat, per impositionem manuum presbyterij: ubi plures significantur sacerdotes sicut requiritur quùm consecrantur Episcopi. Quòd ergo sit in Ecclesia Dei sacramentum ordinis & ordo sacerdotalis, & quòd non omnes sint sacerdotes, ita est euidens ut non sit Christiani de hoc dubitare, nec sit prudentis ac uersati in sacris literis noui ac ueteris testamenti hoc in dubium reuocare. Nam si in leuitico sacerdotio nullus illud sibi munus priuata usurpat autoritate, quantò hoc minus liceat in sacerdotio Christi?

Ecclesiæ autoritas.

Sacramentū ordinis.

Posito igitur nouo sacerdotio, & hoc adiuncto ex apostolica doctrina, quòd proprius actus sacerdotis est facere, idest, sacrificare & offerre hostias & munera, & non solùm docere ac prædicare (ut subdole tradunt hæretici) manifestissimum redditur esse sacrificium in Ecclesia Christi: & cum non apparuerit unquam aliud nisi hoc panis & uini quod offertur assiduè, sic attestante suo facto ipsa uniuersa Ecclesia & sanctis omnibus: non potest nisi schismatica & hæretica autoritate turpissimè atque impudentissimè à quoquam negari. Adiuuat & hanc ueritatem ipsa uox Missa, quæ hebraica uox est, & nihil aliud sonat (ut eius linguæ periti tradunt) nisi oblationem. Vnde credibile est ab ipsis Apostolis uenisse istam cognominationem.

Sacerdotis officium.

Missa.

Cum ergo primis iam pollicitis satis fecerimus, sacrificium nostrum de scripturis sanctis abundè testatū ostendentes, superest nunc suscipere tædium ad resoluendos hæreticorum cauillos per quos imperitis & curiosis facilè possunt imponere. Quod etsi magna ex parte mihi onerosissimum sit: quia tamen interdū aduersarij nostri uideri possunt non omninò desipere, sed

aliquid dicere, coactus sum nō subterfugere istam mo- lestiam. Faciet enim plurimum ad pleniorem Scrip- turarum intelligentiam.

Obiectio Lu- theri contra sacrificium al taris. Intonuit ergo primò Lutherus, & abutens apo- tolica doctrina audacissimus omnium mortalium addu- xit B. Petrum, ut hoc sacrificium sanctum euerteret, qui ait: Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo. Hoc testimonium, inquit ille, excludit quoduis aliud sacri- ficium nostrum. Quid enim oporteret quod alij offer rent si ipse se obtulit semel, cum Paulus dicat q illa una oblatione consummauit in æternum sanctificatos? Si consummauit ille in æternum sanctificatos unica illa sua oblatione, quid quærimus amplius, aut quid exi- stimamus nos ulla nostra oblatione quicquam illi adiun gere ad sanctificationem? An non esset hoc exinanire & contemnere illam Domini perfectissimam & omnis potentissimam oblationem? Hoc argumentum non in- telligentibus Scripturas & sapientiam Dei profectò uidetur habere aliquid momenti. Est enim illorum Achilles, quo duo uidentur destrui, uidelicet pluralis- tas sacerdotij, quia unus sacerdos Christus ab Apo- stolo idoneus commendatur: & pluralitas oblationum uituperatur: quæ tamen duo nos in nostro sacrificio quod defendimus oportet fateri. Est enim manifesta pluralitas sacerdotum atq; successio, & consequenter ipsarum pluralitas oblationum. Videtur ergo hæres- ticorum argumentum rectè concludere aduersus nos. Si enim una illa Christi hostia semel oblata in Cruce ualet ad expiandum cuncta delicta, profectò superuas- cuæ uidentur reddi nostræ nouæ hostiæ & oblationes.

Responsio. Nos igitur ut hæc idoneè explicētur, uidemus neces- sarium esse præmittere differentiam peccatorum à qui- bus sanctificamur, secundum quam cognoscitur doctri na sacerdotij & oblationum. Quia ergo multi hanc

NOTA differentiam non considerant, implicantur, et nesciunt seipsos à quæstionibus & nodis explicare.

Primùm igitur considerandæ sunt præuaricationes & lapsus. Quicunq; enim contra legem facit, præ- uaricari dicitur: & qui deflectit à mandatis legis, la- bitur. Verùm quia duæ sunt leges, lex Dei, & lex positiua Moseos, præuaricationes quæ fiunt contra legem Dei maculant mentem coram Domino: alia ue- ro peccata in legem Moseos inferunt maculam carni. Mittamus hæc parumper quæ carnem maculant, & consideremus peccata quæ maculant mentem in con- spectu Dei: nam & hæc differentiam habent. Est enim primum commune omnium unum peccatum quod originale uocamus, à quo reliqua omnino peccata quasi à radice atque fomite fluunt. Ipsum ergo peccatum originale quo uniuersum genus nostrum inquinatum est, debuit in primis expiari, ut posset cæterorum ob- tineri remissio. Illo enim peccato constante atq; uigen te, impossibile erat quicq̄ aliud expiari.

Quæritur ergo primùm illius peccati expiatio. Fuerunt autem duo data specialiter illi hebræo populo: alterum lex, alterum uerò sacerdotium. Quod aūt per legem non fuerit expiatio illius peccati, in cunctis ferè epistolis declarauit B. Paulus: præter quàm quòd illud proculdubio est, non esse munus legis auferre pec- catum, sed præcipere ac uetare, præmio afficere & punire. Quòd si quis dixerit, Si hoc saltem ad legem pertineret, scilicet præcipere ac uetare, sequitur ut qui præcepta seruauerint, tales intelligātur iustificati ac propterea à peccato mundati, ipse B. Paulus mul- tis hoc argumentis confutat: tum q nemo non iustus potest implere opera quæ Dei lex iubet, & ideò nec mereri iustificationem potest (omnis autem stante illo peccato inueniebatur iniustus) tum quòd gratis erat promissa iustificatio peccatoribus à Deo ex fide, & non ex operibus. Postq̄ igitur lex non poterat iustifi- care (quod in alijs epistolis ante illam quæ est ad He- bræos ostendit Apostolus) supererat ergo ostendere quòd nec illud leuiticum sacerdotium idoneum erat ad auferendum peccatum illud originale quod obstabat gratiæ, & consequenter ineptum atq; inualidum ad tollenda quæcunq; alia inde consequentia peccata com- maculantia animam coram Deo. Vt igitur hoc sua- deret suis Hebræis, primùm obijcit potiora munera & oblationes summi Pontificis, ut ostendat illum lon- gè abfuisse ab hoc effectu, uidelicet expiandi peccata. Commemorat ergo quòd ipse summus sacerdos solus singulis annis intrabat in secūdum tabernaculum quod dicebatur Sancta sanctorum, & offerebat ibi sangui- nem alienum pro sua & populi ignorantia: corpora tamen eorum animalium quorum sanguis inferebatur in Sancta, cremabantur extra castra, ut non liceret eis edere de illis quicquam. Qui ritus admirabilis & singularis, instruente nos Apostolo, satis innuebat imperfectionem & inutilitatem illius sacerdotij & sacrificij.

Sacerdotium leuiticum ad tollenda pec- cata inefficax multis ratio- nibus osten- ditur.

I. Primò, illud secundum tabernaculum quod Sancta sanctorum dicebatur, opus erat manu hominum fabri- catum: Non igitur erat uerum tabernaculum Dei in quo habitare dignetur Spiritus Dei cum hominibus. Illud enim uerum Dei tabernaculum corpus Christi est non manufactum sed Spiritussancti opera. Hoc est tabernaculum illud quod Dauid propheta uidebat & inquirebat dicens. Si introiero in tabernaculum do- mus meæ, si ascendero in lectum strati mei. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationē donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Et per alium dicit Dominus: Quæ est domus mea? & quis locus requietionis meæ? Certe non in manufactis templis habitat Deus. Non ergo erant uera Sancta illa in qua intrabat ille Pontifex. Quòd si illa nō uera Sancta: nec ille qui in ea intrabat erat Pontifex uerus ad sanctificandum animas.

II. Secundò, hoc ipsum indicat, quòd non per proprium sanguinem, sed per alienum, idest, per sanguinem animalium intraret in Sancta. Nam hoc ipso manife stum reddebatur q nō fiebat remissio peccatorum ante

Deum: de qua admonent frequenter Prophetæ & ipse David ubi introduxit loquentem Dominum: Hostiam & sacrificium noluisti, aures autem perfecisti mihi: Holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi ecce uenio ut faciam uoluntatem tuam Deus. Idem etiam Propheta dixit inefficaciam & uilitatem horum sanguinum: Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ. Et alibi introduxit Dominum hæc repudiantem dum ait: Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus. Et alibi: Audi populus meus & contestabor tibi, Deus Deus tuus ego sum. Non in sacrificijs tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tua uitulos, neq; de gregibus tuis hircos. Sacrificium laudis honorificabit me &c. Ex quibus manifestum est huiusmodi sacrificia inualida fuisse ad exhaurienda peccata coram diuina iustitia.

III. *Tertiò, eo ipso ꝙ singulis annis ingrediebatur in illa Sancta, contestabatur non expiare. Quid enim oportuisset intrare totiens si aliquando expiatio contigisset? Non enim potest dici ꝙ pro singulis peccatis quæ assiduè admittebantur sacrificaretur et offerretur sanguis, quia (ut dictum est) oportebat expiari prius illud commune peccatum originale, quod semel expiatum non iteratur. Nihil ergo agebat his cæremonijs summus ille Pontifex, nisi quòd declarabat se uerum expectare Pontificem, confitens illis factis sese omninò ad hunc effectum esse inutilem et inefficacem.*

IIII. *Quarto loco, hoc ipsum significabat eo ipso ꝙ sanguinem illum pro sua & populi ignorantia offerebat. Nam cum assiduè offerret pro hac sua & aliorum ignorantia, significabat quòd nondum erant dociles Dei. Si enim semel fuissent edocti; non oportuisset ulterius pro hoc offerre. Igitur, ut ait Apostolus, nondum erat patefacta sanctorum uia stante priore tabernaculo, donec scinderetur uelum, illa sanctissima Christi caro quæ uelabat uirtutem & sapientiam Dei, & statueretur aliud tabernaculum quod placeret Deo, Christo recipiente gloriam suam.*

V. *Quintò & illud maximè considerandum est, ꝙ summus ille Pontifex non perficiebat sacrificium ut prodesset, quia de sanguine illo oblato nullus comedebat. Corpora autem animalium quorum sanguis offerebatur cremabantur extra castra, & nulli de eis qui altari deseruiebant licebat edere: quo significabatur expectari uerum sacrificium de quo liceret edere cunctis, ac præsertim ijs qui uero altari deseruiunt, sicut ait B. Paulus: Qui sacra administrant, nonne ex sacro edunt? Qui autem edunt, participes sunt altaris, non autem qui non edunt. Ex hoc ergo patet clarè quòd illud sacrificium cum esset contra legem sacrificiorum, quæ est ut quod sacrificatum est comedatur; non erat uerum sacrificium, sed potius per illud significabatur sacrificium uerum: idque duobus signis. Vnum est quia cremabatur extra castra: quod significabat non attinere solum ad Iudæum illum populum qui castris continebatur. Alioqui non debebat efferri è tabernaculo. In tabernaculis enim consummabatur quæ erant in castris. Significatus est ergo Christus, teste Apostolo, qui extra portam passus est, non pro illo tantum populo, sed et pro toto mundo. Alterum signum est, ꝙ stante illo leuitico sacrificio non licebat deseruientibus illi tabernaculo edere de crematis extra castra. Sic et Iudæis nō licuit nec unquā licebit dum sacrificio ueteri alligati teneantur, ueri sacrificij extra castra oblati utilitatem & commoda obtinere. Et hæc satis de peculiari Pontificis sacrificio, quæ subtilissimè Apostolus instructus diuinitus nobis monstrauit.*

De inferioribus autem sacerdotibus quòd non expiarent pro peccatis offerentes, Prima ratio est, quia si summus sacerdos hoc non efficiebat, quid & quomodo id efficerent ipsi inferiores sacerdotes? I.

Secunda ratio & communis est, quoniam & ipsis deficiebat hostia. Nam cum sanguine peccatum illud conueniret expiari, nec alium sanguinem ibi offerrent quàm belluarum, impossibile erat per illum auferri peccata, ut ait Apostolus. Quomodo enim esset æqua compensatio uile pretium illius sanguinis ad magnitudinem delicti? Iustus autem Deus & iustitias dilexit. II.

Tertia ratio etiam communis. Signum enim euidens quòd sacerdotes illi non expiarent, illud est, quòd iuge erat sacrificium illud. Sæpius enim instabant, easdem hostias offerentes, & quum morerentur aliqui sacerdotum, in eorum locum alij subrogabantur. Non igitur erat expiatio ulla illius peccati, alioqui cessassent offerre aliquando. III.

Quarta ratio est, quia illud unum peccatum primi hominis reuera unum exigebat expiatorem, & talem qui non egeret pro seipso, hoc est, pro peccato proprio offerre, sed qui esset sanctus, innocens, impollutus, cuius hostia posset placere Deo. Prius .n. Dominus Deus personam offerentis respicit quàm munera, quibus non indiget. Quamobrem de hoc uno expiatore pronunciarunt Prophetæ, & Isaias ait, Veniet ex Sion qui liberat, & auertet impietates Iacob: & hoc illis à me testamentum quum abstulero peccata eorum. Similiter omnes alij prophetæ testimonium uni Christo propitiatori perhibent. IIII.

Quinta ratio seu testimonium manifestum ex Psalmo. Promittitur enim ibi Messias futurus sacerdos in æternum, & alterius ordinis seu ritus .s. Melchisedec. Si autem leuiticum sacerdotium fuisset idoneum ad expianda peccata & perficiendum nos, quid oportebat de alio prouidere sacerdote, & alterius ordinis, & (quod amplius est) ut esset sacerdos in æternum? Eò .n. quòd pronunciatur sacerdos in æternum, planè significat quod prius illud sacerdotium erat temporale & quandoq; desiturum. Non enim conueniebat duo sacrificia simul concurrere in eadem Ecclesia et in eadem lege. Nam si duo sacerdotia: aut ambo perfecta, V.

aut

aut ambo imperfecta, aut unum perfectum & alterum imperfectum. Si ambo perfecta, alterum superuacaneum redditur. Si ambo imperfecta, neutrũ expiabit, nec ambo simul, quia alterum alteri non iungebatur ut posset roborari per illud: erant enim dispaira et (ut ita dixerim) separata. Si deniq; unum imperfectum, uacabit, hoc altero existente perfecto. Praeterea, impossibile est duas esse leges, & ita duo sacerdotia. Sacerdotium .n. fundatur in lege. Propter transgressiones .n. legis quae fiunt à populo, inuentum est, ne relinquatur populus praeuaricator, ac propterea dissipetur. Quamobrem doctè dixit B. Paulus, Translato sacerdotio, necesse esse ut legis fiat translatio. Prouidit autem Deus, ut Christus, qui praenunciatur sacerdos futurus, non obtinuerit illud leuiticum sacerdotium quasi esset unus ex illis, & hoc patere fecit, quia non fuit de illa tribu cuius erat proprium hoc ministerium, sed de illa quae prae caeteris aberat à munere sacerdotali. Fuit enim Dominus de tribu Iuda, de qua testatur Apostolus quòd nullus praestò fuit Altari. Quare necesse fuit, hoc sacerdote noui sacerdotij gradum adepto in aeternum, cessare leuiticum illud sacerdotium. Addit etiam persuasionem, quòd hoc sacerdotium nouum iureiurando constitutum est à Deo: prius autem per Mosen sine iuramento. Dixit enim Propheta: Iurauit Dominus & non poenitebit eum, tu es sacerdos in aeternum. Alterius autem sacerdotij poenituit; & ideò non fuit iureiurando suffultum: & hoc propter eius inutilitatem. Addit & testimonium Prophetae, sic dicens: Nunc autem melius sortitus est ministerium, quantò et melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitũ est. Nam si illud prius culpa uacasset, nõ utiq; secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit: Ecce dies uenient dicit Dominus, & consummabo super domum Israel & super domum Iuda testamentum nouum non secundum testamentum quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum ut educerem illos de terra Aegypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos dicit Dominus. Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos dicit Dominus: Dabo leges meas in mente eorum, & in corde eorum superscribam eas, & ero eis in Deum; & ipsi erunt mihi in populum; & non docebit unusquisq; proximum & unusquisq; fratrem suum dicens; Cognosce Dominum: quoniã omnes scient me à minore usq; ad maiorem eorum; quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor. Dicendo autem nouum, ueterauit prius. Quod autem antiquatur & senescit, propè interitum est. Haec B. Paulus. Vbi perquàm doctè ostendit, prius sacerdotium simul cum ipso testamento non potuisse consũmare seu perficere homines, imò nec directò introducere in uiam rectam nisi obliquè per transgressiones & cognitionem peccati, ut alibi declarauit.

VI. *Sexta ratio adiuuat supradicta. Quòd enim illud leuiticum non esset uerum sacrificium, sed ueri sacrificij potius figura, probat id quod dixit Dominus Moisi: Inspice & fac secundum exemplar quod tibi ostensum est in Monte. Exemplar autem illud (ut docet Apostolus) erat illud uerum Christi, quod tanquam prophetae ostensum fuit Moisi in Monte, ad cuius similitudinem aptare debuit carnale illud. Si ergo uerum sacerdotium & uerus sacerdos adueniat, nonne iure cessabit illud quod ad illius exemplar est factum? Quid enim opus figura quando adest ueritas?*

VII. *Septima ratio colligitur à tota illa historia Melchisedec, qui fuit figura Christi. Ex eius enim dignitate qua innotuit in mysterio, colligitur futuri sacerdotis Christi summa maiestas. In primis à nomine. Melchisedec .n. idem est quod Rex iustitiae: quod uerè Christo competit, qui solus iustus ipse existens, meritò adduxit in mundum iustitiam sempiternam. Vani enim Poetae uera aliquando dicunt. Erat in eorum uaticinijs, quòd Astraea, idest, iustitia è terris exulauit, & in coelum se recepit: quod uerissimum fuit à peccato primorum parentum. Sed illam iterum Dominus reduxit in terram, ut Rex iustitiae uerè dici meruerit, quod nomen ipsum Melchisedec declarat. Deinde à re ipsa idem rursus accipitur, cum esset Rex iustitiae, quia fuit Rex Salem, quod est Rex pacis. Quis autem Rex pacis uerior quàm Dominus noster, quem pacis principem uocat Isaias? Et quis poterat pacem in terra ponere unde exulabat iusticia, nisi ipse Rex iustus Christus descendens de coelo in terras & adducens secum iustitiã sempiternam? Praeterea; ille Melchisedec in nulla genealogia concluditur, quasi nec ortum habens nec terminum uitae, ut congruè significaretur Christus Verbum Domini, quod manet in aeternum, ut è Scripturis euincitur. Hic Melchisedec occurrit Abrae reuertenti à caede Regum. Abram autem pater erat futurus multarum Gentium, sed primò pater illius populi quem Dominus ex beneplacito adoptauit peculiariter ut coleretur ab eo. Hic ergo Abram tantus pater à Deo decretus, & ipse etiam sacerdos, attamen benedicitur ab illo Melchisedec. Maior igitur erat Melchisedec qui benedixit. Quid autem hoc est, nisi quòd in eo mysterio Melchisedec non suam gerebat personam, sed Christi Domini? Et ideò tanquam maior etiam cibauit illum sacrificio panis et uini ut futurum patrem omnium fidelium, quia credidit Deo, & in ea fide uictoriam retulit. Haec est enim uictoria (inquit Dilectus) quae uincit mundum, fides nostra. Talis fuit fidelis Abram pro quo sacrificium obtulit Melchisedec: quamobrem & decimas ab eo recepit, soluente illas non pro se tantum, sed pro uniuersa legitima posteritate quam habebat in lumbis: Vnde & Leui, ex quo leuitica tribus, in ipso decimatus est. Debuit enim ille populus qui ex eius lumbis egressurus erat, sanctificari sacrificio sancto per ipsius Abrae patris eorum sanctificationem. Cuncta*

enim decenter constituit Deus. Si ergo Leui decimatus est qui decimas iussus est accipere à populo Dei, quantum debemus existimare fuisse illum Melchisedec qui decimas ab illo accepit? Et propterea manifestum est, quòd in Melchisedec non illa persona consideranda erat, quæ erat homo mortalis sicut & nos ex patre & matre mortali, sed illa quam in eo spirituales oculi perspiciunt iuxta traditionem Scripturæ quæ innuit sapientibus & à Spiritu edoctis: hic est Christus.

His ergo expositis unde manifestè patet sacrificiū leuiticū omninò inefficax ad expiationē peccatorum, resoluenda sunt quædam quæ uidentur facere aduersus prædicta. Primum est, quod in sacris literis expressum uidetur illa sacrificia offerri solere pro peccatis, & insuper peccata tollere, ut patet Leuit. cap. 4. & 5. Præterea, si (quemadmodum dictum est) illud leuiticum sacerdotium erat inutile atq; omninò inefficax, incusandus igitur uidetur Deus (si liceat id cogitare) q̄ rem penitus inutilem tradiderit, imò etiam deceptoriam.

Ad hæc nos breuiter respondemus, quod illa sacrificia ui sua non tollebant peccatum ullum quantum ad Deum, quia impossibile erat (ut nos docet Apostolus) sanguinibus illis auferri peccata. Poterant autem tollere peccata quantum ad irregularitates quasdam, & in conspectu hominum, ac propterea non erant penitus inutilia: quanquàm nec est negandum, q̄ & illi sacerdotes poterant uirtute sacrificij ueri in illis hostijs significati, animum intendentes in illud, & fidem ad illud habentes, coram Deo impetrare remissionem peccati, pro quo expiando sacrificabant.

Quo sacrificio expiatū fuit peccatū originale &c.

Occurrit item et alia quæstio. Si leuiticum sacerdotium non erat ualidum ad expiandum peccatum illud originale & actualia quæ illi annectebantur, quomodo igitur expiatum fuit, & per quod sacerdotium, & per quod sacrificium? Respondemus q̄ ad expiandum peccatum hoc sacerdos fuit Christus decretus ab initio à Deo, ut operaretur in diebus carnis suæ hunc effectum. Hostia fuit corpus eius torridum & sanguis effusus, quem obtulit in pretium redemptionis nostræ. Altare siuè ara, fuit crux illa suo illo sanguine sanctificata. Et ipse passus est extra portam, quia pro omnibus semetipsum obtulit, cum omnes pariter egerent redemptione. Sic expiatum est peccatum illud quamcongruentissimè. Cum enim unus homo peccasset peccatum illud grande quo omnes perditi sumus, decuit ut et unus homo hic noster, etiā illud expiaret, quo oēs saluaremur ab illo peccato sub quo tenebamur omnes. Et quemadmodum ille inobediens inhonorauit Deum Patrem nescio quid diuinum appetens: ita hic noster, abijciens gloriam diuinitatis suæ, compleuit omnem obedientiam in sacrificio carnis suæ: in qua carne posuit illud peccatum atq; omnia scelera & delicta nostra ex eo manantia, ut damnata & cruci affixa iniquè illa carne, inueniretur in ea iustè damnatum peccatum ipsum & crucifixum cum fructibus suis. Et sicut cadauer illud (si fas est ita loqui cū sauciatum esset) sublatum fuit à facie cœli ac sepultum, ne conspicuum sub diuo maneret: ita & nos quicunq; illum induti sumus consepulti & abscounditi in illo, effugimus Dei uultum & iram. Vnde mox resurgentes cum illo ad nouam uitam, per bona opera uiuimus Deo, & placemus illi expectantes beatam illam futuri seculi gloriam. Sic enim ipse redemit nos, ut acquisiuerit sibi & aptauerit nouo pacto ad seruitium Dei uiuentis, non ut ulterius seruiamus peccato (quod fecimus quasi semel sub priore testamento constituti) sed iustitiæ, sicut Christus semel peccato mortuus est.

Solus Christus & unica illa sua cruēta oblatione satisfecit pro peccatis nostris ante primam iustificationem.

Christus ergo Dominus, & solus ipse, & illa una tantummodo oblatione cruenta, hoc totum fecit: ita ut pro peccato illo primo & summo, quo omnes includebamur rei, nullus alius, neq; segregatim, neque cum illo, nec ante nec postmodo sacrificauerit ut litaret. Ergo per illum solum & per illius oblationem liberati sumus à peccato illo, nacti uiam ad salutem, facti dociles Deo: si tamen hoc beneficium tam magnum agnoscamus & acceptemus expoliantes ueterem hominem & induentes nouum per fidem et sacramentum Baptismi, in quo non est necesse amplius illum offerri pro uobis, sed iam oblatus ibi exhibetur uobis. In quo sacramento accipientes dona Spiritus, ingredimur in illum, & constituimur membra eius qui uiuit, & sic transimus de morte gratiæ ad uitam, qui prius eramus membra primi hominis & propterea mortui gratiæ in illo. At nunc expiati in Christo, ualemus assistere & ambulare fiducialiter coram Deo, tanquàm coram patre iā placato, per uiam iam paratam uobis & stratam usq; quo consummemur in gloriam sempiternam. Hæc est uia Crucis, à qua multi propter asperitatem se auertunt, quia internam dulcedinem non experiuntur, quā non capiunt nisi qui uiam pergunt, ad ulteriora se extendentes, & animosi non aspiciunt retro, sed uidentes coronam, ad illam concito gradu contendentes anhelant.

Concludimus ergo à doctrina B. Pauli, q̄ ad hunc effectum patrandum, qui est à peccato liberari & iustificari & intrare in Christum & sic in uiam ad militandum, sicut ipse militauit & uicit, quæ cuncta in Baptismo significantur & fiunt: non fuit, nec est, nec erit alius præter illum solum sacerdos, nec aliud sacrificium præter illud solum cruentum sui corporis, nec alia oblatio præter illam unam in Cruce factam ab eo cum oratione & lacrymis, qui pro sua pietate ac reuerentia exauditus est. Hæc est apostolica doctrina latè per eum tradita & inculcata, per quam hactenus frangimus aduersariorum Achillem, qui in eo innituntur, q̄ illa una oblatio fuit satis ad consummandum in æternum sanctificatos, ut non sit opus alia ulla noua oblatione. Nos autem dicimus, uel ipso B. Paulo teste, q̄ illa una oblatio satis fuit ad redemptionem earū præuaricationum quæ erant sub priore testamento: quod non aliud significat nisi id quod diximus, originali NOTA

nale peccatum cũ suis fructibus, quoniã qui sub originali erant, sub priore testamento erant conclusi rei mortis. Itaq; quantum ad huiusmodi præuaricationes, fatemur quòd qui semel sanctificati sunt, ab eis delictis in sempiternum sanctificati sunt, quia nunq̃ priores præuaricationes redeunt. Et ideò semel tantùm baptizamur, quia semel est Dominus mortuus, & in baptismo solùm habemus illam cruentam hostiã expiatricem cunctorum penitus antecedentium delictorum. Vnde B. Paulus de prioribus iniquitatibus eleganter dixit: Vbi autem est horum remissio, iam non est oblatio pro peccato. Et ne quis amplius quàm semel usurparet sibi hostiam illam cruentam, uolens illam pari modo applicare pro futuris peccatis: aduersus illos adiecit: Voluntariè enim peccantibus post acceptam notitiam ueritatis, iam non relinquitur hostia pro peccato.

Cur semel tantum baptizamur.

Occurret autem & hoc in loco nobis alius & dicet: Si sic res se habet, ut Christus sua illa oblatione cruenta non sit operatus pro nobis nisi redemptionem præcedentium delictorum, quæ sub priore testamento continentur, uidetur sequi quòd in nouo testamento uel non sint delicta, uel si quæ sunt, inexpiabilia sint: quod si sic, redit hæresis Nouati, qui ex hac modò relata Apostoli sententia: Voluntariè enim peccantibus &c. & ex alijs præcipuè quæ in ea epistola habentur locis, negabat post Baptismum aliam pœnitentiam: à qua hæresi si abhorremus, superesse uidetur ut dicamus (sicut noui hæretici dogmatizant) uel quòd post Baptismum non sunt præuaricationes, quia nõ est lex: uel si sunt, eas non curet Deus, sed habeat pro expiatis per illam primam Domini cruentam oblationem, & sic non imputet eas iam fidelibus: & ita sola fide ac fiducia absq; ullo sacrificio expientur. Hoc est enim quod noui hæretici dogmatizant: sed pessimè ac perniciosissimè. Non enim ita res se habet, sed cum Christo & B. Paulo dicimus, ipsa quoq; rei experientia nos docente, quòd non uenit Christus soluere legem, sed stabilire ac perficere & nouam facere: & iccircò etiam in noua lege esse posse & inueniri præuaricatores. Vtinam non essent. Nec est uerum quòd illis non imputetur peccatum modo credant sibi non imputari, quoniam sæpe etiam magis imputatur peccatum post Baptismum, quàm quæ antea patrata erant, dicente Domino: Ecce sanus factus es, noli ulterius peccare, ne quid deterius tibi contingat. B. etiam Petrus Apostolus dixit, quòd his qui post impetratam primam remissionem rursus implicantur peccatis, facta sunt posteriora deteriora prioribus. Falsum ergo & irrationabile est omninò, quòd in nouo testamento admissa peccata non imputentur propter semel iam oblatam Christi cruentam hostiam, quæ (ut dictum est) pertinuit ad prioris testamenti delicta. Et hæc noua peccata post sanctificationem primam talia ex se sunt ut tantò magis sint imputabilia, quantò magis uoluntaria: quoniam non est ea infirmitas & ignorantia post acceptam gratiam, quæ erat prius. Deinde ijs ingratitudo sese admiscet, quæ grauioris ponderis facit esse peccatum. Quòd autem hæc peccata sub nouo testamento contracta sint inexpiabilia, dogma est peruersum, & iam olim ab Ecclesia damnatum atq; explosum.

Cum ergo peccata sint, & expiabilia sint, & ad illam cruentam Christi hostiam non pertineant, uidendum est quonam pacto: Vtrum sine sacrificio expientur. Videtur enim prima facie uacare sacrificiũ quia sunt sacramenta, & pro his admissis post Baptismum specialiter est sacramentum pœnitentiæ: unde uidetur superuacuum omninò esse aliud sacrificium. Et nos dicimus, omninò esse necessarium sacrificium, quoniam sine sacrificio nullum consisteret sacramentum: quod ego mox patefaciam. Sicut autem quæ sub nouo testamento admittuntur peccata, alterius sunt generis quàm uetera, sic debent habere suum proprium sacrificium & sacerdotium & hostiam & congruentes oblationes, non unam tantum, sicut quæ prioris erant testamenti: quia cuncta peccata quæ sub illo erant, quodammodo unum reputabantur, tanq̃ ex illo uno manantia quod semel admissum fuit in Paradiso. Quare unam tantum requirebat oblationem ad expiandum, ut diximus. Quæ enim sub nouo patrantur, per se singula considerantur, & quodlibet suam expiationem postulat. Habet etiam & hoc sacrificium sua propria sacramenta, sicut suo loco dicetur. Si igitur sacrificium requiritur pro his delictis & peccatis quæ sub nouo testamento & lege gratiæ committuntur, & ob hoc sacerdotium esse debet, oportet & hic indagare sacerdotes idoneos. Sed quis tantus, nisi ille unus Christus qui nos antea conciliauit Deo? Attende acute lector.

Peccata post baptismum quo pacto expientur.

Dominus noster IESVS Christus, sicut decretus fuit à Deo sacerdos & Pontifex noster in diebus carnis suæ, ad eripiendum nos à dominatu Diaboli & peccati quo omnes astringebamur, quod & ille effecit unica illa oblatione: ita etiam constitutus fuit ab ipso Deo sacerdos & Pontifex in die glorificationis suæ, ut esset mediator, non antiqui testamenti in quo fuit redemptor, quia in illo non mansimus, sed noui testamenti, propter superuenientes lapsus & præuaricationes. Magna porrò est differentia inter ipsum Christum pro eo tempore consideratum quando erat in carne nostra mortali, et ipsum eundem pro eo tempore quando excitatus à mortuis uiuit: unde & sacerdotij & sacrificij & oblationum rationabilis resultat differentia. Ex tunc enim factus est nobis iam redemptus sacerdos in æternum, & secundum ordinem Melchisedec. Vis uidere quòd sacerdos factus est à Deo secundum ordinem Melchisedec postq̃ resurrexit & constitutus est à Deo ad dexteram suam? Hoc & uerba Prophetæ & uerba Apostoli declarant. David .n. postq̃ explicauit dictum fuisse Domino à Domino: Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos &c.

Sacerdotium æternũ Christi quando cœperit.

& dominationem eius enarrauit, adiecit: Iurauit
Dominus & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in
æternum, secundum ordinem Melchisedec. B. Pau-
lus hoc ipsum sæpenumero memorans, etiam clarius
explicauit in epistola illa ad Hebræos, ubi ait: Nec
quisquam sibi sumit honorem, sed qui uocatur à Deo,
tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clari-
ficauit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum:
Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum
& in alio loco: Tu es sacerdos in æternum secundum
ordinem Melchisedec. Ecce ut patet quod pontificatus
iste quo clarificatus est Dominus non fuit in diebus
carnis suæ, sed postmodo quando dictum est illi: Fi-
Act. 13 lius meus es tu, ego hodie genui te. Quod pertinere
ad diem resurrectionis in quo sumus, idem Apostolus
alibi declarauit satis apertè.

Adde quod secundum illud munus quod obiuit offeren-
do in Cruce, non potest dici Christus Pontifex in æter
num, quia ipse ibi mortem oppetijt sacrificando, unde
postea factus est sacerdos secundum uitam insolubilem,
secundum quam opponitur alijs sacerdotibus, qui mor-
te desinebant esse sacerdotes. Ipse enim econuersò,
post mortem sacerdos factus est: imò per ipsam mor-
tem hunc honorem obtinuit. Vnde Apostolus post
ea quæ superius citata sunt, de eo dicit: Qui in die-
bus carnis suæ preces supplicationesque, ad eum qui pos
sit saluum facere à morte cum clamore ualido & la-
crymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.
Et quidem cum esset filius Dei, didicit ex ijs quæ pas-
sus est, obedientiam: & consummatus, factus est
omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, ap
pellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedec.
Hæc ille. Et amplius declarans quod dicitur sacerdos
factus in æternum, adiecit: Eò quòd semper uiuat: ut
nouum statum significaret. In eo.n. statu priore non sem
per uixit. Quare et Apostolus hanc notans differentiam,
dixit: Lex enim homines constituit sacerdotes infirmi-
tatem habentes: sermo autem iurisiurandi qui post
legem est, Filium in æternum perfectum. Sermonem
iurisiurandi uocat illum quem expressit David: Iura-
uit Dominus, & non pœnitebit eum. Et hunc ser-
monem asserit esse post legem, quod est, esse postquam
translata fuit lex, & consequenter sacerdotium cum
ipsa lege, ut noua lex & nouum sacerdotium intel-
ligatur: unde & apertè uocatur sponsor & mediator
& pont. noui testamenti, ad quod non pertinet illa
oblatio cruenta. Nondum enim erat testamentum no-
uum quum ipse obtulit semetipsum, sed præsupponi-
tur ipsa oblatio sui ante testamentum, & ex ipsa
potius testamentum successit, quod in Christi sangui-
ne iam effuso constitutum est: unde & oblatio panis
& uini noua uocata est. Præterea, cruenta illa obla
tio: non fuit secundum ordinem Melchisedec, qui ob-
tulit panem et uinum. At ipse decernitur Pontifex se-
cundum ordinem Melchisedec. Ex quibus omnibus
clarè patet quod Dominus noster IESVS Christus in
nouo testamento Pontifex est & sacerdos in æternum,
& (quod iugulat aduersarios nostros, & inimicos hu
ius sancti sacrificij) est Pontifex secundum ordinem
Melchisedec, & perpetuò, ita ut oporteat perpetuò
offerre hostias, & non (sicut ipsi intelligunt) satis
fuit illa una prima cruenta oblatio, nisi quia per illam
factus est Pontifex in æternum, ut propter nouas præ-
uaricationes assiduè offeratur noua hostia, & ipse
assistat coram Patre interpellans pro nobis in cœlis, ut
declarat Apostolus. Quid enim oporteret eum adhuc
pro nobis interpellare in cœlis, si nullæ nouæ essent
præuaricationes, & si una illa hostia suffecisset?

Verum hoc in loco rursus insurgent, & dicent:
Si est pontifex Christus, & secundum ordinem Mel- Obiectio hæ-
chisedec, & perpetuus: ergo ipse semper deberet of- reticorum.
ferre panem & uinum, quia sacerdotis est offerre;
quod tamen nullibi legitur fecisse Dominus. Quòd si
hoc facit nunc, oportet quòd in cœlis faciat ubi sedet
ad dexteram Patris. Si autem in cœlis hoc facit, non
malè dicimus nos (dicēt hæretici) non esse ullū in nouo
testamento sacerdotium uisibile et externum in terris.

Nos autem ad hæc respondentes, & ad primum,
quòd aiunt non legi Christum obtulisse panem & ui- Responsio.
num, dicimus, imò uerè legi hoc. Nam in cœna Do
minus quum sacramentum instituit, etiam proculdu-
bio obtulit: tametsi hoc aduersarij negent. Probatur
enim hoc euidenter, quia si ipse fuit sacerdos secundum
ordinem Melchisedec, & figuratus est in illo qui obtu Christus in
lit panem & uinum, profectò necesse est & ipsum cœna sacrifi-
obtulisse aliquando panem uerum, idest, corpus suum cauit.
sub speciebus panis, quia ipse dixit: Panis quem ego
dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita.
Sic & uinum uerum, sanguis eius est sub speciebus
uini, quem pro nobis effudit. Necesse est autem hæc
fateri, ut ueritas figuræ respondeat. At illi uidentes
hoc argumentum ualidum nimis, illud etiam perneg-
runt, uidelicet, Melchisedec obtulisse panem & ui-
num, neque hoc in Scripturis haberi. Verùm hæc fu-
ga & tergiuersatio primùm aduersatur innumeris
Sanctorum testimonijs, & uniuersæ Ecclesiæ, quæ
semper hoc habuit pro comperto. Nam & Rabbini
quoque Iudæorum nonnulli hoc probant, ut superius
adduximus. Alioqui declarent illi nobis quo pacto
Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchi-
sedec. Quis erat ille ordo, siue ritus, ac dispositio,
in eo sacerdotio Melchisedec, qui dicitur sacerdos Dei
altissimi? Proferant hoc illi nobis si ualent. Quòd si
non ualent proferre, acquiescant uoci Ecclesiæ ita in-
terpretantis Scripturam. Præterea, quod Dominus ob-
tulerit panem & uinum, manifestum est ex hoc quòd
ipsi Apostoli obtulerunt: et hæc oblatio, ab ipsis initijs
Ecclesiæ sanctæ peruenit usque ad hæc nostra tempora,
iam elapsi sunt anni mille quingenti & ultra. Si er-
go Apostoli & omnes alij sequentes sacerdotes usque
ad hunc diem obtulerunt panem & uinum, quâ id au-
toritate fecissent, nisi & uidissent exemplum Domini,
& manu

& mandatum similiter ab eo accepissent ut idem facerent? Dixit enim Dominus: Hoc facite in meam commemorationem. Quid est dicere, Hoc facite? nisi hoc quod ego feci? Sin autem ipse non obtulit: qua nos confidentia possemus offerre, & potuisset uniuersa Ecclesia hoc facere, et docere? Dicere autem (sicut ausus est Lutherus tam impiè) quòd errarunt omnes sancti Patres, & totus innumerabilium sacerdotum cœtus, & tot seculis, iam non est tam disputare q̄ blasphemare: non dico Sanctos & ipsam sanctam Ecclesiā, sed ipsum Spiritumsanctum qui tantam tamq; diuturnā permisisset in Ecclesia sua idololatriam, & tot bonos sibiq; charissimos Patres tam insigniter aberrare passus esset: quod qui potest persuaderi, profectò lumine fidei cassus est. Verum instant. Sed ubi, inquiunt, habetur in Euangelio? Si enim sacrificauit Dominus & obtulit in cœna, cur hoc non exprimitur in ipsa Scriptura quæ narrat historiam? Respondeo primùm satis innuitur in uerbis Scripturæ. Quod enim Apostolus dicit, quòd Dominus accepit panem, & postq̄ gratias egit, fregit &c. per eam gratiarum actionem significata est & consecratio & oblatio simul: quoniam hoc sacrificium, est quædam gratiarum actio de iam accepto illo cruento sacrificio, ad redemptionem nostram ut statueremur in nouo testamento. Vnde & Eucharistia uocatur; hoc est, gratiarum actio. Dicitur & sacrificium laudis: est enim sacrificiū noui testamenti, quod præsupponit (ut dixi) redemptionem & acceptationem illius cruentæ hostiæ: unde & laudamus & benedicimus Deum, memoriā tanti beneficij recolentes.

Blasphemia Lutheri.

Nec uero obsistat mihi hoc in loco aliquis obyciens ꝙ Dominus instituit hoc sacrificium ante passionem suam, ac propterea anteq̄ uetus testamentum destructum esset, ut per hoc non potuerit esse sacrificium noui testamenti. Est enim in promptu responsio. Sicut .n. Christus ante passionem suam instituit sacramenta ut post passionem uigorem haberent, ita & hoc similiter instituit sacrificium: oportuit enim præuenire. Signum autem ꝙ hæc oblatio sequuta fuerit testamenti ueteris oblationem, manifestum est, quia prius ut finem statueret Agno typico, manducauit eum cum discipulis suis, ac mox nouum constituit sacrificium panis & uini. Præcessit autem hoc sacrificium incruentum hostiæ cruentæ oblatio, etiam illa die, saltem uoto: quoniam in ea cœna, anteq̄ offerret panem Christus & uinum, iam obtulit cruentam hostiam semetipsum, acceptatam à Patre. Vnde & in ea die secundum Scripturas occidendus erat, quæ erat quartadecima luna. Et ideò tanquam occisus habitus est coram Deo, non solùm quia hoc futurum nobis, iam erat in decretis et in præscientia Dei, uerumēt quia ipse Dominus illa die se obtulit Patri, & absoluit Iudam ut effectui manciparet quod iam omninò meditatus erat. Quòd autem illud panis ac uini sacrificium esset sacrificium noui testamenti, patet ex uerbis Domini qui dixit cum sanguinem exhiberet: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Apud Matthæum uerò & Marcum dicitur: Hic est sanguis meus noui testamenti: ac si dixerit: Hic est sanguis, cuius effusio iam decreta & acceptata à Patre meo firmauit uobis nouum testamentum, nouum pactum, nouam legem non absq; suo sacrificio: ut sic iam oblatus & assiduè offerendus eluat nouas culpas quæ sub ipso nouo testamento denuò admittantur.

Sacrificium Eucharistiæ est noui testamenti sacrificium.

Nec hic quiescent, sed redibunt ad Melchisedec, quem aiunt nec uinum nec panem obtulisse in sacrificiū, quoniam Scriptura id non dicit, sed duntaxat quòd protulit panem & uinum. Aliud autem est proferre, aliud est offerre. Protulit autem ut refocillaret Abram & uernaculos eius uenientes de prælio. Hæc illi. Magnum sanè & mirabile argumentum: Quia protulit panem & uinum quo cibauit & potauit Abram & suos, iccircò non obtulit prius Deo: quasi uerò non potuerit proferre iam oblata Deo, sicut reuera fuit. At hoc, inquiunt, ꝙ obtulerit non dicit Scriptura. Imò satis dicit quùm rationem confestim adycit quare protulerit. Ait enim Scriptura: Erat enim sacerdos Dei altissimi: non Dei Hebræorum, sed Dei altissimi, qui est Deus non Hebræorum tantum, sed omnium Gentium.

Melchisedec obtulit Deo.

Sed instant adhuc & aiunt: Non habetur iuxta literam hebraicam illud, Erat .n. sacerdos, quasi reddatur ibi ratio exhibitionis panis & uini: sed habetur: Et erat sacerdos &c. ac per hoc non redditur causa superioris dicti. Nos autem dicimus ꝙ in hebraica lingua litera V A V quæ pro copula frequenter accipitur, sæpe usurpat sibi officium reddendi rationem supradictorum: quod in multis locis in sacris literis licet deprehendere. Nam & ipsa copulatiua coniunctio E T latina, nonnunquam eandem uim obtinet, & exponitur pro quia. Sic dicimus: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus uentris tui, idest, ideò tu benedicta, quia fructus uentris tui fuit benedictus. Et B. Ioannes Euangelista dixit: Deus dedit potestatē filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. Et adiunxit: Et Verbum caro factum est. Vbi etiam illud E T, reddit rationem dicti: ac si expresse dixerit: Ideò illi filij Dei qui credunt in nomine eius, quia Verbum caro factum est. Alioqui nequaquam benè cum superioribus iungeretur. Sic postq̄ Dominus dixit: Veni separare hominem aduersus patrem suum, & filium aduersus matrem, & nurum aduersus socrum suam: confestim pro rationeadiecit: Et inimici hominis, domestici eius, idest, quia inimici hominis sunt domestici eius. Et in psalmis dicitur: Da nobis auxiliū de tribulatione: & uana salus hominis, hoc est, Da tu nobis hoc auxilium, quia uanum est expectare salutem ab homine, cuius salus uana est. Sexcenta sunt huiusmodi loca in Scripturis. Hoc ergo uidens Interpres, optimè eo in loco reddidit enim pro et, dicens: Erat enim sacerdos Dei altissimi, scilicet, ad quem

Et pro Quia sæpe accipi in Scripturis.

pertinebat ea sacrificare & proferre, uimirum panem & uinum. Nam huius sacrificij sanctitas antiquis etiam traditionibus commendata est, uel ex ipsis Rabbinorum testimonijs quorum partem superius attulimus, satis patet. Quòd uisi hoc pacto interpretemur, considera quæso accute lector, q̃ male & ineptè cohæreant hæc duo simul cõiuncta, uidelicet, Protulit panem & uinum, Et erat sacerdos Altissimi. Quid enim affine habet panis & uini prolatio cum hoc quod esset sacerdos, nisi ut intelligatur (sicut omnes intellexerunt, præter nouitios hos magistros) quòd ex eo protulit quia erant oblata in sacrificio, cum ipse esset sacerdos, de cuius manu Deo oblata & sanctificata accipiuntur & eduntur à cultoribus Dei? Perstrinxit autem Scriptura paucis illis uerbis mysterium, quia maiorum traditionibus iam erat notum. Nam genus illud sacrificij, quod etiam expectabatur, ut Rabbini quos iam adduximus testantur, finem cunctis alijs sacrificijs meritò imponebat, cum solum ipsum sit uerè mundum, immaculatum, ac per omnia Deo acceptabile.

Addè quod cum cætera ibi quæ propria sunt & conueniunt sacerdoti enarrentur, ut benedicere, accipere decimas, minus uerisimile est, id quod præcipuum erat sacerdotis, uidelicet, offerre sacrificium (ut declarat Apostolus) fuisse prætermissum: præsertim quod decimæ quæ redduntur, ob participationem sacrificij redduntur: unde facilè uel ex ipsis decimus ibi colligas Abram participasse de sacrificio illo panis & uini. Hæc si diligenter considerabit prudens lector, haud dubium quin persuasus in huiusmodi rationibus quiescat. Neq; mihi in hac quæstione Caietani autoritatem obijciant, qui hac parte cum illis consentit. Nam si autoritatem eius & doctrinam hæretici probant: profectò Caietanus *ipse nunquam negauit noui testamenti sacrificium. Cur hoc igitur illi cũ Caietano non consitentur? præsertim quod illud Caietanus non ex proprijs dixit, cum ipse imperitus esset linguæ sanctæ. Motus autem fuit ut illud diceret, satis leuiter & audacter nimis, contra Patrum doctrinam & omnium catholicorum consensum, deceptus à nescio quo Rabbino quem de hebraica ueritate consulebat. Quamobrem hac parte non maior esse debet autoritas Caietani, quàm præceptoris eius ignobilis cuiusdam Rabbini.*

Verùm ut ad rem redeamus. Iterum negotiũ facessunt & aiunt: Obiectio. *Quid ergo opus est tot oblationibus? Si enim Christus sacrificauit panem & uinum, cur non suo illo sacrificio expiauit cuncta peccata quæ in nouo testamento admittuntur, ut non sit opus alijs oblationibus, sicut una illa cruenta oblatio satis fuit ad expiandas cunctas illas præcedentes præuaricationes?* Responsio. *Respondeo quod Christus per illã suam cruentam hostiã se immolando non ademit, imò quæsiuit alijs facultatẽ simili modo immolandi seipsos, etiam pro alijs, sicut B. Paulus de seipso nec semel testatus est. Et ad Timotheum ait: Ego enim iam delibor, hoc est, immolor. Et ad Corinthios: Ego autem, inquit, impendam libentissimè, & superimpendar pro animabus uestris. Et ad Coloss. Gaudeo in passionibus meis pro uobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia &c. Vnde & sanctissimus Canon ecclesiasticus quem recitamus mysteria facientes, non dubitauit, admonente Spiritu sancto, cum oblatione corporis Christi & memoria passionis eius adiungere etiam suæ Genitricis & Apostolorum & sanctorum Martyrum passionem, ut corũ meritis & precibus, diuinæ protectionis muniremur auxilio. Sic ergo Christus sua illa sanctissimi corporis cruenta oblatione non abstulit alijs, imò uerò attulit (quemadmodum dixi) facultatem similiter sese offerendi, ut prosint Ecclesiæ: quorum sanguis (in Christo tamen) acceptus fuit à Deo ut sacrificium acceptabile, sicut & Propheta prædixit: Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum uitulos: id quod de Apostolis & alijs iustis sanctis Martyribus intelligitur, qui in altari quod erat Christus effuderunt sanguinem pro Ecclesia. Ita etiam per hoc quòd illam suam incruentam hostiam instituit atq; obtulit post Agni typici absolutionem, non ademit alijs, imò tunc dedit facultatem hostiam eandem similiter offerendi. Nam utraq; sua illa oblatione sanctificauit utrunq; oblationis genus, cruentum Martyrum, & incruentum quo utimur. Vt.n. in suo baptismo sanctificauit aquas ut nos per illas sanctificaremur, sic illa suæ hostiæ oblatione nostras sanctificauit hostias: quod etiam ut faceremus mandauit.*

Hic iterum interpellabunt nos aduersarij & quærent, Alia obiectio. *Quonam modo propterea quod semel obtulerit panem & uinum Christus, uerum efficitur quòd sit ille sacerdos in æternum? Qui enim semel tantum sacrificat, quomodo dici potest sempiternus sacerdos, unius oblationis gratia à se factæ, nisi etiam sæpius offerat? Oportet igitur, inquit Lutherus, in hoc sacerdotio si sempiternum est, assiduas esse oblationes uisibiles & externas.*

At hoc est quod nos dicimus, & sensibile esse atq; Responsio. *externum sacerdotium, idem'q; perpetuum sacrificantibus nobis similiter & offerentibus assiduè. Nec est necesse ut etiam ipse offerat sensibiliter, cum hoc semel fecerit instituens & sacrificium & simul huius rei ministros, per quos continenter offerens, ipse censetur offerre. Voluit enim nos dignificare hac parte ut sui corporis potiora membra. Sicut autem reuera ipse est qui uerè baptizat, & tamen non ipse per seipsum ministrabat baptismum sensibilem: ita est ipse uerè qui sacrificat & offert in altari excelso ante Patrem, licet ministerialiter hoc faciat per nos offerentes sensibiliter in altari sensibili. Nam quod in hoc offerimus altari, poscimus ut in cœleste illud altare per Angelum Dei perferatur & offeratur. Et sicut falsò diceretur baptismum non esse sensibile sacramentũ*

in Ecclesia

in Ecclesia, quia Christus qui uer: baptizat, non sensibiliter baptizat, eo quia satis est ꝙ per ministros suos sensibiliter baptizet: ita falsò ac perniciosè dicitur non esse eternum ac sensibile sacrificium in Ecclesia quia Christus ipse non sacrificet sensibiliter, cum hoc faciat per nos ministros suos: quod magis pertinet ad eius gloriam, quam suo merito sibi acquisiuit, ut dignificaret nos tanta dignitate, qua maior certè considerari non potest. Fecit enim nos sibi regnum & sacerdotes, hoc est, constituit regale sacerdotium in Ecclesia, non quidem ut omnes sint æquè sacerdotes (ut hæretici non minus indoctè quàm arroganter pronunciant) sed ut sit hæc præclara dignitas & ordo sacerdotalis in hierarchia ecclesiastica (sicut dictum est) ad conficiendum sacrificium cœleste, & expiandum peccata collabentium ac præuaricantium in nouo testamento. Quid .n. magis arduum, quidue maius aut dignius excogitari potest, quàm facere corpus & sanguinem Domini uerum adesse in altari, & contrectari nostris manibus, saltem secundum uestimenta sua, quæ sunt panis & uini sensibiles illæ species, & offerri pro nostris & aliorum peccatis & delictis? Item edi atq; potari ut non solùm deleantur peccata, uerumetiam confirmetur ac roboretur anima aduersus tentationes & molestias uitæ huius, & saginetur amplius, et assiduè maioribus ac spiritualibus donis, quæ nouerunt solùm qui gustant, impinguetur.

Alia obiectio aduersariorũ. Hic iterum mouebunt aduersarij: quoniam omnis expiatio uidetur postulare sanguinis effusionem sicut uidetur inuere Beatus Paulus, dicens: Et omnia penè in sanguine secundum legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio. Quod autem fiebat in lege ueteri, erat typus eorum quæ futura erant in noua. Cum ergo offeratur in nouo testamento (ut confitemur) hostia incruenta, & non est ulla effusio sanguinis: uidetur ꝙ nec ulla debeat esse peccatorum remissio: Quamobrem dixit Lutherus: Si sacerdos Christum sacrificat in altari, oportet ut eum occidat & sanguinem eius fundat. Ad quod respondentes dicimus, *Responsio.* Nec nos sine sanguinis oblatione offerimus. Et licet hic sanguis quem sensibiliter offerimus nunc, sensibiliter non effundatur hoc tempore: est tamen ille idem sanguis qui semel effusus fuit, & secundum uigorem toties effunditur, quoties offertur cum commemoratione effusionis antiquæ. Quapropter Deus quùm instituit hoc sacramentum, non dixit de sanguine suo: Qui pro uobis effundetur; sed ut habet Græca ueritas: Qui pro uobis effunditur, cum tamen non effunderetur tunc. Dictum est ergo, Effunditur: quia efficacia illius effusionis est assidua coram Deo, ut (sicut dixi) quotiens offertur per nos ipse sanguis effusus, toties uideatur effundi: ita ut hoc sacrificium per illud in Cruce factum perficiatur. Propter hoc etiam bonum est & necesse est sacerdoti facere in eius commemorationem sicut dixit Dominus & in Canone commemoratur. Vnde & memoriale uocatur, & B. Paulus ait, quòd quotiens manducamus hoc sacrificiũ & bibimus, mortem Domini annunciamus. Est igitur uerum, integrum, & efficax hoc sacrificium, quia sanguis effusus offertur, per quem fit expiatio. Effusio autem ipsa etiam quasi præsens accipitur, quoniam memoratur quæ fuit, & secundum efficaciam (sicut æquum fuit) assidua est. *Notandum.* Nam & quùm baptizamur, in mortem Christi baptizamur (ut ait Apostolus) tanquam si tunc ille moreretur & nos cum illo quùm aqua perfundimur, quia eius passio & mors uniuersum seculare tempus amplectitur secundum efficaciam. Vnde non ab re dixit Dilectus, quòd Agnus occisus est ab origine mundi. Hoc ergo sacrificium nouum & incruentum suam habet efficaciam ab illo cruento cuius commemoratio fit. Nam ut hoc esset, per illud obtentum est, sicut diximus.

Sed hic etiam erumpent aduersarij, & dicent: *Alia item obiectio.* Non est igitur uerum hoc sacrificium, sed potius quædam memoria ueri. Alioqui (ut ait Lutherus) si ex memoria oblationis illius sacrificium nouum efficitur, cur non ex memoria natiuitatis eius fit etiam ut denuò renascatur? Respondeo, O calumniose, quòd hoc *Responsio.* memoriale, quia habet quæ perficiunt sacrificium & essentiam eius, ideò ipsum uerè sacrificium est: memoria autem natiuitatis non facit nouam natiuitatem. Quòd ergo sacrificium uerum ea constituant, patet. Ad hoc enim ut aliquod sacrificium sit, oportet ut sit *Quæ ad sacrificiũ requirãtur.* quod offeratur, sit offerens, sit etiam ipsa oblatio. Nam sine oblatione sacrificium non consistit. Dicit enim B. Paulus: Omnis Pontifex ad offerendum munera constituitur, unde necesse est & hunc habere quod offerat. Nec id satis, sed oportet ut id quod offertur sit acceptabile & placeat Deo, & ideo aptetur & sacrum fiat à sacerdote: unde & sacrificare importat sacrum facere. Sacrificium ergo nihil aliud est quàm operatio quædam circa rem aliquam, qua sacra fiat & digna quæ offeratur, & oblata placeat Deo. Modò ꝙ hæc omnia cõcurrant in hoc sacrificio; patet. Est enim in primis quod offertur, corpus uidelicet & sanguis Christi uelatum: Et hæc sunt munus & hostia, quæ per ipsum sacerdotem & eius operationem facta sunt ut offerantur Deo. Facit enim ea sacerdos dum benedicit. Tum offert quod benedictum est, & gratias agit Deo. Quòd uerò illud quod offertur, ex se & sui dignitate sit gratum Deo & dignum omni acceptatione, blasphemum est negare. Dignitas .n. per se manifesta est, quia corpus est & sanguis Dei uiuentis & regnantis. Quòd autem gratum sit & acceptabile Deo ad tollenda peccata, & si nulla fiat mactatio & effusio, accipit ex illa priore mactatione & effusione commemorata, quæ ante oculos Dei semper est. Et ideò non solùm memoria facit sacrificium, sed benedictio & oratio rei dignæ & acceptabilis coram Deo. Est igitur uerè hoc sacrificium. Quòd autem etiam ex parte offerentis dignum sit acceptari, satis patet: quia ad hoc assumuntur sacerdotes, &

quos ipse assumit, etiam dignos facit Deus, sicut scriptum est per Isaiam prophetam, & nos superius diximus. Verum est tamen, quod si cum peccato accedant immundi sacerdotes, sacrificium quidem mundum esse ex se, & prodesse uelut operatum, non tamen ut à tali facinoroso fit: sed quia est minister Ecclesiæ, Ecclesiæ quidem proderit, sed non sibi. De qua re (Deo fauente) alibi erit sermo.

Sed & hoc in loco rursum dicent. Si ita est: ergo per hoc sacrificium quod est memoriale illius, omninò expiabuntur peccata. Cur igitur imponuntur satisfactiones pro peccato? Et præterea, Quid opus est sacramento pænitentiæ? Si enim sacrificium hoc aufert peccata, quid oportet ad hoc ut auferantur, eos pro quibus offertur conteri, confiteri, & adhuc satisfacere? Offertur autem pro tota Ecclesia. Videtur ergo aut quòd hoc sacrificium superuacuum sit, aut certè superuacuum ipsum pænitentiæ sacramentum. Quo in loco attentè considerandum est, ut efficaciam huius sacrificij accipiamus: quoniam dicimus oblationes nostras eius hostiæ ualere pro peccatis & nostris & aliorum, etiam defunctorum. Videndum autem nunc est quomodo hoc uerum sit.

Considerandum est ergo, Primùm quòd quanquam prima illa cruenta Christi oblatio liberauerit totum mundum ab antiquo peccato & reatu illius, & consequenter ab omni reatu supradictorum peccatorum: attamen (sicut diximus) non ita liberauit, ut non sit necessarium cuilibet applicari merita illius hostiæ. Et quoniam multa sunt mortalium peccata (sicut euidenter apparet) quæ faciunt quò minus multis applicentur hæc merita prioris hostiæ, & multi etiam applicata non retineant: ideò per sacerdotes nouæ legis hostia incruenta primùm offertur, & oratur generaliter pro Ecclesia, ut dignetur Deus eam quam acquisiuit Filius sanguine suo pacificare, custodire, adunare, ac regere toto orbe terrarum: & deinde pro Pontifice summo, & Imperatore, seu Rege, & denique generaliter pro cunctis orthodoxis & catholicæ Ecclesiæ cultoribus.

Secundò considerandum est, quòd licet homo cui applicata fuerint merita primæ hostiæ, liberatus sit à peccato illo antiquo, non tamen ita liberatus est ut non maneat fomes & incentiuum peccati, ita ut necesse sit incurrere omninò peccata aliqua quotidiana propter uim istam fomitis crudelem. Et ob istam gratiam hoc sacrificium institutum est præcipuè, in quo sanguis Christi effunditur pro ijs (ut ita dicam) repullulationibus scaturientis peccati, ut ab illis emundentur. Si enim dixerimus quòd peccatum non habemus, idest, uitium in carne quod concupiscentia dicitur, illa nimirum uis quæ apta nata est Spiritui repugnare, omninò mentimur in caput nostrum. Attamen si ambulamus in luce non consentiendo instigationibus peccati, ait Dilectus, sanguis IESV Christi emundat nos ab omni peccato. Vide acute lector, quòd etiam ambulantes in luce peccato non carent: sed peccata illa quæ assidua sunt et ineuitabilia, non imputantur: quia sanguis Christi assiduè immolatus abstergit illa & delet: quod & iustum est, si modò confiteamur nos peccatores, et rogemus dimitti nobis peccata, et applicemus nobis hostiam salutarem quæ quotidiè offertur, comedendo & bibendo sacramentum: quod est participare de sacrificio, quo abluimus pedes, ita ut si nolimus ablui & recusemus etiam pedum lotionem, non possimus habere partem cum IESV: quia nihil coinquinatum intrabit in regnum eius. Si autem sic lauamus pedes, confitentes peccata & uolentes mundari, participantes sacrificio per uotum & comestionem Agni saltem spiritualiter, absque dubio ab ijs mundamur malis affectibus quibus propter fomitem carere uix possumus, nec nobis ulterius imputantur. Nam ad hæc extenditur hostiæ illius cruentæ uigor in sacrificio incruento, quia computantur tanquam præcedentia delicta, quia inde ueniunt, scilicet à peccato primo. Et hic est proprius & regularis sacrificij effectus: quia reuera, accepta gratia, non deberemus peccare ulterius nisi hæc peccata à quibus abstinere non datur. Vt igitur nobis ostenderet Dominus IESVS hunc huius sacrificij effectum, qui applicatur in sacramento, lauit pedes Apostolorum suorum, ut designaret horum peccatorum ablutionem: quæ ut quotidiana sunt, ita et iugi sacrificio & oratione quotidiana delentur. Et ne quis decipiatur, non est alia uirtus sacramenti, alia sacrificij, sed per ipsum sacramentum Eucharistiæ applicatur sacrificij uirtus incruenti, quam à cruento mutuamur: sicut per baptismum applicatur uirtus cruenti sacrificij absque alio medio sacrificio.

Denique considerandum est, quòd sunt etiã grauiora peccata, quæ dicuntur crimina & præuaricationes, quæ admittuntur assiduè in nouo testamento, pro quibus pariter offerimus incruentam hostiam. Et quidem quantum ad hæc peccata tollenda, considerandum est (ut diximus) quòd illa hostia cruenta non applicatur ijs, eò quòd post notitiam ueritatis acceptam, uoluntariè, idest, proprio consensu prolapsi sunt. Nam hæc hostia cruenta est illa cui adiungitur sacramentum baptismi, ut eius uirtus applicetur. Oporteret ergo iterũ baptizari qui denuo transgressus uiolauit baptismum priorem. Hoc autem non esset aliud quàm Christum non semel sed pluries pati. Illa enim sua passio in baptismo perfectè applicatur pro præcedentibus præuaricationibus. Et, ut iam dixi & sic dicere necesse est secundum Apostolicam doctrinam, non potest ad sequentia peccata applicari illo modo. Quid ergo? Nunquid non habent mediatorem? Imò habent, sed non plenè satisfactorem. Cur non? Nonne meruit hostia illa cruenta in immensum, ut posset et pro his satisfacere? Meruit illa quidem, sed eo merito seipsos indignos faciunt ut ingrati gratiæ, qui post acceptam gratiam sponte committunt in illam: quod nolunt hæretici animad-

uertere. Iccircò illa hostia applicari eis secundum primum modum non potest: quia hoc esset in contumeliā sanguinis Christi & ipsius gratiæ. Non enim quia sub gratia sumus peccare debemus: imò ob hoc ipsum peccare non debemus, quia sumus sub gratia. Et tamen non sine remedio quitales sunt relinquuntur. Nam habent Pontificem apud Deum in cœlis interpellatorem: quoniam assiduè pro his offertur hostia in terris, quæ est memoriale passionis eius, quo fit ut Deus eos qui huiusmodi sunt multis modis admoneat & inuitet ad pœnitentiam. Et hic est etiam effectus sacrificij huius. Et propterea instituti sunt sacerdotes, ut pro his hostias offerant incruentas: & data est illis potestas absoluendi peccatores, si quando resipuerint uocanti Domino, & datis æquis conditionibus paruerint, uidelicet si confiteantur. Imponuntur quoque ab ipso sacerdote operæ satisfactionis ob

Satisfactio

eam causam quam iam diximus: quia non recipiunt isti gratiam primam in qua habemus per omnia satisfactorem Christum. Isti enim aduocatum habent, Christum iustum: ut satis sit & ualde satis si uultum Patris pacatum nobis reddat & liberet à reatu peccati maximi, quod peccatum est auersio nostra à Deo, quæ in omni crimine inest. Quisquis enim præuaricatur auertit se à Deo: unde meretur ut & Deus auertat faciem suam à peccatore: quæ pœna est omnium pœnarum maxima. Hanc autem pœnam aufert à nobis sacrificium hoc memoriale, si modò applicemus illud nobis per sacramentum pœnitentiæ. Manet tamen pœna temporalis pro modo delicti: quia sicut in omni peccato est auersio à Deo creatore & saluatore nostro, à quo malo Christus aduocatus nos eripit si ad Deum nos reuocantem conuertimur, ita est conuersio aliqua ad bonum aliquod temporale, quod prætulimus bono æterno: & ob hoc culpa hæc nostra digna est aliqua animaduersione & emendatione, id poscente iustitia & æquitate, quæ nonnullam uindictam exigit: ut si cut lætatus est peccator malo et peccato, ita etiam torqueatur & luat: quod tamen nolunt hæretici. Et hic tanquam pro Christi zelantes gloria, non desinunt clamitare quòd arctemus primæ hostiæ efficaciam & sufficientiam: nec solùm hostiæ, uerùm etiam illius sanctissimæ oblationis quam fecit in cruce, addentes illi hostiæ alias hostias, & illi oblationi alias etiam oblationes.

Pœna temporalis pro peccatis post baptismum.

Deceptio hæreticorum.

Sed hic est locus maximè ubi longè oberrant hæretici, & inuoluuntur tenebris, quia semel oderunt lucem, & nolunt Ecclesiæ statuta sequi, & in eius lumine ambulare. Aiunt enim: Derogatur antiquæ oblationi Christi. Si ipse obtulit, aut enim sufficiens eius oblatio fuit ad consummandum sanctificatos perpetuò, aut non. Si negatur, iniuria irrogatur Christo, cuius meritis detrahitur. Item contra dictum Apostoli, qui dixit quòd consummauit in æternum sanctificatos. Sin autem conceditur illius oblationis sufficientia: uacant ergo posteriores hostiæ & oblationes, sicut ait B. Paulus, qui ex hoc antecedente, quòd hostia aliquando fuerit ad expiandum potens, infert quòd debeat cessari ab oblationibus, quia pro iam expiato peccato non est ulterius offerendum.

Hæc uerò, quanquam ex supradictis facilè resolui possint, ut agnoscantur nihil habere momenti apud eos qui Dei sapientiam & ordinem mirificum obseruant in cunctis: tamen ad uberiorem confutationem aliquid addendum est. Quæro enim ab istis sapientibus. Nunquid Christus obtulit preces & supplicationes in cruce pro nobis? Haud enim dubium hoc. Id enim dicit Apostolus. Si ergo orauit pro nobis: nonne exauditus est pro sua reuerentia? Quis insanus dubitet? Cur igitur exigit quoque nostras orationes, si sua profuit & exaudita est? Nonne nostræ superfluunt? Aut ipse fortè indiguit ut suæ orationes iuuarentur à nostris orationibus? Non potest hoc dici. Quid ergo, nisi quòd suæ orationes ualuerunt etiam ad hoc, ut orantes & supplicantes propter illum exaudiremur? Ideò Ecclesia sancta in omni ferè oratione adiungit, Per Dominum nostrum IESVM Christum Filium tuum. Et in oratione dominica postremò adijcitur, Amen: quod est nomen Mediatoris, ut Dilectus docuit in Apocalypsi ubi ait: Hæc dicit Amen, testis ille fidelis & uerus, principium creaturæ Dei. Sicut ergo orationes nostræ à nobis exiguntur pro salute nostra, non quia Christi orationes non fuerint acceptæ & exauditæ, nec quia illæ suæ indiguerint nostris quas ipse potius per suas sanctificauit, sed quia uoluit ut & nos nobis similiter salutem nostram operemur: Ita post oblationem Christi etiam oblationes nostræ non superfluunt, nec adijciunt ad iniuriam suæ oblationis, per quam potius sanctificantur: sed ad illius maiorem gloriam & nostram, qui dedit nobis de suo quod offerremus & nos, & expiaremus coram Deo, sicut dictum est. Sunt enim assidua in Ecclesia delicta, quæ oportet expiari. Nam quod ait Apostolus: Consummauit nos in æternum sanctificatos una illa sua oblatione cruenta, intelligitur (ut iam diximus, & ipsemet declarat) de prioribus præuaricationibus ueteris testamenti. At quia in nouo testamento admittuntur, uoluit nos in hanc dignitatem extollere, ut possimus sacrificio illas expiare: non semetipsum deprimens, sed potius magnificans, qui ualuerit sibi aliquo modo similes comparare & applicare. Nec enim dedignatus est uocare fratres. Siquidem & Scriptura filios Dei uocat, quia ad nos & propter nos factum est Verbum Dei caro. Magnificatur ergo gratia & gloria Christi secundum hanc rationem et ordinationem diuinam, non conculcatur, ut more meretricum obiectant hæretici: quod ipsi uere faciunt. Nec uerendum'est propterea ut æquemur Christo in hac substantia huius sacerdotalis celsitudinis. Ipse enim est primus ac

Ex oblatis autem certum quid segregabatur consecrandum, idq; per manus Diaconi tradebatur sacerdoti, & ipse accipiebat, & acceptum offerebat Deo: quod quum offertur potest dici donum ac munus sanctum & immaculatum gratia oblationis iam factæ in altari & acceptatæ à sacerdote qui est loco Christi, quia ipsum altare est quod sanctificat donum, ac munus sanctum & immaculatum efficit, teste Christo. Illa tamen sanctificatio nondum talis est, qualis erit postmodum quùm fiet corpus & sanguis Christi · sanctificatio tamen nonnulla est & uera coram Deo: quoniam quod semel oblatum est Deo atq; acceptum, non potest dici cōmune ac prophanum, sed sanctum & mundum atq; immaculatum, imò & sacrificium: quoniam & sacrum factum est, utpote iam dispositum atque aptatum ad summam consecrationem per acceptationem à sacerdote loco Christi. Nam & ipse Dominus accipiens suis sacratissimis manibus panem illum, nonnullo modo sanctum reddidit confestim ut accepit, tametsi nondum consecrasset. Vnde et huiusmodi sanctificationem eorum quæ disposita sunt ut fiant hostiæ, intelligimus fieri quùm primum ad hoc ab ipso sacerdote accipiuntur. Quare non absq; huius mysterij significatione dicitur in Canone iuxta Apostoli enarrationem: Qui pridie quàm pateretur accepit panem in sanctas ac uenerabiles manus suas. Ecce ut ordinem sanctificationis exponit. Non enim communem panem ante se positum benedixit & si suo imperio potuisset hoc facere, sed uoluit ut decebat (sicut uigilanter scriptum est) illum suis sacrosanctis manibus accipere, ut sic disponeretur ad ultimam illam consecrationem, & daretur nobis exemplum decens quod imitaremur.

Potest ergo & tale sic sanctificatum hostia dici; non quòd iam sit, sed quòd in hoc offertur ut fiat hostia et sacrificium: et quod in procinctu est ut fiat, iam esse existimatur. Cuius rei gratia sacerdos post offertorium orat dicens: In spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur abs te Domine, ut sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut tibi placeat Domine Deus. Et super ipsum panem et calicem orat cum signo crucis, & ait: Veni sanctificator omnipotens æterne Deus, & benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini præparatum. Ecce ut uocat sacrificium præparatum, nondum peractum & consummatum. Sed ad consummationem eius tunc incipit orare. Et quùm est propè consecrationem denuò orat in hunc modum: Quam oblationem tu Deus in omnibus benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemq́. facere digneris, ut nobis corpus & sanguis fiat Domini nostri IESV Christi. Quæ oratio manifestè non aliud petit nisi ultimam benedictionem, quæ est hostiam in hostiam transire, & oblationem in oblationem, ut possit acceptabilis esse coram Deo. Cognoscens enim prudens sacerdos quòd si quam iam obtulit hostiam pro peccatis suis & aliorum talis, maneret in sua substantia, idest, solùm communis panis & uinum, non satis esset ad expiandum peccata nisi commutaretur uirtute Dei in illam hostiam quæ placet Deo: ob eam causam ut inchoatum perficiat sacrificium, orat ut benedicatur hostia illa, idest, conuertatur substantia panis & uini in corpus & sanguinem Domini nostri IESV Christi manentibus speciebus, & ita fit ascripta, idest, notata quasi per scripturam digito Dei, ut adiungatur illi quam obtulit Dominus IESVS pridie quàm pateretur. Nam ad illam cæteræ ascribuntur, sicut dicuntur ascriptitij ciues qui alijs aggregantur. Sic ascribuntur nomina nostra in libro prædestinationis, idest, eorum nomina qui non sunt prædestinati aggregantur cum ipsis nominibus prædestinatorum. Iccircò orat Ecclesia sancta, ut hæc nomina sancta ascripta in libro prædestinationis detineantur. Nam hæc ascripta deleri possent cum non sint nomina prædestinatorum. Sic & hic oramus pro oblatione ista, ut postquàm fuerit ascripta, etiam fiat rata, idest, firma, & non deleatur: sicut dixit ille: Quod scripsi scripsi, idest, ratum sit & firmum, ne corrumpatur tituli superscriptio. Oramus etiam ut fit rationabilis & acceptabilis, uidelicet ex parte hostiæ: quod est orare (sicut uerba subiecta declarant) ut fiat corpus & sanguis Domini nostri IESV Christi. Tunc enim uerè rationabilis erit & consequenter acceptabilis coram Deo si in talem hostiam fuerit commutata. Non enim rationabile est ut peccata nostra alia hostia expientur quàm Christi, cum nulla sit rationabilis præter illam. Non enim fert ratio ut læsa diuina maiestas nostris piaculis, hircorum & taurorum sanguine & huiusmodi uilibus oblationibus placetur. Ideò nulla hostia ad hunc effectum fuit unquam rationabilis, hac una excepta, qua placetur Deus. Hæc est igitur oratio conueniens ex parte hostiæ, qua rogatur omnipotentia Dei ut talem faciat. nimirum benedictam, ascriptam, ratam, & rationabilem.

Verùm succedit, iam consecratione facta, alia oratio, quam isti illusores pari modo uituperant & illudunt, quùm dicimus: Supra quæ propitio ac sereno uultu respicere digneris, sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui Abel & sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedec sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Surgunt enim hoc in loco illusores, & aiunt: Vide quid agant isti, orant Patrem pro Filio. Dicunt enim ut dignetur respicere in illum. Mentiris calumniator hæretice, mentiris si uis fallere, aut saltem mendacium dicis si tu falleris. Non enim orat hic sacerdos Patrem ut respiciat Filium, sed orat ut respiciat super oblata dona, idest, panem sanctum uitæ æternæ & calicem salutis perpetuæ. Et sic non orat simpliciter pro Filio ut est Filius semper dilectus, sicut

tu filius calumniatoris insimulas, perperam uerba accipiens, sed ut est hostia, & non simpliciter ut est hostia, sed ut oblata à nobis, supra quam ut sic non respicit Deus *aliquando quùm ab indignis offertur uel pro iudiguis*. Ideò *opus est oratione, ut respiciat, hoc est, ut dignos uos faciat aut pro dignis habeat & si non simus digni ex uobis*. Ac *propterea immeritò & calumuiosè similiter reprehenderunt, quùm pergimus orare ut dignetur* Pater *accepta habere hæc munera sicut dignatus est accepta habere muuera* Abel *& sacrificium patriarchæ* Abrahæ *& illud* Melchisedec. Ecce, *inquiunt calumniatores & censores* Ecclesiæ, *isti sacrificuli æquant* Christum Abelo, *& muneribus eius munera* Christi, *& simpliciter* Abrahæ *&* Melchisedec Christum *ipsum, & eorum sacrificijs æquale faciunt sacrificium* Christi. O *calumuiatores impudentissimi & pleni diuinorum ignorantia, dicite nobis*: Iu *sacrificio ad eius acceptationem nonne duo considerantur, uidelicet & oblator & oblatio? ut propter oblatoris indignitatem & si quod oblatum fuerit pretiosum sit, oblatio tamen ipsa fædetur?* Memento*te* Scripturæ *quòd respexit* Deus *ad* Abel *& ad munera eius, ad* Cain *uerò & ad munera eius uon respexit*. Quare *non respexit ad munera* Cain? Nunquid *fortè respectu munerum, quia essent minus pretiosa?* Nequaquam, *sed quia non ea fide obtulit qua ipse* Abel, *sicut declarat* Apostolus. Itaq; *ex parte nostri rogamus ut suppleat* Dei *beniguitas, ne nostra indiguitas et indeuotio faciatut donũ quod ex se est acceptabilissimum, minus tamẽ acceptabile sit propter uos, sed ut sit sicut illud* Abel *&* Abrahæ *&* Melchisedec, *qui tres magna fide obtuleruut secundum spiritum eandem hostiam quam nos offerimus, diuersis tamen rationibus & sub uarijs figuris*. Abel *enim agnum occidit, iu eo* Christum *agnoscens*. Abraham *uerò filium, quod in se fuit*. Melchisedec *autem panem & uiuum*. Itaq; *uihil indignum, uihil indecens oramus, sed quod & rectum & necessarium censeri potest à uiro prudente nec malè affecto erga* Ecclesiam Dei.

Illud *quoq; simili calumnia subsannant, quòd sequenti oratione petimus hoc sacrificium perferri per* Augelum *in altare cœleste*. Dicunt *enim, quòd nos petimus perferri* Filium *ad* Patrem *per* Angelos, *& mentiuntur: quia uos sacrificium nostrum & oblationem nostram petimus perferri per* Angelum, *hoc est, per* Christum, *ut quod nos in altari terreno spirituale offerimus, sancti ipsiut* Augeli *manibus ad altare sanctissimæ diuinitatis deferatur*. Sed *dicent argutuli ad decipiendam hebetem plebem*: Nunquid *quod offeritis non est* Christus? Respondemus: Non *est simpliciter* Christus, *sed* Christus *ut est sacrificium*. Christus *autem & ipsemet existens sacrificium, unum est subiecto, sed diuersum ratione*. O' *miseri, hæc si uon intelligitis, discite autequàm reprehendatis: aut si (quod uerius existimo) intelligitis, desiuite tandem illudere & decipere miseras & infelices plebes*.

Denique *reprehenduut quasi rem crassam ac penitus absurdam admirautes quod aiuut* Theologi *hoc sacrificium ualere & effectus suos producere ex ui operis operati, ita ut & si fuerit minister malus, prosit tamen hoc miuisterium: quoniam ut habeat efficaciam uon tam minister, quàm ipsum opus à* Deo *respicitur*. Nam *cum sit sacrificium hoc ordiuatum ad expiationem peccatorum quæ in uouo testamento admittuntur, & pro uiuis & defuuctis offertur, non debet quouis modo malitia sacerdotis hauc benignam* Dei *ordiuationem impedire, & alijs nocere malè ministrando, sed sibi tantùm*. Satis *est enim illum esse idoneum* Ecclesiæ *miuistrum*. Esset *autem iniurium manifestè si* Missa *& sacrificium quod ad hoc est institutum ut pro euncta* Ecclesia *offeratur, & pro uiuis & defunctis siue in genere siue in specie: per prauitatem ministri uon produceret effectus suos*. Hoc *uerè est derogare gloriæ* Christi *& gratiæ eius*. Quo *in loco plura adderem si quid ipsi opponerent dignum confutatioue*. Ipsi *autem suo more non tam rationibus & argumentis certaut, quàm quibusdam propria autoritate confictis præiudicijs, in quibus suas admirationes & exclamationes superædificant, nihil solidi ac uiui & ueri contiuentes*. Quocirca *dicendum est eis ut ualeant cum sua ipsorum arrogantia & contentione*.

Sacrificium ex ui operis operati prodest uiuis & defunctis.

Superest *ut contra abusum huius sacrificij nonnulla dicamus*. Primus *& maximus omniũ abusus est accedere ad altare sacrificantem impurum corde*.

Abusus circa sacrificium.

Nam *cum ipsa oblatio munda sit, indignissimum est & omuinò peruersum eam ab immundo offerri ac tractari*. Immunditia *uerò præcipuè in duobus consistit & manifestè*. Primùm *est quùm sine fide sacrificatur, ut fecit* Cain, *sicut ait* Apostolus: Fide Abel *plurimam hostiam obtulit, per quam testimonium consequutus est quod esset iustus*. Homo *ergo qui siue fide sacrificat, cum etiam comedat & bibat, iudicium sibi manducat & bibit: sicut* Iudas *quem credimus de manu* Domiui *accepisse cibum sanctum in perfidia*. Vnde *introiuit in eum* Satan, *& possessionem perpetuam cordis illius accepit tanquam habitaculi sui*. O' *quot* Iudæ *uunc qui in illo* Iuda *significati sunt, quorum corda possidet* Diabolus. I.

Est *uerò & alius abusus quùm, fide staute, indignè tamen sacrificat, quia in peccato manet, & sibiipsi conscius non retrahitur pœuitentia*. Nam *habens copiam sacerdotis, uon satagit confiteri peccatum; ut absolutus possit non indignè manducare & bibere*. Hic *igitur similiter damnationem sibi comparat faciens seipsum reum corporis & sanguinis* Domiui, *quem sacrificando (quod in se est) occidit gratis, non curans illam sibi effusionem prodesse, & iniuriam facit* Christo *&* Spiritui *sancto qui est charitas eius, uolens illum (quod in se est) frustra* II.

fuisse

fuisse crucifixum, quasi Crucis indignitas ad illum suo merito pertineret, non autem ad redemptionem nostram.

III. *Est & tertius abusus quùm sacerdos (si quis tamen est adeò insignis malus) non uerè sacrificat, quia nec intentionem habet sacrificandi, nec uerba profert à Christo mandata, quibus conficitur sacrificium. Hoc uero insigne scelus est, quia facit populum idololatrare. Non quòd ipse populus peccet, cum sit ignarus sceleris, sed quòd ille cultus coram Angelis Dei qui externam adorationem falsam uident, abominabilis est, de qua Dæmones rident, qui de omni mendacio & fallacia lætantur, præsertim quæ ad religionem pertineat.*

Est & abusus quartus eorum qui Iudam imitan-
tur uendentes Christum & paciscentes pro missis ac IIII.
numero missarum. Sunt enim sacerdotes pauperes qui tanquam uenale exponunt sanctissimum sacrificium, ut inde sibi comparent uictum, sicut qui ex quaelibet prophana mercimonia sibi contrahunt unde uiuant. O uæ infelix et æternum huiusmodi sacrilegis.

Illud uerò infandum prorsus ac nullo modo nisi
cum horrore memorandum, quòd suasu peruersorum V.
Dæmonum quidam audent, non quidem comedere sacrificium, sed abuti ad maleficas artes infandis modis. Quo scelere quid scelestius & magis sacrilegum cogitari possit, non uideo. Hic ergo sileo. Dominus uidit.

Innocentius Tertius.

toritate, ſed ut miniſtros alligatos certæ formæ. Quare hæc opinio Innocentÿ non eſt alia ab illa quam idem B. Thomas recitat ſecundo loco poſt hanc, & eſt eorum qui aiebant quòd Chriſtus alÿs uerbis benedixit, quæ non ſunt ab Euangeliſtis commemorata. Verùm contra hanc quoq; opinionem arguit idem S. Doctor his uerbis: Benedictio cõſecrationis nunc perficitur per imitationem eorum quæ tunc acta ſunt. Vnde ſi tunc per hæc uerba non eſt facta conſecratio, nec modo fieret. Ego uerò cum honore & reuerentia tanti Magiſtri, in gratiam ueritatis non uideo quid uigoris habeat hoc argumentum, cum illud ſumat circa quod uerſatur diſputatio. Hoc eſt enim quod negamus, uidelicet in ea conſecratione nos imitari Do-

accepit IESVS *hunc calicem in ea cœna, cum calix iſte non eſſet. At qui fidei luce pollet, reſpondet: O te miſerum. Ignoras enim Scripturas et uirtutem Dei. Quando enim Dominus accepit ſuis manibus illum ſuum calicem, omnes accepit: quia uirtutem dedit ut ſimiliter ſuum ſanguinem poſſent recipere. Sic & cum ſe lauit in Iordane baptiſmo, dicitur ſuo contactu omnes aquas ſanctificaſſe, tanquam omnes aquas contigiſſet: quia uirtus ex illo exiuit ſanctificans omnes. Mitto quòd poteram etiam reſpondere (quia fas eſt uera loqui) non ita cogi nos Conciliorum uerba obſeruare, ut putemus in multis non indigere benigna interpretatione, præſertim quùm docent, & non ex propoſito certas quæſtiones diſcutiunt atq; determi-*

Confeſſio Berengarÿ de Eucharistia.

DISPVTATIO

DE COMMVNIONE SACROSANCTAE EVCHARISTIAE SVB VTRAQVE SPECIE

Vtrum sit omnibus necessaria aut conueniens & concedenda.

QVOD SIT NECESSE communicare sub utraq; specie cunctis christianis sicut hæretici docent, nonnulla sunt, quæ fatis primo aspectu hoc probare uidentur.

Obiectiones pro cōmuni. e sub utraque specie.

Primo à facto & exemplo Christi. Cum enim omnis eius (ut dicitur) actio, nostra sit instructio: ipsum autem in cœna communicasse discipulos suos sub utraq; specie manifestissimum sit, uidetur quòd & nos similiter facere teneamur.

Secundo & fortius, ab eius dicto ac præcepto probari uidetur. Ipse enim dixit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Item ipse dixit: Hoc facite in meam commemorationem. Ex quo uerbo colligitur præceptum, uidelicet ꝙ ipsi deberent facere totum quod ipse fecit: & illud quidem in sui commemorationem. Duo autem ipse fecit. Sacrificauit enim sub utraque specie, & similiter sub utraq; communicauit discipulos. Ergo & nos similiter debemus facere.

Tertio facit, Quia ut ab historijs colligitur, hunc morem seruarunt multæ ecclesiæ, & ut quidam existimant, etiam ipsamet Romana Ecclesia. Est & B. Leonis decretum qui sumentibus panem mandat ut à calice non abstineant.

Quarto facit, Quia consentaneum rationi uidetur, plus fructus sumi de sacramēto sub utraq; specie sumpto, quàm sub una tantum. Sicut rectè creditur plus fructus accipi si saltem sub una tantū specie sumatur, ꝙ si sub nulla & solummodo in uoto sumeretur.

Quinto, Quia indignè mysterium diuiditur. Vnū est enim sacramentum corporis & sanguinis Domini: cur ergo diuiditur? Nec enim est perfecta alimonia si solummodo comeditur aut solummodo bibitur, sed ex esu simul & potu perficitur. Et uidetur ꝙ fiat iniuria ueritati.

Hæc sunt quæ uidentur adduci posse pro illa hæresi seditiosorum atque contentiosorum hominum ad probandum quòd necesse sit omnibus communicare sub utraq; specie.

Responsio ad obiecta.

Nos autem contra respondentes dicimus, sacrificanti quidem necesse esse sub utraq; specie communicare: Ei autem qui non sacrificat, minimè. Pro qua ueritate probanda satis putamus esse, & loco efficacissimæ rationis ipse usus Romanæ & uniuersalis Ecclesiæ, quæ hoc ipsum multis temporibus seruauit, & adhuc hodie seruat, & in contentione quoque cum hæreticis ab hoc more non recessit. Quare nihil aliud restat nisi ut obiectis respondeamus.

Autoritas Ecclesiæ.

Ad primum ergo de facto Domini, Respondemus primò, quòd non est necesse sequi Dominum in cunctis quæ ipse fecit. Nec propterea negatur eius omnem actionem esse debere nostram instructionem. Nam de qualibet eius actione doctrinam capimus, non tamen cuncta oportet imitari. Sicut nec omnium sanctorum facta (ut prudenter B. Gregorius docet) à nobis sunt imitanda. Quid uerò imitari debeamus præcipuè de uita & gestis Domini, ipsemet docuit aiens: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Id ergo quod maximè debebant imitari hi uiri contentiosi, non imitantur, sed immansueti, immites, superbi, aduersus suæ matris legem erigunt cornua dimicantes, & quæ acta sunt à Domino non ad imitationem, uolunt in uita omni Ecclesia imitari, non acquiescentes consuetudini quæ est optima legum & diuini spiritus interpres. Alioqui si cuncta quæ fecit Dominus sunt nobis pariter facienda, circuncidamur ergo, & præsentemur in templo post quadragiuta dies, offerentes agnum aut par turturum seu columbarum, & non baptizemur ante annum trigesimum. Imitarentur itaq; magis illum noui isti magistri & eorum sectatores, qui secessionem faciunt absq; causa, si se humiliarent & subderent suæ matri Ecclesiæ et iussis eius, sicut Dominus se Matri suæ subdidit & Synagogæ & præceptis eius secundum tempus. Hæc namq; sunt quæ imitationem poscebant, non aūt ista de quibus cum tanto multorum scandalo litigant, cum circa hæc non uersetur salus, aut ullum salutis dispendium. Deinde probabilissimum dicitur ꝙ Christus discipulos illos qui ibant in Emmaus communicauit sub una tantum specie, quemadmodum B. Lucas eleganter describit, qui solum memorat Dominum accepisse panem, benedixisse, fregisse, & porrexisse illis, & illos eum cognouisse in ea panis fractione. De uino autem penitus uerbum nullum. Credibile est etiam Ierosolis

Quo pacto Christus imitandus.

NOTA

mis in primitiua illa Ecclesia hoc similiter fuisse seruatum, cum legantur fuisse perseuerantes in communicatione fractionis panis, et conuenisse ad frangendum panem, et quod sumebant cibum panis cum exultatione. De altera uero specie uini, nullum uerbum: quod certe minimè fuisset prætermissum si tantæ, quantæ isti asserunt, necessitatis fuisset. *Act.*

Fauet & huic ueritati plurimum quòd in antiquis scripturis habemus pro populo figuram sacramenti panis, non uini, in illo Manna quod pluebat Dominus in deserto. Vnde & in Psalmo legitur: Panem cœli dedit eis: panem Angelorum manducauit homo. Quam ob rem & Iudæi obycientes Mosen ipsi Christo, dixerunt: Quod ergò tu signum facis ut uideamus & credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis mãducare. Quibus respondit Dominus: Amen amẽ dico uobis, non Moses dedit uobis panem de cœlo, sed Pater meus dat uobis panem de cœlo uerum. Panis enim uerus est qui de cœlo descendit. Et postremo tandem: Ego sum panis uiuus qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum. Et: Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Ecce quomodo Dominus panem pani opposuit, & seipsum Moisi, ut ostendat eo panis cibo contineri perfectam ad uitam alimoniam, sicut in illo manna, de quo Sapiens gratias agens Deo, aiebat: Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti eis sine labore, omne delectamentum in se habentem & omnis saporis suauitatem: ita ut perfecta esset alimonia. Quapropter & uetus Scriptura testatur, quòd gustus eius erat quasi similæ cum melle: qui cibus etiam uirtutem potus continebat. Nam quod fugitur quasi mel, loco potus est. Vnde non ab re in historia illa de manna nihil legitur potus adiunctum. Et tamen legimus quòd Dominus populum illum aluit annis quadraginta: ut intelligeremus in pane sancto, qui per illud manna significabatur, integrum alimentum contineri. His adde, quòd cum de sanguine habeamus figuram in agno & alijs hostijs, nunquam tamen legimus datum esse sanguinem in potum. Quis autem dubitat sub specie panis contineri non solum corpus Christi, uerum etiam sanguinem concomitanter, ut qui sub una specie sumit, sicut utrunque sumit, ita post sit de utroque cogitans spiritualiter non solum manducare, sed etiam bibere? quod tamen mox latius declarabo. Hactenus primo argumento satisfactum putamus. *Mannæ significatio.*

Ad secundum de præcepto Domini, quod dixit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis: respondemus id ea uerba intelligi de manducatione ac bibitione spirituali. Sicut enim necessaria est spiritualis manducatio, ita & bibitio spiritualis. *Responsio ad secundam rationem.*

Verùm ad huius rei pleniorem intellectum, oportet considerare et distinguere: quoniam à multis circa hoc erratum est. Primus error fuit Iudæorũ qui audientes Christum hæc uerba proferentem, cœperunt litigare et dicere: Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Putabant enim sic esse manducandam Domini carnem, sicut manducantur carnes agnorum & aliorum animalium. Contra quos ipse dixit: Spiritus est qui uiuificat, caro nõ prodest quicq̃. Verba quæ ego loquor uobis, spiritus & uita sunt, hoc est, spiritualem intelligentiam habentia ad consequendam uitam, ut manducatio & bibitio, de qua ego loquor spiritualis sit et non carnalis. Alius error est nonnullorum, & præsertim recentiorum nostræ ætatis hæreticorum, qui aiunt hunc locum nihil facere pro sacramento altaris, cum de spirituali manducatione & bibitione intelligi debeat, sicut & nos superius cœpimus confiteri. Vnde Lutherus dixit, totũ illud sextum B. Ioannis caput non attinere ad sacramentum. Quo in loco duo sunt animaduertenda. *Digressio.* *Iudæorum error.* *Error putãtiũ caput sextum Ioa. non loqui de Eucharist.*

Primum est insolentia & procacitas hæreticorum, qui cum planè fateantur hunc locum ad sacramentum non attinere, nihilominus econuersò hunc ipsum locum maxime obyciunt ut sub utraque specie persuadeant necessariam esse sacramenti sumptionem. Alterum est malus intellectus eorum qui ex eo, quod Dominus ibi de spirituali manducatione ac bibitione loquitur, falsò inferunt nõ intellexisse Dominum de sacramento: quasi uerò non possimus comedentes sacramentaliter, comedere ac similiter bibere spiritualiter, cum ad hoc ipsum sit institutum sacramentum ut per hæc sensibilia ad spiritualia erigamur. Quare nec illud quouis modo putandum est quod Caietanus persuadere conatus est, uidelicet ueteres Patres hæc uerba Domini non esse interpretatos ad necessitatem constituendam sacramenti altaris, cum omnes (quantũ ego legerim) aliter manifestè testentur. Vnde gloriosus martyr Episcopus Roffensis contra Lutherum id quod prædixi modò iactantem, ita dixit: In hoc nõ minimus abs te dissentio q̃ Cyrillus, Hilarius, Cyprianus, ac cæteri Patres eximij, qui non solum palàm usurpant huius cap. uerba pro testimonio Eucharistiæ, uerum etiam apertissimis rationibus docent sic usurpanda. Nec obstat quod quidam aiunt, non potuisse Dominum loqui ac præcipere de sacramento, cum nõs dum illud instituisset. Verba enim Domini præceptũ habentia ad futurum tempus referuntur. Vnde dixit: Nisi manducaueritis & nisi biberitis: procul dubio quando erit parata uobis mensa Domini. Quare & iuxta ueram lectionem ut habent Græci codices, dixit: Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Dedit autẽ postmodo in sacramento discipulis & omnibus christianis. *NOTA* *Caietanus.* *Epũs. Roffen.*

Redeundo igitur ad solutionem argumenti dico: Cum Dominus noster absq; dubio loquatur principaliter de manducatione ac bibitione spirituali, quam necessariam esse fatemur, non propterea sequi quòd itidem necessaria sit omnibus manducatio & bibitio *Reditur ad rem.*

sacra-

sacramentalis: quoniam sufficit manducatio tantū sacramentalis, in qua nihil prohibet exerceri utrunq; spiritualem actum, manducandi scilicet ac bibendi spiritualiter. Si enim manducatio & bibitio spiritualiter fieri potest absq; sumptione sacramenti siue ulla specie, quantò magis fieri poterit si saltem sub una specie fiat sacramentalis manducatio, cum in qualibet specie sit utrunq;, caro & sanguis? Quamobrem ad sacramentalem manducationem ac bibitionem hunc locū arctare uelle, torquere est, non interpretari. Nam ne sic intelligeremus, existimo illud à Domino dictum: Caro non prodest quicq̄. Spiritus est qui uiuificat. Hoc.n. non solum dixit in Iudæos qui de illa carnali manducatione intelligebant, quæ horrenda erat, uerumetiam in eos qui de sacramentali tantùm interpretarentur: quoniam & hæc manducatio carnalis est, quia specierum est, quæ subduntur carnali manducationi, nec quicquam prodesse possunt. Imò sacramentalis manducatio ac bibitio sine spirituali obesset multum: & ideò non de illa Dominus principaliter sentiebat, quæ solum erat signum ueræ manducationis, idest, spiritualis. Dominus enim qui ueritas est, non signum, sed ueritatem principaliter intendit, ex ipso tamen signo & in ipso accipiendam, ne putet aliquis nos excludere sacramentum, ut faciunt quidam.

Illud item Domini uerbum: Hoc facite in meam commemorationem, nihil facit ad communicationem sub utraq; specie. Quod enim dicit: Hoc facite, pertinet ad confectionem sacrificij, non ad ministrationem sacramenti. Alioqui teneretur sacerdos omnes circunstantes communicare sacramentaliter, & sub utraque specie: quod est onerosum & contra usum omnium ecclesiarum catholicarum. Nec est Sanctorum aliquis qui hoc ausus sit asserere: quanq̄ non me lateat etiam hæreticos hoc ipsū dogmatizare. Illud deniq; quod ipse Dominus dixit: Bibite ex eo omnes, manifestè illos duntaxat respicit, quibus ipse tunc porrexit poculum, ut ex ipsa litera satis patet. Et uerè præter primum locū non est alius qui ullam probabilitatem ostendat: quanquam & ille instantijs retunditur plus satis. Nam et Christus communicauit iam cœnatos. Nunquid & hoc seruabimus nos? Credo & hoc probabunt hæretici. Quidni probent? Ideò hoc tantò nos magis improbare debemus, quantò hæc uidemus, eò tendere ut inhonoretur ipse Dominus & saluator noster IESVS Christus.

Responsio ad tertiam rationem.

Ad tertium de obseruantijs ecclesiarum aliquando, dicimus, debile omninò argumentum. Primùm, quia nunquam probabitur quòd ille mos fuerit uniuersalis omnium ecclesiarum, neque quòd unquam fuerit ille sensus Ecclesiæ, ut illud obseruantes, quasi ex præcepto Domini obseruarent, ita ut nunquam sub una specie traderent, puta infirmis: quod fieri uix poterat sine periculo. Et quid, quæso, cum illis agebatur qui abhorrent à uino? Neque enim nos latent quæ producuntur ex Diuo Cypriano in nonnullis locis, & ex Beato Hieronymo super Sophoniam cap. 3. & de Theodosio in historia Tripartita lib. 9. qui dicitur accepisse poculum. Et denique quod habetur de Consecr. Distinct. 2. cap. Comperimus. Sed quis ignorat q̄ pro tempore, & ex causis emergentibus huiusmodi obseruantiæ mutantur, experientia nobis monstrante quod est rectius aut decentius uel opportunius? Exempla sunt innumera, quæ uel pueri iam norunt. Olim hoc obseruabatur cum maior esset spiritus feruor: Cuncti qui sacrificio assistebant communicabant. Hoc autem de communione sub utraq; specie, quod iam à multis seculis in desuetudinem abijt, qui rursus exigunt nisi hæretici ac perturbatores Ecclesiæ? Non ergo ita pertinaciter obseruandus est usus antiquus ecclesiarum, præsertim cum à multis seculis contraria et rationabili consuetudine sit abolitus. Si enim innituntur hæretici simpliciter in autoritate Ecclesiæ, cur quæso, nō hoc animaduertunt quòd nunc Ecclesia et à multo tempore non sic utitur? ut possimus meritò illud in eos reijcere tanq̄ molestos et contentiosos, et cum Apostolo dicere: Nos hanc consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei, cum nōnullis seculis apud Ecclesiam Romanam et alias catholicas multas ita cōsueuerimus sub una specie laicos communicare. Nunquid non est eadem autoritas Ecclesiæ nunc quæ olim fuerat? Aut reliquit eam Spiritus sanctus, sicut uidentur inimici eius prætendere? At hoc est contra uerbum Domini: Ego sum uobiscum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. In his ergo & quæ huiusmodi sunt suapte natura non perpetuæ immobilitatis, ut quæ sunt fidei & bonorum morum, sed ad cæremonias & obseruantias pertinent, non eousq; ueneranda est antiquitas ut putetur quòd antiquiores obseruantiæ semper fuerint meliores: quoniam econuersò accidit in huiusmodi à cursu temporis & experientia, quæ perspicaciores et cautiores nos reddunt. Alioqui deberemus (ut dixi) obseruare legalia, & circuncisionem admiscere baptismo, & alia plurima facere quæ olim in primitiua Ecclesia fiebant, nunc uerò minimè obseruantur, imò nec sine peccato & errore obseruarentur.

NOTA.

Hypocrisis et impudentia hæreticorum

Cæterum animaduerte quæso hic pie lector quanta sit horum hypocrisis & impudentia. Ipsi plura sua dogmata pertinaciter defendunt: & cum antiquæ Patrum traditiones & perpetuæ in Ecclesia Dei obseruantiæ quæ in illos strenuissimè militant, obiectantur: floccifaciunt. Vbi uerò aliquid iam antiquatum habent quod contra nos proferant, ibi se mirè religiosos & antiquitatis obseruatores ostentant. Tu uerò qui in catholica manes Ecclesia pie lector audi. Autoritas Ecclesiæ non in sapientia hominum posita est, ut quæratur antiquitas, quæ habet famam & persuasionem sapientiæ, sed in suggestione atque inspiratione Spiritus sancti, qui nunquam deest sponsæ Christi, iuxta eius uerbum, ut

dictum est. Cum igitur illa nunc apertè loquatur, & manifestè doceat non esse præceptum Christi, nec fructum aliquem afferre, sed contra honorem & reuerentiam sacramenti esse communicare sub utraq; specie, hanc Ecclesiæ uocem tanquam sancti Spiritus uocem audire debet qui illud rectè didicit & seruat: Qui uos audit, me audit. Quod autem adducitur ex Decreto de consecr. Comperimus: fallaciam habet manifestam. Nam sacerdotes Gelasius reprehendebat, qui tenentur ipsi saltem complere mysterij repræsentationem, ut suo locu dicemus. Illud uero Leonis præceptum, fuit ad confutandum Manichæorum errorem & tufandum mendacium, qui sanguinis Christi effusionem negabant & mortem. Sic aliquando statutum fuit, ne in baptismo tres mersiones obseruarentur, propter Arrianos, ut est apud B. Gregorium Papam.

Autoritas Ecclesiæ.

Ad quartum ergu respondemus negantes id quod sumitur, uidelicet plus fructus sumi ex sumptione sacramenti sub duabus speciebus, quàm sub una. Nam si res sacramenti queritur, quæ est Christus, procul dubio totus Christus est sub qualibet specie. Vnde non minus accipit qui sub una, quàm qui sub duabus sumit. Si autem sacramentum ipsum inspicitur, licet clarum sit quòd integrum sacramentum ex utraq; specie constat, & manifestè sub una tantum accipiens, minus accipit quàm qui sub utraque: non hinc tamen sequitur quòd minus fructus accipiat, cum fructus non à speciebus & ipsius sacramenti quantitate, sed à re sacramenti proueniat. Alioqui plus accipiens de pane, id est, de speciebus panis, plus etiam fructus consequeretur: quod est ridiculum. Nec ab re dicit Scriptura de Manna non plus eum accepisse qui plus collegerat, quàm ij qui minus: quamquam non me lateat dictum illud iuxta Apostolum etiam aliud significare. Non enim absurdum est neque nouum in Scripturis ex eodem dicto plura uera colligere.

Responsio ad quartam rationem.

Hic obstabunt mihi fortè aliqui dicentes, Non à quantitate specierum, sed à diuersitate maiorem fructum uenire. Sicut .n. non satis est homini solùmodo comedere, aut solummodo bibere ut perficiatur nutrimentum corporale, ita non debet satis esse sub una tantum specie sumere (quod esset tantum comedere) ut perficiatur fructus gratiæ. Argutum sanè argumentum, ad quod tamen facilè respondetur si ad ueritatem respicimus, scientes primùm, quòd Deus non alligatur in conferenda gratia speciebus sacramenti & sumptioni earum, ita ut ipsas species & earum sumptionem sequatur collatio gratiæ & perfecta spiritualis alimonia, quæ tunc fit quum spiritu hoc faciente per fidem spem & charitatem, ipsi Domino magis incorporamur. Nec uerò cibus spiritualis regulatur secundum cibum sacramentalem: nec item potus spiritualis secundum potum sacramentalem hoc pacto, ut qui solummodo comedat sacramentaliter, etiam solummodo comedat spiritualiter, non etiam bibat: tanquam ad hoc ut bibat spiritualiter, necesse sit eum prius bibere sacramentaliter. Stulta est uedum falsa huiusmodi cogitatio. Nam comestio spiritualis non separatur à bibitione secundum spiritum. Vno enim actu spiritualiter comedentes etiam bibimus, & si natura bibitionem præcedat comestio. Qui enim spiritualiter comedit credens in Christum, etiam bibit spiritualiter, quia simul diligit illum. Et qui bibit diligens illum, simul etiam comedit, quia simul credit in illum: nec impedit hanc comestionem ac bibitionem spiritualem, quod solùm sacramentaliter manducemus.

Obiectio.

Responsio.

Rursum obstabit mihi aliquis, & dicet: Si ita est, ut ais, quòd spiritualis manducatio & bibitio ea est quæ prodest ad incorporationem, ut non requirat sumptionem sub utraque specie, sequeretur quòd etiam si sub nulla specie sacramentum perciperetur, idem esset: quoniam nihil prohibet posse sub nulla specie sumpto sacramentu, manducari tamen & bibi Christum spiritualiter. Nos autem respondemus ad hoc, non inficiantes etiam absque huius sacramenti sumptione sub ulla specie posse hominem spiritualiter manducare & bibere, & incorporari Christo: & nonnullis insuper contingere ut interdum plus fructus capiant assistentes tantum altari absque sacramentali sumptione, quàm qui sub utraq; specie communicent, cum plerique sint qui à sacramentali sumptione etiam consultò abstineant propter timorem ac reuerentiam tanti sacramenti: quoniam non faciunt se dignos tanta Dei præsentia, ut ex hac humilitate ac timore fortassis plus capiant utilitatis quàm si hoc spiritu timoris pulso audacius accederent ac sumerent sacramentaliter. Nec tamen propterea sequitur quòd liceat omnino à sacramentali perceptione abstinere. Neque item sequitur quòd per se, & cæteris æquè se habentibus, non etiam aliquid addat manducatio sacramentalis, saltem sub una specie. Non enim frustra institutum est à Deo hoc sacramentum ut liceat cuiquam omninò abstinere.

Alia obiectio.

Responsio.

Quòd si quis pergat, & hoc pacto instet: Si igitur manducatio sacramentalis aliquid facit ut adijciatur gratia (cæteris paribus) cur non pariter hoc idem faciat sacramentalis bibitio? Respondeo, oportere hoc in loco nos considerare sacramentorum rationem, quamobrem à Deo sint ordinata, & scire quòd summa ratio est ad humiliandum hominem, qui propter peccatum superbus est. Ante peccatum enim non erant huiusmodi sacramenta. Voluit ergo Deus obedientiam intellectus, ut captiuaretur in obsequium fidei, & inclinaretur ad suscipienda hæc sacramenta, atque inde haurienda diuina consilia & admirabilem Patris pro salute nostra prouidentiam: & hanc fidei doctrinam ueluti pueri addiscentes in eis (quod maximè fit in hoc sacramentorum omnium excellentissimo) nancisceremur quie-

Item obiectio.

Responsio.

tem & pacem in cordibus nostris. Satisfacit ergo homo huic humilitatis præcepto in perceptione sacramenti huius sub una specie tantum, & perinde ac si sub duabus sumeret aut sub mille, & ideò obediens assequitur integrum sacramenti fructum. Non autem satisfaceret sub nulla sumens. Quòd si uellet nunc etiam sub utraq; specie sumere contra mo-

NOTA rem Ecclesiæ sanctæ, non solum non maiorem, sed nec ullum caperet fructum, imò detrimentum potius & damnationem. Cuius ratio est manifesta. Finis enim sacramenti huius est humiliatio percipientis, ut per eam humiliationem consequatur eius effectum, qui est incorporatio & communicatio cum Christo & Ecclesia. At in hac tam proterua exactione, spiritus superbiæ & elationis ac petulantiæ exercetur, & fit potius diuisio & schisma in Ecclesia Dei. Quæ res apertum præbet testimonium quòd hoc opus non est Dei, sed Satanæ, qui est pater omnium hæresum & schismatum.

Ad hæc, propter ea quæ dixi modo, addo meo periculo: Si daremus (quod tamen longè alienum esse existimamus à uero) ex ui sacramenti plus fructus uenire à sumptione sub utraq; specie, ac propterea imprudenter errare Ecclesiam, subtrahens unam speciem: Dominus Deus obedientiam laicorum, qui se summittunt Ecclesiæ, hoc est, Prælatis suis, quibus debent obtemperare, ratam haberet et gratã: et quodcunq; gratiæ à uirtute sacramenti per errorem Ecclesiæ amitterent, totum sua æquitate ac iustitia illis resarciret.

Obiectio. Verùm instabunt alij paulò argutiores, & dicent. Stat ueritas, quòd sacramenta id efficiunt quod significant. Si ergo aliquid efficit sacramentum panis, puta incorporationem in Christo, cur non idem operetur sacramentum uini, cum & ipsum similiter hoc significet, & sic per illud addatur gratia gratiæ? An forte quia præuenitur ei sacramento panis? Quod si sic est, ergò satis erit etiam sacerdoti sumere sub una

Responsio. specie tantum. Respondeo, quùm possum esse liber, nolo me obligare sectis, & inremeabiles ingredi labyrinthos errorum plenos. Ego enim illam sententiam, quòd sacramenta conferant gratiam sic intelligo, quòd Dominus Deus accipienti sacramentum tribuit gratiam, quia per humiliationem illam et obedientiam disponitur homo ut sit susceptiuus diuinæ gratiæ. Fateor enim me non intelligere uim ullam aut uirtutem esse in sacramentis, ut sic illis utens Deus, quasi artifex instrumento, per illa conferat gratiam. Quare eum modum quo possum facilius rem aptare & capere, libenter (fateor) eligo. Video enim Scholasticorũ, propter sectas, in huiusmodi perpetuas esse quæstiones, easq; inextricabiles, dum infructuosa contentione unusquisque uult suas tueri partes. Quòd si ab his æmulationibus (quemadmodum esset æquum) nos eximere uellemus, cuncta leui negotio conciliarentur.

Ecce in re proposita. Si cogitamus quòd humiliatio & obedientia illa qua homo se subdit susceptioni sacramenti, est causa gratiæ per modum meriti, quoniam inclinamur ad hæc infima elementa: & adiungamus quòd qui suscipit sub unà tantum specie, satis humiliatur & obedit Deo, & consequenter satisfacit (ut diximus) præcepto sacramenti, ut constituatur satis dispositus ad suscipiendam gratiam: proculdubiò superuacanea redditur susceptio in altera specie. Sicut enim de baptismo habemus quòd solet tribus mersionibus expleri, & tamen unam immersionem dicimus sufficere: nec magis baptizatum dicemus eum qui ter fuerit immersus, quàm illum qui semel; aut illum qui absque immersione, ablutus tantum fuerit: quamuis trina immersio perfectam habeat significationem & mortis & sepulturæ, quæ in baptismo erat significata iuxta Apostoli doctrinam dicentis: Quicunq; baptizati sumus in Christo IESV, in mortẽ ipsius baptizati sumus. Consepulti.n. sumus cum illo per baptismum in mortẽ &c. Ita profectò dicendum est de sumptione sub una specie tantum, ut non minus credatur perfectam alimoniam suscepisse qui sub una, quàm qui sub utraq; specie sumpserit, etiam si quid expressius in utraq; significetur: quoniam significatio ad doctrinam tantum mysterij pertinet: ad conferendam autem gratiam, quæ est à Deo, quid potest conferre? Doctrina autem significationis non exigit actualem sumptionem eius qui doctrinam accipit, sed est satis quòd ab ipso sacerdote & in utraque specie conficiatur, & sub utraque sumatur. Nec sequitur quòd si tantum fructus percipitur sub una specie quantum sub duabus, licebit sacerdoti sumere sub una tantum. Sacerdoti enim necesse est sub utraque sumere, non ratione fructus, sed ratione mysterij, quod non licet diuidere. Tenemur enim credere corpus Christi datum nobis, & similiter sanguinem effusum, & à corpore separatum: quod totum significatur in utraque specie, & non in una tantum. Ideò saltem sacerdos tenetur sub utraque specie sumere, in qua saluatur significatio mysterij: quia ut dicemus, ipse pro omnibus sumit quantum ad hunc effectum. Et hinc patet solutio ad quintum argumentum, sicut paulò post distinctè dicemus.

Non hic tamen omittam aliam quorundam solutionem ad superius argumentum. Aiunt enim, Illud quod dicitur, sacramenta id efficere quod significant quia Deus utitur illis tanquam instrumentis donans eis illam uirtutem, esse uerum in alijs sacramentis, non autem in Eucharistiæ sacramento. Et ratio est, quia in hoc solo Dominus ipse præsens assistit, & ideò per seipsum operatur gratiam immediate. At contra hoc dictum facit Primùm ipsa Doctorum sententia, qui absolute de sacramentis eam proferunt. Modo excipere hoc unum quod est excellentissimum, non uidetur consentaneũ, nec ad mentẽ sanctorũ Doctorũ. Deinde ratio præcipua qua mouetur B. Thomas, ut

ponat eam uirtutem in sacramentis, multo magis militat in hoc sacramento. Ait enim, quòd si eam uirtutem non ponimus, derogamus dignitati sacramentorum nouae legis. Si igitur hoc sacramentum solum non habeat hanc uirtutem, derogatur ergo nobilissimo sacramento, ut hac parte caeteris sit uilius. Nec debet quenq̃ mouere ratio illa quòd in hoc sacramento praesens est Christus, & ideo facit per semetipsum: quasi uerò Deus sit minus praesens alijs sacramentis, ut per seipsum non possit gratiam operari, sed sacramento uti oporteat uelut instrumento, tanq̃ si omnis uirtus, etiam quae dicitur uirtus sacramentorum, si qua est, non sit à Deo. Praeterea, nunquid Christus est in sacramento ad hoc, ut tanq̃ instrumento Deus illo utatur ad conferendam gratiam, cum ibi sit immobiliter & insensibiliter, nihil penitus operans secundum corpus, quiq; nullo contactu nobiscum iungitur secundum quod est ibi? Praeterea, quid deperiret Christo si etiam ibi existens operaretur uirtute sacramenti? An forte inuidet ipse sacramento ut nolit in eo existens, per illud operari sicut in caeteris sacramentis? Deniq; si praesentia Christi hanc uirtutem aufert sacramēto, sequeretur ꝙ quùm baptizabat ipse manu sua, sicut creditur baptizasse discipulos suos, non à uirtute sacramenti, sed ab ipso immediate recepissent gratiam, cum esset ipse praesens et baptizaret.

Praeterea, etiam posito ꝙ ipse Dominus per seipsum gratiam conferat, & non uirtute sacramenti, certum est tamen quòd ipse Dominus est in utroq; sacramēto. Cur igitur si confert gratiā in primo quùm sumitur, non etiam in secundo si sumatur? Nisi dicatur in secundo non esse Christum ad hunc effectum: quod uoluntariè dicitur.

Scio ad haec posse aliquid responderi, si modo dici potest esse aliquid id quod plus habeat cauillationis, quàm rationis. Ego autem nolo contentionibus deseruire. Libuit duntaxat admouere lectorem prudentem, ut primùm intelligat à sacris Doctoribus multa esse dicta de magnis mysterijs, quae si ad propriam significationem uelimus reducere, inepta & falsa prorsus inuenientur. Quare piè ac benignè accipienda sunt & exponenda, nec id uitio dandum est illis, qui eo modo loquuti sunt: quoniam cum subiecta materia sensum nostrum ineffabiliter excellat, non licuit eis uti proprijs uerbis, quibus carebat humana facultas. Sic enim dictum puto, quòd sacramenta conferant nobis gratiam, & id efficiant quod significant, non quòd sit ulla in eis uis, aut uirtus effectiua gratiae, sed quodammodo: sicut dicitur à B. Paulo, quòd sublimiter pro Christo operatur nobis immensum gloriae pondus. Non enim à nostra patientia creatur coelestis gloria, quae immediate uenit à Deo, sed per illa patientiae opera illam meremur, & sic dicimur operari nobis salutem. Verùm de hac re alibi.

Ad quintum ergo dicendum est, Satis esse quòd sumatur perfectum mysterium à sacerdote. Sicut .n. ipsius est facere utrunq; & offerre, ita est etiam sumere. Nam quod ipse facit, pro omnibus facit, & ita omnes fecisse censentur. Vnde nō fit iniuria ueritati, quae in sacramento significatur. Non tamen quùm dicimus quòd sacerdos sumit pro omnibus, intelligimus quòd prodest omnibus, tanq̃ communicante illo, & omnes communicasse uideantur: quia sacramentum quatenus sacramentum, prodest tantùm sumenti: sed intelligimus quòd in ea sumptione fit perfecta significatio ueritatis, & hoc pro omnibus, quia satis est ad doctrinam omnium: quemadmodum uno legente plures audientes discunt & si ipsi non legant. Quod uerò dicitur unum esse sacramentum cibus & potus, uerum est, & tamen hoc unum quodammodo ex duobus sacramentis efficitur, ut dicatur sacramentum corporis, & sacramentum sanguinis, ut qui sumit sub una specie, uerè dicatur sumere totum sacramentum corporis. Quare & in plusculis orationibus & in ipso Canone unum hoc sacramentum, interdum sacramenta, numero plurali uocatur: quia licet unus & idem Christus sit sub qualibet specie, tamen non eodem modo: eò quòd sub specie panis est primò corpus & concomitanter sanguis: sub specie uerò uini est primo sanguis & concomitanter corpus: & iccircò in illa repraesentatur cibus, in hac uerò potus. Quia ergo dum à sacerdote conficitur & sumitur perfectè in utraq; specie, satis fit ad repraesentationem ueritatis, non oportet hanc necessitatem in laicis etiam constituere, alia maiore suadente ratione.

Responsio ad quintam rationem.

Secunda uerò quaestio erat de conuenientia, quae breuiter hac distinctione resoluitur. Si usū sacramenti respicimus considerantes mysterium solum, seu sacramentum ipsum quod perficitur in utraq; specie, non est dubium conuenientius esse sumere sub utraque specie. Perfecta enim alimonia fit ex cibo & potu: neque hoc uenit in disputationem. Sin autem respicimus id quod continetur in sacramentis, uidelicet corpus & sanguis Christi, propter periculum effusionis longè decentius est abstinere à sanguinis sumptione, et illam tanq̃ accepto ferre, tum quia in uero corpore, quod totum sumpsit, est etiam Christi sanguis, tum uerò quia sacerdos (ut diximus) etiam calicem sumpsit pro omnibus ad perficiendam mysterij integritatem. Quamobrem id quod aliàs ex se esset decentius, uidelicet sumere sub utraq; specie, fit indecēs propter ipsum periculū effusionis. Vnde ob eā causā abstinere laicos à calice, quia pietas et reuerētia atq; obedientia exercetur, promereri est potius q̃ fructum ullum perdere.

De conuenientia communionis sub utraq; specie.

Posset etiam quaeri de sacerdote, an ipse sumens sub duabus speciebus, maiorem fructū consequatur quàm laicus qui sub una tantum, aut quàm ipsemet quùm sub una tantum accipit non sacrificans. Respondeo primùm, Si sacerdos cum laico, caeteris paribus, conferatur, non esset à ratione alienum confiteri ipsum

sacerdotem maiorem fructum sumptionis suscipere. Quod tamen non est dandum tam sumptioni alterius speciei, quàm ordini, & ipsius ordinis ministerio. Quam ob rem etiam ipse sacerdos ministrans, in accipienda gratia sacramenti superaret laicos, si ipsi pariter sub utraque specie sumerent, sicut aliquando in ecclesijs christianis est obseruatum. Et hinc etiam, ut mihi uidetur, credendum est quòd sacerdos non ministrans & sumens, siue sub una specie, siue sub utraq., minus gratiæ acciperet, q̃ si hoc ipsum faceret administrans. Quamuis .n. quùm ille ministrat tenetur sub utraque specie sumere, hoc non est propter ipsum, ut maiorem scilicet recipiat gratiam, sed ut perficiat usum sacramenti pro se & pro alijs, ne fiat iniuria sacramento. Sicut enim non potest unum sine altero conficere, ita postq̃ confecit non potest unum siue altero sumere: quia perfectus usus est non solum manducare, uerum etiam bibere: quod facit ipse pro se & alys. Alioqui magnum est sacrilegium, teste Gelasio Papa, sacerdotem omittere bibitionem ipsius calicis: quod esset tanq̃ negare sanguinis effusionem à corpore Domini nostri IESV *Christi saluatoris ac redemptoris nostri, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.*

Quibus conditionibus concedi posset etiam laicis usus Eucharistiæ sub utraq. specie.

SI *quis aũt nunc à me quærat, Vtrum nolentibus conciliari cum Ecclesia, instanter tamẽ petentibus sub utraq; specie cõmunionem, sit illis id cõcedendum: hoc meũ esset uotũ. Tria potissimũ ab illis prius esse requirẽda ac penitus exigẽda, ne S. Synodus eluderetur.*

Primùm ut confiteantur non minus contineri, ac propterea non minus sumi (quod attinet ad rem sacramenti) si sub una specie, quàm si sub duabus sumatur. Deinde nec minus fructus percipi, ac propterea non errasse nec peccasse ullam Ecclesiam, nec defraudasse laicos ullo debito aut fructu, ob hoc quòd illis sub una tantum specie ministrauerit. Hoc .n. si uerè confiterentur & ex corde, certè non auderent petere id unde sibi nihil aduenire lucri perspicerent, & quod nihil aliud quàm contentionem et schismata operatur.

Secundum quod ab eis est exigendum, id est, ut si hoc uolunt sibi concedi, imò potius ab Ecclesia extorquere, hoc illi quod debent ipsi Ecclesiæ reddant, uidelicet ut planè ac disertè confiteantur unam esse Christi Ecclesiam uisibilem & sensibus manifestam, & illam habere unum uisibile caput Christi loco, & uicem eius gerens in terris. Cui capiti omnes Ecclesiæ & Congregationes ac priuati homines qui christiana professione censentur, tenenatur obedire, & fide recipere ea quæ ille recipienda esse præcipiens de cathedra pronunciauerit, siue in Concilio, siue extra Concilium. Hoc enim si crediđissent, profectò non tantas turbas & seditiones in Ecclesia concitassent, nec tot hæreses conflauissent: & nunc si id crederent in ueritate, non contenderent de communione per sacramentum, sed in hoc ipso, idest, in concordia et unitate ac pace ueram communionem agnoscerent & uerum communionis fructum, & tunc possent canere cum Propheta: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in unum.

Tertium, si adhuc instarent, & deuotionem suã super Christi sanguinem obiectarent, uellem eos fateri apertè, longè satius esse abstinere à sumptione sanguinis ubicunque periculum effusionis aut inhonorationis cerneretur, quàm cum eo periculo sumere. Hoc si non fateantur, certè non deuotionem in hac sua petitione, sed fictionem atque hypocrisim ostendent. Sin autem fateantur, & superiora confiteri similiter non recusent, equidem si quo modo posset salua reuerentia & honore tanti sacramenti aliquis modus excogitari, saltem certis personis ac temporibus, ut utrunq; etiam laici sumerent, ego libentissimè concederem.

QVAESTIO AN PARVVLIS DANDA SIT SACRAE EVCHARISTIAE COMMVNIO.

VENIT ET ILLVD *nunc in quæstionem propter molestos qui facilè à catholicæ Ecclesiæ doctrina recedunt: Vtrũ paruulis ijs qui usum rationis non habent, sit exhibendum Eucharistiæ sacramentum. Videtur enim prima facie exhibendum: quia Dominus dixit: Nisi manducaueritis &c. & alibi: Accipite & manducate ex hoc omnes. Nec est absque autoritate Ecclesiarum quæ olim ita consueuerunt, et Græci mordicus eam consuetudinẽ retinuerunt. D. Cyprianus hoc apertè ostendit in sua quadam Epistola. Quin & in Romana Ecclesia uidetur tempore Innocentij Primi hoc fuisse obseruatum, qui præceptum illud: Nisi manducaueritis &c. etiam ad pueros pertinere docet: quod & B. Augustinus nonnunq̃ dixit. Nec ualet noua Caietani argutia, qui ait nõ posse illa præcepta aptari paruulis, quia ipsi non possunt manducare, sed suggere tantum. Nam hoc est falsum & ineptum manifestè, ut alibi dixi.*

Attamen his non obstantibus, communis Doctorum doctrina & uniuersalis Ecclesiæ autoritas contrà statuit, & hunc morem ut rem absurdam & indignam

derrogautemq́, honori qui tanto sacramento debetur, non admittit. Quod autem producebatur de præcepto illo: Nisi manducaueritis &c. nihil est: quoniam ad adultos ille sermo manifestè dirigitur, qui capaces erãt præcepti. Similiter respondetur ad illud: Accipite et manducate ex hoc omnes. Non enim alloquebatur pueros Dominus, Secus est quando tradidit legem baptismi. Non .n. dixit, Nisi baptizabimini &c. conuertẽs sermonem ad ullos, sed absolute, ut sermo cunctos etiã pueros complecteretur dixit: Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu sancto. Et hoc ualde considerandũ est. Quòd uerò ab initio nõnullæ ecclesiæ etiam pueris Eucharistiam offerebant, non est quod admodum mouere nos debeat. Solent enim ecclesiæ decursu temporis, quo erudimur in multis, in multis etiã commutare obseruantias suas in melius, sicut promptum esset exemplis ostendere si res in conspicuo non esset, et alibi pertractata. De Græcorum aũt obseruantia non oportet nos solicitari ut respondeamus. Ipse rerum exitus respondet illis pro nobis, cum propter eorum proteruiam, & contra Romanam Ecclesiam æmulationem ac disceptationem traditi sint in sensum reprobum & in manus inimicorum crucis Christi.

Responsio ad loca scripturæ

Ad antiquatũ usum quorundã ecclesiarũ

Ad morem Græcorum.

Vnum ergo in hoc articulo supererat considerandum, ad quod contentiosi & mordicus retinentes suas positiones, non respiciunt. Id est: Quis fructus possit considerari si communicent pueri: & quod detrimentum si non communicent. Deniq; quàm sit indignum eos admittere ad communionem.

An Paruuli fructũ aliquẽ cõsequeretur à comunione.

Fructus huius sacramenti qui summus & primus est, est incorporari in Christo. Hæc incorporatio non fit solummodo per manducationem sacramentalem. Nisi enim homo spiritualiter manducet Christum per exercitium fidei & dilectionis in manducatione ipsius sacramenti, non recipit ullum fructum, sed damnationem potius: quia Dominus principaliter manducationem spiritualem poscit, cum ipse dixerit: Verba quæ uobis loquor, spiritus & uita sunt. Spiritus est qui uiuificat: caro non prodest quicquam.

Principalis fructus Eucharistiæ.

Cum igitur spiritualiter non possint pueri manducare, sacramentalis manducatio nihil potest eis prodesse: & cum non possit eis prodesse, frustra fieret. In ritu autem & obseruantia sacramentorum nihil debet fieri frustra, ut aiunt sancti Doctores, et res ipsa satis persuadet. Nullum ergo detrimentũ pueri consequuntur ex hoc quòd sacramentaliter nõ manducent, cũ ad illos nõ dirigatur præceptũ illud: Nisi manducaueritis &c.

Quod si argumenteris et dicas: In baptismo nonne requiritur ut credat qui baptizatur? Haud dubium: et tamen pueri sunt baptizandi, quibus quia per se non possunt credere, suppletur fides per maiores & Ecclesiam ipsam. Cur non etiam suppleatur spiritualis manducatio illis per Ecclesiam, ipsis interim sacramentaliter manducantibus, id quod facere possunt? Colorem habet quidem hoc argumentum, sed non uim ad expugnandum. Ergo audiat acutus lector, aliam esse causam sacramenti baptismi, quo character imprimitur sola perceptione ipsius sacramenti, per quem signatur homo professus militiam sub duce Christo, nec à fide suppletur hic effectus. Quo fit, ut qui baptismo flaminis baptizati sunt, charactere non sint signati. Et qui etiam fictè ad baptismum accedunt, nihilominus charactere signantur. Et hæc est ratio potissima cur pueri baptizantur: quamquam & longa differentia est adhuc inter sacramentum baptismi et Eucharistiæ. In sacramento enim baptismi quo nascimur, homo se habet duntaxat passiuè. Contra uerò in Eucharistia ubi primum quæritur manducatio spiritualis, & consequenter exercitium fidei et charitatis & deuotionis. Nam & adoratio primùm requiritur, quæ infantes præstare non possunt. Adde q aliquid inconueniens oriri potest si infantes communicent: ut est eructare, euomere; spuere, & si quid aliud indignum tanto sacramento facile cogitatur: quod ubi contingit, Dæmones summopere gaudent.

Obiectio.

Responsio.

Differentia inter baptismum & Eucharistiam.

Nec est metuendum ne baptizati pueri quicq̃ gratiæ aut fructus spiritus non manducantes sacramentaliter amittant: quoniã sicut per Ecclesiæ spiritum credunt, & per os patrum confitentur, ita etiam per os ipsius Ecclesiæ tanq̃ maternum manducant: & hoc pacto illud præceptum, Nisi manducaueritis, complectit etiã paruulos B. Augustinus & Innocentius ille primus eius nominis Pontifex scripserunt: præter id quod (ut idem B. Augustinus docet) in ipso sacramento baptismi inest huius sacramenti uotũ in pueris suo tempore suscipiendi per seipsos. Interim uerò tanq̃ in utero Matris Ecclesiæ existentes, illa manducante, & ipsi manducant: quia illius manducationis fructu participant, ut fit naturaliter: quod non animaduertunt qui magis amant contentiones & dissidia, q̃ ueritatem & concordẽ fidẽ, et ignorãt sapientiã et uirtutẽ Spiritus.

Paruuli per os Ecclesiæ manducant.

Illud quoq; in hac quæstione est magnopere considerandum, q in baptismo in eo actu externo quo confertur sacramentum & gratia sacramenti, ipsi pueri idonei sunt eius actus, quia (ut iam dixi) merè passiuè se habent. Non enim aliquid ipsi agunt, nec ab eis ut agant requiritur, sed solum patiuntur super se aquam effundi, & uerba proferri. At Eucharistiam oportet manducare sacramentaliter: quod non potest fieri absq; notitia sacramenti & intellectu. Non dico non posse puerum comedere illas species (ut aiebat Caietanus) sed q non potest, ut oportet, comedere sacramentaliter, intelligens ibi contineri superuenerandum Christi corpus, & ideò adorare simul & deuota mente suscipere. Ergo huic sacramentali manducationi, ut dignè fiat & nõ uel indignè uel frustra, oportet ut fiat cũ notitia sacramenti & debito honore ac deuotione: quæ intelligere et facere nõ est puerorum. Quare potius inhonoraretur sacratissimũ Christi corpus: quod, ut dixi, Dæmones ipsi uehementer uellent, et his machinis per suos milites ac satellites impensè procurant: sed frangetur spiritu ueritatis.

Quid à manducantibus Eucharistiam requiratur.

DE INTENTIONE MINISTRI

SACRAMENTORVM.

NON EST DVBIVM apud catholicos, requiri intentionem ministri ad uerum sacramentum conferendum. Sed illud dubium, quænam sit ista ministri intentio quæ requiritur. Videtur enim ꝙ non requiratur intentio ministri in hoc ut intendat conferre sacramentum & effectum sacramenti. Hæreticus .n. qui non credat baptismum esse sacramentum, non potest habere hanc intentionem conferendi sacramentum & effectus eius: & nihilominus, nemo negat huiusmodi hæreticos baptizare, & conferre sacramenta. Et tamen econuersò dici solet, ꝙ ministri tenentur habere intentionem conferendi sacramentum, ad hoc ut conferant illud.

Dicendum est ergo ꝙ intentio ministri debet esse in hoc, ut intendat facere quod Christus & Ecclesia facit, etiam si nihil ipse credat fieri: & in hunc sensum debet intelligi id quod dicitur, requiri scilicet ut minister intendat conferre sacramentum, idest, ut faciendo quod facit Ecclesia, intendat enim effectum producere qui uerè producitur. Et hoc reuera præstat ipse cum agit ministrum in huiusmodi opere. Sunt .n. manifestæ in Ecclesia formæ sacramentorum & materia & reliquæ operationes, quas si intendit seruare, certè satis se ostendit esse ministrum. Nihil .n. aliud requirit ab illo Ecclesia. Intentionem enim bonam ipsa seruat pro cunctis filijs suis, & non exigit eam a ministro.

Verùm hic suboritur non negligenda quæstio. Ponamus ministrum omnia exterius facere quæ iubet Ecclesia, intus autem aliud seruare in animo, ita ut intendat derisoriè baptizare. Satisne hoc fuerit ne completum dici possit baptismi sacramentum? Si affirmatur, uidetur falsum esse commune dictum, uidelicet ꝙ intentio ministri requiratur. Sin autem negetur, durum nimis uidetur ꝙ Dominus Deus in arbitrio impij ministri posuerit animam & salutem hominis. Et amplius, ꝙ sacramenta quæ instituit ad certificandum hominem de sua conciliatione & gratia, non hunc finem attingant: quia homo de intentione ministri interna nunꝗ poterit esse certus, & ita semper cogetur fluctuare. Quapropter uariæ circa hanc rem exortæ sunt opiniones. Quidam .n. (ut recitat B. Thomas) dixerunt, & si requiratur intentio ministri, tamen quùm non adest, supplet in pueris Christus qui baptizat interius: & si fuerit adultus, supplet eius fides atq; deuotio. Huic opinioni non consentit D. Thomas: quoniam & si non sit negandum supplementum quo ad gratiam, non tamen uenire dici potest ex ui sacramenti, unde nõ supplebitur character qui nõ imprimitur nisi in sacramento re ipsa suscepto.

Est ergo altera sententia, quam B. Thomas in quarto, sed præsertim in tertia parte, loco iam citato, probat atq; confirmat, nempè hanc, satis adesse intentionem ministri ad perficiendũ sacramentum, quando seruat exterius ritum Ecclesiæ. Verba illius hæc sunt: Alij dicunt quòd in baptismo & in alijs sacramentis quæ habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per uerba ab Ecclesia instituta: & ideò si forma seruatur, nec aliquid exterius dicitur quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est. Hæc ille.

D. Thomas in Quarto.

Et licet hanc opinionem ipse non ut suam recitauerit, sed ut quorundam, in ea tamen quieuit, iudicans prorsus indignum & inconueniens cogi hominem esse dubium suæ adeptæ gratiæ in sacramento, maximè ex parte ipsius sacramenti. Patet autem illum in ea sententia quieuisse, quia etiam in Summa eam tandem recitans opinionem expressius probat, his uerbis: Alij melius dicunt, ꝙ minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cuius est minister. In uerbis autẽ quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, uel recipientis sacramentum. Hæc ibi.

Idẽ D. Tho. in Summa.

Quare miratus sum uehementer quomodo hanc tam claram B. Thomæ sententiam Caietanus noua glossa, quæ uerè destruit textum, tentauerit obscurare, imò etiam peruertere, uolens B. Thomam ubi dixit satis esse ad perfectionem sacramenti si minister illibatam seruauerit Ecclesiæ formã, nõ intellexisse hoc satis fuisse simpliciter ad perfectionem sacramenti, sed ad perfectionem relatam ad humanam certitudinem, ac si dixerit: Satis est homini ut sit certus humana certitudine de intẽtione ministri, & consequenter de perfectione sacramenti, si audierit sacramentum rectè ministrari.

Caietanus.

Quòd autem hoc sit primùm destruere literam sancti Doctoris, non conabor persuadere: quoniam hoc puto esse euidentissimum. Nam in quarto dixit expressè & absolutè ꝙ ab huiusmodi ministri baptizatus, baptizatus est. Et in Summa, ꝙ illud sufficiebat ad perfectionem sacramenti, & non dixit ad certificationem humanam, ponens eius perfectionem non simpliciter euidentem. Nam hoc etiam falsum est,

quòd de intentione hominis certificemur certitudine humana, ex hoc ipso quòd in speciem videatur seruare ritum, ita ut in re tanta valeamus quiescere & haberi pro certioratis illa certitudine. Quid enim si qui baptizat sit hæreticus, aut indæus, aut (ut sunt pleriq;) omninò infidelis, & hoc aliqua uel certa uel probabili coniectura constare possit? Quis de intentione sua bona ad conferendū sacramentum faciat me certiorem? Et quis prudens dixerit, Dominum Deum uoluisse uos humana huiusmodi incerta certitudine torqueri, si quid tamen de nostra salute solciti simus?

At, inquit Caietanus: Si aliter B. Thomæ uerba interpretemur, inuenietur ipsemet sanctus Doctor sibiipsi contrarius: quoniā in art. 10. eiusdē quæst. ubi ait: Intentio ministri potest peruerti dupliciter. Vno modo respectu ipsius sacramenti, puta cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere: & talis peruersitas tollit ueritatem sacramenti, præcipuè quando suam intentionem exterius manifestat. Ex quibus uerbis uidetur certe accipi quòd siue manifestet hanc suam intentionē exterius, siue non manifestet, ueritas tamen sacramenti utroq; casu tollitur, sed præcipue si manifestet eam. Verùm si ita intelligitur sanctus Doctor, iuxta rigorem uerborum non potest uerè sic accipi: quia si utroq; casu tollitur ueritas sacramenti, certè non magis in uno q̄ in altero, quoniam non datur magis & minus in non ente. Manifestatio enim intentionis non facit, iuxta horum doctrinam, ad tollendam ueritatem sacramenti, sed ipsa intentio: & sic non proprie hoc in loco in eum sensum dicitur illud PRAECIPVE.

Verus ergo B. Thomæ sensus, uidetur conformis ad illum quem uerba ipsius faciunt in octauo illo articulo et in responsione ad secundum, ac si expressius dixerit: Si minister peruertit intentionem in conferendo sacramentum, non confert. Et hæc est uera absolute. Quoniam uerò de eius peruersitate intentionis posset dubitari ex his quæ gerit exterius non seruans Ecclesiæ ritum, B. Thomas ad id quod erat clarissimum uertit oculum, uidelicet, Si hanc intentionem exterius manifestat, puta ludendo, aut quid simile faciendo quo clarè ostendat se habere intentionem peruersam. res absque dubio est. Si autem non omninò id manifestat, et potest tamen ex aliquibus coniectari, ut si qua omittat de consuetis in Ecclesia: quia non propterea dicitur manifestare intentionem peruersam, & tamen exterius aliquid agit quod ingerit dubium de intentione, in hoc casu uō habet pro certo S. Doctor, utrum tunc conferatur ueritas sacramenti. Ideò dixit, tunc præcipuè non conferri quùm exterius ministri intentio manifestatur. At si exterius nihil fiat præter id quod fieri consueuit in Ecclesia, non dubium quin sanctus Doctor retineat opinionem suam superius recitatam, quam ego suscipio ac teneo. Et si oportere etiam fateri B. Thomam in hoc articulo non satis constanter scripsisse, nihilominus dictum superius semper sustinerem; quod multo est æquius, & conscientias reddit pacatiores: & si subtiliter expendatur, nemo ualeat non probare. Non enim alia intentio ministri requiritur, nisi ut intendat exterius facere quod facit Ecclesia, quamuis ipse neq; credat esse Ecclesiam neq; ullum baptismi spiritualem effectū: sed satis est ut intendat facere quod Ecclesia iubet per ministros fieri. Nam quod illa per ministros facit, ipse facere intelligitur. Quid ergo facit Ecclesia per ministros baptizando, nisi quòd legitima utitur materia adhibens suam uerborum formam? Hoc igitur si facit minister, profectò illud facere intendit si sit mente sanus. Quis enim uigilans faciat aliquid quod facere non intendat? Qui ergo ex industria lauat puerum, profectò lauare intendit, & impossibile est eū non habere illam intentionem lauandi si lauat. Sic in proposito: Si baptismi minister ea in baptizando obseruat quæ obseruari præcipit Ecclesia (hoc enim patere potest ad oculum) non potest ex parte ipsius baptizantis dubitari de intentione & consequenter de collatione sacramenti. Quamobrem B. Ioannes Chrysostomus uidens quid ab ipso requiratur ministro, sapienter dixit: Sacerdos et linguā & manus præbet. Neq; enim iustum est propter alius malitiam ad salutem nostram accedentes offendi. Hæc ille. Et Nicolaus Papa hoc intelligens, ad consulta Bulgarorum respondet his uerbis: A quodam iudæo, nescitis utrum christiano an pagano, multos in patria uestra baptizatos asseritis. Hi profectò si in nomine sanctæ Trinitatis baptizati sunt, rebaptizari non debent. Vide ut nihil aliud Papa requirit à baptizante, nisi ut super legitima materia, forma etiam legitima obseruetur, ita ut non alia ministri intentio desideretur: ne in manu perfidorum posita sit nostra salus à Deo.

Quæ intētio ministri requiratur.

Chrys. hom. 85. in Ioan.

NOTA.

Idem est de intentione recipientis sacramentum. Nam & si ipse accedat ficto animo atq; hæretico, non credens ullum sacramenti effectum, si tamen se subdit consuetudini Ecclesiæ, & patitur de more se baptizari, recipit nihilominus sacramentum, idest, characterem, licet non gratiam. Neq; potest dicere: Ego non intendebam recipere characterem cum non crederem: quia respondebitur illi, Cur igitur passus es in te fieri quæ facere consueuit Ecclesia, ex quibus prouenit ille effectus, quem ipsa prædicauit euenturum cunctis quouis animo ad hoc sacramentum accedentibus? Vnde nec reiteraretur in his baptismus, etiam suam prædicantibus fictionem, qua tamen recedente, ac fide adueniente absque dolo, ipse iam collatus baptismus effectum gratiæ operatur, ut rectè Theologi docent. Et hanc esse doctrinam Ecclesiæ planam & absq; scrupulo procedentem, quam ipse quoq; usus perpetuus comprobauit, non dubito: quam tamen & Apostolicæ Sedis & Concilij cognitioni ac censuræ ingenuè subdo.

BENEDICTVS DEVS.

QVAESTIO VTRVM RATIONE ORDINIS AN VERO IVRISDICTIONIS SACERDOS SIT IDONEVS SACRAMENTI POENITENTIAE MINISTER.

QVAESTIO EST à scholasticis Doctoribus, Vtrum ratione ordinis, an uerò iurisdictionis sacerdos sit minister idoneus sacramenti pœnitentiæ. Si dicimus ratione ordinis, sequetur omnem sacerdotem posse quemlibet absoluere, etsi non haberet iurisdictionem ordinariam uel delegatam: quod est contra usum Ecclesiæ, & contra Concilium Florentinum ubi legitur, Quòd minister huius sacramenti est sacerdos habens autoritatem ordinariam uel delegatam. Deniq; hoc prorsus contradictionem implicare uidetur: quoniam ad sacramentum istud conferendum, opus est cognitione ac iudicio, quæ duo fieri absq; autoritate iurisdictionis non est intelligibile. Potestas enim ordinis distinguitur à potestate iurisdictionis tanquàm oppositum membrum.

E conuersò autem multa producuntur. Et primùm quidem autoritas: Multi enim tenent potestatem ordinis satis esse sacerdoti ut habeat facultatem absoluendi, licet in usum non ualeat plerumq; eam de causa explicare, quoniam careat materia in quam explicet.

Secundò facit ratio: quoniam patet, in articulo mortis & necessitatis quemlibet sacerdotem, etiam si nullam habeat iurisdictionem, posse absoluere ab omni peccato. Quomodo ergo id iure faciet si potestate careat? Addunt, Cuilibet sacerdoti adesse potestatem absoluendi hominem à uenialibus peccatis. Non est igitur necessaria iurisdictio. Addunt item, Cum possit sacerdos absoluere superiorem, cùmq; nulla sit in superiorem iurisdictio (Nam Papam quiuis sacerdos absoluit) statim sequi, potestatem ordinis satis esse.

Caietani responsio. Caietanus his rationibus respondens, primò statuit potestatem ordinis non sufficere ut quis sit idoneus huius sacramenti minister, sed necessarium esse habere potestatem iurisdictionis uel ordinariam, uel delegatam. Et ad illud quod asseritur de sacerdote qui absoluit Papã, dicit quòd nõ absoluit eum ut habẽs potestatẽ iurisdictionis propriè loquendo, nec ordinariã, nec delegatam, nec à Christo, nec ab Ecclesia, neq; ab ipso Papa ut superiore, sed solum quia ipse Papa se subdit illi, acquirit de nouo iurisdictionem quam non habebat. Et idem dicit de eo qui absoluit à uenialibus: sicut accidit in secularibus caussis quum homines eligunt aliquem arbitrum, cuius sententiæ se submittunt.

Verùm hæc meo iudicio ita sunt absurda ac perplexa, ut nemo queat uel defendere uel explicare. Primùm enim asserit & rectè, ei qui uelit absoluere, opus esse iurisdictione. Vnde secundò infertur, eum qui Papam absoluit, habere iurisdictionem. Tertiò ipsemet uult hanc potestatem iurisdictionis nec ordinariam esse nec delegatam, ita ut comminiscatur aliquam iurisdictionis potestatem quæ interim neq; ordinaria sit neq; delegata. Et quartò, eam iurisdictionem nec à Christo haberi nec ab Ecclesia nec à Papa ut Papa, ac propterea potestate non diuina, id est, potestate quæ à Deo non procedat, soluere posse aliquis hominem à peccato. Hæc autem & apertè falsa sunt, & habent in semetipsis unde corruant. Si enim sit potestas iurisdictionis, quomodo non uel ordinaria uel delegata, cum non sit peritis in promptu aliam fingere? Et quomodo uitabit ille Concilium Florentinum, qui ministrum absolutionis idoneum ponit eum solum qui uel delegatam uel ordinariam habeat potestatem? Ait, Reducitur hæc potestas ad delegatam. At quis (obsecro) hæc noua iura nouit? Profert exemplum de arbitro à partibus dissidentibus constituto. Quasi uerò arbiter ullam acquirat iurisdictionem, ac non potius compromisso ac pœnis astringantur litigatores parere sententiæ. Illud uerò quis ferat dum ait hominem aliosqui non habentem iurisdictionem remittendi peccata, acquirere tamen eo solo quòd aliquis sese illi subdat, & hanc potestatem neq; à Christo habere, neq; ab Ecclesia, neq; à Papa, ac proinde non legitimam sed uerè usurpatam?

Autoris responsio. Nos igitur in hac quæstione primùm dicimus, quòd etsi sit alia potestas iurisdictionis, alia uerò ordinis, attamen hæc quæ est iurisdictionis sic præsupponit illam ordinis in foro pœnitentiali, ut nullus nisi qui fuerit sacerdos possit absoluere. Quum tamen absoluit sacerdos, non absoluit ex potestate ordinis, sed potestate iurisdictionis. Si enim solam potestatem ordinis haberet, proculdubio non absolueret. Potestas ergo ordinis in sacerdote exigitur, non ad absoluendum quidem, sed ad hoc ut fiat capax potestatis iurisdictionis.

Secundò dico, Sicut potestas ordinis secundum rem separatur à potestate iurisdictionis, licet in uno subiecto conueniant, ut idem qui sit sacerdos & ita habeat ordinem, habeat simul & iurisdictionem: attamen esse potest ut quis sit sacerdos, & nihilominus potestatem iurisdictionis non habeat, sicut fuit ab initio. Est.n.:

communis Doctorum sententia, Dominum in Cœna fecisse Apostolos sacerdotes, quibus tamen non dedit potestatem ullam remittendi peccata. Post resurrectionem uerò, quo die dedit eis Spiritum sanctum, dedit & potestatem remittendi peccata. Ergo antea hanc potestatem non habuerant, cum tamen essent sacerdotes.

Tertiò ergo dicendum est, Nunc sacerdotibus iuxta formam Ecclesiæ utramq; conferri potestatem, uimirum ordinis & iurisdictionis. Postq; enim sunt consecrati & sacerdotalem potestatem adepti, dicitur eis ab Episcopo: Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt.

Quartò consequenter dicendum est, ad absolutionem actualem non egere sacerdotes alia aut noua potestate, sed solum materia in quam ualeant illam exercere quam habent. Cum enim sacerdotes inueniunt subditos alijs, non ualent exercere in illis potestatem, tametsi eam habeant, ne frustra illis ab Episcopo dictum credamus: Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt. Itaq; ut absoluere possint aut retinere, oportet illos habere subditos sibi aut ordinariè aut per delegationem. Cum ergo sacerdos Papam absoluit, non noua illi potestas tribuitur à Papa, sed materia. Subdit enim seipsum Papa, qui ut ouis potest errare, & indiget absolutione à Deo per legitimum ministerium.

DE CHARACTERE ET PER QVAE SACRAMENTA ET QVARE IMPRIMATVR IN ANIMA.

ESSE Characterem, spirituale scilicet quoddam signum quod medijs quibusdam sacramentis in anima imprimitur à Deo, non potest à uero Christiano negari: quoniam nos à Patribus, & Patres à traditionibus uetustissimis id acceperunt. Diuus Basilius & Gregorius Nazanzenus & Hieronymus & Augustinus certam huius mentionem post beatissimum Patrem Dionysium Areopagitam fecerunt, cuius uel sola autoritas omnino ualere deberet: quanq; etiam de Scripturis, nisi uiolentur, id accipere licet. Sunt insuper sacra Concilia, Lateranense magnum, & illud Florentinum, ubi quàm manifestissimè ponitur uelut quod nullam habeat dubitationem, quantumuis Lutherus derideat. Verùm quid poterat aliud sedens in cathedra derisorum, quàm deridere? Hoc est ualidum aduersus illum testimonium, sua derisio.

Autoritas Patrum & Ecclesiæ pro charactere.

Quid autem in præsenti materia sit character, ipsamet uox apertè significare uidetur. Est enim character signum quoddam impressum à Deo in anima, & ideò quædam qualitas realis, & non sola relatio rationis ut quidam uolunt. Nam de relatione eiusmodi non potest uerè dici quòd imprimatur. At de charactere dicitur & in confesso est omnibus. Quòd si quis roget, Ad quod ergo genus qualitatis reducitur iste character si est in anima, cùm (iuxta Philosophum) in anima nihil aliud sit quàm uel potentia, uel habitus, uel passio, ad quorum nullum uidetur redigi character? Respondemus, Quoniam quæ supernaturalia sunt & aduentitia ut character, non erat Philosophi agnoscere aut diuinare: iccircò quidam à Philosopho sibi frustrà timuerunt ubi non erat timor: & tamen ad aliquod genus qualitatis reduci potest. Neq; uerò propterea dico characterem esse habitum ut reducatur ad primum genus qualitatis: neq; potentiam siue potestatem ut reducatur ad secundum genus qualitatis. Si enim esset potentia uel potestas, cessaret iste character post mortem: quia cessat esse potentia illa quam uolunt, siue passiua, siue actiua. Cum his loquor qui exercitati sunt in scholis. Nec dico esse passionem ut reducatur ad tertium genus, sed dico esse notam quandam spiritualem & signum impressum Dei uirtute in animam, ut reducatur ad quartum genus qualitatis.

Character quid sit.

Dum ita dicimus, non recedimus ab ipsa uocis significatione ut alij faciunt. Nec uideo quid huic intelligentiæ obstet nisi studium contentionis, & uelle quemq; mordicus tueri magistrum suum. Philosophus autem ut Philosophus, has notas quas Dominus imprimit in animabus nostris, non potuit ulla humana ratione inuestigare. Ideò quæ docuit, secundum naturam docens, rectè docuit.

Si quis autem roget, Ad quid Dominus imprimat Characterem hunc: primùm considerare debet, circuncisionem à Domino fuisse olim præceptam, quæ item fuit quidam character & signum, teste B. Paulo de Abraham: Et accepit (inquit) signum circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei. Vbi signum uocat circuncisionem, Græcè est σημεῖον, ut agnosceremus esse sacramentum propter significationem. Et alia uoce Græca uocauit signaculum σφραγῖδα, quæ uox significat aliquam notam impressam, quæ tamen aliquid significabat. Erat quippe nota in carne manifesta. Porrò hanc notam uoluit illi carnali populo suo peculiari imprimi tanquàm signum quoddam distinctiuum, & suæ professionis ostensiuum. Per illam enim notam distinguebantur (quatenus circuncisio erat ex lege Moseos) qui erant eius gentis secundum carnem à cæteris populis incircuncisis. Ea uerò consideratione qua circuncisio erat ex Abraham & ex Patribus, distinguebantur fideles ab infidelibus. Ideò dixit B. Paulus eam fuisse signaculum iustitiæ fidei.

Character in animam imprimatur.

Simile quiddã debemus in baptismo, qui in locum cir-

cuncisionis successit, cogitare; uidelicet quatenus est uisibile sacramentum, esse signum eius quod à Deo fit in anima, idq; est submersio peccati & ablutio hominis interioris & purificatio, nisi obex ab ipso homine interponatur. Quoniam uerò qui sic liberantur, aut se uelle liberari profitentur, dant nomen in baptismo, & abrenunciant Diabolo & omnibus pompis eius, & se in nouã Christi familiã, uocante illo, uelle transire præ se ferunt: idcircò Dominus inuisibili ac spirituali charactere casdem consignat, ut sit signum benignitatis suæ & professionis eorum & acceptationis diuinæ, per quod eos à profanis distinxerit. Et ideò hoc signaculum characteris est indelebile, & manebit in bonis ad gloriam eorum, in improbis aũt in testimonium perfidiæ aduersus illas sempiternum, qui Diaboli seruituti, à qua per baptismum liberati fuerant, iterum propria culpa sese dediderunt.

Præterea, Quòd non solum in Baptismo, uerùm etiam in confirmatione & Ordine imprimitur character, receptissimum est, & semper officium suum implet: quod est distinguere ad notitiam. Iam diximus, in Baptismo imprimi eam notam qua significatur professio eius qui nomen dat ut transeat in nouam familiam, & per eam notam distinguitur à cæteris qui sunt extra. Quoniam uerò Diabolus per illum Baptismi characterem perspicuè noscit eos qui de manu eius erepti sunt à Domino, & auidissimè concupiscit iterum eos sibi captiuos efficere & in suam potestatem redigere (quod quidem uidet esse possibile: quoniam licet agnoscat se in nos amisisse dominatum, nouit tamen non esse sibi prohibitam nouam pugnam ut possit tentare, & suis machinis atq; insidijs socordes expugnare) ob eam causam accinctus semper stat in harena. Quapropter de alio sacramento quod dicitur Confirmatio, nobis est à Deo prouisum, quod qui suscipiunt roborantur, & idonei redduntur ad pugnam, ut nisi turpiter manus dederint, certam uictoriæ palmam assequantur. Hoc enim sacramento roboratur animus atq; firmatur, præbentur'q; longe maiores uires ad perficienda ardua & magnifica opera, patiendo fortiter & agendo usq; ad uictoriam & triumphum. Quamobrem signandi erant & isti, qui maiore gratiæ robore in suscepta fide firmantur ueluti milites strenui mox in prælium exituri. Non est enim nobis (ut B. Paulus ait) colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Contra hos autem Spiritus malignos nemo securus & tutus dimicare posset, nisi singulari quadam Spiritus sancti & magna gratia & protectione muniretur. Idcircò qui tales sunt, nouo charactere signantur: quemadmodum olim solebant milites illi signari, qui peracto tyrocinij cursu, ad fortiores & illustriores pugnas & certamina eligebantur. Stigmatibus enim quibusdam & cauterijs signabantur in brachio aut alia corporis parte, ut eiusmodi signis certis, tyrones à ueteranis dignoscerentur. Ad eum igitur finem datur Confirmationis character, ut signentur hi qui ad certandum fortiter gratiæ plenitudinem accipiunt.

Sacramenti confirmationis efficacia.

Quoniam uerò in Ecclesia necessarij sunt ministri sacrificiorum & sacramentorum, & instructores imperitorum, quos oportet ex alijs seligi ad diuersas operationes sacras: est omninò decens ut isti quoq; consignentur, & quodam certo signo consecrentur. Ideò & hi characterem, & illum quidem multiplicem pro uarietate operationum & functionum recipiunt. Sunt enim primum quatuor quos minores ordines appellant. His comprehenduntur Hostiarij, Lectores, Exorcistæ, & Acolyti, qui suas habent proprias functiones, ita tamen ut sacrata non contingant, & propterea non dicuntur esse in sacris, quamuis consecrati sint & benedicti. Sequitur Subdiaconus, qui propius ad altare ministrando accedit. Tum Diaconus, tum Sacerdos, tum Episcopus. Hi omnes accipiunt peculiares suos characteres ut qui habeant certos gradus & functiones proprias in ea militia: de quibus tractare, longum esset. Signantur ergo ut aliorum duces, quales sunt in bellis, qui sua habent certa insignia & distinctiua.

Ordinis sacramentum.

De causis uerò quare minimè reiterentur hæc tria sacramenta, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, uariæ extant Scholasticorum inuentiones, argutæ quidem satis, sed (ni uehementer fallor) tales quæ præter unam tantum, non afferunt ijs quietem, qui tum potius & momenta rationum, quàm pondus autoritatis, considerant. Mittam igitur nunc quæ fortasse alibi latius sum tractaturus ut ostendam non esse rationem ullam (meo iudicio) ualidam nisi hanc unam, quam Concilium Florentinum exprimit, quæ est characteris impressio. Quia enim imprimitur per illa tria character, iccircò illa solum non sunt reiterabilia. Quòd si quis uelit ultimum habere medium & probationem, cogitet characterem esse quandam consecrationem. Quod autem semel est consecratum, perpetuò consecratum manet, nisi res ipsa iam consecrata pereat. Non dico ibi esse characterem ubi est consecratio, sed econuersò, ubi est character, ibi esse consecrationem; & ubi consecratio, ibi non reiterationem, licet quidam id conentur per instantiam refellere, uolentes Extremam unctionem esse quidem consecrationem quandam, & tamen in eadem persona reiterabilem. De qua re suo loco dicetur. Nunc firmetur hæc ueritas, semel consecratum, si duret, non posse ulterius eandem consecrationem recipere. Hoc docet B. Thomas 2. 2. q. 39. art. 3. Et hæc satis de charactere.

Baptismus, Cõfirmatio et Ordo cur non reiterentur.

Semel cõsecratum, perpetuò consecratũ manet.

DE DIFFERENTIA INTER BAPTISMVM CHRISTI ET BAPTISMVM IOANNIS.

ALIVM FVISSE Ioannis baptismum à Christi baptismo, nec eiusdem fuisse uirtutis, etsi in catholica Ecclesia sit manifestum, nostræ tamen ætatis hæretici contrà docere non sunt ueriti. Ipse igitur B. Ioannes Baptista hāc propria sentētia dirimat quæstionem, quæ tamen apud nos iam non est quæstio.

Ioan. 3.

Iudæorum & discipulorum Ioannis quæstio.

Facta est (inquit Euangelista Ioannes) quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione. Non alia erat hæc quæstio, nisi à Iudæis Ioannem fuisse increpatum, propterea quòd baptizaret, cum baptismus ad solum Messiam, non ad Ioannem uideretur pertinere. Nam & ipse Christus tum incœperat baptizare. Vnde qui missi fuerant ab Ierosolimis dicebant Ioanni: Quid ergo baptizas si tu non es Christus &c? Sed & ipsi discipuli Ioannis nondum capientes mysterium, zelantes pro magistro, dixerunt ipsi Ioanni: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes ueniunt ad eum. Proposuerunt ergo factum Ioanni quasi rem absurdam, quòd scilicet IESVS baptizaret, et propterea (ut uidebatur) officium auferret quod putabant esse Ioannis proprium. Sed hanc quæstionem soluens ipse Ioannes,

Solutio.

respondit primùm: Non potest homo accipere quicquàm nisi fuerit ei datum desuper. Præmittit istud

Axioma.

quasi dignitatem quandam, quam omnes recipere debent, Neminem posse sibiipsi ullam arrogare potestatem siue officium, nisi desuper ac de cœlo datum illi fuerit. Hactenus significare uoluit, quòd siue ille, siue alius baptizet, cum hoc sit officium ad religionem pertinens, non potest hoc facere nisi autoritate diuina. Proptereà non possum (inquit) ego mihi arrogare supra quam mihi datum est.

Hoc autem uelut dignitate quadam præmisso, ostendit ordinem de cœlo datum, tria subdens quæ iam prædixerat. Primum, se non esse Christum. Vnde ait: Ipsi uos testimonium mihi perhibetis quòd dixerim, Non sum ego Christus. Vt hinc discant educere solutionem quæstionis ex parte, idest, ut per hoc intelligant Ioannis baptismum non purificare cor hominis,

Purificare cor, proprium Christi.

quia hoc erat proprium Christi, idest, Vncti, de cuius plenitudine omnes accipimus: & ideò illi seruatum per suum ipsius baptismum. Et quia poterat ei obyci: Quare ergo baptizas si tu non purificas, cum non sis Christus, & proprium sit Christi purificare? Ecce secundum eius dictum: Quia missus sum ante eum. Quid est, Quia missus sum ante eum? Certè nihil aliud nisi, Ideò baptizo, quia ego sum illius præcursor præparans uiam ante illum. Quare sicut ego non sum Christus, sed præcursor eius: ita meus baptismus non est uerus & perfectus baptismus purificans corda, sed præparatorius: & ideò uero baptismo adueniente, hic meus cessare debet. Proptereà ego uos ad illum mitto ut sitis non ulterius mei discipuli, sed illius: & baptizati meo baptismo non putetis hoc uobis sufficere, quia meus non purificatorius est, sed præparatorius, ut iam dixi. Ideò ab illo debetis baptizari ut purificemini. Nam & ego cum ille ad me ueniret, dixi ei: Ego debeo baptizari abs te, & tu uenis ad me?

Et quia iam dictum illi erat à suis discipulis de Christo: Ecce omnes ueniunt ad eum ut baptizentur, tertio loco ostendit se huius rei causa nedum non inuidere illi, sed summopere gaudere & congratulari. Vnde subdit: Qui habet sponsam sponsus est. Amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudet propter uocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui &c. Sensus horum uerborum est clarus. Christus est qui habet sponsam, quam Pater adduxit ad eum, & ideò est sponsus.

Christus uerus Ecclesiæ sponsus.

Quapropter ad eum pertinet & ornare, & seipso dignam illam efficere: quod primùm fit in baptismo tanquàm in sponsalitijs ubi mutua promittitur fides, & sponsa decoratur donis cœlestibus, lota à peccatis & reddita illi absq; macula & ruga. Hoc quia iam inceptum erat in Beatissima Virgine & discipulis ipsius Domini, ut rectè creditur, iccircò B. Ioannes hoc uidens, tanquàm amicus sponsi dicit se gaudere, quia audiebat uocem sponsi attestantem sibiipsi. Itaq; hoc gaudium suum testificatur esse impletum, postquàm uideat maturum suæ præparationis fructum: quoniam cessare debebat suus baptismus & sua præparatio ac præcursio. Quid enim opus est præcursione aut præparatione ubi adest is qui (ut ita dicam) præcurritur, & id ad quod præparatur? Quamobrem subdit: Illum oportet crescere, uidelicet gloria & honore apud homines, me autem minui, qui comparatus illi non ualeo stare. Sum.n. Lucerna quædam cuius lumen à Solis splendore obumbratur. Vbi ergo Sol illucet, quid ulterius est opus lucerna? Hæc est doctrina ipsius B. Ioannis Baptistæ, qua inter suum & Christi baptismum certam differentiam facit, ita ut inuicem distinguantur manifestè, sicut patet in actis Apostolorum, ubi B. Paulus quosdam an Spiritum sanctum accepissent interrogans, negantibus

Act. 19.

se accepisse, dixit: In quo ergo baptizati estis? Qui responderunt: In Ioannis baptismo. Subiunxit autem B. Paulus: Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui uenturus esset post ipsum ut crederent, hoc est, in IESVM. Et his dictis fecit eos baptizari baptismo Christi. Quæ B. Pauli declaratio

Baptismorum Christi & Ioannis differentia.

manifestissima est contra hoc nouum recentium haereticorum commentum, quam suis glossis inficere nemo nisi uel proteruus uel prorsus stolidus potest. Etenim si sollum fuisset minister baptismi Christi Ioannes, nunquam fuisset dictus baptismus Iounnis, sed Christi. Sicut nec dictum unquam fuit baptismus Petri, aut baptismus Pauli propter eorum ministerium. Quare haec opinio est haereticorũ, et rationabiliter à Tridentino Concilio damnata. Confundit enim eo pacto baptismata, & ueritati Scripturae derogat & dignitati B. Ioannis, cui auferunt suae praeparationis ac praecursionis magnam partem, quicquid Magister Sententiarum dixerit, cuius opinio à cunctis respuitur.

Notandum.

Concilium Tridentinum.

Illud similiter quod aliquibus uisum est, minime ferendum, Christum baptizatum fuisse suomet baptismo. Nam quis non hic clarè agnoscat blasphemiam? Si enim suo ipsiusmet baptismo baptizatus est, ergo in baptismo illo consecutus est remissionem peccatorum: fuit ergo peccator. Quis potest haec patienter audire? At dicet quis: Hoc Ioannes Damascenus dicere uidetur: Sed perperàm intelligentibus, & deceptionem esse in amphibolia sermonis non considerantibus. Videat locum proprium qui uult. Taedet enim me in his tam apertè falsis diutius immorari.

DE BAPTISMO PARVVLORVM

ET DE EXISTENTIBVS IN VTERIS MATERNIS.

BAPTISMVM Paruulorum esse baptismum perfectum; itm non debet catholicus dubitare, cum hoc & à Patribus sit creditum, & in Symbolo, ubi unum baptismu confitetur Ecclesia, conclusum, & in sanctis quoq; Synodis confirmatum. Et cum istud ita sit manifestum, prodierunt tamen haeretici Anabaptistae & alij quidam, qui secus praedicare non sunt ueriti. Erasmus omnium ferè prauorum dogmatum callidus excitator, morem impium & meritò damnatum, per modum Consilij in Ecclesiam inducere conabatur, uidelicet ut pueri cum ad pubertatem uenerint, instruuntur de fide, & interrogentur, Num ratum habeant quod susceptores in baptismo, illorum nomine promiserunt. Quod si non potest obtineri ut approbent, expedire fortassis non cogi, sed suo animo derelinqui, nec alia plecti poena quàm ut à Sacramentis arceantur. Hoc dabat Erasmus consilium, quem nemo tamen consulebat. O hominem uerè Christianitatis uafrum osorem. Rectè equidem & iure optimo à celeberrima Facultate Parrhisiensi, & ab Hispanis Theologis, & à sancta Synodo Tridentina hoc irrationabile ac noxium & impium Consilium reprobatum est, quo infirmatur in Paruulis baptismus. Quod enim indiget haberi ratum, iam firmum non est. Non intellexit homo legum ignarus, quod tamen natura docebat, pro pueris qui eius aetatis sint at rationis usum nondum habeant, in negotijs ad eorum utilitatem spectantibus, suppleri consensum à parentibus, ita ut firma sint & ualida iam contracta, nec ab eorum ratihabitione pendeant quouis modo. Sed homo ille hypocrita egregius ac simul impius, non puerorum causam agebat, sed daemonum, qui cum per illam baptismi aquam se dominatum in nobis amittere torqueantur, per os suorum ministrorum liberationem puerorum impedire subdolis opinionibus moliuntur.

Erasmi subdolum consilium.

Lex naturae et rationis pro infantibus.

Qua in parte dolui uehementer cum legi Caietanum apud Matthaeum & Ioannem docentem, non esse pueros perfectè susceptiuos baptismi, nec perfectè nasci: quae doctrina est prorsus noua, & iam in annotationibus nostris in illum idoneè confutata. Concilium enim Viennense unicum commendat baptismum, quem tam paruulis quàm adultis communiter, perfectum uocat remedium ad salutem, & omnes effectus baptismi tam paruulis quàm adultis prouenire, cum & characteris ornentur insignibus, & liberentur à Diabolo et peccato, & uirtutes ac dona consequantur, & aperiatur ianua caelestis paradisi. Hi enim sunt proprij effectus baptismi, et ad regenerationem perfectam faciunt.

Caietanus in Matth. c. ult. et in Ioa. c. 3.

Concilium Viennense.

Quòd autem Caietanus metuens absurdum quod uerè sequitur ex sua doctrina, scilicet duo esse baptismata in Ecclesia, Alterum perfectum, alterum imperfectum, negat id sequi, & exemplum affert de Deo, qui licet à nobis imperfectè uideatur, ipse tamen perfectus est; nihil ualet. Deus enim ex seipso perfectus non potest mea uisione, ex qua eius non pendet substantia, imperfectus reddi. At baptismus & eius perfectio in ipsa actione & susceptione consistit: & ideò secundum susceptionem imperfectus aut perfectus dici potest. Quemadmodum & in sanitate accidit, si ea perfectè recipitur, perfectè sanum facit, & perfecta sanitas dicitur: sin autem imperfectè, etiam ipsa sanitas est imperfecta. Meritò igitur damnanda sunt eiusmodi futilia commenta & noxiae nouitates, quae non nisi ad subuersionem proficiunt, ex quibus hostes Ecclesiae possunt ansam capere ad irrisionem fidei nostrae.

Illud item insuetum atq; hactenus inauditum, & tamen ordinarium remedium pro pueris in materno ate-

Caiet. cõmentum refellitur.

ro existentibus, quod idem Caietanus excogitauit, quis probet? Huic enim Summorum Pontificum & clarissimorum Doctorum Augustini, Thomæ, Bonauenturæ, & communiter aliorum autoritas obsistit, & euidentissimis rationibus eliditur. Qua etiam de re satis in Annotationibus nostris disseruimus, ad quas hic breuitatis causa studiosum lectorem remitto.

In quendam Caietani commenti defensorem.

Non me tamen fugit, quendam Magistrum edito libello de Sacramentis conatum esse defendere Caietanum, & annotationem nostram ut ualuit retundere studuisse. Qui si uerè quid Caietanus docuerit, & quid ego reprobauerim intellexisset, proculdubio calamo pepercisset, nec sibi nec mihi frustrà negotium facessisset, nec mihi falsò illud opprobrasset quòd inimico animo scripserim in Caietanum, & nodum in scirpo (ut ait) quæsiuerim. Nunc uide quæso erudite lector quæ de meis scriptis reprehendit.

Primùm quod illam Caietani doctrinam, qua uult pueros in utero materna esse capaces sui illius noui baptismi, uocarim dogma. Non enim uult posse dici dogma id quod non asseritur, sed subijcitur correctioni, qua summissione ait Caietanum illud scripsisse. Quo in loco dupliciter errat. Primò quia Caietanus id quod reprehendo non subdidit correctioni, sed simpliciter asseruit: Deinde uerò quòd dogma nihil aliud est quàm (ut ita dixerim) opinatum quoddam, iuxta nominis significationem deductam ἀπὸ τοῦ δοκεῖν, quod est opinari, siue subijciatur correctioni, siue non subijciatur. Et tamen, quod miror ualdè, si me hac in parte iure reprehendit, ipse in idem uitium incurrit. Ipse enim illas Caietani doctrinas dogmata uocat. Sed mittamus leuem hanc de uocibus quæstionem, & quæ ad rem propius spectant consideremus.

Quid docere uoluit Caietanus.

Verba Caietani, quæ inferius ad literam proferentur, duo nobis manifestè significant. Alterum, existentes in utero posse saluari. Contra hoc dictum nihil ego moueo, sed contra illum modum saluandi quem ipse inuenit, uidelicet per modum illius inauditi sacramenti & baptismi, nempe fluminis in uoto suscepti cum aliqua benedictione prolis seu oblatione ipsius ad Deum cum inuocatione S. Trinitatis & intentione baptizandi. Ait ergo, Posse autem saluari infantem in utero dico per sacramentum baptismi non in re, sed in uoto parentum susceptum cum aliqua benedictione prolis seu oblatione ipsius ad Deum cum inuocatione Trinitatis & intentione baptizandi. Hoc uerò est quod nunquàm mihi placuit, neq; placere potest: quoniam si obseruaretur in Ecclesia ut solemne & ordinarium remedium, quod ille commentus est ac consulit obseruari: manifestè ritus esset hactenus incognitus in Ecclesia, sed à Doctore priuatim inuentus, & iccircò superstitiosus. Si enim ad eius obseruantiam Dominus, ut ille putat, daret gratiam, profectò esset sacramentum, quoniam esset signum sensibile & operatiuum gratiæ, cui nec forma deesset, uidelicet uerba inuocantia S. Trinitatem: nec deesset materia, uidelicet illa benedictio tanquàm loco aquæ. Esset igitur quartus baptismus autoritate Caietani introductus, qui potest dici uel fluminis uotalis (si sic liceat loqui) uel potius baptismus benedictionis. Non enim esset simpliciter baptismus fluminis, cum desit aqua: nec sanguinis, ut ex se patet: nec item flaminis simpliciter (& si hoc reprehensor ille putauerit) quia non indiget baptismus flaminis benedictione & obseruantia uel ritu nostro externo, sed intus perficitur in corde per Spiritum sanctum mouentem cor ad credendum & diligendum, teste Beato Thoma & alijs, qui sic declarant hoc genus baptismi flaminis. Cum ergo hunc ritum & baptismum quartum hactenus ignorauerit Ecclesia Christi, dixi non pertinuisse ad priuatum hominem illum introducere. Sugillaretur enim prouidentia Dei si hoc demum ritu salus ueniret pueris, utpotè quem nobis nunquàm Spiritus sanctus per Ecclesiam declarauit, cum tamen iam mille & quingenti & eo amplius anni fluxerint ab ipsa baptismi institutione.

Nunc oro te acute lector considera quid ad hæc responderit reprehensor meus. Hæc eius uerba: Respondemus (ait) hanc rationem Caietani non sugillare diuinam prouidentiam, sed diuinam magnificare ac prædicare omnipotentiam & misericordiam. Nec supponit falsò hunc prouidendi modum, quem sub correctione opinatur esse rationabilem. Et quamuis non legatur manifestè in sacris literis diuinam prouidentiam hoc modo paruulis subuenisse aut prouidisse, est tamen uulgata illa theorica, ab omnibus Theologis recepta, Deum suam potentiam non sic alligasse uisibilibus sacramentis ut sine ipsis saluare non possit, maximè ubi non contemptus, sed necessitas aut periculum (sicut hic fit) sacramentum excludit, &c. Et continenter concludit: Saluare itaq; potest etiam modis sibi soli notis, & nobis incognitis. Hæc ille, quæ tantum abest ut contra me pugnent, ut magis ipsum Caietanum expugnent.

Primùm quod ait, Illum modum prouidendi, Caietanum sub correctione opinatum fuisse, falsum est ut iam dixi: quia modum prouidendi quem tradidit, non subiecit correctioni quo minus fieret, sed an ille modus seruatus prodesset (id quod ipse opinatus est) posuit sub correctione. Vnde concludenda dixit: Quocirca cautè & irreprehensibiliter ageretur si periclitantibus in utero pueris ob maternam ægritudinem uel partus difficultatem, benedictio in nomine Trinitatis daretur, & causæ discussio deinde diuino reseruaretur tribunali. Hæc ille. Cæterum neq; ego manum Domini quin possit saluare absq; sacramentis coarcto, nec inficior minime enim alligari sacramentis, id est, sensibilibus signis, sed modis sibi soli cognitis & nobis prorsus ignotis Deum posse saluare dixi & dico: imò ob hoc ipsum ego Caietanum reprehendi. Ipse enim est qui uoluit noscere soli Deo nota, & illa Ecclesiæ tradere. Attulit quippe modum saluandi hactenus nobis incognitum, & sic alligare Deum uoluit ad sensibile ac nouum sacramentum à se inuentum. Ego autem

Verba Caietani.

eram qui uolebam at saluandi modas soli Deo cognitos & nobis prorsus ignotos (ut iste reprehensor fatetur) nec diuinaret nec traderet nobis humana præsumptio, cum in huiusmodi sacramentis & ceremonijs ecclesiasticis noa debeat admitti quicquàm uel falsum. uel dubium ac frustratoriam, sicut elegaater docet B. Thomas. Alioqui posset quilibet inuenire nouum aliquem ritum, & exemplo atq; imitatione Caietani diceret Valeat ut ualere potest. Verbi gratia, ut ipsa mulier prægnans reciperet aliquid aquæ baptismalis uice filij sui, quo filius credatur baptizatus. Istad tamen B. Thomas noster expresse reprehendit in sua ratione: quia talis puer (inquit) in utera existens noa subijcitur humanæ actioni.

Autoris intētio

In tertia parte q. 68. art. 4.

Opposuit autem mihi Ioannem Gersonem tanquàm idem docentem: quod si etiam uerum esse daremus, non propterea infirmarentur nostræ rationes, sed & aduersus illum militarent. At reuera Io. Gerson non tradidit nouum baptizandi ritum, sicut Caietanus: sed putauit fide & oratione aliorum posse saluari infantem in utera existentem: quod ego ut noa ausim probare, ita nec improbare. Verùm non est hic locus uberius hac de re disputandi. Illud mihi certissimum, hunc uirum non intellexisse sensum Caietani. Scripserat. n. Caietanus in hunc modum: Salus quæ potest à Deo infanti ia utero conferri ex speciali priuilegio, non spectat ad remedium illius status: qaoniam infra ordinem diuinorum miraculoram concladitur: hæc Caietanus. Magister autem qui me reprehendit, sic exponit: His uerbis, si rectè inspiciuntur, qaid uult Caietanus nisi iudicia Dei esse abyssum multam? Dicit enim, infanti in utera salutem tantùm inferri posse à Deo ex speciali priuilegio, & hoc ipsum contineri in ordine diuinorum miraculorum. Hæc ille, quæ directà sensum Caetani peruertunt, cuius uerba subijciamus: Occurrit, inqait, scribendum & consequenter dicendum (sub correctione tamen) paruulos in maternis uteris periclitantes posse saluari, sicut superius diximus de infantibus qui non possunt baptiZari. Posse autem saluari dica per sacramentum baptismi, non in re, sed ia uoto parentum susceptum cam aliqua benedictione prolis, sea oblatione ipsius ad Deum, cum inuocatione Trinitatis. Moueor autem ad hoc duplici ratione. Vna est, Rationabile esse at diuina misericordia prouiderit homini in quocunq; naturali statu de aliquo remedio salutis, ita ut nullum reliquerit statum potentem allegare impossibile esse sibi salutis remedium. Esset autem sine omni remedio derelictus status morientium in utera, nisi parentum fides illis posset subuenire. Hæc ille, per quæ uerba procul dubio uult, ex diuina prouidentia ordinarium esse debere pro istis infantibus remedium Ecclesiæ notum, præter illad quod est in Dei potestate & ex priuilegia. Vnde ut declararet se non loqui de priuilegiato & miraculoso salutis modo (quemadmodum ualt iste reprehensor) sed de modo illo qui esset ordinarius, & poterat dici spectare ad remedium illius status, adiecit hæc uerba: Salus. n. quæ potest à Deo infanti in utera conferri ex speciali priuilegia, non spectat ad remedium illius status: quoniam infra ordinem diuinorum miraculorum concluditur: hæc ille. Ex quibus uerbis manifeste apparet, Caietanum noluisse respondere objicientibus sibi id quod uerè poterat obijci, nempe quòd ille infantium status habebat Deum omnipotentem, & misericordem, & ideò talis status erat ipsi Deo dimittendus, qui absq; ordinario remedio, & citra ullam nostram actionem potest quæ ad salutem necessaria sunt prouidere. Respondet enim ipse Caietanus, talem prouisionem miraculosam & priuilegiatam fore, & ideò præter illam debuisse dari remedium ordinarium, quod infra ordinem diuinorum miraculorum concluditur: quod quidem remediam ipse Caietanus nobis pratulit. Et per hæc iam plus satis patere arbitror, illum hominem nec Caietanum intellexisse, quem peruersè exponit, nec me, quem imprudenter atq; iniuria reprehendit.

Addidit, nescire se quorsum ego dixerim, Paganorum paruulis non esse prouisum à Dea de remedio, cum Caietanus locutus sit de paruulis Christianorum, non autem Paganorum Hic obsecro acute lector considera, quàm parum attenderit homo ille ad pondus rationis nostræ. Ega enim hoc attuli tanquam instantiam ad conuellendum uniuersale Caietani dictum ponentis in omni naturali statu diuinam misericordiam prouidisse homini de remedio salutis. Dixit HOMINI. indistinctè, non dixit homini uenienti de Christianis. Quocirca prudens indicare uolui, non magnopere esse mirandum si aliqaanda non appareat datum esse ordinariam salutis remedium ubi ipsa rei natura id non patitur, sicut accidit in pueris in atero materna existentibus, etiam Christianorum. Nam pueri Paganorum nullum habent quod appareat & sit in promptu à Deo remedium, cum nec contra parentum uoluntatem debeant baptizari. Itaque uelle diuinare noua salutis remedia, & ea supplere, quid est aliud quàm uelle plus sapere quàm oportet sapere, & supplere defectum sapientissimæ Matris Ecclesiæ & ipsius Christi Redemptoris, quasi de accessorijs non satis nos docuerit usq; ad Caetani ætatem?

Non ergo, ut iterum repetam, ponderauit rationes meas qui me reprehendit, quæ non sunt meæ, sed B. Thomæ & Bonauenturæ. Vterq; enim negat tales pueros subijci humanæ actioni, quia nec sunt ia rerum natura quo ad nos, sed solummoda quo ad ipsum Deum. At illa benedictio quam docet Caietanus, actio quædam humana est, cuius si illi non sunt capaces, uana profectò est & uanè exercetur: quod in serijs ritibus & grauibus cum Deo cæremonijs non admittitur. Vnde quidam Doctor Parisiensis reprehendens quendam qui in disputanda solebat Caietani dictum sustinere, uerè & pulchrè in eum obiecit: Quis nouit (ait) quid sit ia tumido illo matris utero, Vtrum uentus, an catulus, an monstrum, an quid exanime? Et ita ris

Nota.

tus & obseruantiæ quas coram Deo agimus, exponerentur ludibrio Angelis tenebrarum, qui hæc uiderent & riderent. Hæc debuerat homo ille de annotatione nostra elicere, & hæc si poterat reprehendere. Tunc enim non me solum, sed hos simul egregios & grauissimos uiros, quos ego autores secutus sum, reprehendisset.

Pergit tamen hic Magister contra me differere his uerbis: In fine sic concludit Caietanus: *Quocirca cautè & irreprehensibiliter ageretur, si periclitantibus in utero pueris ob maternam ægritudinem uel partus difficultatem, benedictio in nomine Trinitatis daretur, & causæ discussio deinde diuino reseruaretur tribunali. Quis scit si diuina misericordia huiusmodi baptismum in parentum uoto acceptet, ubi nulla incuria, sed sola impossibilitas sacramenti executionem excludit?* Ex his uerbis apparet Caietanum voluisse introducere nouum baptizandi ritum, sicut ei ab aduersario obijcitur, qui nihil asserendo dicit, sed omnia reseruari diuino iudicio, & in principio articuli se sub correctione ista scribere fatetur.

Quid circa pueros in utero fieri uoluit Caietanus.

Hæc ille, nondum perspiciens quid sit illud quod Caietanus ait se reseruare diuino iudicio. Non est enim hoc, Vtrum illa benedictio fiat uel non fiat. Nam de benedictione illa, & sic de ritu illo à se proposito loquitur, ubi ait assertiuis uerbis quòd cautè & irreprehensibiliter fieret, ante notum ullum diuinum iudicium. Alioqui si hanc obseruantiam uoluisset examinari priusquàm fieret per Ecclesiam, nihil ego in illum mouissem. At ille obseruari eo modo primùm suadet: tum diuino illud iudicio esse reseruandum manifestè ait, uidelicet Vtrum ualeat, aut quantum ualeat, & sic incertam sui ualoris obseruantiam inducit. At istud puto non licere: quoniam oportet ut ritus nostri habeant certitudinem efficaciæ, saltem ex parte Dei. Ad hoc. n. inuenta sunt sacramenta.

Ad hæc, Impugnaueram alteram Caietani rationem, quæ (ut mihi quidem uidebatur, & adhuc uidetur) talis erat. Puer in utero manens est capax baptismi sanguinis: Ergo & fluminis uel benedictionis. Hic reprehensor meus mira audacia ait, me Audabatarum more pugnare. Non enim inferebat Caietanus talem puerum, quia capax esset baptismi sanguinis, consequenter esse capacem baptismi fluminis, sed tantum flaminis.

Aduersarij calumnia.

Atqui si de baptismo tantùm flaminis Caietanus fuisset locutus, quid oportebat tantum apparatum ad hoc probandum adhibere, cum istud nemo negaret? Quis enim ignorabat, pueros in utero existentes capaces esse baptismi flaminis habentis priuilegium speciale, cum ordinariè prouideri non potest, ut docet B. Thomas? At Caietanus uolebat hic probare baptismum ordinarium, non illum flaminis priuilegiatum, qui penderet tantum à Domini uoluntate absq; ulla nostra externa actione. Neq; tamen intuli simpliciter de baptismo fluminis, qui non eram tam stultè Calumniosus ut hoc impingere cuperem Caietano, quasi dixerit in utero existentes esse capaces ablutionis aquæ, licet & de hac re esset questio apud B. Thomam, propter eos fortè qui putarent matre abluta ipsum etiam puerum censeri ablutum: sed intuli de baptismo fluminis uel benedictionis, his uerbis indicans nouum illum Caietani baptismum, quem uult manifestè esse sacramentum baptismi fluminis, in uoto tamen, & ut benedictio illa adiecta sit quasi loco aque. Nesciebam sanè quo nomine hunc nouum ipsius ritum appellare deberem. Non enim poterat dici simpliciter baptismus flaminis, cum minime uerteretur in dubium, an puer in utero esset ut, dixi, illius capax, et cum hic baptismus non exigeret externos ritus nostros, nec sit remedium ordinarium: quod certè puto indubitatum esse apud Theologos et B. Thomam nostrum: quare nec sacramentum dici potest, sicut à Caietano uocatur. Iniuria ergo me sugillauit homo ille loquens de me his uerbis: Vnde non Caietanum, sed quod ipse subdolè ex Caietano nixus est colligere & falsò, impugnat. Hæc ille, quæ non dicam subdolè (hoc enim ego nescio) nec dicam Andabatarum more (quod iustius possem dicere) sed dicam non ex ueritate esse in me obiecta ab illo. Ego enim collegi ex dictis Caietani, tanquàm si ex capacitate baptismi sanguinis uellet inferre capacitatem baptismi fluminis aut benedictionis. Ille uerò ait, colligi debuisse, Ergo flaminis. Quasi magis dixerit Caietanus flaminis quàm fluminis seu benedictionis, cum esset propria quæstio non de flaminis baptismo, sed fluminis ut proponit B. Thomas dicens: Vtrum pueri in maternis uteris positi sint baptizandi, & Caietanus illud appellauerit sacramentum baptismi: quod non potest intelligi nisi fluminis, cum loco aquæ muenerit benedictionem ad perficiendum illud sacramentum, & clarissime de baptismo non priuilegiato, sad de ordinario sa loqui testetur.

Tædet reliqua persequi quæ in me ille imprudenter & imperitè euomuit. Parcat illi Deus, sicut uelim mihi parci in erratis meis. Hæc illius gratia scripsi & ueritatis, ut si fortè hæc nostra defensio aliquando ad ipsius manus peruenerit, sa potius in me quàm me in Caietanum iura charitatis læsisse, & uerè se Audabatarum more pugnasse recognoscat, ut qui non apprehenderit prorsus statum quæstionis, nec quæ Caietanus scripsit, nec quæ ego annotaui intellexerit.

In omnibus sit benedictus Deus.

DE MATRIMONIO QVAESTIONES PLVRES.

Vtrum Matrimonium sit sacramentum, & de eius materia & forma, & Mysta seu Ministro.

VIDEBITVR alicui forsan indignum esse in quæstionē ponere, Vtrum matrimonium sit sacramentum, cum de eo tam aperte dicat Apostolus, sacramentū hoc magnum est. Etenim ridiculum est omnino illud quod nonnulli hæretici obijciunt, non esse scriptum à B. Paulo, sacramentum, sed mysterium. Nam cum Græcè Apostolus scriberet, quomodo poterat dicere sacramentum, quod est latinum uocabulum? Ad exprimendum uerò id quod nobis significat sacramentum, non erat alia commodior græca uox, quàm mysterium. Hac enim utitur Beatissimus Pater Dionysius et alij Græci quoties tractant de sacramentis. Verum quia potest quispiam paulò argutior dicere, etiam hoc uocabulum, Sacramentum, ad alia extendi quæ non comprehenduntur sub eo sacramentorum numero quibus Theologi sua definitione eam uocem coarctant, iuxta quam septem solummodo sunt quæ ab eis peculiariter uocātur sacramenta: ictirco non penitus ab re ponitur hæc quæstio. Siquidem Verbi incarnatio dicitur sacramentū, nec tamen nuū ex illis septem. Item resurrectio carnis dicitur mysterium apud B. Paulum ad Ephesios. 1. & 3. capite, & ad Colossenses. 2. Et ad Timo. 3. Magnum est pietatis sacramentum &c. Et. 1. ad Corinthios. 15. Ecce mysterium dico uobis. Omnes quidem resurgemus &c. Non igitur per hoc quòd B. Paulus appellauerit matrimonium sacramentum, protinus habetur illud tale esse sacramentum quale nos intelligimus. Sufficit enim si aliquod sit magnæ rei signum (sicut re uera est) significans CHRISTI copulam cum Ecclesia. Et fortè dicet disputator, ob hanc rem à B. Dionysio inter cætera sacramenta quæ tractat, hoc non fuisse positum: unde & indicium accipiunt aliqui, eum non habuisse illud pro sacramento, sicut sunt alia circa quæ disseruit.

Sacramentum

Mysterium

Præterea, non uidetur B. Paulus de matrimonio dicere, Illud esse sacramentum. Ipse enim postquàm commendauit dilectionem quam debet uir uxori, & obseruantiam quam debet mulier uiro, adiecit similitudinem dilectionis CHRISTI erga Ecclesiam, ad cuius exemplar uiri debent respicere, ut ita & ipsi diligant. Diligit enim nos CHRISTVS, quoniam sumus membra (ait Apostolus) corporis eius, de carne eius et de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una, siue in carnem unam. Sacramentum hoc magnum est. Ego dico in CHRISTO & Ecclesia, aut (sicut Græcè legitur) In CHRISTVM & Ecclesiam. Hæc B. Pauli uerba, quæ sunt ipsius ueteris Scripturæ, ex quibus uix colligi posse uidetur matrimonium de quo agimus, esse sacramentum, hoc est, signum coniunctionis CHRISTI cum Ecclesia, cum locus ille uideatur eam duntaxat respicere copulam quæ fuit inter Adam & Heuam, & nullas alias, ut hæc demum fuerit uerum signum CHRISTI cum Ecclesia. Videtur enim præcipuè hac in parte attendenda significatio ut quemadmodum ex ossibus Adæ & carne illius ædificata fuit prima mulier futura etiam eius uxor, ita ex ossibus Christi et carne eius producta est Ecclesia, Christi Sponsa, sicut declarat ipsemet B. Paulus.

Quòd si in hoc consistit uis mysterij, iam apparet, matrimonia nostra non esse sacramentum, hoc est, tale signum quo significetur CHRISTVS & Ecclesia ea parte quam considerat ipse Apostolus, uidelicet sicut mulier ex uiro, ita Ecclesia de CHRISTO. Nulla enim mulier unquàm præter primam extitit, quæ de uiro suo sit orta. Ergo significatio tantum in illo primo matrimonio residet, non autem in cæteris.

Præterea, sententia illa B. Pauli: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in CHRISTO & Ecclesia, non uidetur congruè ad ipsum matrimonium aptari tanquàm dixerit, ipsum matrimonium esse magnum sacramentum, cum seipsum mox declarans addiderit: Ego autem dico in CHRISTO & Ecclesia: ac si expressius dixisset, uinculum illud quod inter CHRISTVM & Ecclesiam intercedit, magnum esse mysterium, hoc est, magnum sacramentum, Et uerè magnum. Hoc enim est (sicut legitur in Apocalypsi) illud magnum signum quod apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, & in utero habens, & clamat parturiens, & cruciatur ut pariat &c. Hoc erat proculdubio incarnationis mysterium.

Ex his oppositis quæstionibus (ut uerum fateamur) non ita apertum uidetur de Scripturis ipsis matrimonium esse sacramentum eo modo quo sex reliqua sacramenta dicuntur. Quamobrem cum in commentarijs ad B. Paulum, ne sermo longior esset quàm eorum leges ferrent, rem totam exactius tractare non licuerit, placuit hic diligentius considerare, & quæ sunt uera & certa seligere, ut ex his reliqua commodius conectemus.

Non est dubium, illud matrimonium primorum parentum maximè significauisse mysterium Christi, hoc est, incarnationem suam & nuptias eius cum Ecclesia, ita ut ille solus uir in sua prima conditione significauerit CHRISTVM. Sicut enim uir ille primus secundum carnem productus est ex terra uirgine nunquam maledicta, ita CHRISTVS de terra illa, hoc est, de

illa semper benedicta Virgine processit. Hæc est terra illa nostra, idest, terra similis nobis. Nostra autem, quia pro nobis prædestinata, quæ dedit fructum suum, quoniam sibi in primis profuit, deinde nobis. Est & conuersim ex parte mulieris altera similitudo. Quemadmodum enim secundum carnem postremò producta est illa mulier de latere uiri ex ossibus eius & carne eius, ut essent una caro, ita de latere CHRISTI ex ossibus eius & carne eius secundum Spiritum processit illa Virgo, & in illa, tota reliqua Ecclesia. Sic enim generata est in sopore eius, idest, in morte eius: quam ubi primum è sopore excitatus est, uidit ante se pulchram atq; spectabilem, & dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, idest, hac uice tantum, semel tantum: quia CHRISTVS semel mortuus est, non amplius moriturus. & sic reparauit Ecclesiam suam semel. Resurrexit enim ut uiuat Deo semper. Ego (inquit) dormiui, & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me. Hactenus in solo illo primo matrimonio, singulari modo CHRISTVS significatur.

Sciendum est autem Scripturam illam ueterem non solùm loqui de illo primo connubio, sed ex illo præstitui etiam normam cæteris quæ post illud mandantur. Dictum enim fuit omnibus: Crescite & multiplicamini, & replete terram &c. Postquàm ergo dixit Adam, & in Adam Deus: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc uocabitur Virago, quia de uiro sumpta est (in quibus continetur mysterium CHRISTI cum Ecclesia, idest, cum Virgine sancta) adiecit. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem suam. & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una, siue in carnē unam. Quæ postrema uerba nō possunt conuenire amplius primo uiro, quoniam ipse nec patrem habuit neq; matrem. Referuntur ergo ad sequentia coniugia: & huius uinculi nexus, quantaq; sit inuicem obligatio his uerbis declaratur. Adduxerat enim Deus Mulierem ad Adam postquàm uidit illam ex sua costa ædificatam. Eo autem facto cognouit de uoluntate Dei Patris esse ut eam haberet uxorem, quam ad se adduxisset, & cœpit eam uehementer diligere perpendens aptissimum adiutorium sibi simile ad propagationem, & acquieuit, & initum est matrimonium & sanctificatum, & ea uerba protulit quæ iam diximus: Hoc nunc os meum ex ossibus meis &c. Et in eis agnouit legem matrimonij, quæ erat unius cum una, & perpetuò indissolubiliter propter uerbum Dei per quod alligabantur, quia adduxerat illam ad eum, et ita coniunxit eos perpetuò. Vnde & illam legem promulgauit, & dixit: Quamobrem relinquet homo, idest, Ob istam copulam & excellens uinculum homo relinquet patrem suum & matrem suam, uidelicet quo ad officia domestica, & agglutinabitur uxori suæ, nimirum carnalem copulā exercendo. Et sic erunt duo in carne una, idest, duo qui ius habeant super eadem carne, ut ea utantur ad propagationem. Et hoc etiam significauit CHRISTVM & Ecclesiam. CHRISTVS enim reliquit Patrem dum se exinaniuit. Exiui, inquit, à Patre. Reliquit & matrem, quam non curauit secundum carnem, ut eidem tanquàm Sponsæ suæ hæreret secundum spiritum, sicut scriptum est: Qui adhæret Deo unus spiritus est. Quapropter, non considerans eam qua parte mater carnis esset, ait: Quid mihi & tibi mulier? Et alibi: quæ est mater mea & fratres mei? Volens significare illam ut Sponsam suam esse sibi cordi, per quam prouidere uolebat de uiuo.

Hæc enim Sponsa, quam suo sanguine lucratus est ut illi hæreret, est illa in primis illi coniunctissima Virgo, de qua cæteri filij propagandi essent: de cuius eximia coniunctione lætabatur magnus Baptista, & dicebat: Qui habet Sponsam Sponsus est, amicus autem sponsi etc.

Hæc igitur uerba: Propter hoc relinquet homo &c. quæ extra controuersiam non primo illi matrimonio conueniebant, sed futuris, similiter ad CHRISTVM spectabant, ita ut & aliorum matrimonia significarent illam CHRISTI copulam, & eius uirtutem ac nexum indissolubilem quem cum Ecclesia contraxit. Deus enim ad illius spiritualis coniugij similitudinem & imaginem ista carnalia matrimonia conciliauit. Spiritualia enim reuera sunt exemplaria carnalium, licet econuersò quo ad nos, quoniam per carnalia ad spiritualia speculando ascendimus.

Quamobrem, ut rem tandem definiamus, dictum illud B. Pauli: Sacramentum hoc magnum est, potest referri ad uinculum quod est inter CHRISTVM & Ecclesiam, uerè magnum sacramentum. Est enim signum grande dilectionis diuinæ & prouidentiæ sempiternæ, quia fecit Deus nuptias filio suo. Cum uerò hoc signum in his uerbis significatum sit, quæ nobis legem carnalis matrimonij exprimunt, iam perspicuè datur intelligi, ipsum quoq; carnale matrimonium signum esse illius magni mysterij, hoc est, spiritualis matrimonij. Et iccircò etiam carnale matrimoniū est sacramentum, cum sit signum, & signum rei maximè sacræ. Et sic indirectè probatur etiam carnale matrimonium esse sacramentum.

Potest etiam intelligi, Sacramentum hoc magnum est, de ipso matrimonio, ut directè uocetur sacramentum & quidem magnum, propterea quòd eius significatio in Christum & Ecclesiam tendit: & hoc magis placet. Id enim est quod declarauit Apostolus subijciens: ego dico in Christo et Ecclesia: aut (ut Græcè legitur) in Christum & Ecclesiam, hoc est, quatenus illam tantam tamq; admirabilem coniunctionem significat, ad cuius imaginem se componere coniuges debent, seruando fidem, & dilectionem implendo ad fructum sobolis in Dei laudem & gloriam. Et hæc satis ad eius loci ampliorem declarationem.

Verùm & hic instabunt aliqui dicentes: Etsi matrimonium dici possit sacramentum, quia significat mysterium illud magnum, non propterea tamen probatur esse sacramentum unum ex septem, in eam significationem in quam accipitur in proposito. Non enim satis est ut

quid sit sacramentum, significare, nisi etiam id efficiat quod significat, iuxta illud commune dictum, Sacramenta nouæ legis id efficiunt quod figurant. At Christus et Ecclesia quæ significantur hoc sacramento, non efficiuntur per illud, neq; continentur: sed sunt res iam existentes, quæ supponuntur, ut ex se patet. Quomodo ergo hoc, sicut et alia, propriè dici potest sacramentum?

Præterea (licet & hoc penè in idem recidere uideatur) non uidetur constare, per hoc matrimonij sacramentum conferri gratiam. At quæ propriè sunt sacramenta, hoc ex sui natura habent ut gratiam conferant.

Resolutio argumentorum.

Nos igitur Ecclesiæ sanctæ doctrinam sequentes, q. s. matrimoniũ sit propriè sacramentũ, ad hæc respondemus. Ad primum quidem, hoc uinculum matrimonij quod significat unionem Christi cum Ecclesia, illud significans, etiam significare simul id quod Dominus operatur in coniuges per ipsum matrimonij sacramentum. Significat. n. nõ simpliciter uinculum Christi cum Ecclesia, sed ut illud uinculũ est exemplar ad quod ipsum carnale matrimoniũ est aptandũ, ut Apostolus ipse, si rectè cõsideretur, declarat. Quemadmodum enim coniunctio Christi cum Ecclesia fuit ad propagandum filios ipsi Deo secundum spiritum, & sicut propter illam coniunctionem Christus sponsus dilexit Ecclesiam suam sponsam, ita ut semetipsum traderet in mortem pro eius salute: sic & uir debet diligere uxorem suam, & illa econuersò obseruare ac timere amanter ac reuerenter uirum suum. Hoc igitur totum cum reflexo modo significet matrimonij uinculum, eo ipso quòd significat mysterium Christi cum Ecclesia, quasi typum atq; exemplar sui, id profectò significat quod efficit. Deus enim inuisibiliter benedicens nuptijs, & probans illas, quum tamen (ut oportet) Christianè cum timore Dei & intentione bona fructificandi Deo celebrantur, non defraudat coniuges desiderio sancto: quod uerè multi experirẽtur si cũ christiano pudore se iungerent. Sed in hoc (ut & in cæteris sacramentis) à plurimis turpissime & multùm in Christianismo peccatur, ut sic ponatur obex aduenienti gratiæ.

Ad aliud uerò de gratiæ collatione, quamuis nonnulli Theologorum negauerint per hoc sacramentum conferri gratiam, inter quos fuit in primis Magister sententiarum, cui consenserunt nonnulli Canonistæ, ut Goffredus, Hostiensis, Bernardus Glossator, & fortassis aliquot alij, meliores tamen Theologi aliter sentiunt. At quo pacto id probent, aut probari possit, accuratius uidendum est.

Radix autem huius probationis ex ea Scriptura accipitur quæ nobis legem omnium matrimoniorum præscribit, aiens: Propter hoc relinquet homo &c. Fuit enim Adã propheta hoc dicẽs. Vnde elicitur Dominũ Deũ his copulis sua benignitate assistere, quibus legem mutui præfigit amoris, quos & coniungere dicitur. Vnde Dominus in euangelio: Quos Deus coniunxit, ait, homo non separet. Si igitur Deus ipsos coniungit, & ad hunc finem ut sint fideles inuicem, & propagent sobolem Deo, cum Dei opera sint perfecta, necesse est confiteri ab ipso aliquid effici, nimirum gratiam suam impartiendo, ut hoc uinculum rectè contrahatur & duret, & fides inuicem seruetur, & felix inde fœcunditas procedat in fructibus suis. Sanctificatur ergo matrimonium per Deum ut uerè sit sacramentum. Quid enim aliud est sacramentum, quàm quoddam benedictum & diuinitus consecratum? At hoc facit fauor inuisibilis assistentiæ Dei, ex quo & immaculatus thorus, & honorabile coniugium redditur & uocatur.

Sed nec sic quiescunt qui altius speculantur. Si. n. est sacramentum, oportet quærenti quænam sit illius materia & forma satisfacere, & illas reddere, cum omne sacramentum in materia uideatur consistere & forma.

Scio responderi communiter, materiam quidem esse ipsos coniugij actus: formam autem uerba ipsa. Verùm ego qui non facilè acquiesco nisi planè intelligam, quæro, quinam sunt huiusmodi actus? Oportet enim non secus ac in cæteris sacramentis, certam quoq; hic esse materiam, et propter certos coniugum actus, qui tamen non dantur nec declarantur: imò ad essentiam matrimonij nihil aliud præter consensum & uerba requiritur, ut iura uolunt, ita ut ex his tantùm sacramentum constituatur. Quod si ita est, etiam Ethnicorum matrimonia essent sacramenta, quæ similiter perficiuntur consensu & uerbis. Non enim alterius generis est consensus, nec alterius generis sunt uerba quibus illi utuntur, q̃ illa sint quibus utuntur nostri quando coniunguntur.

Quòd si quis dixerit, consensum non simpliciter esse materiam, neq; uerba simpliciter esse formam, sed consensum & uerba duntaxat fidelium coniugum esse materiam et formam huius sacramenti: hoc certè est addere ad uerba Theologorum, qui simpliciter sic dicebant: Consensum & uerba, & non: Consensum & uerba fidelium. Sed si etiam in hunc modum dicatur, non uidetur tamen ob multas quidem rationes satis esse.

Primùm, quia quotiens requiruntur uerba pro forma, his non interuenientibus nihil fit, ut patet in cunctis sacramentis, quod & iurisconsultis notissimum est in contractu stipulationis.

Quòd si res ita se haberet in matrimonij sacramento, sequeretur matrimonium inter mutos & surdos non esse sacramentum: quod est omnino absurdum, & ita absurdum ut nullus, meo iudicio, illud audeat asseuerare. Si igitur est inter illos sacramentum, erit sanè sacramentum sine sua forma, quæ tamen dat esse rei: & ita erit & non erit sacramentum.

Similiter etiam tacitus eorum consensus qui loqui possunt perficit matrimonium, at si mulier uel puella interrogata respondere præ uerecundia non audet. Erit ergo matrimonium, et sacramentum constabit absq; forma.

Præterea, non apparet quo pacto ex consensu et uerbis coniugum tanquàm ex materia & forma possit effici sacramentum. Sacramentum est enim quoddam sacrum quod non nisi ex sacra forma potest resultare. Quid autem sacri sit in uerbis eorum qui coniunguntur, etiam fidelium, non apparet. Nam & ipsi fideles ut filij

seculi nuptias contrahunt, & sicut ait Dominus, generaut & generantur. Nihil insuper hac parte interest inter uerba fidelium & infidelium. Apparet autem in omnibus alijs sacramentis esse uerba sacra, nimirum ordinata ab ipso Deo, ut in Baptismo & Confirmatione & Eucharistia & Pœnitentia & Ordine & Extrema unctione satis patet.

Præterea, in ipsa uerborũ forma quũm sunt forma sacramenti, hoc est, in uerbis ipsis ex eorũdem ui est significatio rei sacræ quæ efficitur sacramento, ut in alijs sacramẽtis est manifestum. At in hoc solo sacramento nequaquã talis significatio habetur ex uerbis ipsis, cum uerba sint communia quibus utantur & fideles et infideles.

Præterea, constat in quolibet sacramento formam esse particularem & distinctam introductam à Christo, & ab eo Apostolis insinuatam, & per eos traditam Ecclesijs Dei. Modo uerba quibus conficitur matrimonium, & consequenter sacramentum ut uolunt, sunt uerba communia ab hominibus ratione atq; prudentia excogitata atq; inuenta, & apud omnes gentes obseruata: quare non uidentur esse posse formam sacramenti.

Præterea D. Thomas docet quòd expressio uerborum in matrimonio est tanquàm ablutio in sacramento Baptismi. Sed ablutio ipsa non est forma Baptismi: Ergo nec uerba matrimonij.

Præterea, in omnibus reliquis sacramentis forma uerborum exprimitur per ministrum sacerdotem Dei. Cur igitur non & in hoc sacramento? Nisi forte dixeris utrunq; coniugem esse sacramenti ministrum, quod uidetur absurdum: quoniam inter eum qui sacramentum confert & eum cui confertur, & inter sanctificatorem & sanctificatum, debet esse aperta personarum distinctio. Si dixeris, alterum per alterum quasi per ministrum sanctificari, idest, mulierem per uirum & eius uerba, & ita uirum per mulierem: rem profectò absurdam dixeris. Nam Theologi omnes docent per sacramentorũ ministros conferri gratiam. Si ergo ministri huius sacramenti essent coniuges, alter conferret alteri gratiam: quod nemo eruditus unquàm uel cogitauit.

Præterea, si rectè considerauerimus, absurdè dicitur de hoc solo sacramento quòd suscipiatur aut conferatur, sicut de cæteris cunctis dicitur. Nemo enim unquã sic loquutus est: Ille contulit sacramentum matrimonij, aut: Ille suscepit, quod tamen rectè de cæteris dicitur. An uerò fortasse dici possit contrahi sacramentum, sicut dicimus contrahi matrimonium, non definio. Tantum dico alium esse dicendi modum, nec in consuetudine positum. Deniq; si dixeris, hoc solum sacramentum carere ministro: durum sanè uidetur. Vix enim est cogitabile, esse aliquod mysterium, illius autem nullum esse mystam aut symmystam.

Præterea, sunt infideles matrimonium contrahentes. Illud certè non est sacramentum. Veniant ad fidem, nec aliter denuò contrahant matrimonium, quis negauerit esse sacramentum? Sed ubi forma hic uerborum illa? Igitur absq; sua forma erit aliquid, seu suborietur insensibiliter in sacramento, cum tamen requirat sensibilem formam, sicut indicat ipsa sacramenti definitio.

Præterea, in quolibet sacramento requiritur utriusq; intentio & conferentis & suscipientis sacramentum. At hic nec adest conferens neq; suscipiens sacramentum. Erit ergo sacramentum absq; intentione conferentis & suscipientis.

Quòd si dixeris coniuges esse conferentes, et eosdem suscipientes, nónne si rogentur illi, an dum contraxerũt, habuerint intentionem aut cogitationem ullam conferendi sacramentum, maior pars dixerit longè ab illa intentione abfuisse? Et plurimos eorum in hunc modum posse respondere non dubito: Nec si matrimonium sit sacramentum scimus, tantum abest ut nobis tunc adfuerit intentio conferendi aut suscipiendi sacramentum.

Præterea (quò hæc fortius aliquem) antequàm esset in Ecclesia determinatum matrimonium esse sacramentum, multi fidelium ignorabant illud esse sacramentum: imò pleriq; putarunt non esse sacramentum tale, uidelicet conferens gratiam. Non ergo poterat esse in illis intentio conferendi aut suscipiendi.

Præterea, non satis est hominem in conferendo sacramento habere intentionem, nisi illam manifestè externis signis declaret. Hoc probat B. Thomas ubi quærit de necessitate ministri in sacramentis, & de necessitate intentionis. Volens enim utramq; necessitatem probare, hac utitur ratione: Quando enim aliquid (ait ille) se habet ad multa, oportet quòd per aliquid determinetur ad unum quod proponitur faciendum. Cum igitur quæ in sacramentis aguntur ad multa se habeant, ut aqua Baptismi, & illa lotio seu immersio habet se ad multa, & ad quodlibet eorum potest ordinari, uidelicet ad lotionem corporalem puram, uel ad delectationem aut ludum, uel ad medelam scabiei, aut aliam quamlibet. Oportet, inquàm, si sacramentum intenditur, ut ad hoc tantum restringatur. Fit autem istud per intentionem ministri, quam tamen oportet foris sensibiliter exprimi, cum sacramenta sint sensibilia signa. Vnde in Baptismo apertis uerbis dicitur: Ego te baptizo in nomine Patris &c. Ob eam causam B. Thomas docet necessaria esse uerba in sacramentis, ut per ea determinetur materia siue actus ad significandum. At in matrimonio cũ uerba ipsa & consensus coniugum nuditer considerata nõ habeant ex natura sui ut arctentur ac determinẽtur ad efficientiã sacramenti (ut patet in Gentibus & infidelibus, qui per illa non agnoscunt ullum sacramentum) mirum esset hoc solum sacramentum non requirere aliquam sui declarationem & alicuius ministerium quo ipsum mysterium declaretur. Homines enim ut plurimum, uel ad explendam propriam libidinem contrahunt, uel dotis gratia, uel (si quid honestius cogitant) ad officium solummodo naturæ respiciunt, ut prolem procurent mundo: & qui fortè habent intentionem bonam & fidelem, illam tamen uerbis aut signis non exprimunt. Quare non uidetur matrimonium esse sacramentum, cum nihil habeat in sui conditione, quo appareat determinari ad hoc ipsum ut sit

B. Tho. 3. p. q. 64. art. 8.

In 3. p. q. 60. art. 6. 7.

fum ut sit

sum ut sit sacramentum, quod ex se (ut patet) indeterminatum est. Et hæc sunt quæ magnum (ni fallor) possēt exhibere negotiū uolenti quærere ac inuenire ueritatem.

Autoritas Ecclesiæ.

Ratio pro sacramento matrimonij.

E Conuersò autem, propter cōsensum Ecclesiæ uniuersalem, fatemur matrimonium esse sacramentum, nec ea solùm lege quæ intellectum captiuandum esse in obsequium fidei iubet, uerùm etiam quia suadent rationes, & præsertim hæc una, quoniam ualde est rationabile, matrimonium esse sacramentum, quò compleatur ratio naturalis quæ facit ad exigentiam huius sacramenti. Sicut enim necesse est esse sacramenta per quæ disponantur homines ad primam sanctificationem, quæ tendit ad futuram & cœlestem uitam ubi erit sanctificatio perfecta: ita necesse erat esse sacramentum per quod producerentur ipsi homines qui essent disponendi ad primam illam sanctificationem, & aliquo certo sacramento fierent sanctificabiles.

Dilutio argumentorum contra sacramentū matrimonij.

Nos ergo cum Dei gratia conabimur cuncta resoluere superius obiecta. Et ad primum, quærenti huius sacramenti materiam & formam, Respondemus, materiam ipsam quæ exponitur sanctificationi, non esse consensum solum, sed etiam uerba ipsa quæ sacra fiunt, ut inde nascatur matrimonium, idest, uinculum sanctificatum. Matrimonium enim nihil est aliud quàm ipsorum coniugum uinculum, quo mutuò ad officia coniugalia colligantur. Non possum ergo cum his consentire qui consensum coniugum dicunt esse materiam, formam autem esse uerba. Scio B. Thomam docere, materiam huius sacramenti esse ipsos coniugum actus sensibiles, perinde atq; in pœnitentia actus pœnitentium sunt materia illius sacramenti, quasi loco materialis elementi. At uerò ipsi sensibiles coniugum actus, præcipuè uerba, sunt quæ ad rem faciunt: imò re uera, præter consensum & uerba, nullus alius actus pro materia ad substantiam matrimonij requiritur. Consensus autem internus absq; dubio non potest esse materia sacramenti nisi expressus fuerit: quoniam sacramentum est sensibile signum. Ergo ipse consensus uerbis expressus, & consequenter uerba illum manifestantia, sunt materia huius sacramenti;

Materia.

non secus ac pœnitentium uerba confessionis sunt materia illius sacramenti. Non ergo uerba sunt forma, sed materia. Hoc idem per alia argumenta confirmatur, quæ iam superius ad hoc confirmandum attulimus, quæ certè apud me concludunt.

Quod uerò à quibusdam dicitur, uerba unius coniugis esse formam, ualeat quantum ualere potest. Tantum autem potest, quantùm multa quæ uoluntariè dicuntur, nulla ratione suffulta. Quid enim si post interrogationem puella taceat?

Verùm si uerba & actus coniugum quibus matrimonium contrahitur, dicuntur esse materia sacramenti, ubi (quæso) erit forma? Non enim quicquam per solam materiam constituitur in esse, sed ut quid fiat, oportet adesse formam.

Forma.

Respondeo: Forma est uerbum Dei sanctificans ipsum matrimonium, idest, ipsam materiam, uidelicet consensum et uerba unde elicitur matrimonium, quod sanctificatione illa fit sacramentum. Matrimonium ergo ipsum uniter consideratum, est materia sacramenti huius.

Verbum Dei quo matrimonium consecratur.

Quæres iterum: Quodnam est illud uerbum diuinum, quo matrimonia consecrantur & fiunt sacramentum? Respondeo, illud quod Scriptura dixit et assiduè profert, nimirum: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unam.

Dices: Hoc semel dictum fuit sensibiliter ab Adam, siue ab ipso Deo per Adam. Respondeo: Scriptura & lex semper loquitur. Quamobrem perinde hoc accipiendum est ac si assiduè diceretur & in quolibet matrimonio fidelium: quod manifestè probatur à doctrina Christi, qui per illud probauit consistentiam matrimonij indissolubilem esse.

Christus matrimonij sanctificator.

Si ergo quæris quisnam sit sanctificator matrimonij ut fiat sacramentum, redditur tibi ipse Christus, qui ut omnium aliorum sacramentorum, ita huius sacramenti matrimonij est principalis effector. Si autem quæris Mystam seu ministrum & collatorem sacramenti huius, solus Deus est. Hic sanctificat matrimonium, nullus alius.

Mystam matrimonij Deus.

Si autem quæras, cur hoc solum non indigeat homine ministro: ista assignatur ratio, quia in omnibus alijs sacramentis ratione formæ aut ratione materiæ fuit opus Mysta. Oportuit enim in quolibet sacramento disponi primò materiam quæ recipiat formam sacramentalem, & super quam forma ipsa adueniens fieret sacramentum, ut patet de aqua Baptismi, saltem quando confertur solenniter. Patet & in Eucharistia similiter, quoniam aptatur materia per sacerdotem. In Confirmatione quoque patet de Chrismate. Similiter & in ordinibus. In Pœnitentiæ etiam sacramento materia ipsa, idest, ipsi actus pœnitentis, ut essent sacramentales, indiguere sacerdote auditore et arbitro: ut sic disposita ipsa materia, inueniretur aptata ad formam. Ecce igitur quomodo ratione materiæ, ut disponatur, reliqua sacramenta requisierunt Mystam: At matrimonium solum quod inter fideles contrahitur, est materia suapte natura disposita ad sanctificationem, ut nihil aliud requiratur in coniugibus quàm eos esse Christianos, ut dignetur Deus sanctificator assistere, & sacramentum constituere, & gratiam conferre non ponentibus obicem. Et hæc est ratio cur B. Dionysius de hoc sacramento nullam facit mentionem: quia de his tantum tractandi negotium sumpserat, quæ per Mystam perficiebantur. Hoc enim erat ei propositum, ecclesiasticas cæremonias siue Pontificum siue sacerdotum & aliorum ministrorum quæ obseruabantur, docere ac tradere, quæ in matrimonio non exigebantur: Illud satis erat matrimonium contrahentes esse fideles.

Nota.

Matrimonium infidelium non est sacramētū.

Huius rei gratia inter infideles matrimonium non est sacramentum, cum desit materia debita. Quùm autem postmodo efficiuntur fideles et perseuerat matrimonium, quia materia ipsa disposita est, confestim fit sacramentū. Sine fide autem est quidem materia, sed minime disposi-

P

ta. Vnde B. Thomas dixit aliquando, quòd etiam tale infidelium matrimonium est sacramentum aliquo modo, non actualiter, sed habitualiter. Ego potius dicerem potentialiter. Sed attendendum est hoc in loco, satis esse si unus ex coniugibus sit fidelis. Nam propter ipsum sanctificatur alter ad opus matrimonij, hoc est, ad sobolem procreandam, ne filij nascantur immundi, hoc est, insanctificabiles propter parentes: quod eleganter docet B. Paulus, sed non omnes considerant.

Fuit etiam necessarium in alijs sacramentis ratione formae ut essent symmistae & sacerdotes conferentes sacramentum. Quodlibet enim eorum requirit certa & concepta uerba, quae Dominus IESVS conuenienter instituit, ut quasi forma applicarentur materiae: siquidem id quod agitur in caeteris sacramentis, non est quid naturale à natura ostensum, sicut est matrimonium. Vnde oportuit in illis esse sacerdotem qui illa sacramenta perficeret, suam cuilibet formam tribuendo.

Adhaec, cuncta reliqua sacramenta conferuntur sensibilibus actibus, siue quae consistunt & perficiuntur in actione transeunte, siue quae in re permanente, ut est Eucharistia. At hoc solum est quod non confertur, nec suscipitur. Si enim non confertur, nec etiam suscipitur. Quod enim suscipitur, ab alio conferente suscipi debet, in re proposita. Et in hoc similiter differt matrimonij sacramentum ab alijs sacramentis quae conferuntur ac suscipiuntur. Hoc uerò potius dicitur contrahi, uel iniri: quoniam istud de matrimonio dicitur quòd initur atque contrahitur: & cum illi adiaceat ut sit sacramentum, etiam ipsum sacramentum contrahi atque iniri dici potest. Illud tamen est certum, quòd non confertur neque suscipitur, & propterea etiam non indiget ministro ullo, nec item indiget intentione actuali aut etiam uirtuali, ipsorum contrahentium matrimonium. Habitualis uerò necessaria est, quae concluditur in ipsa professione Christianismi. Certum est enim quòd si rogentur fideles quo pacto contrahunt matrimonium, nunquid ea conuenientia contrahant qua ipsos fideles decet contrahere, protinus annuent, & asserent eo pacto se uelle contrahere. Et hoc sufficit ut dicatur non deesse intentio ad huiusmodi sacramentum. Et cum haec ita sint, attamen omninò deberent omnes coniuges cum benedictione sacerdotis contrahere tale sacramentum, & scire mysterium, ut gratiam acquirerent congruentem. Nam & quae diximus, apertè in eis benedictionibus cognoscuntur uerissima.

Dubium. Restat autem unus scrupulus, neque is quidem paruus, ut uidetur ex Concilio Florentino. Ibi enim post enumerata septem Ecclesiae sacramenta dicitur: Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, uidelicet rebus tanquàm materia, uerbis tanquàm forma, & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si quid desit nō perficitur sacramentū.

Ad hoc autem fuere qui dicerent, haec tria requiri quidem in omnibus sacramentis, etiam ipsum ministrum, non tamen ad essentiam sacramenti. Nam materia quidem et forma ad substantiam requiruntur: minister uerò aliquando ad esse sacramenti, aliquando ad solennitatem & bene esse, sicut in matrimonio contingit. Quae expositio minimè placet. Primò quoniam qui benedicit nuptias, non est uerè minister sacramenti: nec propriè is dicitur minister sacramenti, qui non confert sacramentum. Ipse enim qui benedicit nuptias, nec disponit materiam, nec profert formam, & propterea non est sacramenti minister de quo ibi Pontifex loquitur: quoniam expressè declarat, ministrum esse qui confert sacramentum intendendo facere quod facit Ecclesia. Modò benedictor nuptiarum post iam contractum matrimonium accedit, qui etsi non intenderet facere quod facit Ecclesia, non propterea irritum faceret aut inualidum matrimonium quo minus esset sacramentum. Adde etiam adiectum esse à Pontifice, si ullum horum trium desit, uidelicet materia, forma, & minister conferens sacramentum, sacramentum ipsum non perfici.

Pro solutione igitur posset aliquis paulò audacior dicere, esse ibi quaedam pronunciata non exactè, sed ad aliqualem instructionem: quae responsio fortè posset nonnullis rationibus defendi. Nec propterea debet quisquàm plus aequo moueri et zelare pro Pontifice ac Spiritu sancto: quoniam non cuncta prorsus quae loquuntur & docent Pontifices etiam in traditionibus suis, talia sunt ut habeant in cunctis assistentiam Spiritus, & omni errore careant, ligentque intellectum ad credēdum, nisi tum demum quùm ritè & legitimè conquirentes & cognoscentes determinant atque statuunt. Itaque omnibus in rebus prudenter est modus adhibendus: quia & Diabolus & à dextris & à sinistris insidiatur. Sunt enim qui nimium quandoque doctrinae Pontificum tribuant, & contrà non desunt plurimi qui minimum, sed magna cum blasphemia illi detrahunt. Media ergo uia & secundum scientiam esset incedendum. Quae enim enunciando dicunt & docent, talia sunt ut cum reuerentia & pietate sint accipienda: & si non exactè uideantur excogitata, pia interpretatione ad ueritatem reducenda sunt. At quae sanciendo ac decidendo definiunt, & quasi ad fidem attinentia ab omnibus suscipienda manifestè tradunt, non minus quàm euangelia Christi suscipienda sunt. Possunt ergo illa Pontificis uerba sic exponi & ad ueritatem reduci si dixerimus, illa omnia sacramenta requirere illa tria, esse uerum si collectiuè accipiatur, non distribuendo quod dixit, OMNIA, ut sit sensus: Omnia haec, nō tamen quodlibet horū, requirit illa tria. Sic & dicitur de peccatis, Potest aliquis uitare singula peccata, sed non omnia. Fateor tamen (ut ingenuè loquar) satis dura esse uerba illa, & indigere pio lectore. Istud certum esse debet, ad contrahendum matrimonium nullum requiri ministrum. Patet nihilominus ex praemissis omninò matrimonium esse sacramentum, & quidem non aequiuocè, sed uniuocè secundum ipsam ueram sacramenti rationem, quae est quòd sacramentum est sensibile signum, id planè efficiens quod figurat, quemadmodum superius declaratum est. Nam hac tantum ratione caetera sacramenta dicuntur et sunt sacramenta.

Et quidem de collatione gratiæ sacramentalis ad fines proprios huius sacramenti, qui sunt fides ac proles, non est dubitandum.

Vtrum matrimonium ante copulam sit sacramentum.

VIDETVR MATRIMONIUM *ante copulam non esse sacramentum. Prima quidem ratione, quoniam non uidetur habere significationem Christi & Ecclesiæ. At ea demum significatio est, propter quam apud B. Paulum dicitur sacramentum.*

Secundò, quoniam si tale matrimonium esset sacramentum, omninò esset insolubile & indispensabile. Nam indissolubilitatem omnimodam constituunt Theologi in matrimonio propterea quòd matrimonium est sacramentum, ut nec Pontifex ualeat dispensare. Matrimonium uerò ante copulam est ipso iure solubile per ingressum religionis. Ob aliquas etiam grauissimas causas, papali dispensatione solui potest, ut Canonistæ plurimi docent, quibus & Caietanus adhæret: & quod me magis mouet, extant Pontificum gesta qui hoc nonnunquàm fecerunt, inter quos Martinus V. & Eugenius IIII. & Alexander VI. & fortè alij.

Tertiò probatur, quoniam hoc matrimonium non annumeratur ut constituat digamiam. Digamia uerò constituitur ratione sacramenti, ut aiunt Theologi. Non ergo uidetur esse sacramentum hoc matrimonium.

Contrà autem uidetur esse communis opinio. Nam omnes uidentur admittere hoc matrimonium esse sacramentum. Quamobrem uidendum est quomodo idoneè argumentis responderi possit. Mihi enim hæc admodum difficilia uidentur si Scolasticorum doctrinam intuemur. Tentabo tamen primùm ex eorum sententijs ac doctrina respondere.

Ad primum, secundum Magistrum Sententiarum & quosdam alios dicitur non deesse significationem illam matrimonio, etiam ante copulam. Significat enim Christi copulam cum Ecclesia. Verùm illud obstat uehementer, quòd si res ita se haberet, esset omninò non solùm indispensabile à Põtifice, uerùm etiam prorsus indissolubile, nec per ingressum religionis solui posset, ne falsa redderetur significatio: alioqui esset sacrilegium quoddam ut aiunt: & tamen constat per ingressum religionis ipso iure eiusmodi matrimonium solui. Quamobrem B. Thomæ & alijs nonnullis placet, hoc quidem matrimonium esse sacramentum, non tamen significare coniunctionem Christi cum Ecclesia, quæ coniunctio indissolubilis est, sed particularem Christi cum quauis anima coniunctionem, quæ non est indissolubilis: unde non mirum si soluitur huiusmodi matrimonium.

Verùm contra hæc, præterquàm quòd uoluntariè dicuntur et sine probatione, non uitatur illud inconueniẽs quòd. s. hoc matrimonium non esset sacramentum illud de quo B. Paulus loquitur, cum non significaret Christi coniunctionem cum Ecclesia. Et sic ratione significationis aliud esset sacramentum ante copulam, aliud uerò post copulã, quia diuersa significaret. Ad unitatem uerò sacramenti oportet unum significari.

Præterea nec sic congruè hoc matrimonium significaret Christi coniunctionem cum anima. Illa enim coniunctio Christi cum anima separabilis est tantummodo propter peccatum, uidelicet quando anima offendit Deum. Quùm uerò per ingressum religionis soluitur matrimonium, hæc solutio non est quouis modo propter offensam cuiusq; ex coniugibus. Non deberet ergo propterea dissolui. Item cum possit hoc matrimonium ex alijs causis quàm ex offensa solui per dispensationem, non congruit hæc dispensatio illi solutioni quæ fit à Christo uniuersus animam ob unam illam causam duntaxat, hoc est, solummodo propter offensam.

Præterea, quùm fit solutio illius coniunctionis Christi cum anima, ita fit ut nihilominus possit anima reuerti, & denuò coniungi: nec est turpis hæc conciliatio, sed debita, sancta, & acceptabilis. At quiuis coniugum semel religionem ingressus & professus, non potest iterum coniungi: & omninò hoc matrimonio etiam per dispensationem soluto, turpe est ut iterum contrahatur. Mitto illam Christi cum anima coniunctionem non esse solubilem, nisi ex parte animæ, idest, nisi anima præuaricãdo causam dederit dissolutioni. Christus enim nunquàm ab anima separatur, nisi prius ea sua culpa offendat. Ipse non potest offendere, & ita causam dare separationis. At secus est in hoc matrimonio, quia uir ipse perinde dare potest causam solutionis, quemadmodum & mulier. Multis itaq; rationibus hæc significatio minus quadrat, & inepta fuit ad resoluendas utcũq; quæstiones. Iccircò consideranda sunt aliquanto firmiora ac uerisimiliora.

Primùm ergo constituendum esse mihi uidetur, indissolubilitatem matrimonij, absolutè loquendo, non inde uenire quia ipsum matrimonium sit sacramentum significans illam copulam Christi cum Ecclesia. Nam matrimonium absolutè & suapte natura id habet ut sit indissolubile. Illud Ethnici nouerunt, & sic definierunt, matrimonium esse coniunctionem maris & fœminæ, indiuiduam consuetudinem uitæ continentem aut retinentem, hoc est, quod ex se habet obligationem perpetui nexus in hac uita. Siquidem suaptè natura talis est hæc coniunctio, non quia sacramẽtum est propter quod differt à concubinatu: quoniam in coniunctione concubinatus, eiusmodi uinculũ et obligatio non est, licet domi retineatur concubina. Hic obijciet aliquis: Si indiuiduam consuetudinem uitæ matrimonium retinebat, Cur ergo concedebant ciuiles leges diuortium?

Respondeo: Non illud concedebant tanquàm secundum conditionem & naturam matrimonij licitum, sed ne seuiora & atrociora scandala obuenirent. Propter hominum ergo prauitatem putarunt licere: quod & certè licuisset si solum naturalis ratio consuleretur, qua recta dispensatio probari poterat. Fiebat enim diuortium ex legitimis causis, & autoritate ius dicentis. Vnde si rei natura consideretur, posset admittere dispensationẽ. Aliud tamen fuit de Mose, quando ad duritiam cordis Iudæorum permisit eis diuortium, & iussit dari libellum repudij, ut intelligeremus, etsi illa dispensatio non esset aduersus legem naturæ, fuisse tamen aduersus legem Dei, ut declarabimus. Et hoc maximè dicere coguntur qui tenent, matrimonium ante aduentum Christi non fuisse sacramentum. Alioqui unde matrimonium poterat habere omnimodam rationem indissolubilitatis, nisi eam ex sui conditione ac natura, tum, idq; maximè, à lege diuina? Diuortium enim est contra utrumq; bonum, fidei .s. & prolis, quæ sunt duo præcipua matrimonij bona. Licet autem in particularibus coniugijs cessare possit hæc ratio, leges tamen ad id quod frequenter accidit aptari solent: quoniam rei naturam speculantur sapientes, non autem quod interdum contingit. Si igitur ante Christi aduentum matrimonium non erat sacramentum, & nihilo minus erat eius omnimoda indissolubilitas ut probat Dominus, patere iam potest indissolubilitatem, etiam illam omnimodam quæ dispensationem non admittit, non à ui sacramenti proficisci, sed à natura coniugij, ac præsertim ab ipsa institutione diuina. Hæc tamen obiter dicta sint, non quasi tenere uelim, ante aduentum Christi matrimonium non fuisse sacramentum, sicut quidam docent, sed indicare uolui eos qui hoc tenent, cogi indissolubilitatem, etiam illam omnimodam matrimonij non ascribere sacramento, quod tamen faciunt.

Quamuis autem naturali ratione considerata ita sit ut matrimonium sui natura habeat indissolubilitatem, non id tamen eousq; patebat uel ipsis sapientibus, ut possent homines sua sapientia percipere, nulla lege posse hunc naturæ rigorem ob certos & necessarios casus dispensari ac temperari. Patet enim apud omnes gentes fuisse licitum diuortium. Et ipse quidem Moses ne perturbaret populum, etiam illud permisit: quoniam non agnoscebatur tanquàm malum ex se, sed uelut permissibile. Et re uera etiam permissibile, ut opinor, fuisset, si non instructi de lege Dei, solam naturalem considerassemus rationem. Omnimoda nanq; indissolubilitas à diuina lege est, et non solummodo à naturali: quoniam Deus ipse coniunxit marem & fœminam: quod nulla hominum ratio potuit coniectare. Coniunxit autem non solùm in officium naturæ, sed etiam ut proles generaretur sibi in aliam uitam, ac propterea ut esset sacramentum.

His igitur præmissis, quæ et amplius declarabuntur, duas ponimus circa prædictam quæstionem conclusiones. (Conclusiones duæ.) Prima est, matrimonium etiam ante copulam esse sacramentum. Secunda est. Etsi matrimonium illud sit sacramentum, non habere tamen omnimodam indissolubilitatem. Cuius hæc ratio est: quia omnimoda indissolubilitas matrimonij non à sacramento uenit, sed à uerbo Dei. Verbum autem Dei indissolubile fecit illud matrimoniũ quod est per copulam consummatum. Dixit .n. ad ipsam copulam carnis aspiciens: Erunt duo in carnem unam: quod & ipsi summi Pontifices in suis decretis declarant. Et ex his patet omniũ resolutio argumentorũ.

Et ad primùm quidem dicimus, matrimonium ante carnalem copulam significare cõiunctionem Christi cum Ecclesia sua. (Resolutio argumentorum.) Ne autem tale uinculum sit indissolubile, sed per professionem religionis tollatur, nihil prohibet, imò conuenienter & optimè statutum est. Dico nihil prohibet, quia non necesse est ut quod est signum rei spiritualis, maneat signum semper. Latè enim patet instantia de plurimis signis. Nam & matrimonium consummatum significans illam Christi cum Ecclesia coniunctionem perfectam, non semper durat, sed finitur morte: & tamen illa coniunctio Christi cum Ecclesia nullo finitur tempore, sed est sempiterna.

Dico insuper, fuisse conuenienter statutum seu potius declaratum, tale matrimonium ante copulam, quod est solùm coniunctio animorum, solui per professionem religionis. Etenim religionis professio est quædam mors secundum animum, qua homo moritur mundo & uiuit Deo, solutus à negotijs huius seculi. (Cur professio religionis soluat matrimonium non consummatum.) Quemadmodum enim mors quæ est secundum carnem soluit uinculum matrimonij etiam secundum carnem perfecti, tametsi prius tale matrimonium significaret coniunctionem Christi cum Ecclesia omninò perpetuam atq; indissolubilem: ita matrimonium ante copulam, quod est coniunctio secundum animum, mortuo uiro aut muliere secundum animum, iure optimo dissoluitur. Quòd etiam dispensationem patiatur, non est mirandum: quia nondum est perfecta illa coniunctio cui diuinum uerbum ita assistat, ut solui ab homine non possit. Nec enim de ratione signi est ut semper significet, sed tandiu significet quandiu durat.

Possumus tamen & aliter dicere circa significationem matrimonij ante copulam & post copulam, quòd ante copulam matrimonium significat illam coniunctionem quæ inter nos & Christum intercedit in hoc mundo per gratiam, quæ habet promissionem futuræ perfectionis per gloriam, quæ coniunctio in singulis non est omninò indissolubilis. Vnde non mirum si hoc aut illud matrimonium ante copulam aliqua ratione dissoluitur. Post copulam autem significat illam coniunctionem quæ erit post carnis resurrectionem in cœlis perpetua & sempiterna.

Nec est uerum poni à B. Paulo, hanc significationem matrimonij esse tantùm post copulam carnis. Nam ipse reuera præcipuè loquitur de significatione illa Christi & Ecclesiæ, quæ eliciebatur ex primo primorum hominum coniugio, per quod significatum est Christi & Ecclesiæ non solùm uinculum, uerùm etiam ortus, ut ipsa declarat. Sicut enim illa prima Heua producta est ex ossibus & carne Adæ secundum carnem, ita etiam secunda Heua similiter ædificata est, idest, MARIA

Virgo sponsa primaria secundũ spiritum, in qua totum corpus Ecclesiæ unitur & continetur, ut scriptũ est: Sicut lætantium omnium habitatio est in te. Matrimonia autẽ posterorum non possunt significare Christum & Ecclesiã secundum quòd oriuntur, cum inter extraneos fiunt copulæ: sed iã factis copulis resultat significatio. Patet ergo ex dictis resolutũ primum simul & secundum argumentũ, imò & tertium. Si. n. quæritur ratio irregularitatis quæ uenit ex digamia, non ea tantùm est (ut creditur) quia matrimoniũ sit sacramentum. Nam si ẽt non sit sacramentum aliquod matrimonium, imò etiã si non sit uerè matrimoniũ, tamen constituit digamiã, ut sunt matrimonia quæ de facto contrahuntur: et matrimonia etiam infidelium computantur in eorum numerum quæ constituunt digamiam.

Dices, Quid est ergo quod cõstituit digamiã? Respondeo primùm, non esse mihi ignotũ rationem illam quæ affertur de sacramento, quæ talis est, Quòd qui habuit duas uxores successiuè, non retinet in se significationẽ purã ac perfectam Christi & Ecclesiæ, quæ Ecclesia una fuit, unde irregularis efficitur. Hæc, inquam, ratio me nunc diligentius cogitantem minimè cogit. Nam qui nullam uxorem habuit, non fit irregularis, & tamen caret illa significatione in seipso.

Dices fortè, carere illa significatione non inducit irregularitatem, sed habere significationẽ quodãmodo contaminatã, qualis est in digamo, hoc inducit irregularitatẽ. Verùm obstant & huic dicto plura. Primùm, quòd talis significatio cessat quàm non sunt uera aut rata matrimonia, qualia sunt infideliũ, & quæ de facto contrahuntur. Quo ergo ratione significationis & sacramẽti constituet digamiam, ac propterea irregularitatem?

Scio quid respondeatur, uidelicet, quæ de facto contrahuntur, habere similitudinẽ uerorũ, & similiter quæ infideliũ sunt. Sed an ista solutione quiescat animus discipuli nisi autoritas adiuuet, alij uiderint. Quantũ ad meipsum attinet, quiescere sanè non possum. Vbi quippe non est sacramentum, non est signũ: & propterea non potest introduci illa inconuenientia signi. Nec est alia ratio cur debeat præsumi esse quod non est in ueritate, nisi idem sit apparens & quod est uerum.

Præterea, si contaminatur significatio sacramenti per hoc quòd quis fuit digamus, certè non liceret ad secũdas nuptias transire: aut si qua de causa fortè liceret, non deberet posterius matrimoniũ dici sacramentum. Scio quid dicant, si respicitur quodlibet coniugiũ digami solitariè, non contaminatur significatio: sin uerò respectu aliarum nuptiarum, tunc est contaminatio. Sufficit enim nobis quòd eo modo potest considerari, imò etiã consideretur, ut sit contaminatio. Ob eam causam dicunt secundas nuptias non benedici, eas præsertim quæ cum uidua contrahuntur.

Videndũ est ergo, nunquid alia ratio excogitari possit quare digamia contrahatur, præter hãc quæ affertur de sacramento. Hæc. n. mihi uerior esse & securior uidetur: Quia turpitudo quædã et impudentia seu uiri seu mulieris manifestatur qui transeunt ad secunda uota, iam experti matrimonij incommoda, quod solo immodicæ uoluptatis ardore repeti uidetur. Hoc nedum consideratũ est à Christianis uerumetiam ab Ethnicis. B. Ioannes Chrysostomus dixit: Secundam accipere, secundum præceptum Apostoli licitum est: secundũ autẽ ueritatis rationẽ, uere fornicatio est. Sed quum permittente Deo, publicè & licenter cõmittitur, fit honesta fornicatio. Proptereà benè dixit Christus, quòd Moses hoc permisit, nõ præcepit &c. B. Ambrosius dixit: Duplex matrimoniũ non est bonum. B. Hieronymus quoque hæc secunda coniugia, contra Iouinianum scribens, mirũ in modum uituperat. Vates ille Gentilis introduxit fœminam sorori hanc honestatem ijs uerbis prædicantem.

Ille meos primus, qui me sibi iunxit amores
Abstulit: ille habeat secum, seruetq; sepulchro.

Prodit enim homo ille suam impudentiã, qui postquam à iugo aliquo semel est liberatus, iterum illi collũ subdit. Cui autẽ dubium, iugum esse & graue quidẽ, ipsam matrimonij conditionẽ, eãq; multùm abstrahere hominẽ à spiritualibus, & ad mundana pertrahere, sicut ait B. Paulus? Si quis igitur semel in hanc tribulationẽ incurrit, parcendũ est inexperto. At si rursum eò reuoluitur, dandum est profectò uel magnæ cuidam incontinentiæ & carnalitati, uel certè miserandæ insipientiæ, uniuersaliter tamẽ loquendo. Iccircò qui talis extiterit, meritò censetur non futurus integer & probus rerum spiritualium fidelis minister, qui consilium illud apostolicum non est sequutus: Dico autem non nuptis & uiduis, Bonum est si sic permanserint sicut & ego. Et paulò inferius: Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem. Volo autẽ nos sine solicitudine esse. Qui sine uxore est, solicitus est eorum quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autẽ cum uxore est, solicitus est eorum quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & diuisus est &c. Cum ergo nec uagi concubitus & si plurimi, nec quicũq; alij nexus carnis, ubi talis non intercedit obligatio, non sic abstrahãt hominem: ideò nõ cõstituunt digamiã. Et matrimoniũ similiter in quo nõ fuit carnalis copula, quoniã nõ perfectũ fuit, non est inter matrimonia ad hunc effectum annumerandum ut constituat digamiã, sicut numerãtur ea quæ nõ de iure, sed de facto contrahuntur, & quæ infideliũ sunt. 1. Cor. 7.

Et hæc satis de huiusmodi quæstione circa matrimonium ante copulam, & consequenter de illa annexa, uidelicet de secundo matrimonio. Nam si quæritur, An secundum coniugium sit sacramentum, non est negandum. Est enim, & significat sicut prius Christum & Ecclesiã. Neq; propterea contaminatur significatio quòd cum alia contraxerit, quia alio tempore fuit, & perijt illa significatio extincto iam illo matrimonio. Tum demum contaminaretur, si eodem tempore duas haberet uxores. Nam quæ succedit, quasi loco prioris quæ decessit habenda est. Quamobrem semel benedictus alter ex coniugibus in priore matrimonio, non iterum benedicitur: quoniam sufficit ei prima benedictio, quæ ad secundas etiam nuptias extenditur.

Cur digamus à sacerdotio sit exclusus.

An Matrimonium in statu innocentiæ fuisset sacramentum.

NON defuerũt pleriq; qui matrimoniũ in statu innocentiæ nõ fuisse sacramentũ doceant, sed solùm ad officium naturæ institutũ: quare nec unquàm futurũ erat sacramentũ, etiam si status ille in sua integritate perstitisset. Verũ contra hoc pugnat primũ B. Pauli autoritas, qui dũ illud uocat sacramentũ, ad primæuũ tẽpus respexit, idest, ad pristinũ illum innocentiæ statũ. Verba. n. quæ tunc de matrimonio protulit Deus, & ipse recitat, haud dubiũ quin & illi statui congruerent. Vnde & ipse Adã cuius ore uerba illa prolata sunt, intellexit in ipsis sacramentũ & mysteriũ Christi. Præterea, puto esse inconueniens, & ualdè quidẽ inconueniens atq; magnum absurdũ, si matrimoniũ in eo primæuæ gratiæ statu fuisset solùm in officiũ naturæ institutũ, cum non modo huic opinioni illa significatio repugnet, uerùm etiã ratio maxima. Nam & tunc proles non minus quàm modò procreanda fuisset Deo, ut & ad eũ finem indigeret sanctificatione matrimonium, scilicet ut conuenienter illud inirent, & nasceretur proles Deo digna & in illo statu sanctificata. Verùm tria occurrunt quæ huic ueritati opponuntur.

Primùm, quoniã eo tempore matrimonium non potuisset habere significationẽ coniunctionis Christi & Ecclesiæ, cũ si Adam stetisset (ut quidam uolunt) Dominus non uenisset in carnem.

Præterea, in eo statu non erat opus sacramentis, nec decebat. Hoc B. Thomas à rectitudine illius status probat inquiens: Cum in eo statu nullũ fuisset peccatũ, non poterat in remediũ peccati prouideri de sacramento. Et cũ superiora inferioribus dominarentur, incongruũ fuisset si anima uel quantũ ad scientiã, uel quantùm ad gratiam, per corporalia ista, quæ sunt sacramenta, perficeretur.

Sed si diligentius hæc tractarentur, non omnibus fortè satisfacerent, his præsertim qui potius ratione quàm autoritate, cui assentiri non est necesse, ducuntur. Sustinebo igitur personam existimantiũ matrimoniũ etiã in statu innocẽtiæ fuisse et futurũ posteà sacramentũ. Primũ multis ac potẽtissimis rationibus dicimus esse nos persuasos, et si Adam nõ peccasset, Christũ nihilominus in carnẽ uenturũ, non quidem ut redemptorem, sed ut mediatorẽ in gloriã nostrã, ad quam ipse prædestinatus fuit gloriosus, quemadmodũ inuictis argumentis alias comprobauimus. Quare primum argumentũ non obstat, sed pro nobis potius facit. Vnde & ad aliud dicimus minime nos iusti-ciari, in eo statu non potuisse matrimonij sacramentũ in remediũ peccati, cũ non esset peccatum, prouideri. Nihil tamen prohibet quin prouideretur in eo statu per sacramentũ aliquod, ut per illud informaretur homo de diuinis & gratia quam recipiebat. Nam & sacramenta data sunt & ad informationem, & ad certitudinẽ eorũ quæ nobis cœlitus adueniunt. Neque uerò erant statu illo indigna, in quo necessariũ erat, hominẽ ad intelligentiã eorũ quæ super naturã erant, per hæc inferiora & sensibilia informari, utendo illis quasi inferioribus nobis, sicut etiã sensibus & sensibilibus ad multa cõmoda animæ & corporis utebantur, quibus tamen corpus ipsum erat omninò præstantius. Alioqui si per hæc inferiora informari hominem indignũ fuisset, non debuisset primus homo accipere signum de futuro Christi aduentu & copula eius cũ Ecclesia, cuius rei oppositũ legimus. Nec itẽ illud indignũ fuit, cũ sit homini naturale, per hæc naturalia informari, & in cognitionẽ supernaturaliũ uenire. Addo quòd etiã per conuersionẽ ad phantasmata primus homo in eo statu accepisset intellectũ rerũ intelligibilium ut habetur apud D. Thomã. Et filij Adæ ex sensibilibus & per sensus scientiam, acquisiuissent, ut idem S. Doctor probat. q. 101. B. Tho. 1. p. q. 94. art. 2.

Dicet quis, eos eiusmodi medijs usuros fuisse tanquàm inferioribus. Et nos item dicimus, usurum fuisse sacramentis Deus uelut inferioribus homine, hominis erudiendi causa. Si rursus obijcias: Indignum erat ut eo in statu per corporalia reciperent gratiam. Ego uerò hanc indignitatẽ nulla ratione uideo, nisi fortè eorum uelimus tueri sententiã qui nescio quã in sacramentis uirtutem ponunt, ut inde conferatur gratia: at istud quomodo fieri possit, quemadmodũ capere nõ ualeo, ita nullo modo probare possum. Fateor tamen indignũ fuisse per sensibilia signa informari hominẽ, si illa signa fuissent conficta & pueris conuenientia, qualia sunt cætera sacramenta. At matrimonium de quo agimus, quod factum est sacramentũ, idest, signũ alterius matrimonij, est quoddã uerũ & naturale & nobile, non aũt conficta res, & uelut arte quadã ad instruendũ infantes excogitata. Quamobrẽ non fuit alienũ, ut carnale illud matrimoniũ signũ fieret, per quod instruerentur de sũma illa copula & matrimonio, ad cuius typũ & exemplum fuit carnale istud institutum.

Si iterũ urgeas et dicas, fateri quidẽ ad informationẽ sũmi illius matrimonij quod est æterni Verbi cũ carne & Christi cum Ecclesia, congruenter fuisse dispositum matrimoniũ illud esse in signũ, at non ad obtinendã gratiã per illud quasi medium: hoc. n. demũ esse quod indignũ, imò impossibile in eo statu uidebatur, quandoquidẽ homines in ipso statim ortu assequebantur gratiam. Si quis inq; ita dixerit, minus attendit quomodo hoc ipsum quòd nascerentur in gratia, propter hoc sacramentũ ueniebat: quia matrimoniũ illorũ erat benedictũ à principio, & consecratũ à Deo, & quidẽ ad hunc admirabilẽ effectũ, ut qui uidelicet nascerẽtur, ipsi benedicti & sanctificati prodirent. Erat quippe tã rectus ille status,

ut qualis esset homo ipse, tales generaret. Nunc autem filij seculi, etiam seculi filias sibi similes generant.

Si ulterius pergas & dicas: Non ergo per matrimonia conferebatur gratia matrimoniũ contrahentibus eum iam præsupponantur in gratia, sed ueniebat illa benedictio solum in ipsam prolẽ: hoc nos nullo pacto admittimus. Non est. n. recta cogitatio putare iam habentibus gratiã, gratiã conferri non posse, cũ plura sint sacramenta quæ requirunt hominẽ esse in gratia constitutũ, ut sunt reliqua omnia præter Baptismũ & Pœnitentiã. Satis autẽ magna confertur gratia quum augetur iã accepta & conseruatur: imò (quod est accuratè considerandũ) quum gratia ad particulares effectus confertur. Nam singula sacramenta ipsa suos habent præstitutos particulares fines, ad quos assequendos confertur particularis gratia. Hoc erga matrimoniũ quatenus est sacramentũ, ex diuina benedictione habet ut uir & mulier sint inuicẽ fideles, eadẽq; domo pacificè uiuentes, plena dilectione mutuò se diligant, & pudicissimis ac sanctis amplexibus ad propagandũ prolẽ Deo sanctificabilẽ conueniant. Hoc fuisse in eo statu necessariũ, quæ ratio fingi potest cur quis debeat dubitare? Operatus enim fuisset Deus per huiusmodi sacramentũ ea omnia omnibus qui rectè ac deuotè sic sanctificatum tantum matrimonij sacramentum cum fide ac timore contraxissent.

Superest unus solus ex illa opinione scrupulus, quæ uult à nescio qua signorũ uirtute quã ipsi cõminiscuntur, uenire gratiã, de qua re habebitur sermo alibi cõmodius. Satis est nunc protestari, non posse me in hæc cõmenta captiuum reddere intellectũ, quæ & nata sunt & radicẽ potius à quodã figurato loquendi modo priscorũ doctorũ confirmarunt, & à timore quodã ac pietate posteriorũ, qui dũ sectari priores student, uerbis illorum nimiũ inhærentes, uerã intelligentiam non sunt assequuti. Nã aliqui sanctorũ patrũ figuratè loquentes, & mirificos effectus qui initiatis & sacramenta suscipientibus aduenirent admirantes, dũ ipsa sacramenta collaudarunt, uirtutem illã in ipsis sacramentis ponere uisi sunt, inter quos B. Augustinus quando dixit: Quæ est tanta uirtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat? Et alibi: Hæc omnia (nimirũ sacramentalia) fiunt & transeunt: uirtus tamen (scilicet Dei) quæ per ista operatur, iugiter manet. Hæc ille. Et venerabilis Beda dixit, Dominũ tactu suæ carnis uim regeneratiuã contulisse aquis. Sed hæc & quæ sunt eius generis, recipiunt cõmodissimas interpretationes, si eas suscipere benigne uelint qui disputando inuestigare cupiunt ueritatẽ. Si uerò quærant uictoriã, & suscipere nolint, dicimus ab ipsis cogi sanctos Doctores ad proferenda inopinabilia: quæ certè si dixissent, dixisse tamen noluissent. Nec leuiter hac quorundã obstinatione peccatur, quibus prætextu sectarum nihil est tã absurdũ quod non ausint defendere: quo fit ut in diuersa studia & doctrinas uarias, cum multis scandalis scindatur Ecclesia.

B. Augustinus in cap. 19. cõtra Faustum.

Verùm hæc quæstio, largiente Deo, tractatum proprium est habitura. Satis sit obiter hic admonuisse lectorẽ, alio modo loquutos esse antiquos patres, alio uerò scholasticos Doctores. Illi figuratis sermonibus utebantur, à quibus abstinuerũt Scholastici. Et ob eã causam S. Patrũ dicta plerũq; figuratè, acceperunt quasi dicta propriè, sicut illi obseruant. Hinc ortus error, licet cum pietate coniunctus: quoniam ad suum sensum errore acceptum, defendere nonnullas huiusmodi Patrum sententias, miris adinuentionibus conati sunt. Et quia hi qui ad ueritatem aspiciunt, consentire non ualent, hinc disceptationes & sectæ traxerunt originem, quæ in Ecclesia Dei ad ædificationem minimè faciunt, sed ut dixi, ad perturbationem & scandala.

NOTA.

An in statu peccati Matrimonium fuisset sacramentum.

PROCVL OMNI dubio asserendum est, Matrimonium in statu peccati, in quem per Adæ peccatũ incidimus, non fuisse sacramentũ. Sed quodcũq; fuisset matrimoniũ, nullũ aliũ honestiorem habuisset finẽ, quàm in officium naturæ: & adhuc nescio an fuisset coniunctio digna matrimonij nomine, et in officium naturæ, in tanta totius humani generis corruptione. Testantur hoc Gentes multæ, quæ lumine fidei cassæ, admittebant & concubinatum, & uagos concubitus, et pluralitatem uxorum, & sæua diuortia, & incestuosa contubernia: ita ut & Philosophorum quidam qui uidebantur esse sapientes, communitatem mulierum admitterent. Quæ omnia tum & honestatem & ipsam matrimonij rationem auferebant, etiã quatenus est in officiũ naturæ, hoc est, talis naturæ, qualis est humana.

Non est ergo dubium, quin esse sacramentum non poterat, cum omne sacramentum præsupponat Dei cum hominibus apertum commertium. At nullum profectò fuisset commertium cum hominibus, qui omnes eo in statu si durasset, fuissent sine Deo in hoc mundo. Sed uerè non durauit: quoniam nato illo peccato, protinus cogitatum est de remedio ab ipso Deo patre clementissimo, patre misericordiarum, et Deo totius consolationis. Et tunc non solùm iudicatum est ab ipso Deo suum huius status immutandi consilium, uerùm etiam mutatus est ipse status peccati. Fuit. n. confestim adhibitum remedium per pactum quod instituit Dominus Deus per IESVM Christum redemptorem nostrum, idq; fuit post peccatum ab initio cum ipso Adam quando ei dictum est: Maledicta terra in opere tuo. Quæ uerba ad illum profundiorem sensum quem nos declarauimus considerata, significant magnam integri status mutationem, & duram conditionem assequendæ redemptionis à peccato, quæ alias futura non erat, si homo primam innocentiam conseruasset. Vnde & conditio matrimonij, quantum pertinet ad sa

Citat seipsum in Genesim.

cramentum, longè facta est inferior prima. Prias enim in statu innocentiæ, non erat matrimonium sacramentum in remedium concupiscentiæ, sicut postea. Item per illud sanctificabatur proles in utero, ut sanctificata prodiret. Non sic autem posteà, sed solùm ut capax fieret sanctificationis. Vnde nonnulla sanctificatio est, quòd per hoc sacramentum si ritè initur, candidati nascamur ad sanctificationem. Missa facio alia propemodum innumera matrimonij incommoda circa curas domesticas, & graues ærumnas, et quæ specialiter attinent ad mulierem, quæ anteà non fuissent.

Conclusio.

Tenendum est igitur, matrimonium & ante peccatum fuisse sacramentum, & per peccatum esse desiisse, & rursum post peccatum per redemptionem fuisse instauratum. Vnde & honorabile coniugium sicut prius dicitur, propter assistentiam Domini & benedictionem. Nam si Deus Pater dignatur assistere, quomodo non fiet illud honorabile cui Deus ipse assistit? Sed alteratum est, ut ita dicam, circa uarios effectus, licet ultimi finis respectu, qui est ut proles generetur ad Deum laudandum, reuixerit, & assistentia Domini supra illud manserit. Hoc autem accessit deterius, ut sit modò in concupiscentiæ remedium, minimè in pristino statu necessarium. Nunc igitur per hoc quòd est sacramentum, redditur thorus immaculatus: unde & turpitudo illa quam de se habet, & quædam macula ob feruorem concupiscentiæ bestialem homine indignum ex peccato scaturientem quo usus rationis obruitur (quæ libido irrationalis à primo statu prorsus abfuisset) propter multa matrimonij bona excusatur, & absorbetur illa macula, fitq; thorus immaculatus, præcipuè uerò quùm uir et mulier præuijs orationibus & cum timore Dei iunguntur ad fines proprios matrimonij, quo efficitur ut nulla culpa se ibi admisceat, et propterea rectè dici potest thorus immaculatus. Et hæc digna sunt quæ sapienter considerentur & prædicentur populis. Nunc enim sine fræno tanquàm equus & mulus quisq; hinnit ad suam, & utinam uel ad suam tantum, non etiam ad alienas.

Notent prædicatores.

An matrimonium post peccatum ante aduentum CHRISTI esset sacramentum.

VERUM SUBIUNGITUR quæstio, An matrimonium ante Christi aduentum esset reuera sacramentum, ad eum sensum quo nos accipimus. Hoc quibusdam non uidetur, qui primo hoc argumento mouentur: Sacramenta, inquiunt, ueteris legis non conferebant gratiam. Attestatur Concilium Florentinum. Confert autem gratiam hoc sacramentum. Non ergo potest esse sacramentum legis ueteris: ac propterea non fuit ante Christi aduentum.

Argumenta pro parte negatiua

Addunt rationem ad probandum, ea quæ huiusmodi sunt, ante Christi aduentum non potuisse esse sacramenta, hoc est, conferentia gratiam. Virtus enim, inquiunt, collationis gratiæ uenit à passione Christi. Sacramenta autem cum sint quædam sensibilia & corporalia, non possunt recipere eam uirtutem ad conferendam gratiam effectiuè antequàm ipsa passio esset in ueritate: quia necesse est causam efficientem semper præcedere effectũ suum, aut saltem non esse posteriorem tempore. Aliud uerò est de gratia quæ uenit ex fide, cui potest continuari passio Christi futura: quia fides consistit in intellectu, qui potest apprehendere quod futurum est, & ex illo futuro aliquid sibi contrahere. Vnde homini credenti, per solam fidẽ applicatur passio Christi, & continuatur apprehensa. quia per fidem quasi per modum causæ finalis, non efficientis, apprehenditur & desideratur Christi passio. Hæc illi, Quæ licet sic ingeniosè dicantur ut facilè non digesta deuorari possint, si tamen subtiliter examinentur (cum honare magistrorum uerè magnorum dixerim) certè non apparebunt solida. Amor ipse ad ueritatem propensior ita me loqui compellit.

Primò igitur ut à postremo ad primum mutato ordine redeamus, respondemus. Si uerum est quod aiunt, ante passionem excitata sacramenta non potuisse habere uirtutem conferendi gratiam, sequeretur baptismum Christi ab ipso institutum & (ut rectè creditur) in discipulos collatum, & postea à discipulis suis in alios ipso uiuente, non contulisse gratiam, quoniam nondũ erat passio Christi exhibita, cum ex Domini latere nondum fluxisset sanguis & aqua, duo illa præcipua sacramenta. Et sic baptismus tunc non fuisset uerum sacramentum. Et ita baptizati à Christo uel à discipulis, etiam baptismo Christi, debuissent postmodo iterum baptizari: quod est prorsus absurdum & contra Scripturas. Et tamen ratio istorum contrà facere uidetur, qui probari putant necesse fuisse præcedere Christi passionem, ad hoc ut uirtus passionis posset continuari ad sacramentum.

Responsio ad argumenta.

Non me tamen latet quid posset hic dici ad euadendũ, nimirum, Christi passionem tunc esse quasi in procinctu, satis fuisse. Nam quod est proximum ut cingatur, pro cincto haberi solet. Verùm nec sic adfertur satisfactio: quoniam id quod est proximum ut sit, nunquàm poterit quicquàm efficienter agere, nisi uerè ipsum sit. Potuit quidem existimatione hominum sic haberi: At hæc existimatio nunquàm efficeret ut quod uerè non est, operetur. Fortè dicetur, cum iam tunc esset in rerum natura Christus, per illũ processisse hanc uirtutem corporaliter, quoniam baptizatus in Iordane omnes aquas suo sanctissimo contactu sanctificauit, quod satis fuit ut aquæ sanctificandi uirtutem reciperent. Si ita dicatur: superflua ergo ad hũc effectũ redderetur Christi passio. Non sum nescius hoc quoq; posse aliqua tergiuersatione, & nouo aliquo commento declinari, aut fortassis solutione aliqua probabili solui. Ad fortiora igitur ueniamus.

Quæro primùm de ipsa antiquorum gratia qui præcesserunt aduentum Christi: Nonne illa effectiuè ueniebat à passione Christi, & non per modum causæ finalis? sicut scriptum est: Gratia & ueritas per IESUM

Christum. Si igitur passio Christi operata est gratiam effectiuè, etiam antequam ipsa passio re ipsa esset: quid quæso, probibebat ne ipsamet passio potuisset operari uirtutem aliquam, si fuisset necessaria talis uirtus, etiam in rebus corporalibus? Hic sanè quid dici possit non uideo, nisi illud quod ueniui non stulto, & rem paulò attentius cogitanti persuaderi potest, uidelicet, hanc uirtutē uenisse per contactū à passiōe ipsa Christi in sacramenta, et per sacramēta in animā: quæ sūt mera hominū commēta, tantum abest ut præ se ferant uel ullū ueritatis colorem. Nam quomodo passio Christi, quæ iam præterijt & non est, potest continuari cum sacramentis effectiuè, ita ut ab ipsa passione ueniat illa uirtus in sacramenta? Certè si ueritatem amamus, non aliud dici potest nisi ipsam Christi passionem, ut fuit res quædam, non esse causam effectiuam gratiæ ex se & sui natura, sed per modum meriti. Dominus enim per illam meruit nobis gratiam. Et quia passio ipsa in oculis Dei fuit ab initio, & ab eo fuit etiam sua permissione, non imperio, ordinata (uidit enim omnes eius causas ad hunc effectum concurrentes, & noluit probibere cum posset) meritò dicitur hunc effectum ordinasse. Admirando quippe ac misericordi consilio permisit tam horrendum sacrilegium, ut cederet in salutem prorsus omnium nostrum, non eorum solùm qui fuerunt in ipso Domini aduentu & posteriorum, uerùm etiam antiquiorum. Nam Deus ipse in sua prænotione ac prouidentia habuit semper Christi sui passionem & eius merita ante oculos propter obedientiam incomparabilem, & ea pro omni tempore acceptauit. Non enim nobiscum sub tempore concluditur Dominus, qui excedit omne tempus. Quocirca legimus in Apoc. Agnū occisum esse ab initio, quia illa passio fuit in conspectu Domini semper ut sacrificium acceptabile. Quoniam uerò applicari oportuit nobis illa merita, idque per fidem & sacramenta, ideò etiam antiquis & fides & similiter sacramenta ipsa proderant. Effectiuè enim semper operata sunt merita illa, utpotè iam existentia coram Deo, fides scilicet & sacramentum, ut utrunque prosit nobis & profuerit antiquis uno eodemque modo propter merita passionis. Quare non oportebat expectare Christi passionem ante oculos nostros exhibendam, cuius merita semper assistebant corā oculis Dei: quoniam & ipsa passio similiter erat, et accepta ad meritum. Poterant ergo merita illa effectiuè continuari cum sacramentis quemadmodum cum fide ut fides simul & sacramentum prodessent, sicut scriptum est: Circuncisio quidem prodest si legem obserues.

Passio Christi extenditur ad omne tempus.

Adhæc, difficile est profectò intelligere, quomodo passio Christi per fidē accepta ab initio operetur gratiam per modū causæ finalis. Nam ipsa fides per modū causæ efficientis, non finalis, operatur gratiam. Non enim gratia est propter fidē, ut fides finis sit gratiæ. Item passio ipsa apprehensa per fidē, similiter operabatur per modū causæ efficientis, quoniā ut meritoria operabatur: quod ad causam efficientem pertinet, non ad finalem.

Adhæc, si causa finalis est illa quæ mouet efficientē ad aliquē effectū, oportet hoc in loco considerare ipsum effectū, de quo est sermo, tum causam eius efficientē, et finalem. Effectus aūt absque dubio est iustificatio per gratiam: causa uerò efficiens iustificationis & gratiæ, Deus. Hæc autem per fidem, quæ disponit hominē ad gratiā suscipiendam. Superest ergo secundū istos, ut passio dicatur causa finalis. Sed nunquid ipsius iustificationis causa, aut ipsius fidei & credulitatis meæ? Absit ut hæc dicamus. Finis. n. passionis Domini potius est iustificatio nostra. Ipse namque passus est propter delicta nostra, ut resurgeret propter iustificationē nostrā, idest, ut credamus in eū & iustificemur. Ita ut etiā fides omniū nostrum sit finis potius passionis Domini. Ob hoc enim ipse uenit & passus est, ut credamus, & credentes uitā habeamus. Io. vi. Nihil autem facit quòd passio ad hoc esset futura, ut apprehensa fide propterea dicatur operari per modū causæ finalis: quia futura passio non mouet hominē ad credendū ut finis, tanquàm quid intentum obtinendū per meā fidem. Ipsa. n. passio præsupponitur omninò decreta & futura non per meā fidem, imò perinde ut iā facta, & operans mihi meritoriè, etiā meā fidē, idest, lumen supernum quo credā. Finis aūt fidei meæ est iustificatio & uita æterna. Passio autem quæ creditur, est materia & obiectum fidei.

Adhæc, si uerū est quod ait B. Thomas in 3. p. q. 62. art. 6. iuxta expositionē Caietani, quòd passio semper ut finalis causa coniūgitur cū fide, non solùm in antiquis, uerùm etiā in nobis qui post Christi passionē orti sumus, certè sequitur quòd finalis causa præcedit tēpore illud cuius est causa finalis: quod est contra doctrinā ipsam B. Thomæ, & contra id quod ex se manifestū est. Medicina enim quæ propter sanitatem est, debet tempore præcedere sanitatē, quæ est finalis eius causa: & sic de cæteris.

Adhæc, ipse B. Thomas docet esse indignū si homo per huiusmodi corporalia, quæ sunt creaturæ homine longè inferiores, perficeretur. Qua ratione existimauit non fuisse sacramenta in primæuo innocentiæ statu. Si ergo ita se res habet, sequitur quod digniore modo saluabantur ante Christi aduētum per solā fidem, cū essent sacramenta solùm in signum, non conferentia gratiam, quàm post aduentum Christi, quando necessariò facta sunt sacramenta, quibus etiam hoc pacto saluemur, uidelicet per collationem gratiæ, quæ uenit per illorum uirtutem. Nec obstat quod aiunt debuisse sacramenta nouæ legis aliquid addere sacramentis ueteris legis, & sic esse nobiliora. Nam contrà potius si per eorum hanc nobilitatem nos uilescimus magis, qui magis eis subijcimur ut per illa hoc pacto iustificemur, aliàs sola fide iustificandi. Non enim nobilitas sacramentorum est nobilitas nostra, propter ea quæ iam diximus.

Adhæc, non magis continuari potest effectiuè cū mea fide passio futura, quàm exhibita. Si enim continuari mihi non potest futura, quia nondum est: neque certè exhibita, quia cessauit esse. Si dixeris uirtutem eius et meritum manere: ego quoque addam, hanc eandem uirtutem et

merita per prouidentiã Dei retroacta, sicut oportet discere: & ita consequor quod uolebã, uidelicet, sicut uirtus meritorum Christi coniungitur modò cum sacramentis, ita eodem modo poterat coniungi prius. Non enim ipsa passio per se coniungi potest nunc, quæ esse desijt. Et cum dicimus passionem hoc facere & hoc operari, intelligimus uirtutem & meritum passionis Christi, non autem passionem ipsam.

Deniq;, non placet, nec potuit mihi unquàm placere hæc opinio de hac uirtute sacramentorũ illis hærẽte, quæ fingitur à quibusdam necessaria, cum nihil hoc suadeat, sed nodos inextricabiles secum ferat. Non ualet igitur argumentum postremum, ut dicamus matrimonium non fuisse sacramentum ante aduentum Domini.

Restat ergo diluendum primum argumentum, quo habebatur, sacramẽta legis ueteris nõ cõtulisse gratiã, quod certè uerissimũ est: sicut nec legis opera iustificabant, et tamẽ ante aduentũ Christi bona opera iustificabant, quia opera legis non erant, s. absq; gratia facta. Opera .n. legis dicuntur quæ uel metu pœnarum, uel amore præmiorum legis, & omninò quæ sine gratia & charitate fiebant, ideòque iustificare nullo modo poterant. Sic & sacramenta ueteris legis non poterant conferre gratiam nec iustificare. Nec tamen sequitur, eo tempore non fuisse sacramenta iustificantia & conferentia gratiam: sed hoc tantùm sequitur, si quæ sacramenta iustificabant, ea non fuisse ueteris legis sacramenta, uidelicet per Mosem tradita quasi per Mosen: quia nõ per Mosen, sed per IESVM Christum est gratia & ueritas: quod passim ab omnibus conceditur. At matrimonium quidem ipsum non fuit sacramentum ueteris legis, idest, legis Moseos: sed ab initio antequàm Moses esset, et ante lapsum Adæ (sicut conclusum reliquimus) fuit sacramentum, & post lapsum ac reparationem per Christum denuò cœpit esse sacramentum, & quidem nouæ legis sacramentum: quia lex noua non expectauit aduentum Christi. Fuit enim & ab initio, quoniam & ab initio occisus est Agnus. Vnde & sancti Patres, quatenus sancti, ad nouam legem et testamentum pertinuerunt. Nihil ergo prohibet fuisse tunc matrimonium sacramentum, & quidem nouæ legis sacramentum, non ueteris. Sicut & Circuncisio non fuit sacramentum ueteris legis, sed nouæ, quæ cœpit in Patribus fundata in Christo. Vnde Dominus: Antequàm Abraham fieret ego sum. Et similiter non ab re testatus est, circuncisionem non fuisse ex Mose, sed ex Patribus: nimirum ex Abraham, cui promissum est pactum seu testamentum nouum, iureiurando firmatum. Itaq; Circuncisio ut erat sacramentum conferens gratiam, non erat sacramentum ueteris legis, sed nouæ: & similiter matrimonium. Sicut etiam iustorum opera illo tempore erant opera non legis ueteris, sed gratiæ. Cõueniebat tamen circũcisio illis temporibus ante aduentũ Christi et passionẽ eius, non aũt postea. Loco ergo circoncisionis baptismus subrogatus est.

Notandum.

Modò fuisse matrimonium sacramentum etiam ante aduentum Christi, probatur primò ab eo quod conceditur ab omnibus, nimirum, Quòd matrimonium ratum sit & omninò indissolubile. Istud uerum est in ijs duntaxat matrimonijs quæ sunt sacramentum. At ante aduentum Christi talis erat natura matrimonij, ipso Domino id probante. Nam quod fecit Moses, id ad duritiam cordis eorum, non secundum rei naturam fecit. Ideò dixit Dominus: Ab initio autem non fuit sic. Si ergo matrimonium esset sacramentum solummodo post Christi aduentum: certè aut non fuisset ante aduentum omninò indissolubile matrimonium, cum sacramentum non esset: aut si fortè fuisset indissolubile, ex alia causa fuisset, & simili modo etiam nunc esset, quàm quia sacramentum: quod tamen non conceditur.

Matrimonium ante aduentum Christi fuit sacramentum.

Adhæc, matrimonium ante Christi aduentum fuisse sacramentum hac ratione probatur. Erat sacramentum ante peccatum Adæ, ex uerbis Domini: & per peccatum illud desijt esse sacramentum. Cum uerò illud peccatum per Christum fuerit extinctum, & innouatum pactum: consequenter instaurari oportuit matrimonium, ut iterum fieret sacramentum. Peccatum autem extinctum fuit ab initio, quia ab initio occisus est Agnus coram Deo. Ergo ab initio restitutum est matrimonium ut esset sacramentum, et quidem nouæ legis & euangelicæ, quoniam & noua lex ab initio fuit.

Confirmatur, quoniam in nouo reparationis statu, cum etiam tunc multi essent fideles, debuit in illis prouideri de gratia huius sacramenti, quibus & ipsi indigebant. Cur ergo Dominus, qui nunq̃ in necessarijs deest, non prouidisset per hoc sacramentum suis fidelibus, ut esset in remedium concupiscentiæ, & custodiret quisq; coniugum suum uas in sanctificatione et honore, ut proles inde etiam sanctificata prodiret, sicut declaratum est supra? Et re uera, sicut negari non potest ueteres indiguisse gratia: ita negari non debet Deum per hoc remedium succurrisse duntaxat fidelibus, ut inter eos et gentes discrimen statueretur, quæ extra Christum & sine Deo erant.

Adhæc, coniugium inter Ioseph & Beatissimam VIRGINEM erat sacramentum, ut uolunt omnes: & tamen hoc fuit ante conceptionem Christi.

Præterea, absurdum uidetur, concedere antiquos Patriarchas & Prophetas, qui coniugia contraxerunt, & optabant propagare sobolem Deo, in eo quod optabant non recepisse gratiam ex ui etiam sacramenti. Quis enim sibi persuadere poterit matrimoniũ Saræ cũ Abraham, & Rebeccæ cum Isaac, & similiter aliorum sanctorum Patrum matrimonia usq; ad coniugium Elisabet cum Zacharia patre Ioannis, non fuisse sacramenta etiã gratiam conferentia, sicut sanctum coniugium exigebat? Nec turbetur quisquam si aliquot Patres antiqui plures uxores habuisse legantur, ut propterea uideri possint non fuisse sacramenta eorum connubia. Etenim quemadmodum diuortia tolerabantur, nec efficiebant sacramenta, quoniam significabatur Synagoga repudianda: ita etiam in pluralitate illa uxorũ significatio duorum populorum qui coniungendi erant à Christo cõtinebatur donec omnes

unũ facti sumus in ipso. Sicut item non obstat quin matrimoniũ secundũ, primo per mortẽ sublato, sit sacramentũ, tametsi non omninò retineatur significatio uinculi quod est inter unũ uirũ Christum & unã tantùm Ecclesiã: ita etiã non obstabat digamia quæ eo tẽpore concurrebat. Nam in quolibet matrimonio separatim considerato salua inueniebatur significatio de Christo & Ecclesia.

Conclusio. Quare concludendum est omninò, etiam ante aduentũ Christi fuisse matrimoniũ sacramentũ, & quidem sacramentum non ueteris, sed nouæ atq; euangelicæ legis: uidendum tamen est quonam pacto.

Vtrum matrimonium sit Sacramentum nouæ Legis, an verò antiquæ ante peccatum.

SACRAMENTVM matrimonij non esse nouæ legis sacramentũ, sed antiquæ potius, ex eo probari uidetur quòd eius institutio fuit ab initio, etiam in primæuo illo statu, ut dictum est. Quòd autem ex peccato fuerit postremo illa institutio exinanita, non uidetur propterea debere amittere prior institutio autoritatem, cum per Christum fuerit instaurata, ut uerè dicatur matrimonium esse de lege primæua. Equidem nihil uideo prohibere quin dici aliquo modo possit matrimonium esse ex uetere instituto, & aliquo modo ex institutione Christi noua, & ita proprium sacramentum nouæ legis hoc pacto. Quotienscunq; enim aliquid destruitur & instauratur, id aliquo modo uidetur esse quod prius: præsertim si quid de priore permanserit. Mansit autem post peccatum materia sacramenti, quæ est ipsum matrimonium. Destructa autem fuit benedictio, qua efficiebatur sacramentum. Vbi autem reparata est hæc benedictio, tunc incæpit matrimoniũ esse sacramentũ. Et ita instaurari dicitur quod erat prius. Verùm quia hoc fit per Christum & in nouo pacto: ob istam gratiam dicitur uerè sacramentum nouæ legis: quoniam quòd sit reparatum, acceptum Christo referimus, & in quantùm ex parte reparatum est, non ex integro sicut prius, similiter est secundum nouam legem. Non est enim nunc matrimoniũ ita syncerum propter exundantem concupiscentiæ feruorem per carentiã illius iustitiæ primæuæ, adeò ut sit etiam in remedium concupiscentiæ. Neq; enim fuisset tunc in remediũ concupiscentiæ, quæ per illam iustitiam frenabatur. Nec ita prolem nunc sanctificat, sicut tunc sanctificasset, ut dictum est. Ideò propriè & uerè dicitur potius sacramentum nouæ legis, & si sit illud idem quod fuit ab initio institutum à Deo: reparatur tamen per Christum, quia destructum erat propter peccatum. Sic & nos regenerari dicimur in sacramento baptismi, & renouari per Christum nouo pacto: quia in primo pacto eramus iam geniti & uiuentes. Verùm cum ob peccatum mortui essemus, oportuit iterum renasci, & sic renouari ad uitam.

Dicet quis. Vnde posset de scripturis antiquis colligi instauratio huius sacramenti? Respondeo: Si subtiliter scrutaremur Scripturas, haud dubium quin hoc de plurimis locis eliceremus. Etenim mox post illud peccatum, quùm Dominus Deus primorum parentum misertus percussit aliud pactum cũ eis, in quo matrimonij durior conditio adiuncta fuit, ipse Dominus instaurationem indicauit, sicut patet primò in sententia contra mulierem, cui multiplicantur ærumnæ & conceptus, & dolor pronunciatur futurus in partu. Et uiro dicitur: Maledicta terra in opere tuo. In labore comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi &c. Quæ quidẽ uerba aptissime ad matrimonium accõmodantur. De qua re scripsi latius in loco proprio. Quin hoc ipsum expressit Heua mater nostra secundũ carnẽ, quùm peperit Cain primogenitũ suũ. Dixit. n. Possedi hominẽ per Deũ. Sic. n. gratias agens Deo, significauit se illũ filiũ accepisse placato Deo, ac proinde uisitante et iterũ sanctificante matrimoniũ quod erat (ut sic dicam) desecratũ et execrabile corã illo. Patet præterea post diluuiũ, quo Dominus similiter benedixit Noe & filijs ad procreationem, & mandatum denuò addidit de matrimonio, ut crescerent super terram. — Autor in cõm. Gen.

Quæret alius, Ex quo noui testamenti loco istud idem accipiatur, ubi appareat Christum de nouo instituisse hoc sacramentũ? Non desunt qui dicant, eo loco instituisse, ubi allegans scripturã ueterẽ, adiecit: Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Verùm si rectè consideretur, Dominus illã conclusionẽ nõ adiecit quasi de nouo, sed elicuit quasi ex ueteri instituto. Innitebatur. n. tunc in illa scriptura, ut probaret matrimonium esse insolubile: alioqui nihil conclusisset aduersus Iudæos, qui eius dicta in autoritatẽ non recipiebant. Verũ est tamẽ, quòd cũ illa antiqua scriptura uteretur Dominus quasi lege, uoluit significare illius legis uigorẽ (quo ad illã partẽ indissolubilitatis) qui propter peccatũ sublatus erat, per suũ aduentũ fuisse restitutum. Hoc autem ipsemet Dominus declarauit, & testificatus est se nuptias instaurasse, quùm illas sua præsentia honorauit, & ibi primũ fecit miraculũ in Chana Galilææ, ubi sex hydrias aquæ in uinũ optimũ cõmutauit. Quid. n. sunt aquæ nisi populi, qui erant insipidi, instabiles, et instar aquarũ fluxibiles? Hi aũt cõmutati sunt in uinũ in sanctificatione nuptiarũ: quia matrimoniũ iterũ benedictũ fuit à Deo in Christo: unde earum facta est propagatio sancta. Quocirca non ab re specialiter dicitur, in eo miraculo manifestauisse gloriã suã, non tã ex ipso facto secundũ ueritatẽ, quã ex eius facti significatione: quod est magnoperè considerandũ. Alioqui nõnne & quodlibet aliud miraculũ manifestabat eius gloriã? Sed illud fuit tũ singulare: quia sua præsentia assistens nuptijs, easdẽ ostendit à se habere restitutionẽ & confirmationẽ,

quæ per peccatū euanuerant: alias non fuissent placidæ coram Deo, quarū fructus non aliud erant nisi aquæ insipidæ, idest, populi Dei gratia uacui. Et propterea in hoc se ostendit æqualem Deo, cuius primū opus post hominem conditū, fuit conciliare marem & fœminā uinculo matrimonij ad propagandam Deo sobolem. Similiter hoc primū signum fecit Dominus in nuptijs, ut intelligeremus eum esse qui ab initio cum Patre suo fuit autor nuptiarum. Illius enim erat reparare, cuius fuit & condere. Sed quæ huiusmodi sunt benè nosse, non est nisi Architriclini, idest, hominum qui præsunt nuptijs istis. Hi sunt Pontifices qui præsunt Ecclesiæ ut probent uinum bonum, idest, sapientiam Christi per Spiritumsanctum, qui scrutatur etiā profunda Dei. En populus sapiens et intelligens, gens magna. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Verùm hæc quidem secundum mysterium dicta, propter eos dicta sint qui illud capere possunt. Non enim omnes sunt mysteriorum Christi capaces. Sed propter illos qui capiunt, dicta sint.

Deut. 4.

De clandestinis matrimoniis, An valida sint & posint dici sacramentum.

CLANDESTINA *matrimonia nunc ea uocamus, quæ absq; testibus et sacerdotali benedictione contracta sunt, et absq; consensu parentum, sub quorū tamen potestate contrahentes constituuntur. Et de his quærimus, An ualida sint, et ita rata ut mereantur dici sacramentum.*

Leges Ciuiles contra clandestina matrimo.

Si leges ciuiles attendimus, etiā Christianorū Principum, certè huiusmodi matrimonia inualida sunt. Reperiuntur autem qui dicant, ciuiles leges non esse sequendas, cum eis Canones aduersentur. Quo in loco uidendū est (hoc interim dato, nimirum Canones contrà statuere) qua ratione confecti sint isti Canones ad statuendum contra ius ciuile. Oportet enim Canones ciuilem aliquam legem irritantes, ab aliqua solida ratione proficisci. Nulla uerò potest esse alia ratio, nisi quia forte uiderunt, quod à lege ciuili constitutum erat, uel contra ius diuinum esse, uel contra ius naturale.

Qua rōne lex ciuilis abrogari possit.

Dicens ergo aliqui, legem ciuilem prohibentem matrimonium contractum à filijsfamilias sine consensu parentum, esse contra ius diuinum, quod manifestè statuit hoc in re non esse requirendum patris aut matris consensum, dicente Domino: Propter hoc relinquet homo patrē suū & matrem suam: elicientes inde hunc sensum, quòd homo in hac causa nō debet requirere consensum patris aut matris. Quid hic dicam? Nónne miserum est prorsus et indignum ista prosequi tam inepta, tamq; inconsideratè pronunciata? Mitto illis uerbis non tradi legem ineundi matrimonij, sed quantarum sit uirium conditio matrimonij iam contracti, declarari. Illud uerò, obsecro, quàm decens esset, in principio libri probare filiorum audaciam tam insolentem ut in nuptijs ineundis contemnant parentes, contra ius naturale & honestissima maiorum & proborum uirorum exempla?

Verùm innituntur alij alio argumento, Quòd lex illa ciuilis erat contra ius naturæ: quoniam contra ipsam matrimonij naturam, quæ solo coniugum consensu contenta est ut sit uerum & ratum matrimonium. Quòd si natura hæc & lex matrimonij debet seruari: ergo pater & filia, mater & filius, legitimè copulabuntur si consentiant: & ita multò magis de cæteris inter consanguineos et affines coniugijs dicendum esset: & iccircò perperam fuisse prohibita lege hominum, cum de iure diuino consensus uiri & mulieris satis sit ut constituatur uerum ac ratum matrimonium.

Dicet fortassis quis, personas illas esse distinctè notatas ne possint consensum præstare legitimū, idq; magna ex causa, uel propter honorem illum quē sibi inuicem debent & honestatem. Cur igitur non ualuerint ciuiles leges etiam has notare personas existentes in parentū potestate, ut non sit legitimus eorum consensus propter honorem quem iure suis parentibus debent? An non hæc est maxima causa? Qui id non uidet, quid uidet? Audi nunc, obsecro, prudens lector.

Legis ciuilis officium quale.

Officium legis ciuilis, quā disponi à sapientibus oportet, est ut quæ ratio naturalis & ius ipsum naturale poscit, illud determinet, uel declaret. Educitur ergo ius ciuile ex ipsius iuris naturalis principijs. Non est autem dubium per has clandestinas nuptias non parum uiolari ius paternum & illam patriam potestatem et honorem debitum quem ratio naturalis cunctos docet. Ergo iure optimo ac meritissimo lex ciuilis eiusmodi matrimonia habenda irrita sanxit, utpotè contra ius paternum & honorem parentibus debitum, idq; si in quauis deliberatione, in hac una præcipuè. Est enim magnus parentum contemptus, si in hoc contractu qui eosdem magnoperè tangit, eorum consiliū & consensus & beneplacitum, imò etiam autoritas despiciatur. Non est enim dubium hanc inter summas iniurias deputari, cum & inter iustas exheredationis causas computetur. Rectè igitur factum est, & prudenter declaratum per ius ciuile, ne talia matrimonia uera sint & rata: cum nec legitimè personæ fuerint hoc pacto contrahentes, nec eorum consensus fuerit legitimus.

Adhæc, non solùm per hæc matrimonia uiolatur ius naturæ, uerùm etiam ius Gentium. Illud enim apud omnes gentes non penitus barbaras & omnis rationis expertes semper obseruatum est, ut filiæ à parentibus locentur, & filij similiter parentum consilium & iussum expectent, quemadmodum uel ex ipsis poetarum comœdijs elicitur. Nam quantum ad fœminas attinet, quis non uidet hoc esse omnino admittendum, cum ipsæ præcipuè

consilio

consilio indigeant & iudicio, tum etiam quòd per sexus imbecillitatem, & rerum inexperientiam, & ingenuum pudorem retrahuntur à procacitate, ne per se sibi socium quaerant? Ob hunc causam Dominus Deus ab initio huius rei uolens nobis exemplum proponere, adduxit Heuam ad Adam, ut ipse tanquàm amborum pater matrimonium inter eos conciliaret.

Adhaec, Lex antiqua Moseos id exigebat ut filiae à parentibus locarentur: quod & ante legem fuisse docent sacrae historiae, ut patet de Isaac & Rebecca, & de Iacob & uxoribus eius. Esau autem qui eam bonam consuetudinem minime seruauit, malè cum coniugibus suis habuit, quae offendebant patrem & matrem contur bantes domum, ut apparet Gen. 26. & 27. capitulo in fine. Vnde cap. sequenti, ne acerbius hac in re parentes offenderet, de eo in hunc modum scribitur: Videns autem Esau quòd benedixisset pater suus Iacob, et misisset eum in Mesopotamiam Syriae, ut inde uxorem duceret: & quòd post benedictionem praecepisset ei, dicens: Non accipies uxorem de filiabus Chanaam, quodq; obediens Iacob parentibus suis isset in Syriam, probans quoq; quòd non libenter aspiceret filias Chanaam pater suus, iuit ad Ismaelem & duxit uxorem absq; ijs quas prius habebat, Mahaleth filiam Ismael filij Abraham sororem Nabaioth. Haec ibi, ut clarè accipi inde possit, etiam conscientia percussum fuisse Esau, quòd hac parte non reddiderit honorem parentibus, sed ius paternum uiolauerit.

Adhaec, B. Paulus ad Cor. 7. iuxta communem intelligentiam hoc ipsum paternum ius ostendit, dum in solo patris arbitrio uidetur hanc solam causam reponere, uel locandi filiam suam, uel non locandi: qui certè locus plus uidetur probare, quàm sit nobis necesse.

Matrimonia cur publicè iniri debeant multis rationibus ostenditur.

Adhaec, matrimonij natura & conditio haec est, ut si quid est aliud in hominum societate quod requirat publicum & apertum testimonium, certè ipsum est uel potissimum, idq; ob plurimas quidem causas, quarum nonnullas subijciemus.

Prima est, quia per illud inuicem contrahitur affinitas cum familijs. Hoc autem requirit earum notitiam, & praesertim parentũ ac proximorum. Alioqui indignum est & prorsus absurdũ atq; intolerabile, ut cũ nescientibus & nolentibus contrahatur affinitas, praesertim cũ ipsis coniugũ parentibus & fratribus. Nam quid (obsecro) absurdius, quàm si puella patri suo generum eligat odiosum illoq; indignũ? Aut item si adolescens patri suo nurũ non quã deceat, sed quam libeat domum adducat? Obstat etiã ista clancularia coniunctio, quominus à parentibus & affinibus inuicem debita officia persoluantur, honor, cura, & alia multa. Est item perpetuarum rixarum seminarium, & domestici praelij atq; assidui fomes, quo nihil potest infelicius cogitari.

Secunda ratio est, quia per ea clandestina matrimonia fit liberum iam copulatis inuicem et cuilibet eorum quem posteà poeniteat, pro sua libidine dissoluere matrimoniũ, idq; frequenter accidit.

Tertia est, quoniam praebetur peruia occasio ad explendas libidines sub praetextu matrimonij. Simulatè enim multi ea uerbis pollicentur, quae re ipsa confirmare non habent in animo.

Quarta est, quia sternitur uia lata ad adulteria. Qui enim nescit mulierem esse alteri copulatam, facilius illam solicitabit, et cum ea se iunget. Propterea Pharao et Abimelech, ut narrat Scriptura, expostularũt aduersus Abraham qui uxorẽ sub nomine sororis uocabat.

Quinta est, quia nonnunquàm ij contrahunt qui contrahere non possunt uel propter consanguinitatem, aut affinitatem, aut publicam honestatem. Quae si publicè fierent et more Ecclesiae, non acciderent haec stupra, quae palàm prohiberentur.

Sexta ratio est, propter liberos et legitimitatem filiorum, ut ita dixerim. Non solum enim peccant in parentes et totam familiam, et in extraneos qui eo pacto copulantur, uerùm etiam in proprios filios, qui non pro legitimis habebuntur, si nascantur de cupula quae nescitur legitima & uera, si fortè interim unus coniugum moriatur ante quàm sciatur de ueritate matrimonij, aut si fortè se consensisse non confiteatur.

Septima est, quia periculum est de morte prolis. Si enim fuerit carnalis copula clandestina, & mulier grauida, & uir interim aut moriatur, aut peregrinetur, aut matrimonium non confiteatur: quid aliud faciet mulier quae uelit pudorem seruare uel uitam, nisi procurare clàm uborsum? Vides quanta hinc mala exoriuntur quòd clàm conciliata sunt matrimonia? Nam cum sint tria matrimonij bona, contra haec ferè directò pugnant. Est primum fides, quam plerunq; ob eam causam uiolari cernimus, quoniam haec matrimonia probari non possunt. Est & secundò bonum prolis, de qua uidemus tanta pericula, & bonorum, et alimoniae, et uitae. Est et tertiò bonum sacramenti, unde gratia coelestis donatur. Verùm quam gratiam merentur ij qui contra legum praecepta, & iuris naturalis legem, & contra Canones clàm iunguntur? De his autem rectà dici potest, quòd eos non Deus, sed immundus aliquis Daemon et libido flagitiosa coniunxit. Vbi enim libido et dolus, quo pacto potest ibi esse Deus?

Adhaec, cum certum sit matrimonia hoc pacto clandestina, iuris praesumptione haberi tanquàm stupra & illegitima contubernia, nónne satius esset ut certa lege id statueretur, & non opus esset illa iuris praesumptione? Si enim declararetur talia matrimonia non ualere, sed esse meras fornicationes, non tam facilè inirentur, quae non honestarentur eo praetextu matrimonij & sacramenti.

Quamobrem si huius rei decisio aut reformatio ad me pertineret, irrita continuò uelim esse haec matrimonia, nec uerè esse matrimonia declarare aut statuere, quae contra legem ciuilem, naturalem, & manifestè contra bonos mores, contra legem Moseos, contra decreta Canonum ineuntur. Nam audi, quaeso, quid de huiusmodi censuerint Concilia & summ

mi Pontifices. Extat enim primò magnum illud Concilium Lateranense, vbi legitur: *Prædecessorum nostrorum vestigijs inhærendo, clandestina coniugia penitus inhibemus, prohibentes etiam ne quis sacerdos talibus interesse præsumat.* Alexander Tertius ait: *Tales hoc pacto contrahentes non esse compellēdos agnoscere vinculum, nisi ipsi hoc voluerint publicare. Tunc enim,* inquit, *ab Ecclesia recipienda sunt, & comprobanda tanquàm ab initio in Ecclesiæ conspectu contracta:* hæc ille. Ex quibus satis constat, saltem coram Ecclesia non esse matrimonia. Sed propter tot ac tanta pericula meo quidem iudicio præstaret ea ita prohiberi, vt nec verè coram Deo matrimonia censerentur, quibus ipse Deus nequàquàm assistit, quæ cum magno crimine contrahuntur, & sub nomine & honestate matrimonij plerunq; dolo conciliātur, quæ verè stupra sunt et fœda cōtubernia. Vnde B. Euaristus Papa dixit non esse dubitandum, huiusmodi coniugia clandestina, non coniugia, sed adulteria, vel stupra, vel fornicationes potius esse, quàm legitima coniugia.

Scio glossas doctorum & magistrorum obijci solitas: sed ab eis quæro, Vtrum leges ciuiles quæ à Christianis vel conditæ fuerunt, vel probatæ & in vsum receptæ, quæ talia matrimonia inhibuerunt, & nulla esse (si fortè contraherentur) declararunt: quæro inquam, an huiusmodi leges bonæ fuerint, an malæ? Potueruntne Principes eam legem condere, an non? Si potuerunt, Cur reprobatur? Si dicat quis non potuisse: Cur ergo nemine contradicente condiderunt? Et cur seruabatur inter Christianos? Cur summi Pontifices & Ecclesiarum Antistites non reprehendebant? imò potius tacitè commendabant? imò etiam expresè? Est enim testimonium

D. Basilius. Basilij Magni & Theodori Balsamon, qui fuit interpres Canonum græcorum, sicut ostendit mihi eruditissimus vir in bonis & varijs literis D. Gentianus Heruetus in quodam Canone, qui sic habet. *Puellis quæ præter patris sententiam fornicatores sequutæ sunt, reconciliatis parentibus videtur res remedium accipere: sed non protinus ad communionem restituuntur, sed triennio puniuntur.* Hunc canonem ita exponit Theodorus Balsamon:

Theodorus Balsamon in Can. 38. *Puellas hic sanctiss. eas appellat quæ sunt in potestate parentum. Dicit ergo quòd si alicuius puellæ seipsas suis amatoribus tradiderint præter suorum parentum sententiam, & ab illis vitium ipsis illatum fuerit, etiam si matrimonio sibi esse coniunctæ videantur, matrimonium eius quæ est in parentis potestate non possit subsistere. Sin autem parentes ipsarum eis reconciliati fuerint, & eas cum amatoribus cohabitare voluerint, ei rei ea ratione videtur remedium afferri. Quod enim ab initio malè factum est, parentum posteà consensus reparari videtur. Sed ea non est statim recipienda ad communionem, sed post tres annos.* Multa alia dicit hic Balsamon notatu digna, quæ nimis longum esset adducere. Est & alius canon cuius hæc verba sunt:

Bas. Can. 40. *Quæ præter Domini sententiam se viro tradidit, fornicata est. Quæ autem posteà libero matrimonio vsa est, nupsit.* Quare illud quidem fornicatio, hoc verò matrimonium. *Eorum enim qui sunt in alterius potestate, pacta conuenta firmitatis nihil habent.* Alius quoq; eiusdem canon sic habet: *Quæ sine ijs qui habent potestatem fiunt matrimonia, sunt fornicationes. Nec ergo viuente patre nec Domino sunt ab accusatione liberi, donec coniugio ij quorum est potestas, annuerint. Tunc enim firmitatem accipit coniugium.* Hi ambo manifestè declarant, eiusmodi matrimonia clandestina nullius esse roboris.

Præterea, quæ ratio adducitur, cur illi principes non potuerint talem legem condere? Lex enim quæ honorem debitum parentibus à filijs seruari præcipit, & quæ scandalis multis ne veniant occurrit, & ad ciuium ac familiarum concordiam spectat, qua causa, quóue nomine potest improbari? Quo iure potest damnari?

Dicet quis, hæc est materia circa quam seculares principes non habent cognoscendi ac statuendi potestatem, quoniam sacra est, & propria circa quam versentur & de qua statuant soli Pontifices. Respondeo, verum hoc esse quatenus matrimonium est sacramentum: sed quatenus est in officium naturæ, pertinet etiam ad principes circa illud animaduertere & leges condere, propter honestatem & pacem domesticam, modò seruetur verbum Dei. Fateor tamen si in dubitationem veniat, An hæc quæstio pertineat ad causam sacramenti, remittendam esse eius cognitionem ad Pontificum tribunal. Non est autem dubium quin seculares principes ea possint circa matrimonia prouidere ac statuere, per quæ probi & ciuiles mores ad illum finem custodiantur atq; seruentur, ad quem ipsæ respublicæ constituuntur. Itaq; quicquid non est contra legem Dei ac legem naturæ, credo principes posse circa matrimonium tanquàm circa suam et non tanquàm alienam materiam, suis legibus prouidere: & ita latam ab eis legem valuisse puto, qua irritabantur matrimonia non consultis parentibus contracta. Verū hic locus ampliorē postulat consideratonē.

Nū dicet quis, Etsi natura debeatur honor parentibus ac propterea minus deceat filiosfam. illis incōsultis cōtrahere, præsertim fœminas: tamē cū in huiusmodi constet, vt ait B. Thomas, filios naturali iure non subijci patris potestati, non uidetur æquū vt debeant hac sua libertate quam natura habent, per legem ciuilem defraudari, quia hoc esset ius naturæ violare. Et ideò si velit filius vel filia religionem aliquam monasticam profiteri, potest hoc facere vel inuitis parentibus, si ætatem iustam habeat. Quòd si hoc, ergo etiam matrimonio cum quauis alio, qui legitima persona coniungi, etiam parentibus ipsis inuitis, nedum inconsultis: quoniam hac in re liberi sunt iure naturali. Legitimum namq; consensum habent, quo solo matrimonium iure contrahitur. Nos autem ad hoc respondemus, & in primis quod attinet ad professionem monasticam, confitemur & inconsultis & inuitis parentibus, eam illos facere posse. Huius autem rei manifesta est ratio: quia hoc est simpliciter bonum: nec propterea fit patri vlla iniuria, quòd perfectiorem euangelij partem filius uel filia eli-

gat. Imò plerumq; longè tutius est ut parentes hunc animum filiorum nesciant, ne carnis amore concitati illos à sancto proposito absterreant atq; abstrahant. Omnes enim parentes ferè eius animi & consilij sunt, erga mares potissimum, ut arctiorem uitam filijs dissuadeant, nisi ualdè spirituales sint. Vnde Dominus dixit: Et inimici hominis domestici eius. Iccircò nulla est facta lex ne filij ingredi ualeant uiam hanc perfectioris iustitiæ inconsultis aut inuitis parentibus, quæ si facta fuisset, proculdubiò non ualeret. At uerò hac in causa matrimonij longè aliud est, quatenus est quoddam seculare, sicut testatur Dominus: quoniam filij seculi nuptias contrahunt, & contrahitur mutua cum uiri & mulieris cognatis & necessarijs affinitas, quo fit ut res hæc sui natura ualdè pertineat ad parentes.

Dico ergo non solùm esse contra honorem & reuerentiam quæ debetur parentibus, si filij clam illis contraxerint: uerùm etiam contra omnem æquitatem, ut filius nurum patri quærat, & adducat patri uel matri: & similiter filia generum, unde conflantur intestinæ ac perpetuæ domesticæ discordiæ. Quid enim si filius genere nobilis, ancillam aut meretriculam immoderati amoris gratia sibi in uxorem adiungat? Et similiter filia nobilis seruum aut lenonem? Quid si uir adulterij aut stupri crimine infamem? Aut mulier adulterum? Aut si etiam alijs modis impares sint, ut ingenui atq; honesti parentes id ferre minime ualeant nec debeant? Quænam potest hic ratio aduersus principes excogitari, qui sua lege non solùm illicita hæc & iure punienda matrimonia dixerint, uerùm etiam esse nulla statuerint? Si enim non fuerint uerè matrimonia, nec erunt uerè sacramenta. Equidem non uideo quid obstet, cur eiusmodi leges non ualeant, & commendationem mereantur. Non est enim hoc mittere falcem in messem alienam, ubi nihil agitur contra sacramentum, quod certè consequitur ad matrimonium si uerè matrimonium sit. Solùm irritatur modus ineundi matrimonium pessimus, ita ut non sit matrimonium, & consequenter (ut dixi) non sit sacramentum, quod aduersus honestatem & naturalem rationem & ciuilis iuris & sacrorum Canonum præcepta contractum est.

Si lex ciuilis non patitur ualere coniugium inter fratrem & sororem adoptiuos durante adoptione, idq; ob ciuilem tantùm honestatem, & hanc legem Canones comprobarunt: Cur, obsecro, non multò magis istud approbare debuerint quod erat ciuilis legis, ne scilicet filij Christianorum inuitis aut ignorantibus parentibus possint contrahere, nec sit ualidum matrimonium? Verè si nulla esset ciuilis lex, ipsamet ingentia scelera quæ in his clandestinis frequentissimè admittuntur, satis superq; sunt idonea, & urgentem rationem continent ad procuranda remedia certa, quæ tantæ peruersitati adhibeantur. Nullum autem certius apparet aut potentius, quàm si talia coniugia prohibeantur, non solùm ne contrahantur, uerùm etiam si contracta fuerint, inualida constituantur. Quod autem hoc summa Pontificis potestate fieri possit, non existimo ambigendum. Statuit enim hocipsum circa quædam matrimonia, quæ citra dubitationem longè minorem habebant necessitatem & leuiorem rationem.

Nec putet quisquam mihi ignotum esse quid ex aduerso ualeat excogitari. Potest enim interdum accidere, parentes quosdam duros esse, & ad præstandum consensum filijs suis difficiles: & nonnunquàm contingere ut mulier filio placeat, quæ displiceat patri uel dotis tenuioris gratia, uel nobilitatis, uel quauis alia ratione non æqua: & aliam ei obtrudat, quæ uel turpis, uel annosa, aut quauis alia ratione meritò recusanda. Quid hic aget filius? quò se uertet? Nunquid poterit cogi à patre? Non hoc dico. Imò si certam potest habere voluntatem puellæ volentis secum contrahere, non negauerim hoc casu posse, non dico inscio patre, sed inuito illo coniungi. Si enim potest vel precibus, uel intercessionibus aliorum obtinere, vt velit pater consentire, hoc melius est. Sin fieri non potest, protestetur filius ante tribunal Episcopi talem se elegisse quæ sibi placet, nec habeat iustam causam pater eam recusandi nurum, & iam suum patri tribuisse honorem, cuius reuerenter cōsensum rogauit, & in hac causa non teneri patri obtemperare, sed esse sui arbitrij. Tunc Episcopus id cognoscēs, debet filio permittere vt palàm contrahat & in facie Ecclesiæ. Quod si fecerit, erubescet pater tandem non ratum habere & gratum quod Episcopus commendauerit aut permiserit. Quòd si durus manserit pater, imputabitur ei, nec iustam causam exheredandi filium habebit. Non est enim hæc grauis iniuria, cum nec quidem sit iniuria, vbi iure suo quis vtitur. Aliud esset si iam eo pulam clam patre, præcipuè inhonestam contraxisset.

Est uerò in fœminis inter Christianos multò maior & intolerabilior abusus, & uerè dignus animaduersione, quoniam frequentissimus & insigniter detestandus. Accidit enim sæpenumero & passim vt parentes vel fratres qui domi habeant filiam aut sororem nubilem & iam grandem, quam locare nolint ne multum pecuniæ pro dote insumatur, cum de more patriæ dotes in immensum excreuerint, illam cogant inuitam ingredi monasterium, & id uerbis profiteri coram Deo, quod nunquàm animo placuit, vnde nascuntur innumera scandala & horribilia sacrilegia. Hic uerè est intolerabilis abusus, cui omninò esset manu ualida occurrendum, & præcidendæ causæ. In primis modus dotium: Deinde quùm ad monasterium offeruntur, debet explorare Episcopus diligenter earum voluntatem, & libertatem eis exhibere absq; timore exprimendi: & parentes admonere & interminari ne illi vim faciant, aut vllum metum incutiant. Sed hæc ad prudentiam summi Pontificis, et sanctæ Synodi essent omninò remittenda, & sta tuēda ab eis salutaria tantæ corruptioni remedia.

Abusus perniciosissimus.

Educi de iure diuino & naturali illicita eſſe & inhoneſta coniugia inter nonnullas perſonas vel ſanguine vel affinitate coniunctas.

TRACTANS apud B. Matthæum uerba illa Caietanus: Propter hoc relinquet homo patrē et matrem, ait per ea ſignificari matrimonium ſolummodo illicitum eſſe, ſecundum Scripturam, inter patrem et filiam, matrem & filium. Reliquos ergo fratres & ſorores, nepotes & neptes, liberos eſſe & habiles ad contrahendas nuptias inuicem de iure diuino & naturæ. Hoc autem eſſe ſpurciſſimum dogma, in Annotationibus noſtris in illum ſatis arbitror me probaſſe. Hic ſummariè procedam in eorum gratiā, ad quorum manus illud opuſculum noſtrum non peruenit. Si enim nulla in re læditur ius diuinum & naturale per huiuſmodi copulas, Cur ergo eas lex Moſeos tantoperè uituperat? Et quod amplius eſt, cur leges ipſæ ciuiles, etiam Paganorum, & ipſe philoſophorum princeps Ariſtoteles omninò improbat? Mitto ſanctorum Pontificum Canones, qui illam naturalem indecentiam perpendētes, ad quas usq; perſonas ea indecentia procedere non deberet, Spirituſancto inſpirante interpretati ſunt & declararunt. Qua in parte digni certè fuiſſent magna reprehenſione, ſi libertatem iure diuino & naturali nobis datam, à nobis abſtuliſſent. Sunt quoq; chriſtianiſſimi Doctores & ſancti Patres, qui ſemper idipſum confirmarunt.

Moſes.

Primum igitur afferamus Moſen apud Leuit. cap. 18. Vbi uetabat ne plures perſonæ ratione ſanguinis & affinitatis mutuò iungerentur. Cur hoc, rogo, fecit? Si enim in huiuſmodi indulgebantur illi populo plura alioqui illicita matrimonia, cur quæ fuiſſent licita prohiberētur? Et ut os obſtruatur uolenti contendere, Moſes ibi dū prohibet multas perſonas ne nuptias contrahant ratione ſanguinis, rationem profert, quia inceſtus eſt, aut (ut alij quidam interpretantur) quia ſcelus eſt. Et tandem uituperans talia contubernia, ait: Ne polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ ſunt uniuerſæ Gentes, quas ego eijciam ante conſpectum ueſtrum, & quibus polluta eſt terra. Non ergo facta ſunt illa connubia illicita, quia prohibita: ſed ideò prohibita, quia ſcelus et inceſtus ſunt, & talia quæ nec Gentes impunè facerent: quoniam ratio naturalis ea euidenter monſtrat illicita.

Ius ciuile.

Vnde & leges ciuiles & Paganorum uocant eiuſmodi nuptias, inceſtas, nefarias, nefaſtas, funeſtas, ſæua crimina: quæ Caietanus licita facit de iure diuino & naturali. Videat qui uult in Codice De inceſtis & inutilibus nuptijs, & de Epiſcopis & Clericis. Et in Digeſtis De ritu nuptiarum, habetur illicitū eſſe omnia matrimonia ſi contrahantur inter parentes & liberos quantouis gradu diſtantes. Nec ullo modo excuſari ait Iuriſconſultus, prætextu ignorantiæ contrahentes: quia quod ratio naturalis docet, nullus creditur ignorare, ſed omnes tenentur ſcire. Vnde ſupra modum miror, quomodo iſta ignorare potuerit Caietanus, quæ tamen ignorare nulli mortalium unquàm licuit.

Ariſtoteles.

Extat et philoſophorū principis teſtimonium, in 2. Pol. ubi reprehendit Socratem, qui inter conſanguineos ob eā ſolummodo cauſam prohibebat matrimonium, quoniam nimio uoluptatis ardore urerentur: & non potius ob eam quia ſit ille pater aut filius aut frater. Ecce ut etiam in fratribus indecentiam agnouit ipſe Philoſophus.

B. Hieronymus.

Venio nunc ad noſtros. B. Hieronymus in Heluidium, & ſuper Gen. adeò ſui natura inter fratres horribilia eſſe coniugia exiſtimauit, ut diceret, Scripturam propter aurium ſanctitatem maluiſſe hæc intelligi quàm exprimere.

B. Ambro. in epiſtola ad Paternum.

B. Ambroſius in epiſtola ad Paternum, reprobans nuptias inter fratrem & ſororem conſobrinos, quas ille iure diuino licitas eſſe putabat, in hunc modum reſcripſit. Ego autem prohibitum iure diuino aſſero, quia cum leuiora interdicta ſint de patruelibus fratribus, multò magis hoc quod eſt arctioris neceſſitudinis interdictum arbitror. Quòd ſi ideò permiſſum putas quia non eſt prohibitum, nec illud prohibitum ſermone legis reperies, ne pater filiam ſuam accipiat uxorem. Nunquid ideò liceat quia non eſt prohibitum? Minime. Interdictum eſt enim naturæ lege ſcripta in cordibus ſingulorum. Interdictum eſt inuiolabili præſcriptione pietatis, titulo neceſſitudinis. Quanta huiuſmodi inuenies non eſſe interdicta lege per Moyſen edita, & tamen interdicta ſunt quadam uoce naturæ? hæc ille.

B Auguſtinus in lib. de ciuit. Dei.

Et B. Auguſtinus, ne quis antiquorum exemplis moueretur, quod tamen Caietanus facit, in hunc modum ſcripſit. Quod humano genere creſcente & multiplicato, etiam inter iniquos multorúmque Deorum cultores ſic obſeruari cernimus, ut etiam ſi peruerſis legibus permittantur fraterna connubia, melior tamen conſuetudo ipſam maluerit abhorrere licentiam: & cum ſorores accipere primis humani generis temporibus licuerit, ſic aduerſetur quaſi nunquàm licuerit. Si enim iniquum eſt auiditate poſſidendi tranſgredi limen agrorum, quantò iniquius eſt libidine concumbendi tranſgredi limen morum? Hæc ille, ex quibus manifeſtiſſimè patet quam rem licitam eſſe Caietanus contendit, eam B. Auguſtino peruerſam uideri, cum etiam peruerſas leges appellet quæ eam permitterent: quodque magis eſt mirandum, quaſi quadam ui rationis obſtante, eas leges quæ nefandam illam permittebant licentiam, non potuiſſe uigere teſtatur. Nolebant enim homines ſibi licere quod lex in membranis ſcripta concedebat, quoniam potior lex quæ in eorum cordibus Dei digito erat inſculpta, abſq; dubio prohibebat. Addit præterea idem B. Auguſtinus: Quis dubitet honeſtius hoc tempore etiam conſobrinarum prohibita eſſe coniugia, non ſolum ſecundū ea quæ diſputauimus, propter multiplicandas affinitates: uerùm etiam quia neſcio quo modo ineſt humanæ uerecundiæ quiddam naturale atq; laudabile, ut cui debet cauſa propinquitatis honorem, ab ea contineat quamuis generatricem, tamen libidinem, de qua erube

ſcere uidemus etiam pudicitiam coniugalem? hæc ille.

B. Gregorius B. item Gregorius ad Feliccem Scicilię Epiſcopum ita ſcripſit: Nec eam quam aliquis ex propria conſanguinitate coniugem habuit, ducere ulli profectò Chriſtiano licuit aut licebit: quia inceſtuoſus eſt coitus, abominabilis Deo & cunctis bonis hominibus. Quid poterat grauius dici & clarius in deteſtationem talium nuptiarum, quas tamen Caietanus nec diuino iure, nec naturali uult eſſe illicitas? Poſſem hic adiungere etiam plurium conciliorum Canones, qui dum tales copulas prohibent, ea ſe ratione prohibere indicant, quia ſunt nefariæ, deteſtabiles, abominandæ, à quibus etiam Gentes quæ non nouerant Chriſtum, ipſa magiſtra natura abſtinebant. Nam ipſa natura ſic abhorret, ut etiam ſi qua fortè diſpenſatione ineantur (teſte B. Gregorio) frequenter ſoboles non ſucereſcat. Nos autem noſtris temporibus hinc uidimus in magnis regibus maxima exorta ſcandala & ſeceſſiones. Dominus Deus dignetur miſereri. Hanc autem quæſtionem longiore ſermone in Annotationibus pertractaui, & reſpondi ſingulis rationibus quas induxit & quibus perſuaſus eſt Caietanus, quibus errores erroribus cumulauit. Nunc placuit potius ueritatem confirmare, quàm aliorum errata proſequi, præſertim iam alibi ſatis & abundè confutata.

Quòd ratio naturalis non ferat diſparem in coniugibus cultum

Caietanus ſuper Ge. c. 51. NEC ILLVD abſque annotatione prætereundum cenſui, quòd idem Caietanus putauit inter diſpares cultu initum coniugium non eſſe naturali iure illicitum: quod tamen Scripturæ uehementer abominantur, nec aliam ob cauſam niſi quia naturalis ratio hoc monſtrat. Apoſtolus enim iſtud prohibens, etiam rationibus innititur

2. Cor. 6. naturalibus, ubi ait: Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? B. Ambroſius in ſuis epiſtolis, huiuſmodi coniugium ſic deteſtatur, ut illud multis & grauibus ſceleribus anteponat. Et B. Auguſtinus adducens glorioſi martyris Cypriani ſententiam dixit, iungere cum infidelibus uincula matrimonij, nihil aliud eſſe quàm proſtituere Gentibus membra Chriſti. Quamobrem rationabiliter ſic concludendum eſt: Cum religionis cauſa cæteris cunctis bonis anteponenda ſit, et ratio naturalis parilitatem in coniugibus depoſcat, parilitatem dico nobilitatis, ætatis, morũ, formæ, multò magis ipſius parilitatem religionis. Ipſa enim eſt matrimonij finis, ut ſoboles generetur Deo. Quòd ſi diſparitas cultus in coniugibus toleraretur, quantum impedimenti huic fini accerſeretur? Salomon ipſe regum omnium ſapientiſſimus, nónne per huius generis coniugia infatuatus eſt? Et quantum etiam detrimenti liberis inferri poſſet, qui malè confirmari poſſent in fide, uel fortè ab infideli parente ad infidelitatem pertrahi? Quamobrem ſuppoſita fide, non poteſt quouis modo ratio naturalis has nuptias non improbare, ac ſummopere deteſtari.

Quòd iure diuino & naturali & lege euangelica illicitum ſemper fuerit vno & eodem tempore plures ſimul habere vxores.

CAIETANVS in epiſtola ad Timotheum cap. 3. ubi legitur, Epiſcopum unius uxoris uirum, ita ſcripſit: Et hoc dixit B. Paulus eo tempore, quo multi plures uxores habebãt, ha- Caietani uerba. imitantes Patres ueteris teſtamenti, cũ nullibi habeamus hoc prohibitum. Idem aſſerit apud Math. cap. 19. & Marcum cap. 10. Et ſuper Geneſim cap. 16. ita ſcribit: Vide Priſcorum morem. Impotens uxor generare, ſubrogabat marito ancillam uice ſui. Perinde quoq; nihil indecentis habuiſſe tum pluralitatem uxorũ, ſed ſolitam & communi iure probatam. Non enim Sarai uiſa fuiſſet proponere uxorem, niſi communi more uidiſſet huiuſmodi bigamiam probatam. Nihil hic de diuina dicitur diſpẽſatione, nihil reprehenſibile inſinuatur. Et quia hoc primùm ſacra ſcriptura apud uiros iuſtos aperit, adnotabis prudens lector & quæ diximus, & conſequenter non eſſe contra ius naturæ pluralitatem uxorum. Hæc ille, contra quæ in Annotationibus noſtris latius ſcripſi, oſtendens primùm hoc dogma, uidelicet quòd iure diuino & lege euangelica ſit licita uxorum pluralitas, eſſe dogma ſpurcũ et inimicũ fidei noſtræ, ut Innocentius III. conteſtatur, et de ſcripturis ſanctis educit his Innocentius uerbis: Abſonũ hoc uidetur, et inimicũ fidei chriſtianæ, cap. Gaudeamus de diuor. cũ ab initio una coſta in unam fœminam conuerſa ſit, et Scriptura teſtetur: Propter hoc relinquet homo patrẽ & matrẽ, et adhærebit uxori ſuæ, et erũt duo in carne una. Non dixit tres, uel plures: ſed duo. Nec dixit: Adhærebit uxoribus, ſed uxori. Et infra: Nec ulli unquàm licuit inſimul plures habere uxores, niſi quibus fuit diuina reuelatione conceſſum, qui mos quandoq; fas eſſe cenſetur, per quam ſicut Iacob à mendacio, Iſraelitæ à furto, & Sampſon ab homicidio: ſic & Patriarchæ & alij uiri iuſti ab adulterio excuſantur. Sanè ueridica hæc ſententia probatur etiam teſtimonio Veritatis teſtantis in euangelio: Quicunq; dimiſerit uxorem ſuam & aliam duxerit, mœchatur. Si uerò uxore dimiſſa duci alia de iure non poteſt, fortius et ipſa retenta. Per quod euidenter apparet, pluralitatem in utroq; ſexu, cum non ad imparia iudicentur, reprobandam. Hæc ille in cap. Gaudeamus, de diuort.

Piget quæ respondet Caietanus memorare: satis in Annotationibus nostris sunt confutata. Hic solummodo, quia tædium est ad literam recitare sententias, admonebo lectorem parum exercitatum in euolutione librorum, omnes prorsus antiquos Patres & Doctores unanimi consensu contra hanc Mahumetanicam spurcitiam, quam nec tolerarunt ethnicorum principum leges, sensisse semper & docuisse. Vnde & Lamech primum huius facinoris exemplum omnes meritò uituperant. Et quia huius dogmatis sectator Nicolaus ille diaconus inuentus est, meritò etiam à catholicis reprobatus est.

Adduxi multos Patres, potuissem & plures adducere: sed non opus est cum catholicis. De doctrina. n. B. Thomæ certum est, qui clarè docet, nulli Christiano
B. Tho. in 4. unquàm licuisse plures simul habere uxores. Et præter rationes fortissimas quæ ad hoc dicendum impellunt, inde potissimum se accipere profitentur, ubi Dominus dixit: Erunt duo in carnem unam. Quanquàm B. Paulus idem satis apertè docet ubi ait: Bonum est homini
1. Cor. 7. mulierem non tangere. Propter fornicationem autem unusquisq; suam uxorem habeat, & unaquæq; suum uirum. Græcè legimus, τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα, hoc est, propriam uxorem, καὶ τὸν ἴδιον ἄνδρα, hoc est proprium uirum. Vbi ergo dicit numero singulari: Vnusquisq; habeat propriam uxorem, refellit plures: & multò magis quùm ait: Et unaquæq; proprium uirum. Non enim mulier dici potest habere proprium uirum qui sit ei cum altera communis, contra uerba Apostoli. Adieci & alias ex Apostolo sententias in Annotationibus, unde eandem conclusionem probaui: ad quas relego lectorem.

Nunc illud solum restat (quoniam Caietanus in exem-
Caietanus. plis ueterum innititur, quando hæc uxorũ pluralitas non uituperabatur) ut respondeamus non aliter quàm olim sacri doctores à scripturis sanctis eruditi responderunt hæreticis, qui istis mouebantur exemplis. Considerarunt enim ætatem mundi quasi unius hominis, cui, puero exi-
Mundi ætas quo pacto consideranda. stenti, multa licent quæ dedecent factum maiusculum. Considerarunt iterum mundi durationem tanquàm unum diem, qui completur noctis & diei siue lucis horis: ut tempore noctis multa concedantur, quæ si clara die admittantur, ut indecora & turpia reprehenduntur. Sed non fuit sic institutum à principio. Vnde B. Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Basilius, Chrysostomus, & reliqui omnes tam Græci quàm Latini in hanc sententiam uenerunt: Licuisse quidem olim spurca illa in ueteri testamento, dum adhuc puer erat populus Dei, & in nocte uersabatur. At luce euangelij coruscante, & confirmato testamento sanguine Vnige-
Notandum. niti, alia uita, alij mores exiguntur, aduersus quos ob inuidiam, per hos nouos magistros & satellites suos decertant spiritus immundi. Nec B. Pauli doctrinã agnoscunt miseri, ubi ait: Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus: Non in cubilibus & impudicitijs: Non in comessationibus & ebrietatibus: Non in contentione & æmulatione: Sed induite Dominum IESVM Christum, & carnis curam ne feceritis in desiderijs.

B. Hieronymus hanc rerum uicissitudinem uidens, zelo puritatis euangelicæ plenus aiebat: Primi hominis creatura nos docet plures nuptias refutare. Vnus Adam, & una Heua, imò una ex eo costa separatur in fœminam: rursumq; quod diuisum fuerat, nuptijs copulatur, dicente Scriptura: Erunt duo in carnem unam, non in duas, nec in tres. Propter quod relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ: Certè non uxoribus. Hæc ille: Imò non ille, sed per eius & aliorum concordissimas uoces Ecclesia uniuersa. B. Hieronymus cõtra Iouinianum & ad Geruntiam.

Quamobrem quisquis est amator ueritatis, & uerus Christianæ & catholicæ fidei zelator, toto corde atq; omni conatu debet has nouas ac peregrinas detestari opiniones nulla ratione suffultas, sed Christianæ puritati aduersas & Sanctorum spiritui ac doctrinæ, deniq; in Christi lege maximopere detestandas.

Quòd vota solennia castitatis reddant vouentes prorsus inhabiles ad matrimonium.

SPIRITUS illi immundi qui permissi sunt à Domino intrare in porcos, et illos præcipites dedere: illi, inquam, immundi spiritus uolentes multis modis conspurcare mũdissimum altare Domini, persuaserunt suis discipulis, qui seipsos fecerunt magistros or- Lutherani à
bis, uota solennia castitatis, quæ siue à monachis fiunt, spiritibus im-
siue à clericis in sacris ordinibus constitutis, inania esse, mundis agitati.
neq; à Christo probata, imò etiam impossibilia seruari. Quare liberum esse cuilibet siue monacho, siue clerico altari seruienti, ducere uxores & filios gignere, ac simul sacramentum cœleste conficere et tractare, et quæcunq; spiritualia ministrare: quanquàm nihil iam spirituale sibi reliquerunt infelicissimi mortalium.

Circa hæc autem tam absurda, quæ ob potentiam carnis nunc multis placere uideo, non pigebit pauca rescribere. Non hic tractabo de uotis monachorum, quæ Christo docente uouerunt Apostoli. Quanquàm Caietanus etiam in hoc contra totius Ecclesiæ & B. Thomæ doctrinam ausus est docere: contra quem satis scripsimus in Annotationibus nostris, & ipsum falsum ac perniciosum dogma, quod innumeris Patrum testimonijs, imò concordi totius Ecclesiæ uoce explosum est, in proprio libello de statu perfectioris iustitiæ in ostentum posuimus. Ergo solummodo de uoto clericorum, qui ad sacra tangenda ac ministranda consecrantur, breuem sermonem faciens, duo uel à proteruis obtinere conabor. Primum, hoc re- Intentio Autoris.
ctè à Pontificibus & Synodis constitutum, ut qui sacri altaris ministerio se dediderunt, castè absq; uxoribus perpetuò uiuere teneantur. Secundum, nec expedire

quauis prætensa causa siue ratione, mutare conuenientissimum statutum. Hoc enim non in ædificationem, sed in destructionem tenderet. Posthæc, quid agendum uideatur cum ijs qui arroganter se contra ecclesiasticos canones propria autoritate soluentes duxerunt uxores, clarius apparebit.

Circa primum igitur considerantes, duabus uijs occurremus aduersantibus. Primò, potestatem condendi canones in culmine pontificio sitam esse tuebimur, et Scripturæ testimonijs rationibusq; ualidissimis cõfirmabimus propter hos nouos hæresiarchas & Martinum, qui dixit non posse Pontifices absq; Dei uerbo expresso quicq; præcipere, nec unam syllabam (sic enim ipse loquitur) imponere cuiquàm suo mandato, aut præcepto uel lege aut canone, præter quæ Christus imposuit in euangelio. Quare inquiunt, cum non sit in Scriptura hoc præceptum clericis, arroganter hoc sibi tribuere Pontifices, illud uetare præcepto quod euangelium permittit. Non igitur ualere hoc præceptum in primis uolunt: quia hanc præcipiendi potestatem esse in Ecclesia inficiantur. Qua in re etiam Caietanus super euangelio uerbum scandali seminauit: Vbi enim Dominus dixit: Docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui uobis, ipse exponens, dixit: Mandaui ego, non mandabitis uos. Mea enim mandata necessaria sunt ad salutem: uestra autem esse possunt mortifera. Hæc ille, ubi satis innuere uidetur, mandata Apostolorum & successorum seruare, non esse necessarium ad salutem. Considera pie lector modum loquendi, quàm facile trahi potest ad confirmationem peruersi dogmatis. Nam & apud B. Lucam, ubi Dominus ait: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, sic annotauit: Vide quòd non subditos, sed fratres uult haberi reliquos à Petro. Vide quòd non officium dominandi, sed confirmandi in bono fidei, spei, & charitatis prænunciat ac mandat. Hæc ille, quæ si fortè queant aliqua pia ac benigna glossa ad uerum sensum redigi, erat tamen ab illo, his præsertim temporibus, catholicè explicandus, cum non ignoraret hæreses, quibus eiusmodi expositiones nimium fauebant. Mitto aliam eiusdem expositionem ad uerba Domini contra traditiones hominum loquentis: ubi nec assequitur sensum uerum, & de suo sensu aliquid elici potest non pium, sed quod eidem hæresi faueat. De quo satis in Annotationibus nostris.

Potestas cõdendi Canones in Ecclesia probatur.

Nunc igitur illud breuiter probandum est, Esse in Ecclesia potestatem præcipiendi & condendi Canones, ut præuaricantes pœna mortis æternæ teneantur. Est igitur in primis testimonium Christi, qui ut hoc doceret nos, dixit: QVI VOS audit, me audit: & qui uos spernit, me spernit. Spernit autem qui non audit: & uerè non audit qui non obedit. Est enim omnino decens ut uerba Domini plenam significationẽ contineant. Hoc autem est quod dixit Petro, ac deinde Apostolis omnibus: Quodcunq; ligaueritis super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunq; solueritis super terram, erit solutum & in cælis. Porrò quod isti noui magistri ad prædicationem euangelicam hoc referant & restringant, ipsorum commentum est, atq; adeò insipidum ut tædeat confutare. Illud prudenti lectori satis esse debet, quòd hæc expositio, si sensus literalis quæritur, propria illorum est, idest, hæreticorum. Nulli enim unquàm catholicorum in mentem uenit, nisi forte anagogicè. Refelluntur ergo ipsa ui uerborum Christi. Nam ligare aliquem, quid est, obsecro, nisi obligare illũ præcepto, aut uincire uinculo aliquo? Vtrumq; enim illis uerbis significatur, sicut omnes Sancti & doctores catholici semper interpretati sunt: & (quod est firmissimum & irrefragabile huius ueritatis argumentum) hæc interpretatio, antiqua, assidua, & nunquàm interrupta consuetudine firmata est. Ab initio enim nascentis Ecclesiæ cœperunt condi Canones ab Apostolis ipsis: quod si potestatem non habuissent, profectò non fecissent: & posteriores Pontifices hoc semper seruauerunt, utroq; modo ligantes. Consuetudo uerò est optima legum interpres.

B. Paulus se hanc potestatem in ædificationem habuisse confessus est, & facto ipso ostendit, ut latè patet in utraq; epistola ad Corinthios. Est etiam eiusdem commonitio, ut qui sub Præpositorum cura sunt & custodia, eis promptè & reuerenter obediant. Et stolidum est cogitare in Prælatis curæ debitum & officium absq; potestate præcipiendi. Quamobrem indignum esse puto circa hanc materiam ulterius extendere disputationem, cum uel ipsi qui contra potestatem disputant, coacti sint uelint nolint, in sua ecclesia admittere potestatem, ne sui confusione se destruant. Sic & inter ipsos latrones non usquequaq; perit iustitia.

Potestas Ecclesiæ ad ædificationem.

Sunt ergo qui hanc quidem potestatem in Ecclesia non negabunt, inficiabuntur autem esse illam absolutam, sed moderatam, ut sit secundum euangelium in ædificationem, & non in destructionem. Hactenus uerum est quod aiunt. Non enim est potestas contra euangelium. Et quodcunq; non est secundum euangelium, faciens in ædificationem, non potest præcipi. Fateor. Sed quis huius rei iudex & prudens ac legitimus discretor? Idcircò tutum est in omni dubio non iudicare de lege: quoniam (ut seculares principes testati sunt) instar est sacrilegij disputare de facto Principis, aut eius lege. Quantò hoc uerius de facto et Canone Pontificis? Non hæc uerò à me dicta quisquàm sic interpretetur, quasi uelim quæcunq; ab ijs manarunt absolutè defendere, sed potius ut linguas deterream quorũdam arrogantiũ, nec uerentium ponere in cælũ os suum, dum faciunt se iudices legum et Canonũ. Sed iam illos in re proposita audiamus.

Aiunt: Canones qui hæc uota exposcunt non sunt ualidi. Cur, quæso? Si dicant: quia non est potestas in Ecclesia quæ à uolentibus seruire sacrificio, illa uota exigere possit, afferant rationem. Si enim negant absolutè in Ecclesia potestatem, eos protinus non audio. Iam superius probatum est satis hanc adesse potestatem, ad ædificationem tamen. Oportet igitur eos negare ædificationem, et asserere destructionem per hæc uotorũ uincula,

ut probent non esse ualidos canones. Huc tandem redeunt omnia. Negant ergo ædificationem, primùm quia hæc uota eiusmodi sunt ut ea seruare sit impossibile, ac propterea necesse sit uiolare. O frontem meretriciam et blasphemiam insignem. Quia ipsi manifestè hæc sanctissima uota uiolarunt, & in ea libidinis cœno uolutari uolunt, ideò nunc effœminati homines ut rem impossibilem prætendunt. Quando uerò de possibilitate exempla multorum conuincuntur, ipsi hoc tribuunt speciali Dei dono, quod paucorum esse affirmant: & eo se dono carere non erubescunt fateri, ut facilè se proprio testimonio prodant, quales scilicet erant quando uel in monasterijs professionē mentiebantur, uel altari seruiebant absq; hoc dono. Et hi sunt hypocritæ, qui etiam audent frontem attollere, & qui moliuntur alios seducere: sed acrè non nisi qui decipi uolunt.

Vana excusatio hæreticorū

NOTÁ.

Vnum fateor adesse illis aduersus nos iaculū, Quòd multi sunt Clerici, & (prò dolor & pudor) ex Prælatis Ecclesiæ nonnulli, quos uidere licet etiam in summis ordinibus minimè continentes, & apertè in conspectu solis, quod uniuersus mundus uidet, uel cum scortis ludere, uel concubinas habere & inde filios, uel aliena coniugia & consortia per adulterium uiolare, uel stupra & sacrilegia cum Virginibus et Deo dicatis committere, & fortè alia quæ turpitudine sua exprimi non debent. En, inquiunt hæretici, An non longè fuisset melius, hosce legitimas potuisse contrahere nuptias, quàm his pollui tam infandis flagitijs, lapidibus & flamma exterminandis? Eò enim iam res deducta est, ut non sicut olim, quos habebant filios fingebant nepotes, si non castè, cautè tamen agentes. Nam hodie sicut Sodoma peccatum suum prædicant, & libero nomine filios appellant, peccatum suum assiduè coràm habentes, & nedum non erubescentes, sed potius ridentes. Quid hic responderi potest? Num negare factum, quod est conspicuum omni populo? Num excusare flagitia, quæ leges omnes iam damnant & detestantur, & ex parte ipsa rerum natura exhorret & abominatur? Verè negare non possumus quod palàm fit & ubiq; iam putet: & quæ sunt insignia scelera defendere non uolemus. Væ his qui dicunt malum bonum, & ponunt tenebras lucem. Sed cum his omnibus Canones defendimus ut sanctos & euangelio consentaneos. Quis enim nisi uel imperitissimus uel calūniator pessimus, unquàm legem proptereà reprehendit, quia reperiantur legis præuaricatores? Alioqui suffera tur totum euangelium, & lex ipsa charitatis quam in Baptismo quisq; profitetur, cum paucissimos numerare possimus qui eam custodiant. Inanis est hæc obiectio. Non enim boni legislatores eò deterrentur condere leges iustas, quòd multi futuri sint transgressores. Id quidem posse contingere longè præuideant, et ob eam causam prouidentes, aduersus flagitiosos supplicia statuunt.

Verùm huc tandem redeunt ut asserant legem hanc seruari nō posse: quod tamen non alio argumento probāt quàm quòd multi nō seruent. Nos autem econuerso efficaciter probare possumus, eam omninò seruari posse: quia multi re uera illibatè seruant, quantumuis isti impudentissimè negent, qui alios à regula quam à sua intemperantia accipiunt, iniquissimè iudicant. Sed (ut paulò ante diximus) quidam eorum respondent: Hi qui seruant, dono Dei seruant. Et nos quoq; Dei donum esse fatemur. Verùm simul addimus concurrere uoluntatem nostram, quæ Dei donum potest spernere; cum sit eius conditionis ut possit in defectum & peccatum labi, nondum scilicet perfectè in hoc statu firmentata. Illi ergo quos nobis obijciunt per infanda illa quæ memorauimus scelera Canonum transgressores, potuissent donum illud Dei accipere si uoluissent & se legitimè præparassent quàm ordinabātur. Potuissent et acceptum conseruare, quoniam Deus adest inuocantibus se, & in ipsis sacramentis gratiam & dona suscepto ordini conuenientia largitur, quæ proculdubiò potest custodire qui consecratur si uolit. Alias ad quid ea offerret, et ad quid largiretur Deus optimus maximus, si uel haberi non possent, uel habita non possent custodiri?

Adhæc, ut securim ad radicem ponamus, & rationem Canonum optimam fuisse comprobemus, quæro ab eis, Quid sanctius statuitis, uitam ducere cœlibem, an coniugalem? Si coniugalem dicant: palàm immundo spiritu agitantur. Nec est æquum ut de re iam olim damnata & per se conspicua ulterius disceptemus, remq; iam iterum atq; iterum actam agamus. Si dicant, Cœlibem uitam sanctiorem: tunc rogamus, Quid mysterij in terris est datum, aut etiam dari potest sanctius, quàm sit hoc sacrosanctum sacrificium & sacramentum? Certè nihil potest excogitari. Nam præ illo nec Angeli Dei inueniuntur casti & mundi. Vter ergo illud tam sanctum, tam mundum, conuenientius conficiet, tractabit & ministrabit, isne qui uitam agat coniugalem, an qui castam & cœlibem? O' uos prorsus miseros & excæcatos. An non sentitis teneri uos medios? Quæ enim conuentio, quæ societas mundi cum immundo? An non legistis, qui de scientia Scripturarum gloriamini, in priore testamento (quod tamen uituperabatur proptereà quòd non erat uerum sanctum, sed exemplum ueri) etiam accedentibus ad illud altare mandatam fuisse ad tempus castimoniam? Nunc in uerè Sancto, imò et uerè Sancto Sanctorum, & iugi ac æterno sacrificio & sacramento, indignamini mulierosi homines & contenditis quia perpetua castitas demandatur? Quid hoc est nisi patrocinari pro immunditia & nefaria coniunctione mundi cum immundo? O' miram cœcitatem & arrogantiam.

Canones de cœlibatu sacerdotum vt sancti defendātur.

Verùm non desinunt obiectare nobis sacrilegia, adulteria, stupra, et alia quæ iam diximus haud iterum memoranda flagitia, & eorum comparatione suas incestuosas nuptias iustificare. Sed scelus scelere non iustificatur, ò improbi. Et tamen uestrum scelus eò detestabilius est quàm nostrorum quorūdam, quòd nostri & si huiusmodi sordibus inuoluantur, non asserunt tamen dogma falsum ac peruersum, prædicantes se rectè facere: uos autem contrà & libidinose uiuitis, & san

ctissimam cœlibatus legem improbatis. Facitis enim nos uestra autoritate iudices legum omnium & Canonum. Nónne istud est propriè Satanæ crimen inexpiabile, cum sis mera in Spiritum blasphemia?

Hic tamen non omittam, quòd etiam aduersarij autoritate aliqua se moueri callidè ostentant. Adducunt Paphnutium quendam in Nicena Synodo, qui dum ibi ageretur de probibendo sacerdotibus usu uxorũ quas ante sacerdotium duxerunt, persuasit ne id fieret. Hunc unum Paphnutium quasi Angelum de cœlo missum producunt & obiectant nobis, tametsi extra propositum ille loquatur. Nam durius est eos ab uxoribus arceri qui iam habent & cum illis consueuerunt, quàm ne accipiant probibere. Etenim ille Paphnutius absq; uxore erat, ut fertur. Sed quicquid dixerit ille Paphnutius, Nunquid ipse potens est eleuare autoritatem tot Pontificum & Conciliorum, quæ clericis & maioribus ordinibus consecratis interdixere coniugiu? Sed aiunt: In primitiua Ecclesia aliud seruabatur. Ducebant enim (aiũt) uxores etiam sacerdotes & Episcopi. Hoc isti aiunt: sed mentiuntur in caput suum, cum nec hic sit mos Græcorum, nec unquàm factum possint probare, tanquàm à lege permissum. Hoc autem non negamus, ante promulgatum euangelium in paucitate Christianorum qui à Gentilitate ueniebant, nõ facilè inueniri cœlibes, qui possent sacerdotij muneribus fungi: ideò oportebat uxores habentes ordinare. Sed in eo primo feruore Spiritus, quis sanus dubitare potest sanctos illos exemplo Apostolorum sa ab opera nuptiarum continuisse? At res paulatim labascens defluxit in licentiam, ut pleriq; non continerent: cuius rei gratia, quia indecorum maximè uidebatur (ut certè erat) tentatum fuit in illa Nicena Synodo ut certo Canone cohiberentur. Hoc illi Paphnutio tunc non placuit, non qui contra cœlibatum sentiret, cum ipse cœlebs esset: neq; quia non uideret indecorum esse maximum hæc duo officia simul coniungere, uidelicet ministerium altaris, et opera nuptiarum; sed ad duritiam cordis, perpendens quàm difficile esset assuetis illi operæ coniugali ab ea retrahi, non probauit remedium prohibitionis quæ maiorem ardorem & repugnantiam concitasset, sicut uerè dici solet: Nitimur in uetitum semper, cupimusq; negata. Et hæc diceremus si uera essent quæ de Paphnutio in historia Tripartita leguntur, nec fuerint (quod minime nouũ est) ab aliquo Græculo ibi adiuncta.

Verùm nec his autoritatibus contenti, non uerentur Pium Pontificem Senensem producere, cuius inter alias quæ memorantur uiri prudentis sententias, ista legitur: Sacerdotibus magna ratione sublatas nuptias, maiori restituendas uideri. Hæc ille si uerè recitat Platina. Potuit enim fortasse illud aliquando uisum ei fuisse conducibilius, quùm nondum erat Pius Papa, sed Aeneas. Nam si hoc satius uidebatur, cur cum esset Pontifex non fecit, aut cur non tentauit facere? Illud autem etiam notandum erat, quàm modestè loquutus sit, non quidem asserens, sed ita uideri inquiens. Et (quod istos arrogantes uerberat) dixit restituendas. Non enim hanc effrænem licentiam potuit probare, ut quis propria autoritate se soluat à uinculo quo Deo & Ecclesiæ tenetur.

Cum igitur optimis rationibus ob decentiam status in lege purissima euangelij, fuerint summi Pontifices ad statuendum hæc solennia uota permoti, ut corpus Domini nostri IESV Christi minus indignè tractetur ac ministretur, iam expedita redditur secunda quæ proponebatur quæstio, uidelicet: An sit pontificiæ potestatis hos canones omninò destruere, & promiscuè uxores permittere ijs qui peculiariter domestici & filij Dei nominantur, & ad altare mundissimum disponuntur & ordinantur. Ego enim, ut alibi scripsi, citra hæsitationem ullam credo non posse: quoniam macularetur tota species Ecclesiæ, & confunderetur prophanum cum sacro. Resolutio secundæ quæstionis.

Deniq; debent meminisse Pontifices, habere se quidem plenitudinem potestatis: At quæ perdat Ecclesiæ ueritatem ac decorem, potestatem non esse, nec esse illam quæ à Domino data est in ædificationem, non in destructionem. Nec puto, etiam si hoc fortè cuperent aliqui Pontifices nimium carnis amantes, Deum hanc licentiam permissurum, qui posuit terminos aquis ne transgrediantur fines suos. Si enim sacerdotibus liceret habere uxores, et cum illis exercere opera carnis, quanta (bone Deus) esset irreuerentia, quantum dignitati detraheretur, quot incommoda, quæ ad spiritum extinguendum & ad polluendum tam tremendum mysterium penitus facerent? Longum profectò uolumen texerem si cuncta persequi uelim et enarrare. Possum itaq; uerè concludere: Magnis quidem rationibus subtractas esse nuptias sacerdotibus, nõ nisi pessimis autem posse restitui. Sed non poterit hoc malignus & impurus Dæmon obtinere: & ut spero, uerecundabuntur etiam qui corde forsitan concupiscunt ea apertè probare, propter quæ uenit ira Dei & eius in nos iustissima ultio: quemadmodum tempore diluuij magni nouimus accidisse. Filij enim Dei, idest, sacerdotes, accipiebant sibi filias hominum in uxores. Et tunc uidit Deus quòd iam corrupta erat omnis caro coram illo, & pœnituit fecisse hominem. Qui legit intelligat, & nolit cum Deo contendere: quoniam non est quisquam illo fortior.

SI quis ergo rogaret, quid agendum cum his qui spretis Canonibus miscuerunt se cum fœminis? Dico si sententiam ueritatis audire uelint, & seriò reuerti ad Deum, & cum Christi Ecclesia conciliari: Primùm debent confiteri se sacrilegium commisisse, nec illud excusari ignorantia. Non enim licebat eis ignorare quæ publicè ab Ecclesia tradebantur. Quòd si uelint uniuersalem dispensationem obtinere, ut possint manere licitè cum uxoribus, equidem ipse non darem. Non est hic sermo de Monachis, qui casus nullam habet dubitationem: quoniam castitas annexa est essentialiter monachatui, & quod semel per uotum Deo consecratum est, illud efficitur perpetuum, nec est humana potentia quæ ualeat ad tollendum uotum quod acceptauit Deus. De qua re latius in Annotationibus disserui.

De clericis ergo qui & ipsi iam solenni uoto se ca-

stitati astrinxerunt, uniuersaliter non dispensarem. Iam enim re vera non esset dispensatio, sed relaxatio & reuacatio legis præbens exemplum alijs delinquendi, ac similiter dispensationem extorquendi. B. Thomas non negauit in singularibus personis Papam posse dispensare: quamuis trepidans dixit videri posse, sed hoc ex magna causa. Hi verò quam, obsecro, magnam causam valeant prætendere, nisi transgressionem? Illud autem, quòd vnà & sacerdotij munus exercere valeant, et operam coniugalem, nemo certè vir bonus & Christianus & spiritum Christi habens concederet. At magnæ sunt vires carnis in multis, magna audacia, temeritas, impudẽtia.

Sed verbum Domini moltò est fortius, & manet in æternum.

An propter crimen adulterii alter coniunx ita liberetur à vinculo vt posſit nouas nuptias contrahere.

CIRCA Antiquam illam quæstionem, Vtrum ob crimen adulterij alter coniũx ita liberetur à vinculo vt possit nouas nuptias contrahere, plurimi constanter liberari negãt, arbitranturq; se habere manifestas pro hac parte Scripturas. Contra verò sunt qui dicant, nisi violentia Christi verbis afferatur, inde oppositum educi. Quantum autem ad me attinet, protestor hanc quæstionem non esse ita facilem vt nonnulli qui ad pauca respiciunt, existimant: quod euidenter in ipso disputationis progressu

Propositum autoris.

patebit. Primùm igitur quid de Scripturis re vera accipiatur, disceptabimus: quo in loco tractatorum opiniones adducentur. Tum quæ sint, aut fuerint circa hoc Canonum præcepta. Deniq; si quid fortè consultius esset prouidendum in casu tam miserando. Ferat me patienter, quæso, veritatis amator disputantem vsq; in finem. Suscipiam primùm partes eorum qui in viro, etiam qua ad vinculum, dicunt matrimonium ita dirimi, vt possit aliam ducere.

Autoritas Christi pro parte affirmatiua.

Stat sententia Domini apud B. Matthæum his verbis: Quicumq; dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Hæc vna oratio, nisi vim literæ afferamus, profectò duarum orationum vim habet. Vna est affirmatiua, continens huiusmodi regulam: Si quis vxorem suam absq; causa fornicationis dimiserit, & aliam duxerit, mœchatur. Altera est negatiua, quæ continet exceptionem à regula propter particulam illam NISI, & est: Si quis vxorem suam ob fornicationem dimiserit, & aliam duxerit, non mœchatur. Si igitur sic intelligitur hæc Domini sententia vt verba ipsa quàm manifestissimè videntur porrigere, iam est decisa quæstio. Restat solùm respondere obiectis. Sit ergo interim disputationis gratia, conclusio & positio nostra hæc: Licere viro propter adulterium vxoris dimittere illam, & aliam ducere. Argumententur ergo contrà, qui alteri opinioni adhærescunt.

Conclusio.

Responsio ad argumenta contra conclusionẽ

Adducunt primùm illud ex B. Marca, quod ait Dominus: *Quicumq; dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, committit adulterium super eam.* Deinde ex B. Luca, vbi ait: Omnis qui dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur. Ecce ergo, inquiunt, Dominus absq; vlla exceptione apud hos duos Euangelistas, adulterium esse asserit si vir dimissa vxore duxerit aliam. Sed facilè ad hoc respondetur. Nam B. Marcus & Lucas quod erat regulare tradiderunt absq; præiudicio iam datæ exceptionis apud Matthæum. Non enim est nouum, aliud euangelium per aliud declarari: & in alio poni regulam, in alio tradi exceptionem. Ecce legitur apud eũdem B. Matthæum, Centurionem accessisse ad IESVM. B. Lucas autem hoc declarans, dixit quòd Centurio non ausus erat venire ad eum, sed miserat ad eos seniores Iudæorum: & sic per eas dicitur accessisse. Similiter & B. Marcus dicit Iacobum & Ioannem filios Zebedæi accessisse ad IESVM orantes &c. Matthæus verò illud declarans, accessisse matrem illorum exprimit, ut sic illi videantur accessisse per eam. Plurima sunt eiusmodi in euangelijs, vnde necesse est confiteri, alium Enangelistam per alium declarari atq; exponi. Qua fit vt in re proposita planè & absq; offensione currat, si dicamus apud Lucam & Marcum recitari regulam, apud Matthæum verò additam esse exceptionem: quod etiam apud Marcum, si subtiliter inspiciatur, declaratur. Ipse enim vt ostenderet se loqui extra casum adulterij, dicit quòd si quis dimiserit vxorem suam & aliam duxerit, mœchatur super eam, hocest, in illam, siue in eius iniuriam. Quòd si factum esset ex causa adulterij, non sanè diceretur in illam, idest, in eius iniuriam factum: quandoquidem prius ipsa mœcha fuisset, & amisisset ius suum super viri corpus. Nec videtur obstare B. Augustini annotatio disputantis atq; volentis per ea vniuersalia signa, QVICVNQVE, & , OMNIS, quibus & B. Marcus vtitur & Lucas, includi omnem causam, etiam fornicationis: quod re vera minimè cogit. Per illa enim signa vniuersalia, QVICVNQVE & OMNIS, omnis homo includitur: omnem autem causam includi non est necesse. Vnde & Dominus excipiens causam adulterij, vsus est illa voce, QVICVNQVE, dum ait: Dico vobis, Quicunq; dimiserit vxorem suam, nisi ex causa fornicationis &c. Quamobrem ipsemet B. Augustinus in secundo libro retractationum, non perfectè se rem explicasse ingenuè fatetur.

Aug. in lib. de adult. coniug.

Instant verò quidam addentes, non esse verisimile illos Enangelistas non tradidisse integram et absolutam hac de re doctrinam, sed ita vt oporteret ab alio Euangelista suppleri. Quid enim si B. Matthæi euangelium non peruenisset ad manus quorũdam, sed illud tantùm B. Marci & Lucæ? Respondemus haberi multa alia præ

cepta Domini apud B. Matthæum quæ apud alios non habentur. Quid faciat ergo ille, ad cuius manus B. Matthæi euangelium non peruenit? Verè ineptum argumentum: perinde ac si quis iuris scientiam velit profiteri, et excusare inscitiam aut errorem, quia vnum aut alterum tantum Digestorum volumen habuerit, vt nõ valeat quæ in altero habentur diuinare.

Sunt ergo qui elaboratius in hunc modum argumentantur: Apud B. Matthæum & Marcum legimus accessisse Pharisæos ad Dominum tentantes illum, & rogantes, An liceret homini dimittere vxorem ex omni causa. Erat autem tentatio ad hunc finem, vt ex eius ore acciperent aliquid quod videretur contra legem Moseos, vt accusarent eum. Respondit ergo eis Dominus: Non legistis, Qui fecit ab initio, masculum & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in vnam carnem, ita ut iam non sint duo, sed vna caro? Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Ecce (inquiunt) ratio inseparabilitatis coniugum, nexus à Deo conciliatus, & interdictum Dei simplex & absolutum, nimirum ne homo separet quod ipse Deus coniunxit: quæ ratio in omni casu valere debet. Antequàm verò huic obiectioni respondeam, oportet primùm diligenter eius loci intelligentiam venari. Pharisæi enim illi, quia fortè Dominus aliquem sermonem contra diuortia habuerat, cupientes eum suis interrogationibus eò perducere, vt aliquid contra Mosen proferret, rogauerunt eum, liceret'ne ex omni causa facere diuortium. Dominus autem volens ex ipsis Moseos scripturis & prophetica eius enarratione sapienter eorum argutias amputare, præmisit coniunctionem illam maris & fœminæ quam Dominus expressit illis verbis, Erunt duo in carnem vnam, factam esse à Domino, & opus Domini esse, contra quod non valet vlla hominis potestas: ut per hoc intelligerent quòd Moses qui amplam illam dedit repudij facultatem, cum esset homo non poterat diuini edicti seu interdicti vim ac robur tollere: quia non est potestas hominis contra ordinationem Dei. Vnde nec Papa id potest. Quoniam verò ex hoc, quòd Deus ita statuisse dicitur, & Moses rem oppositam decreuisset, satis videbatur innui fecisse Mosen quod facere nequaquàm poterat, ex quo manifestè videbatur argui maximæ temeritatis & impietatis: idcirco ne hoc Pharisæi ex verbis Domini acciperent, diligenter ipse Dominus cauit, mysteriumq; declarauit. Considerare enim oportet, Mosen non ita scripsisse, vt repudium ex se licitum esse inde possit accipi. Solùmodo volentibus vxorem repudiare, legitimam formam mandauit, vt voluntatem suam libello exprimerent, qui vocabatur libellus repudij, sicut habetur Deut. 24. Non ergo propterea de illicito fecit licitum, quia homo non poterat diuino se opponere interdicto. Sed quoniam Moses iubendo libellum repudij, tacitè videri poterat probare repudium, non prohibendo ac puniendo vt illicitum, sed permittendo, idcirco Dominus illis obiectantibus: Quid ergo Moses mandauit dare libellum repudij, & dimittere? in hunc modum sapienter respondit: Quoniam Moses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras. Ab initio autem non sic &c. Vide, quæso, quàm doctè respondet. Non enim mandauit Moses dimittere, sed permisit, postquàm volebant: idq; ob cordis eorum duritiam. Non igitur fuit destructio legis, sed solùm non exactio diuinæ legis propter crassitudinem mentis eorum, & duritiam cordis, & benignitatem legislatoris, qua fit quandoq; illud quibusdam licitum, quod non est ex se & absolutè honestum, ita vt facientes non puniantur. Quamobrem & lex Dei salua manebat cum illa permissione: & ipsa permissio facta ob eam rationem, vtpotè per Angelos ordinata, non erat pro illo tempore, consideratis personis, reprehendenda.

Ad solutionem ergo argumenti respondemus, verissimum esse, non posse ab homine separari quod à Deo coniunctum est: sed ipse qui coniunxit potest etiam separationem permittere. Quòd ergo se vir ab adultera separet, à Christi sententia habet, qui est legislator, non ab vlla hominis autoritate. Et cum ab ea separatus sit, quid (rogo) prohibet quominus aliam ducere possit?

Hæc pro defensione susceptæ positionis dicuntur. Quod vt etiam validius persuadeamus, Negari nõ potest ab aduersarijs licitũ esse dimissionẽ vxoris ex causa adulterij, per quam tamen dimissionem illud proculdubiò fit, ne sint duo in carnem vnam, & tollatur ex parte viri obligatio adhærendi vxori suæ, ita vt soluatur vinculum matrimonij saltem ex parte viri. & hoc autoritate Dei. Quid ergo mirum si eadem autoritate concedatur, aut potius concessum expresè substineatur, posse nouum viri coniugium, cum adultera ius suum suo crimine perdiderit? NOTA. Consideret acutus lector vim irrefragabilis argumenti. Nec mihi respondeat quis, hoc prohiberi propter sacramentum & significationem. Hæc est quippe alia ratio, cui suo loco respondebimus. Interim satis est nobis summonisse argumentum formatum ex horum ui uerborum: Adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unam. Patet enim ex causa adulterij sublatam esse illam obligationem hærendi uxori, cum ipsa carnem illam unam disciderit, & fecerit ad unum carnem non esse duos, sed plures: unde & meritò ius suum perdidit, et re uera significationem sacramenti destruxit.

Adijciunt autem contra hanc positionem testimonium Apostoli dicentis, Mulierem alligatam esse legi uiri, donec uir uiuit. Rom. 7. Ex quo loco hoc pacto argumentantur: 1. Cor. 7. Si donec uiuit uir alligata est: Ergo casus adulterij, uidelicet si uir adulterium commiserit, non liberat eam à uiro, seu à lege uiri. Igitur nec econtrario liberatur uir à iure mulieris, si illa fuerit adultera. Ad quod potest similiter responderi: quoniam ab Apostolo ponitur regula, nec præiudicat exceptioni iam positæ à Christo. Alioqui manifestè falsum redderetur quod dicitur, mulierem etiam in casu adulterij esse alligatam legi uiri, cum possit eum dimittere, & debitum carnis illi adultero denegare, secundum communem Doctorum sententiam.

Tametsi etiam dici posset, B. Paulum ad Rom. secundum legem antiquam esse loquutum, secundum quam mulieri non concedebatur repudiare uirum ex quauis causa. Ideò uera erat illa regula absolutè in muliere, quòd esset alligata uiro donec superstes esset uir. Vt autem sic intelligeremus, interposuit illam parenthesin (Scientibus legem loquor) quod de lege Moseos ipsum intellexisse non dubium est, cum obseruatum sit ubi mentionem simpliciter facit de lege, de illa Moseos eum loqui. Et licet ita sit, in epistola tamen ad Corinth. de Christi lege uerè loquitur, & idem dicit. Quamobrem tutior est prima solutio, nisi in eam sententiam ueniamus, quam B. Ambrosius non temerè explicauit, uolens esse disparem conditionem fœminæ ad conditionem uiri comparatam, ut uiro quidem liceat propter uxoris adulterium repudium dare, & aliam ducere: non sic autem econuerso mulieri per adulterium uiri. De qua re mox disseremus.

B. Ambrosius

Instant ergo aliqui, & uolunt hunc casum esse ab Apostolo solutum, his uerbis: His autem, inquit, qui matrimonio iuncti sunt præcipio non ego, sed Dominus, Mulierem à uiro non discedere. Quòd si discesserit, manere innuptam. Et uir uxorem non dimittat. Ego uerò quo pacto ex ijs uerbis contra positionem colligant, non uideo. Potius enim ad eam confirmandam seruire nobis uidentur. Tria enim præcepta Domini pronunciat Apostolus. Primum, Mulierem non discedere à uiro: Secundum, si discesserit, manere innuptam: Tertium, Virum ipsum non dimittere uxorem, ubi nullam facit adulterij exceptionem. De primo igitur quæro, quùm præcipit mulierē non discedere à uiro, intelligūt ne hoc absolutè, etiam ex causa fornicationis? Si id fatentur, contra seipsos concludunt, qui uolunt ex Domini sententia licere etiam mulieri propter causam adulterij dimittere uirum, seu discedere à uiro. Si autem uolunt primum hoc præceptum non habere locum in causa fornicationis, ut hæc causa tacitè propter uerbum Domini excipiatur, iam nihil aduersum positionem nostram concludunt. Nam hoc in tertio præcepto suppleri oportet, ubi B. Paulus ait: Vir uxorem non dimittat, uidelicet nisi fornicata fuerit. De secundo igitur præcepto, quo ait: Quòd si discesserit, manere innuptam, quærendum est. Neq; enim possunt aliter contra positionem argumentari, nisi amplificando dictum hoc ad omnem casum, etiam si ob fornicationem uiri facta esset discessio. At qua ratione conuincent ut illis istud concedamus, ut sic repentè casum mutent? Nam quod uetat mulierem dimittere uirū, intelligunt extra causam adulterij. Et similiter quod addit: Et uir uxorem non dimittat, extra casum hunc uolunt esse intelligendum. Quod igitur ait: Si dimiserit, manere innuptam, cur non similiter intelligunt extra causam adulterij? Fortè dicent, Cogimur hic necessariò: quoniam non ob aliam causam licitè potest mulier à uiro discedere. Imò uerò sunt & aliæ causæ recessionis iustæ, ut si cum eo habitare nō queat absq; uitæ periculo, aut absq; contumelia Creatoris: in quibus casibus non licet alteri nubere. Præterea quid prohibet admoneri etiam iniustè recedentem à uiro, ut postquàm in uno offendit quod non admodum graue est, uidelicet recedere à uiro, saltem caueat ne alteri nubat, cum hoc longè esset grauius? Porrò non esse nouum, ut facienti quod non licet prohibeatur id quod minus licet et scelus esset, probatur exemplo Alexandri III. ut habetur in cap. 1. de Coniugio leprosorum, ubi Pontifex, postquàm præcepit non separari coniugem à leproso coniuge, adiecit similiter: Quòd si hoc obtineri non possit, saltem ad alia uota nullus transeat &c. Videsne præcipi rem non licitè facienti, ne quod est scelestius faciat? Et hæc diceremus si Canonum, & communem Doctorum sententiam sequuti fateremur parem esse mulieris & uiri conditionem in hac materia coniugali.

Verùm sunt aliqui inter quos B. Ambrosius & qui illum sectati sunt, ut est Caietanus, qui dixerunt, mulieri quidem iuxta Scripturas non licere discedere & alij nubere, etiam ex causa fornicationis: uiro autem contrà licere utrunq;. Hoc de uiro accipiunt ex B. Matthæo: Illud de muliere ex euangelio B. Marci & ex B. Paulo. Etenim non fuisse olim æquam mulieris & uiri conditionem satis patet ex antiquis legibus. Viro enim permittebatur dare libellum repudij, non mulieri. Item si maritus cum soluta fornicetur, non punitur ut adulter, sed solùm si alienæ uxori se commiscuerit: contra uerò, cum quouis mulier præter uirum proprium rem habeat, criminosa est. Præterea duas habere uxores licitum fuit aliquando: mulieri autem uiros duos nunquàm. Nemo item dubitat, mulieris adulterium grauioris esse ponderis crimen quàm uiri. Facit hoc prolis incertitudo, quæ non oritur ex maris alieno concubitu, sed fœminæ. Vnde maximè aduersatur illi bono matrimonij quod est proles. Quo fit ut simpliciter magis peccet mulier adultera, quàm uir adulter, ut rectè docet B. Thomas. Nec ita licet mulieri de adulterio accusare maritum, iuxta ciuiles leges cap. de adulterio & stupro, sicut econuersò licet uiro accusare uxorem. Quòd autem magis obnoxia sit mulier uiro quàm econuersò, signum habes in Decalogo, ubi de uiro solo legitur: Non concupisces uxorem proximi tui & non dicitur econuersò mulieri: Non concupisces alterius maritum. Id uerò quamobrem, nisi quia iam ex se poterat esse manifestum? imò ex eo educi, quòd si illud prohibitum sit uiro, multò magis mulieri, cui specialiter ab initio dictum fuit: Et ad uirum appetitus sine desiderium tuum. Quocirca non erat adeò improbabilis opinio D. Ambrosij, qui putauit licere marito in re proposita quod uxori non liceat. Fatetur & B. Thomas, quantum ad separationem thori attinet, iustiorem causam habere uirum contra mulierem adulteram, quàm habeat mulier contra uirum adulterum.

At non desunt qui negent B. Ambrosium unquàm illud scripsisse, quin potius ab hæreticis additum fuisse in eius commentarijs, cum alibi diuersum doceat. Dicunt hoc quidem, sed neutrum probant. Quare Caietanus eo in loco B. Ambrosium sequitur. Nec enim fuit unquàm hæc opinio pro hæresi damnata, quod sciam, ut

possit

possit credi ab hæreticis fuisse supposita in illius S. Doctoris commentarijs, quo testimonio se defenderent. Hactenus igitur in nullis Scripturis probatum habemus, virum ex causa fornicationis non posse alium ducere absq; crimine mœchiæ.

Sunt igitur qui adhuc contra positam conclusionem ratione argumentantur: quoniam si conceditur ut uir possit alium ducere, sacramenti significatio violatur. Significat enim coniugium illam coniunctionem quæ est inter CHRISTVM *& Ecclesiam. Sicut ergo coniunctio hæc quæ significatur insolubilis est, ita illa quæ significat insolubilis esse debet. Quo in loco dari mihi velim lectorem non penitus crassi ingenij, patientem tamen et attentum, vt cognoscat quæ sit huius rationis efficacia. Primò enim, quomodo dicunt indissolubile matrimonium, cum morte soluatur, id quod non est in coniunctione* CHRISTI *et Ecclesiæ? Respondebunt, hoc quidem esse per accidens, sed per se ex natura sacramenti esse vt dissolutionem non ferat. Idem ego versa vice respondebo, quòd sicut morte accidente soluitur matrimonium per accidens, ita etiam per adulterium solui per accidens, at solui tamen.*

Adhæc; Si significationem uis esse inuiolabilem; certè CHRISTVS *nullo modo separatur ab Ecclesia, neq; secundum thorum, neq; secundum uinculum. Tu uerò concedis separationem propter adulterium saltem secundum thorum: quanq; re uera hæc separatio thori est etiam dissolutio uinculi, saltem ex parte. Etenim coniunx propter adulterium ulterius coniugis liberatur à vinculo quo eidem anteà tenebatur, ita vt non habeat ulterius potestatem corporis illius.*

Adhæc, Nónne etiam per mortem alterius coniugis violatur illa significatio in eo qui est superstes, dum alij coniungitur? Certè negari non potest. Quid est igitur quod tantopere in hac significatione innitimur, quæ tam facilè perimitur?

Adhæc, Si hæc significatio tantas uires habet ut faciat insolubile hoc uinculum, quid dicemus in coniugibus ante carnalem copulam, quando alteri licet se causa religionis separare? Potest insuper (ut pleriq; Doctores dicunt) separari coniugium per dispensationem Papæ. Vbi igitur hæc significatio? Nunc audi, quæso, commentum. Aiunt coniugium ante copulam non significare coniunctionem CHRISTI *cum Ecclesia, sed* CHRISTI *cum anima. Si ergo ponatur casus, quòd ante copulam mulier committat adulterium, tunc uir poterit licitè illam dimittere & aliam ducere, quia significatio non obstat: quod tamen nescio an illi concedant.*

Præterea, hæc significationis ratio (cum bona pace omnium dictum uelim) videtur inefficax et friuola. Etenim si ad rei naturam conuertimus oculum, non quia significat ideò insolubile est matrimonium, sed quia sic Domino per verbum suum statuente, sui natura est insolubile, ideò significat illud quod simili quodam modo decretam à Deo indissolubilitatem habet, nec ullum uidetur inconueniens si illa significatio destruatur. Non enim propterea ipsum quod significabatur destruitur. Est autem merita pœna destruenti illam significationem statuta. Hoc autem non facit coniux innocens, qui re vera iam destructam illam significationem reperit, inueniens vxorem suam scortum factum, aut talem de qua nulla sit correctionis spes (sicut nonnunq; accidit) vt nefarium sit vlterius cũ illa copulari. Neq; mirũ uideri debet significationes sacramentorũ uiolari quando ipsũ uiolatur sacramentum. Id euidenter apparet in Baptismo, in quo significatur CHRISTI *mors, vt qui baptizatur, mori censeatur cum* CHRISTO *quantum ad peccatum. Christus enim factus est peccatum pro nobis, ut ipso mortuo, cum illo moriatur baptizati peccatum in Baptismo. Et quia* CHRISTVS *à mortuis resurrexit ad uitam nouam non vlterius moriturus, significatur etiam in Baptismo hæc obligatio, ne ipse ulterius moriatur, et à vita gratiæ decidat. Hæc autem significatio proculdubiò uiolatur si quis accedat ad Baptismum fictè: quia non moritur peccato quemadmodum Baptismus ipse significat. Et similiter si non fictè accedat, post Baptismum autem iterum cadat, uiolatur significatio illa sacramenti. Si quis dixerit: Fatemur & nos hanc significationem uiolari posse: attamen dicimus non esse fas cuiq; uiolare illam, et ideò non licere uiro alteri copulari, ne significationem illam uiolet. Verùm hoc fortè dici posset si uir ipse non inuenisset iam significationem illam à coniuge uiolatam, quæ cum altero uiro concubuit, vt sic liceat ipsi suo uiro uti suo iure. Sicut enim anima quæ uiolauerit Baptismum peccando mortaliter, hærensq; adultero Diabolo, ita liberat Dominum* IESVM *à uinculo spiritualis coniugij vt possit eam relinquere, & meritis pœnis plectere, & eius loco accipere aliam si placuerit (Non enim ulterius illi obligatus est) ita uidetur non prohiberi quin uir suam coniugem matrimonium uiolantem dimittere ualeat, & alicui adhærere, cum iam per uxorem uiolata sit significatio. Vnde uir ipse quod iam semel uiolatum inuenit, non rectè dicitur uiolare. Cur enim Synagogam illam repudiauit Dominus et conuersus est ad Gentes, nisi quia ab ea prius est derelictus?*

Adhæc, Si viro non liceret alteri nubere ne significatio sacramenti violetur, nec licebit ei dimittere adulteram, & segregare seipsum perpetuò à thoro: quia & in eiusmodi seiunctione uiolatur uinculum coniugale, quod est unam carnem esse, & hærere coniugi suæ: & ideò uiolatur significatio, quia CHRISTVS *nunq; ab Ecclesia sua segregatur. Quocirca nescio quonam pacto defendi possit, non solui uinculum per adulterium, sed solummodo thorum: quasi uinculum in hoc tantùm consistat, vt alter scilicet non possit alteri iungi: et non in hoc, videlicet ita coniuges esse carnem unam, vt in ea quilibet eorum ius inuicem habeat: quod in hoc casu non est. Adultera enim perdidit suum ius, vt omnes fatentur, si maritus eam dimittat.*

Deniq; iam in alia quæstione probatum est, matrimonij indissolubilitatem non proficisci à ratione significationis, sed à natura rei & à verbo Domini, et ab ipso facto,

idest, ab ipsa carnali copula. Nam ipse Dominus Deus qui fidelium matrimonijs assistit, indissolubili uinculo cōiungit eos dicens: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, et erunt duo in carnem unam. Quæ uerba Dei omninò per adulterium violantur: quoniam iam non sunt duo ad eandem carnem, sed plures. Si ergo potuit à muliere adultera uiolari uerbum Domini illicitè alij se copulando, ac iniquè exhibendo alij carnem uiro suo uero debitam: cur non hoc idem possit alter licitè facere semel uiolata significatione, equidem non uideo.

Aiunt quidam, Si hæc licentia concederetur, magna daretur delinquendi occasio. Nam qui malè simul conuenirent, ad soluendam societatem hac permissione abuterentur, et aut ex composito, aut per calumniam fingerent adulteria, ipsimetq; suis uxoribus lenones essent, & ita passim soluerentur matrimonia & uiolaretur sacramentum. Sed ad hoc potest responderi, per prauitatem hominum sancta lege abutentium, æquum non esse legem alioqui rectam aboleri. Si enim Dominus illum casum uerè excepit, ut licitè tunc dissolui matrimonij uinculum posset, non debet hoc ius à quoquam auferri prætextu scandalorum. Nam et ipsa clandestina matrimonia (iuxta communem omnium doctrinam) vera sunt & rata: & tamen multa inde mala & scandola oriuntur, & doli, & fraudes, & multis modis uitiosa coniugia. Præterea, nònne datur licentia uiro segregare se à thoro adulteræ? Cur hic, quæso, non animaduertunt turpissima scādala quæ sequuntur si prohibetur aliam ducere? Nònne aut ad scorta accedet is qui continere non poterit, aut adulteria commitet, aut stupra, aut sacrilegia cum sponsis CHRISTI, aut concubinas sibi domi parabit? An non satius esset libertatem habere legitimam copulam contrahendi?

HActenus ergo, si nihil aliud moueret, conclusio & positio quam ex uerbis Domini apud Matthæum fiximus, stare uidetur, nempe, Licere uiro ex causa sola fornicationis uxorem suam dimittere, et aliam ducere. Nunc experiamur quomodo qui oppositam sententiam tenent, locis & argumentis pro illa adductis respondeant, & præsertim uerbis illis Domini apud Matthæum.

Quibus modis à plerisq; ad exceptionē Domini responde atur.

Dicunt ergo in primis quidam, uerba illa Domini: Quicunq; uxorem suam dimiserit, excepta causa fornicationis, hanc pati expositionem; ut causa fornicationis excipiatur à Domino, tanq; ab eo qui noluerit quicq; ibi de causa ista statuere, periude ac si apertè dixisset: Ego dico uobis, non licere uiro uxorem dimittere & aliam ducere, excipio tamen causam fornicationis, de qua nunc nolo quicquàm declarare, declarabo autem postea: id quod aiunt fecisse apud Marcum et Lucam, ubi sine ulla exceptione prohibet dimissionem uxoris. Arguta hæc profectò consideratio, quam isti ab acutissimo doctore B. Augustino qui eā primus excogitauit, accepisse uidentur. Verùm si uerba diligenter expendantur, proprietas ipsa orationis hanc intelligentiam excludit. Primò .n. si rectè sermo consideretur, non excipitur ibi causa fornicationis à materia super quam cadebat responsio, tanq; si dixisset legislator: Nolo loqui de causa fornicationis. Nam à pharisæis rogatus fuit, An liceret quauis de causa dimittere. Ergo ut totam causam redderet explicatam, regulam generalem tradidit, et ab ea regula casum istum fornicationis excepit. Non enim erat talis magister qui nesciret de omni casu respondere: nec is legislator qui uellet imperfectam legem tradere. Ad hæc, eadem historia recitatur ab ijs tribus Euangelistis, non quasi aliquid pluries dictum à Domino, ut possimus dicere prius Dominum uno modo, posteà autem alio modo loquutum. Non ita se ueritas habet: sed eum eundem congressum recitent, alius exprimit quod alij tacent. Adde quòd hic modus dicendi habet aliam quæstionem. Si enim Dominus noluit loqui nec statuere apud B. Matthæū de casu fornicationis: pari ratione id noluit apud Marcum et Lucam, cum eius casus nulla sit mentio. Maneret igitur casus iste indecisus ex lege euangelica: quod est contra communem existimationem.

Primus respondendi modus.

Secundus modus respōdendi

Respondent ergo quidam alio modo dicentes Dominum cauisse sibi à pharisæis, ne à principio uideri posset nimio rigorosior, & ideò excepisse causam fornicationis, dans licentiam mittendi libellum repudij ad eorum duritiam. At quando seorsum liberius loquutus est apud Marcum, nullam exceptionem fecit de fornicatione. Sed hoc commentum reprobatur ex eo quòd apud Lucam manifestè narratur Dominum allocutum fuisse Iudæos & pharisæos, & nihilominus illud dictum inuenitur apud Marcum. Imò quod B. Marcus narrat seorsum dictum fuisse discipulis, satis clarè innuit prius dictum fuisse Iudæis. Porrò quod quidam econuersò dicunt, ea uerba Domini apud Matthæum: Dico autem uobis, Quicunq; dimiserit &c. dicta fuisse discipulis, & non pharisæis; ineptum est & uiolat literam, & est contra testimonium Beatissimi uiri Marcialis Episcopi Burdegallensis discipuli Domini in epistola ad Tolosanos in hæc uerba: Dominus & magister meus Hebræis sciscitantibus hæc quoq; subintulit: Ego autem dico uobis, Quicunq; dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, mœchatur: & qui dimissam ab alio duxerit, mœchatur. Hæc sunt uerba quæ apud B. Matthæum recitantur, quæ dicta fuisse Hebræis sciscitantibus testatur. Non me tamen latet illam Domini sententiam apud Matthæum cap. 5: Ego autem dico uobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam facit eam mœchari, & qui dimiserit adulterat, discipulis suis dictam fuisse.

B. Marcialis.

Tertius modus respondendi.

Est igitur tertia consideratio dicentium, quòd etsi excipiatur his uerbis à regula casus fornicationis, non tamen probatur affirmatiua nisi argumento quod Iurisconsulti uocant à contrario sensu, quod ualere negant ubi manifestè aliquod absurdum concluderetur, sicut in casu proposito. Adducunt ad hoc & exemplum ex B. Iacobo. Ex illo enim quòd ait: Scienti bonum facere & non facienti, peccatum est illi, non sequitur: ergo nescienti bonum facere, non est illi peccatum si non faciat. Crassa enim & inuincibilis ignorantia non excusat.

Verùm & ad hoc respondentes, primùm dicimus, quòd ex hac B. Iacobi sententia ualidum eruitur à contrario sensu argumentum, ita ut fateamur, nescienti bonum facere non esse peccatum si non faciat illud. Is enim qui obligatus est scire, quasi sciens habetur. Quare hoc exemplum illis non seruit. Verùm demus non elici argumentum à contrario sensu ex uerbis illis, & uniuersaliter argumentum hoc à contrario sensu non cogere, nec ualere quùm aliquid absurdum elicitur: attamen ubicunq; lex absolutè aliquam regulam tradit, & per modum exceptionis aliquid excepit, semper oppositum regulæ in exceptione colligitur. Verbi gratia, dicat lex: Non facienti bonum & scienti, peccatum est illi. Concedam non necessariò hinc sequi, Ergo nescienti non est peccatum. At si hoc pacto lex dicat: Non facienti bonum, nisi ignoret, peccatum est illi, manifestè includit, si ignorans non faciat bonum, non esse ei peccatum. Modus enim hic loquendi per particulam exceptiuam, habet manifestam significationem regulæ oppositam: nec in huiusmodi potest ulla inueniri instantia.

Quartus respõdendi modus.

Est igitur & quartus dicendi modus ex B. Augustino, qui licet re uera circa hunc locum anxius, superiorum commentorum quæ recitauimus autor extiterit, minimè tamen in illis conquiescens, aliud adinuenit aut certè uerum, aut ualdè ueritati propinquum, quem quidem modum nunc attingo tantum, ut postremum locum ad sui explicationem obtineat. Interim aliorum commenta recensere pergam.

B. Thomas.

Quintus respõdendi modus.

B. Thomas hæc uerba Domini apud Matthæum diuidit in duas partes, ut sit prior iste sensus: Ne quis dimittat uxorem suam, excepta causa fornicationis. Deinde subdatur uniuersaliter: Quicunq; dimiserit, et aliam duxerit, mœchatur: ut exceptio fornicationis aptetur ad prius dictum, non ad hoc postremum. Sed contra hanc expositionem primùm facit uis ipsa orationis, quæ est una habens unum tantùm subiectum & unum prædicatum. De homine enim loquitur cui duo contingunt, scilicet dimittere uxorem, & aliam ducere. Et de hoc dicitur quòd mœchatur, & excipitur causa fornicationis. De una igitur duas facere orationes, palàm uim literæ affert. Ad hæc, Si demus etiam hanc diuisionem, magni nihilominus restant scrupuli. Manifestè enim hæc oratio habet unum solummodo prædicatum, uidelicet, MOECHATVR, quod debet utriq; orationi seruire si diuidatur oratio. Et sic erit sensus, quòd qui dimiserit uxorem suam, siue aliam duxerit siue non duxerit, mœchatur: quod certè est falsum. Nam dimittere uxorem, etiam præter casum fornicationis, non est uerè mœchari, nisi alteri coniungatur. Quare hoc uerbum et prædicatum, mœchatur, non seruiret utriq; orationi, propriè accepto uocabulo. Quòd si dixeris, Ideò mœchatur qui dimittit uxorem, quia se se conijcit in periculum mœchiæ: hoc etiam faceret si ex causa fornicationis dimitteret, & non liceret ei aliam ducere. Et tamen potest dimittere, imò tenetur dimittere adulteram, præsertim si fuerit incorrigibilis, dicente Scriptura: Qui tenet adulteram stultus est, impius est: imò etiam reus adulterij putandus.

Nicolaus de Lira.

Quia igitur hæc expositio per ea quæ suprà diximus retundebatur, uenit Nicolaus de Lira, qui uidens superioris opinionis defectum, diuidit quidem orationem in duas, sed suppleuit in priore uerbum PECCAT, ac si dixisset Dominus: Qui dimittit uxorem excepta causa fornicationis, peccat: si autem aliam duxerit, mœchatur etsi sit causa fornicationis. At si liceat ita scindere unum contextum sermonis Domini, et supplere quod uelis, nihil est tam absurdum quod defendi non possit. Datur autem & aduersarijs maxima ansa nos deridendi, cum lingua ualeant, & sint quàmmaximè derisores.

Durandus & Petrus de Palude.

Venit ergo Durandus, quem sequutus est Petrus de Palude. Hi dixerunt Dominum uerè excepisse causam adulterij, cum loqueretur Hebræis: quoniam hic casus erat in lege definitus. Adultera enim rea mortis erat: unde non secus cum illa agendum quàm si ipsa esset mortua, ex quo soluitur uinculum matrimonij. Potuit quibusdã ad pauca respicientibus placere hæc opinio, sed re uera multis rationibus retunditur. Prima est, quoniam Dominus non tradebat legem Hebræis, sed uniuerso mundo. Quare non debuit præsupponere quod erat legis Mosaycæ, præsertim cum mox esset abolenda. Adhæc, tradens Dominus legem euangelicam mancus fuisset in lege sua, tum quia non prouidisset circa hoc alijs populis, tum quòd nec etiam plenè prouidisset illi populo. Etenim licet mulier propter adulterium lapidibus obruenda esset, non tamen econuersò uir adulter, modò non abuteretur cõiuge alterius: ac propterea lex non fuisset perfecta hac parte. Ad hæc, Si casus fornicationis hac una excipiebatur ratione, quia scilicet mulieri immineret sententia mortis, profectò plurimi casus excipiendi fuissent, nimirum omnes quibus similiter pœnam mortis incurreret mulier: ut si fuisset uenefica, aut malefica, aut tandem aliud capitale flagitium commisisset, unde esset illi pœna mortis infligenda. Ad hæc, Si hoc Domini præceptum præsupponebat stantem legem, uidelicet de adultera lapidanda, etiam præsupponi debebat licitum diuortium. Aliàs cur unam partem legis uult stare, et alij derogare? Ad hæc, Quid si adulterium fuisset occultum, quod solus uir nosset? Non enim tenebatur eam uir accusare, nisi potens probare. Posset ergo uir in hoc casu, quando mulier non esset rea mortis in iudicio, eam dimittere, & aliam ducere. Non enim dixit Dominus: Si adulterium sit manifestum, aut tale quod posset legitimè probari. Deniq;, Si hæc lex Domini ad solos Hebræos pertinuisset, friuola fuisset hæc exceptio, Nisi ex causa fornicationis, propter respectum debitæ et imminentis mortis. Quis enim dubitasset mulierem ex causa adulterij occisam, non fore impedimento uiro qui alteram uellet ducere? Potuisset ergo absq; ista exceptione fornicationis longè doctius ac securius dicere, Nulla ex causa licere uxorem dimittere, & aliam ducere, nec quidem ex causa fornicationis. Nam secundum istam considerationem non causa fornicationis daret hanc licentiam uiro, sed causa mortis. Antequàm enim moreretur mulier, non

culpa priuari, vt si alter coniugum incidatur. Sed hic rarus est casus, & ea quæ rarò accidunt, à legislatoribus contemnuntur. Quòd si multi casus dantur qui possunt uel ex morbis euenire, vel ex aliquibus accidentibus, ex quibus matrimonij usus aut ad tempus, aut perpetuò impeditur: certè diuersi sunt, & plurimum differunt à casu fornicationis, quam nō ab re excipit Dominus, quia ex alieno peccato est, & directò tria bona matrimonij uiolat.

Quid de hac re secundum Canones sentiendum sit.

ERgo ex iam disputatis iuxta Scripturarum tenorem & rationum momenta, uideri potest partem affirmatiuam, uidelicet posse ex causa fornicationis à uiro uxorem dimitti ita ut & aliam ducere possit, multò probabiliorem esse quàm illi uppositam. Nunc quid secundum Canones sentiendum sit, oportet considerare. Haud enim dubium nonnullos Canones partem negatiuam probare, uidelicet non licere uiro etiam ex causa fornicationis aliam ducere. Et qui tales Canones condidere non solum hoc prohibuerunt quasi nouo statuto (quemadmodum facere solent quùm aliquos gradus cognationis designant, prohibentes inter eas personas ita cōiunctas matrimonium) sed illud statuerunt quasi ex sententia Domini prohibitum: quæ Canonum autoritas re uera magni est ponderis. Caietanus tamen hanc Canonum autoritatem uitans, ait quòd huiusmodi Pontificum sententiæ non sunt diffinitiuæ fidei, cum sæpenumerò sibijpsis inuicem aduersentur, quod ipsimet Pontifices confitentur, ut licet uidere in cap. Quanto, de diuort. & in cap. Licet, de sponsa duorum, & cap. 1. de Cognatione spirituali, & cap. Non debet, de Cons. & affin. Quibus locis manifestè apparet, antiquiores Canones à posterioribus corrigi, et in contrarium mutari: quod fieri non posset si essent fidei decisiones, & in omnibus ipsorum statutis ab errore præseruarentur. Quamobrem clarè apparet quosdam nimios esse, dum Canones pontificios æquant Scripturis: quod tunc tantùm recipimus, quùm ipsi quæstiones fidei quæ controuersæ sunt, legitimè cognuscunt atq; decidunt, & ab omnibus teneri mandant sicut ab eis definitum est. Hoc enim casu ab errore per Spiritum CHRISTI *præseruantur, non autem quùm obiter aliquid proferunt, suos Canones statuentes, & arbitrantes eos de Scripturis educi: qua in re falli possunt, et sæpenumerò falsi sunt, vt in exemplis citatis patet abundè. Quin in re proposita, nónne diuersi sunt Canones Pontificum? Certè (ut habetur in Decretis 32. 9.) Zacharias Papa mulieri, ob causam incestus à marito admissi, si illa se continere non potest, indulget ut nubat. Idem conceditur per Concilium Triburiense. Est & Gregorij Papæ sententia scribentis Bonifacio Episcopo, qua conceditur uiro, propter infirmitatem vxoris debitum matrimonij viro reddere non ualentis, licentia ducendi aliam. Scio à quibusdam negari hunc Gregorium fuisse illum sanctum huius nominis Primum. Quid tum? Papam enim fuisse nemo negat. Nec item ignoro glossas ad eos Canones adhiberi solitas: sed & istud quoq; scio, huiusmodi glossis textus non seruari, sed destrui, de quibus non oportet nos esse solicitos. Nec enim potest negari, apud ueteres quæstionem hanc non fuisse certa definitione decisam: quoniā sic tractatores de ea loquuti sunt ac si uel dubia esset, aut eius ueritas non satis explorata. Hoc autem primùm patet ex B. Ambrosij doctrina, qui distinxit inter uirum & mulierem, uolens illicitum quidem esse uxori à uiro discedere: quòd si discedat, manere innuptam. Virum autem & dimittere, et causa fornicationis aliam ducere non prohiberi: quod tamen communiter non conceditur. Ea igitur tempore non erat hoc in Ecclesia clarum. Non enim B. Ambrosius contra sensum Ecclesiæ manifestum scripsisset. Testatur etiam Origenes suo tempore Episcopos indulsisse maritis propter causam fornicationis inire noua coniugia.* **B. Ambrosius**

B. Hierony. *B. Hieronymus de uiro quidem quid sentiebat satis obscurè loquutus est: de ipsa muliere iuxta Apostoli dictum clarè contestatur, oportere illam donec uir uiuit manere innuptam. Fabiolam autem quæ in eam confidentiam uenerat ut dimitteret scelestum & omninò perditissimum maritum, & alteri nuberet, his uerbis excusat: Dimisit ergo, ut aiunt, uitiosum. Dimisit & illius criminis noxium. Dimisit (penè dixi) quod clamante uicinia, uxor sola non prodidit. Sin autem arguitur, quare repudiato marito non innupta permanserit, facilè culpam fatebor, dum tamen referam necessitatem. Melius est, inquit Apostolus, nubere quàm uri. Adulescentula erat, uiduitatem suam seruare non potuit. Videbat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & se uictam & captiuam ad coitum trahi. Melius arbitrata est apertè confiteri imbecillitatem suam, et umbram quandam miserabilis subire coniugij, quàm sub gloria uniuiræ opera exercere meretricum. Idem Apostolus vult viduas adulescentulas nubere, filios procreare, nullam dare occasionem aduersario maledicti gratia. Et protinus cur hoc uelit, exponit. Iam enim quædam abierunt retrò post Satanam. Igitur & Fabiola, quia persuaserat sibi & putabat à se uirum iure dimissum, nec euangelij uigorem nouerat, in quo nubendi uniuersa causatio uiuentibus uiris fœminis amputatur, dum multa Diaboli uitat uulnera, unum incauta uulnus accepit. Hæc ille de muliere, quæ digna sunt consideratione. Primùm necessitatem humanæ conditionis proponit, tum ignorantiam fœminæ: quia uigorem seu rigorem euangelij ignorabat. At profectò non ignorasset fœmina nobilis & Christiana si res tunc fuisset in Ecclesia manifesta, præsertim cum non clàm, sed apertè nuptias contraxisset, & cum uiro secundo pacificè mansisset usq; ad illius mortem. Vnde nec illud matrimonium statuit esse inualidū. Denique uidetur probare B. Ambrosij sententiam, legem non nubendi, ad mulieres peculiariter ex euangelij uerbis pertinere.*

B. autem Augustinus licet etiam hanc quæstionem longo sermone tractans, etiam in uiro hoc idem probet, quod omnes concorditer in fœmina statuunt: attamen nec sibi in ea tractatione satisfecisse, in secundo Retractationum libro his verbis, quæ magnoperè ponderanda sunt, planè confitetur: Scripsi (inquit) duos libros de coniugijs **B. Augustinus de adulter. cōiug. cap. x. & sequent.**

adulterinis quantum potui secundum Scripturas, cupiens soluere difficillimam quæstionem: quod utrum enodatissime fecerim, nescio. Imò uerò non me perueniße ad huius rei perfectionem sentio, quàmuis multos sinus eius aperuerim. Hæc ille, ut non simus tam faciles ad ea pertinaciter tenenda, in quibus uel ipsimet grauissimi autores trepidant. Et in libro de fide et operibus cap. xviiij. huius quæstionis obscuritatem his uerbis est contestatus: Quisquis etiam uxorem in adulterio deprehensam dimiserit, & aliam duxerit, non uidetur æquandus eis qui excepta causa adulterij dimittunt & ducunt. Et in ipsis diuinis sententijs ita obscurum est Vtrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur si alteram duxerit, ut (quantum existimo) uenialiter ibi quisque fallatur. Hæc ille, ut admoneantur censores, non ibi facere mortale peccatum, ubi à tanto iudice ueniale censetur, etiam si erremus. In hac .n. quæstione, sicut in alijs multis, magis autoritate B. Augustini persuasi sunt posteriores, quàm quòd ab eo enucleatam perspexerint.

Sententia autoris per conclusiones.

IGitur ut aperiam quid ego tandem in tanta quæstione concluderem: Si non sit definita, sicut non existimo esse definitam (quemadmodum & Caietanus inquit) cōcluderem primò quidem de muliere id quod omnes dicunt, Non decere videlicet illas diuertere à maritis ulla ex causa: qa exceptio fornicationis à Domino nō nisi in uiro exprimitur, in muliere autem nunquàm. Nam & in lege nullam ob causam licebat eis libellum repudij mittere. Si tamen discesserit; nullo modo illi licere alteri viro nubere, sicut B. Paulus ex uerbu Domini enarrat. Secundò concluderem in uiro, Licere ei primùm dimittere, & plenum diuortium facere cum vxore ex causa fornicatiónis, ita ut dimittens non faciat illam mœchari: licet qui dimissam duxerit mœchetur, quia ipsius culpa accidit dimissio. Vnde meritò potestatem nubendi perpetuò sibi amputauit. Tertiò concluderem, Quòd si maritus ex causa fornicationis suam dimiserit, & aliam duxerit, propriè loquendu non mœchatur, idest, non adulterat quasi iniuriam faciens uxori, cum in copula non sit illi ulterius debitor, et hoc dixit clarè Dominus. Non autē propterea sequitur quòd licitè aliam ducat, propter sanctitatem matrimonij & indecorum. Non .n. dubium est, non licere cuiquàm nunc habere concubinam etiam solutam, & tamen nullus diceret concubitum cum illa esse adulterium. Quocirca ueni in hanc. sententiam circumscriptis Pontificum summorum decretis, & inspecta solummodo euangelica lege, maritum teneri causam suam dicere coram Episcopo, & si repertum fuerit eum se cōtinere non posse, nec velle adulteræ reconciliari, tunc ne maiora nascerentur scandala, putarem Episcopum posse dispensare cum tali, & fortasse debere, saltem Romanum Pontificem, si uideatur hæc causa in numero maiorum causarum contineri, quæ propriè ad summum Pontificem spectant. Hæc autem omnia iudiciu prudentiorū & doctiorum subdo.

Alia quæstio.

SVperesset autem quæstio, An adultera mulier uiuente viro, qui tamen aliam ob fornicationem duxit, possit & ipsa alij nubere. Si enim conceditur, uidetur contra Apostolum & eius regulam, quæ exceptionem non habet, sed ait, si uiuente uiru alteri nubat, esse adulteram. Si negatur, reuiuiscit argumentum B. Augustini, qui dixit: Cur enim adultera mulier prohibetur alteri nubere, nisi quia adhuc matrimonij uinculum stat? Si hoc est, ergo etiam uir adulterabit, quia cum duabus matrimoniū habere non potest. Verùm puto facilè hunc nodum solui poße, si dicamus propter mulierem adulteram illi quidem durare matrimonium, non autem ipsi marito, in cuius potestate situm est illam dimittere, & perpetuò coniugij debitum illi negare. Nec est nouum propter crimen prohiberi etiam ius contrahendi solutis. Hæc sunt quæ mihi in ardua quæstione interim exciderunt. Libenter equidem audirem meliora.

In sequentem librum DE DIVINIS ET CANONICIS SCRIPTVRIS PRAEFATIO.

TOLLE CHRISTI NOTITIAM DE CORdibus hominum, Solem hoc pacto è mundo sustuleris. Tolle item ab Ecclesia scripturas sanctas, vnà proculdubio Christi notitiam tollis. Tolle Spiritũ Scripturas in Ecclesia probantem, quid aliud est quàm Scripturas ipsas è medio tollere, ac propterea Christi notitiam? Si ergo adsint homines qui non credant Spiritui indicanti, & scripturas à scriptutis recto ac firmo iudicio segreganti, quid iam, obsecro, restabit nisi tales à semetipsis summæ lucis tollere beneficium? Hæc verò non sine magna ratione & vrgenti necessitate à me dicuntur: quoniam hac misera & licentiosa tempestate redierunt qui priuata censura temerè de Scripturis iudicant, quiq; Spiritui veritatis illas probanti non credunt. Nam quas ipsi volunt de Canonum catalogo resecant, quibus esse vehementer resistendum zelus fidei suo iure debet vnumquenq; doctum ac pium Catholicum compellere. Vt enim quicq; addere ad verba Dei magnum est piaculum, ita quicq; detrahere est omnino nefas. Quocirca nonnullas huic operi lucubrationes impendisse operæpretium existimaui: quoniam dum contra mendacium differitur, ipsa veritas magis elucescit: & dum argumenta aduersariorum resoluuntur, multa sæpenumero edocemur quæ antea nesciebamus. Itaq; non debet arbitrari æquus & prudens lector, in hoc opere fuisse à nobis bonas horas male collocatas, quasi sit de re satis explorata ac iam comperta tractatio. Non enim passim est omnium intelligentia, nec omnes facile acquiescunt placitis ecclesiarum, sed suis quibusdam distinctionibus Decreta Pontificum & Conciliorum didicerunt eludere, quantumuis efficacibus rationibus cõuincantur. Nec item possunt omnes quibusdam aduersariorum argutiis aptè recteq; respondere. Confido igitur infructuosum non fore hunc libellum, modo pius lector diligenter attendat.

DE CERTITVDINE ET EXCELLENTIA CANONICARVM SCRIPTVRARVM.

ESSE Scripturas quasdam, quas peculiaribus notis diuinas, propheticas, sanctas, sacras, & propter sui excellentiam nonnunq; absolutè ac simpliciter Scripturas vocamus, nemo Christianus ignorat. Diuinæ autem appellantur, tum quia diuina enunciant, hoc est, diuinam erga nos voluntatem, quæ in pactis & testamentis consistit, quæ Scripturæ istæ continent: tum uerò quia diuinitus ab ipso Deo peculiari prouidẽtia ad hominum salutem inspiratæ sunt. Licet enim quicquid boni ac veri in qualibet scriptura inueniatur, illud esse à Deo & Spiritusancto oporteat, tamen non uno modo. Multa enim hominum ingenio exquisita & naturali lumine inuestigata conscripta sunt, quæ ea de causa non dicuntur scripturæ diuinæ, quoniã nec specialiter sunt a Deo reuelatæ, nec certa Spiritussancti assistentia, ne quid ibi admisceretur mendacij, exaratæ. Vnde in alijs scripturis etsi fortè non sit, subesse tamen potest error. In his uerò nec subest, nec subesse quidem ullo modo potest. Quamobrem & sapienter & sæpè B. Augustinus testificatus est, eò cæteris præstare scripturas istas, ut nullus in eis error inueniri queat. Aliorum uerò scripta ita se legere profitebatur, ut ea demum uera in illis esse putaret, quæ uel per has scripturas diuinas, uel alioqui certa ratione persuaderentur. B. Hieronymus eandem sententiam explicans, ad Theophilum Papam ita scripsit: Scio me aliter habere Apostolos, aliter cæteros tractatores. Illos semper uera dicere, istos in quibusdam ut homines errare: hæc ille.

Scripturæ cur diuinæ dicantur.

B. Augusti.

B. Hierony.

Ob istam gratiã etiam propheticæ Scripturæ dicuntur,

tanquàm à Sprirituſancto reuelatæ, et illius inſpiratione proſectæ, & multa etiam continentes quæ non niſi cœleſti reuelatione reſciri potuiſſent. Eſt & alia ratio cur hæ Scripturæ dicantur propheticæ: quoniam & ſi bona pars ad hiſtoriã rerum geſtarum pertineat, ſub ijs tamen quæ geſta ſunt latet admirabilis prophetia, ut non tam ipſa litera, quàm res ipſæ per literã ſignificatæ alia quoq; ſignificent futura: quæ prærogatiua eſt dumtaxat harum ſcripturarum diuinarum propria. Hoc enim de alijs nefas eſt omninò ſentire, cum futura prædicere ſit ſolius Dei proprium.

Cur propheticæ dicantur.

Obtinuerunt inſuper ſcripturæ iſtæ propriam notam ratione eorum quæ in eis continentur. Dicuntur enim ſcripturæ ueteris & noui teſtamenti: quoniam pacta & fœdera Dei inita cum hominibus continent, quæ appellatio nulli alij ſcripturæ tribuenda eſt. Vnde ad eandem ſignificationem dicuntur inſtrumentum uetus & nouum: quia ſcripturæ quæ pacta continent, inſtrumenta uocari conſueuerunt, ut apud Iuriſconſultos habetur.

Cur ſanctæ dicantur.

Alia item appellatione dicuntur ſanctæ, non ſolùm quia mundæ, ideſt, omnis maculæ & erroris expertes, verùm etiam quia eos ſanctificant qui libenter eas recipiunt, & fide complectuntur, & diligunt Dei voluntatem & admirabilem Dei erga homines prouidentiam, quæ in illis pacto & teſtamento æterno continentur. Ille enim talis diuinus ſermo admixtus fide, eſt qui purificat corda. Vos mundi eſtis (aiebat Dominus) propter ſermonem meum. Dicuntur item ſanctæ, quoniam conſtitutæ ſunt firmæ, perpetui roboris ac uigoris. Quanquàm enim ueteres cæremoniæ atq; iudicia populo Iudæo à Moſe olim mandata, per IESVM CHRISTVM ſuo uigore caſſa ſint, non tamen Scriptura ipſa quæ hæc nobis conteſtatur, inutilis reddita eſt. Nam ipſamet Scriptura iam prædixerat illa fore ad tẽpus, interim data donec ueniret Saluator, qui nos in ueram libertatem à ſeruitute qua omnes tenebamur, aſſereret. Quamobrem aberrarunt peſſimè Manichæi, qui ueteres Scripturas quaſi non ab autore Deo uero profectas repudiabant, & omninò tanquàm continentia mandata praua blaſphemabant.

Cur ſacræ dicantur.

Alia quoq; appellatione hæ ſcripturæ uocantur ſacræ, ut quæ ob ſuas quas memorauimus proprietates, ſua dignitate ac celſitudine à cæteris quaſi præ ſe prophanis ſegregantur, & uolunt inuiolabiliter cuſtodiri, tanquàm quæ abſq; ſacrilegio nequeant uel cõtaminari uel negari. Vnde Dominus: Non poteſt ſolui Scriptura.

Cur abſolute ſcripturæ nominantur.

Deniq; hæ dumtaxat, quæ ob ſui excellentiam abſoluta appellatione pronunciantur Scripturæ, ut quùm abſolutè dicitur SCRIPTVRA, ea ſolùm intelligatur quæ diuina eſt & prophetica. Vnde eo loquendi modo frequenter Tractatores utuntur, imò & ipſamet Scriptura ſic loquitur dicens, Scriptum eſt. Quo quidẽ modo uſus eſt ſæpe B. Paulus, et ante illum Dominus ubi reſpondit Diabolo, & ubi dixit: Non poteſt ſolui Scriptura. Et B. Paulus dixit: Omnis Scriptura diuinitus inſpirata & utilis &c. Et iterum: Omnia quæcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, intelligens tantùm de ſcriptura diuina, tanquàm non mereantur alia ſcripta hoc nomine deſignari. Huius autem rei eſt in promptu ratio: quoniam ſcriptura in gratiam pactorum inuenta eſt ad fidem perpetuam faciendam, ita ut illud demum diceretur ſcriptum quod infirmari aut mutari non queat. In eo ſenſu dixit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi, ideſt, nolo ut firmum atq; immutabile permaneat.

Quoniam uerò ſcripturæ diuinæ non ſolùm ſuperioribus epithetis denotantur, uerùm & canonicæ dicuntur, oportet pariter huius uocis rationem exponere. Poteſt enim fieri, eſſe aliquas diuinas ſcripturas, non tamen eſſe canonicas, licet non econuersò. Quæcunq; enim fuerit ſcriptura canonica, oportet eam eſſe diuinam. Diuinam ergo ſcripturam facit Spiritusſancti reuelatio: canonicam autem facit iudicium Eccleſiæ declarans eſſe reuelatam, & illam in Canonem referens. Oportet .n. non ſolùm diuinas ſcripturas eſſe in Eccleſia, uerumetiam earundem notas: quod quùm ſit, canonicæ dicuntur, hoc eſt, in eccleſiaſtico Canone contentæ.

Cur canonicæ appellentur.

Cæterũ quia de utroq; contingunt in Eccleſia dubitationes & diſceptationes circa aliquã particularem ſcripturam, primò ſcilicet, Vtrum ſit diuina, ac propterea in Canonem aſciſcenda: ſecundò, Vtrum ſit canonica, hoc eſt, in Canone poſita (Mouetur enim & circa hoc controuerſia, alijs aſſeuerantibus quaſdam Scripturas, puta Machabæorum libros, eſſe canonicas, alijs contrà negantibus) ob eam cauſam opus eſt de utroq; eſſe iudicandi poteſtatem in Eccleſia, hoc eſt, declarãdi eſſe diuinas, ac propterea ſtatuendi canonicas quæ nondũ erant. Item declarandi eas eſſe canonicas, quas iam declarando diuinas aſſumpſit in Canonem.

Poteſtas iudicandi de Scripturis vbi nam ſit.

EX his autem oritur quæſtio, ut uideamus ubi ſit hæc poteſtas talia iudicandi. Illam enim eſſe in Eccleſia Dei et in ſummo tribunali neceſſe eſt, quod & eſſe omninò oportet ab omni errore immune: quoniam hæc res pertinet ad fidem, cui non poteſt ſubeſſe falſum. Si enim uel in minimo falſitas admittatur, nulla ſupererit Scripturæ ſolida autoritas. Neceſſe eſt igitur poteſtatem hanc, uidelicet cognoſcendi Scripturas, & declarandi diuinas, & faciendi canonicas, eſſe in Capite Eccleſiæ, hoc eſt, in ſummo Sacerdote, qui hoc legitimè debet cognoſcere ac decernere. Pro illa enim Sede rogauit Dominus ne deficeret fides eius. Poteſt autem hoc facere ſummus Pontifex uel per ſe conſultis doctis uiris ut res ipſa poſtulat, uel per uniuerſale Concilium ſi id uiderit expedire. Hoc certum eſt, cum cognitio de Scripturis, an diuinæ ſint & canonicæ; ſit una ex grauiſſimis noſtræ fidei cauſis, conſequenter ad ſummum tribunal eam ſpectare, cui decidendæ non

ſegnis,

segnis, sed diligentissima est adhibēda inquisitio. Quemadmodum enim dum aliquem virum summus Pontifex canonizat & catalogo Sanctorum ascribit, non facit eum sanctum, sed sanctum esse declarat (antequàm autem declaret, inquirit per legitima testimonia de uita, de miraculis, de doctrina, de perseuerantia & huiusmodi, quæ tametsi ab hominibus procedunt qui possunt fallere et falli, nō propterea credimus falli Ecclesiam, quæ illis innititur, eò quòd non solummodo illis innitatur, sed præcipuè in assistentia Spiritus sancti iuxtà promissionem Christi, qui nō permittit in huiusmodi summum Iudicem falli, quia res fidei in periculum ueniret) ita in canonizatione sanctarum scripturarum, ut declarentur sanctæ atq; diuinæ, quærendum est prius per humana iudicia & probabiles coniecturas: & is qui hoc sedulò facit, credere debet sic Spiritum ueritatis affuturum, ut nihil penitus erroris irrepere sit permissurus, ne quouis modo ullum fidei nostræ periculum generetur.

Quid sit illud quod ad canonizationem alicuius scripturę requiritur.

Refellitur regula cuiusdam ad canonizandas scripturas proposita.

ET HINC ALIA EDVCItur quæstio, Quænam ea sint quæ oporteat considerari ut scriptura decernatur esse diuina, ac propterea fiat canonica & in autoritatem promoueatur. Non enim recipimus quandam nouam et hactenus inauditam regulam recentioris cuiusdam autoris, qui uoluit solos eos libros nos arbitrari diuinos atq; canonicos, quos uel scripserunt Apostoli uel approbarunt: quia illis tantùm (inquit) data fuit potestas condendi scripturas. Istud si verum esset, multi libri qui & noui & veteris testamenti dicuntur & verè sunt, inuenirentur falsò habiti ut canonici, cum certum sit ab Apostolis minimè scriptos esse. Quòd autem illos saltem probauerint, nullum extat testimonium, ut per se patet, & nos alibi accuratius annotauimus. Præterea, falsum est datam fuisse Apostolis condendarum scripturarum potestatem eo ipso quòd essent Apostoli, tanq; id proprium fuerit Apostolici muneris. Dei enim solius est condere Scripturas. Homo ipse est sicut amanuensis. Hoc uerò non ad Apostolos tantùm pertinuit, uerum etiam ad alios. Nam et ante Apostolatum erant Scripturæ diuinæ, et postmodo Marcus & Lucas, qui inter Apostolos non connumerantur, scripserunt euangelium. Adde quòd si condere Scripturas fuisset apostolici muneris, omnes debuissent condere, ne suæ apostolicæ functioni defuisse uideri possent, sicut reliqua propria apostolica munera singuli exercuerunt. Sed hoc de pluribus non apparet. Quare mittenda est noua hæc & periculosa doctrina.

Caietani doctrina.

Illud item eiusdem magistri docentis, nactos nos esse B. Hieronymum regulam canonicorum librorum, tanquàm omni explosione dignum alibi annotauimus, nec est denuò in disputationem adducendum.

Illud quoq; nullo modo ferēdum de ueteribus scripturis eos duntaxat censendos libros canonicos qui in Canone Hebræorum habeantur, ut hi soli sint recipiendi, reliqui uerò repudiandi. Esset enim indignum nimis atq; præposterum, Ecclesiam Dei sectari iudicium Synagogæ, præsertim à CHRISTO iam ita repudiatæ ut facta sit (sicut ait Dilectus) Synagoga Satanæ. Ancilla enim nunc est, & è domo eiecta, ut nulla in re sit consulenda. Quare mirari satis non possum eos qui tātum illi hac parte tribuunt, ut regulam istam ab ea capiant. Aliud quidem esset si Hebræi priusq; essent à Deo repudiati, aliquem nobis suorum Patrum canonem ostenderent: quoniam eo tempore habebant & ipsi in huiusmodi iudicium certissimæ ueritatis, ut quem ab eis receptum fuisse pateret, etiam nos recipere deberemus, & quem reiectum ac reprobatum, reprobare. Non propterea tamen cogimur solos eos habere probatos quos in suum Canonem admiserunt. Potest quippe fieri, imò sic factum est & fieri consueuit, ut qui aliquando non essent in Canone, progressu temporis in illo siti sint. Non enim quùm primùm liber diuinus conscriptus est, statim censetur in Canone, sed primò uenit in notitiam singulorum, & paulatim autoritatem acquirit, & interdum citra ullam controuersiam aut hæsitationem communi Ecclesiæ consensu recipitur, & absq; ulla penitus quæstione canonizatur.

Quùm uerò de aliqua Scriptura queritur an sit diuina, illud primùm circa ueteres Scripturas diligenter est explorandum, Num constare possit ueterem Synagogam ante sui reprobationem probasse atq; admisisse illam tanquàm diuinam, & in suum Canonem recepisse: licet id non esset facere canonicum librum, sed iam constitutum canonicum agnoscere ac recipere.

De Scripturis ueteris testamenti.

QVANTVM igitur ad ueterem Scripturam spectat, de quinq; libris Moseos nulla esse debet dubitatio, sicut nec unquàm fuit. Similiter de Iosue, & Iudicum, & Ruth, & Regum, & Paralipomenon, & Esdræ, ac Neemiæ, præter duos posteriores, qui nunq; fuerunt in canonicis recepti. Addo librum Psalmorum, & Prophetas tam quatuor maiores, quàm duodecim minores. Quòd autem uetus Synagoga illos semper receperit, id publica omnium fides testatur. Comprobatur autem & hac ratione: quoniam in Euangelijs & alijs noui testamenti scripturis citantur de his uel historiæ, uel sententiæ extra ullam controuersiam tanq; de scripturis diuinis atq; canonicis. Vnde Dominus omnes Scripturas quas Hebræi receperant ut diuinas, generaliter uno illo uerbo probauit, quum dixit: Scrutamini Scripturas, quia uos putatis in illis uitam æternam habere. Particulariter autem de Mose dixit: Ille de me scripsit. Alio loco uniuersam Scripturam distinguit in legem, in Psalmos, & Prophetas, ubi testatur Euangelista quomodo incipiens à Mose & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. Peculiarius autem habemus testimonium Domini et Apostolorum et Euangelistarum ferè de singulis libris ueteris testamenti. Nam de libro Iosue B. Paulus ad

Hebræos illud adducit: Non te deseram, Non te derelinquam. De Rachab meretrice B. Matthæus & B. Paulus ad Hebræas, & Frater Domini, & B. Stephanus in actis Apostolorum. De libro Iudicum Apostolus ad Hebræos cap. xi. De libro Ruth B. Matthæus in genealogia Domini. De omnibus libris Regum sæpe Dominus, citans de gestis David & Salomonis ibi contentis. Item de Elia & Eliseo. Et de libro Paralipomenon accipit historiam de Zacharia, quem occiderunt inter templum & altare: quamuis sint de hac citatione diuersæ sententiæ. De eisdem libris & de Esdra accepit B. Matthæus in ea genealogia Domini. De libro Iob citat B. Paulus illud: Comprehēdā sapientes in astutia eorum. B. Iacobus eundem sanctissimum uirum citat in exemplum patientiæ, satis probans illam historiā, quam et Ezechiel iam dudum probauerat.

Iosue .1. Ibidem .c. 3.

Qui sint Scripturarum libri de qbus à quibusdam dubitatur.

VErùm quoniam de nonnullis veteris instrumenti libris quondam fuit quæstio, similiter de aliquibus Scripturis noui testamenti, de his specialiter quærendum est. Est enim in primis liber Sapientiæ quæ dicitur Salomonis. Est & liber Ecclesiastici, & Tobiæ, et Iudith, & Baruch, & Machabæorum. Hi omnes negantur à quibusdam esse canonici, & consequenter diuini. Quāobrem ut de his sigillatim uidere possimus, rationes oportet præmittere vnde probari solent libri esse diuini & canonici.

Quibus rationibus aliqua scriptura vt canonica comprobetur.

Primùm dicimus, ad comprobandam aliquem librum esse diuinā atq; canonicum, satis esse si fortè in Scriptura aliqua canonica citetur aliqd de illo libro de quo sit quæstio. Hæc est prima consideratio.

Secunda est, si in vsu ecclesiarum dum aguntur diuina, tanquàm diuinus legendus proponitur.

Tertia consideratio versatur in inspectione argumenti ipsius libri, si doceat quæ Dei sunt & quæ ad illius voluntatem attinēt & pactum quod habuit eum hominibus, nec vllus in eo manifestus error deprehēdatur: apparent verò eloquium castum, inaffectatum, quodq; nescio quid diuinum redoleat & præ se ferat. Verùm hæc consideratio est doctorum, qui assueti fuerint in Scripturis, et prudentia Spiritus polleant.

Quarta consideratio est, si autor libri inscriptus fuerit certus propheta à Deo institutus verbo expresso, vt Moses & Iosue, & alij quos Scriptura commendat: Vel in noua testamento si fuerit Apostolus, aut saltem insignis & apostolicus vir, quales extitere B. Marcus & Lucas. Vnde B. Petrus dixit: Non voluntate humana, sed Spiritusancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines.

Quinta consideratio est, vt uideamus quid de tali Scriptura senserint antiqui Patres, & orthodoxi Doctores. Si enim communi eorum consensu fuerit librū esse diuinum, hoc ipso consensu, etiam tacito quodam modo fit canonicus. Hic autem consensus duobus modis consideratur, aut quùm expressè, & præsertim si in contentione, definiunt, confitentes explicata sententia se illum vel illum librum pro canonica Scriptura recipere: aut quùm ex eo testimonia citant, sicut solent de alijs Scripturis quæ sine controuersia diuinæ sunt & sanctæ. Hoc autem fit aut quùm in contentione proferunt inde testimonia tanquàm irrefragabilia, etiam aduersus hæreticos: aut quùm citantur simpliciter sub nomine Scripturæ. Exempli gratia, si quis afferens de libro Sapientiæ & alijs de quibus extaret controuersia, dicat: Scriptura hoc dicit. Nulla enim Scriptura, nisi diuina sit, Scriptura simpliciter dicitur, nec dici debet. Si autem adijciatur aliqua certa nota, & dicatur diuina, aut prophetica, aut sacra, aut sancta, aut scriptura noui vel veteris testamenti: quæ manifestè hæ propriæ sunt notæ Scripturarum diuinarum, quas alijs scripturis tribuere non est fas: certò colligitur Sanctorum mens intelligentium scripturam talem esse in Canone, cum non sit apud eos vsitatum communi nota miscere humana diuinis. Nec parua est autoritatis communis hic orthodoxorum cōsensus: quin potius est quædam tacita definitio, cui non consentire suaperbum est. Etenim cum Spiritus sanctus Doctores in Ecclesia constituerit, profectò vnanimem consensum ab ipso Spiritu proficisci credendum est. Sicut enim in canonizatione Sāctorum requirantur testimonia à viris prabis ac pietate pollentibus, qui de uita & moribus ac sanctitate alicuius testentur, idq; pro magno & graui testimonio ad faciēdam fidem accipitur, supplente Spiritusancto quod deest: ita in canonizatione Scripturarum hoc primū inspicitur, videlicet piorum ac sanctorum persuasio atq; consensio. Quùm autem liber fuerit per summum Pontificem aut per Concilia uniuersalia canonizatus, aut etiā per prouincialia quæ recepta fuerint, iniuriam est prætereà aliud inquirere ac retractare velle.

HIS autem ita consideratis, uidendum est nunc de his libris qui positi sunt in quæstione. Occurrit autem primùm liber Tobiæ, quem non est dubium ab Hebræis reijci, & ab eisdem inter apocrypha numerari, sed non ab Ecclesia Dei, quæ non sequitur Synagogam. Vnde B. Hieronymus licet aliquando iuxtà Hebræorum sententiam loquens, visus sit hunc librum repudiasse, tamen ad Cromatium & Eliodorum Episcopos scribens, sic testatur: Mirari non desino exactionis vestræ instantiā. Exigitis enim vt librum caldæa sermone conscriptum, ad latinum stylum traham, librum vtiq; Tobiæ, quem Hebræi de catalogo diuinarum Scripturarum secantes, his quæ hagiographa memorāt, manciparunt. Feci satis desiderio vestro, non tamen meo studio. Arguūt enim nos Hebræorum studia, & imputant nobis cōtra suum Canonem latinis auribus ista trāsferre: sed melius esse iudicans Pharisæorum displicere iudicio, & Episcoporum iussionibus deseruire, institi vt potui. Hæc ille. De quibus verbis satis patet, doctissimum virum minime sequutum Hebræorum iudicium, cum illud vocet, iudicium Pharisæorum, qui & manifestè testatur, illos librum hunc de catalogo Scripturarum diuinarum secuisse. Si sectus de catalogo sanctarum scripturarum, Ergo cum illis annumerabatur, aut certè debebat annumerari. Illud hīc subnotandum, quòd vt habent nunc codices, legimus in B. Hieronymo, Iudæos hunc librum ijs quos hagiographa nominant

De lib. Tobiæ.

B. Hierony.

nominant mãcipasse: & tamen illi hagiographa pro sanctis Scripturis habebant. Nam & Iob, & Psalterium, & libros Salomonis inter illos connumerabant, & pleraq; alia quæ in suum sanctarum Scripturarum Canonem admittunt. Nam et nomen, hagiographa; significat scripta sancta. Fortè mẽdosè ibi legitur, vt loco apocrypha, suppositum fuerit hagiographa. Verùm absit vt Ecclesia Dei sancta librum hunc inter apocrypha numeret, quem agnouit vt sacrum & sanctum atq; diuinum, & ab apocryphis quæ separatim enumerat, disertè exceptum. Nam ipso B. Hieronymo teste grauissimo, apocrypha nescit Ecclesia. Quod autem iste liber à nostris, hoc est, orthodoxis & antiquis patribus sit semper habitus vt diuinus & sancta scriptura, vel ex hoc patere potest, quòd tandem aliquando cum cæteris annumeratus est in Concilijs ac Decretis etiam summorum Pontificum, quale est Concilium Florentinum, & illud quod Gelasius Papa cũ septuaginta Episcopis congregauit, & ante illud est decretalis Epistola Innocentij Primi ad Exuperium. Et præter hæc, in Epistola prima & secunda quæ dicitur Clementis Papæ discipuli B. Petri, de hoc libro producuntur testimonia tanq; de diuina Scriptura. Neq; enim prisci illi aliud in testimonium tunc citabant quàm diuinas literas. Anacletus similiter in primo suo Decreto, & Calistus Papa in secundo Decreto similiter. Item Marcellus in secunda Epistola. Item Melchiades, & Benedictus primus, & Damasus. Hi omnes fuerunt summi Pontifices, quorum grauissima in huiusmodi est autoritas. Quare superfluum est citare alios (quos promptissimè possem) multos & sanctos tractatores, qui de hoc libro tanq; sacro & sancto frequenter testimonia proferunt ad eam doctrinam confirmandam quam posteris tradiderunt. Et re vera liber ille adeò est moralis, & præcepta vitæ adeò pulchra & salutaria continet, vt non videam rationem vllam cur inter sanctas scripturas computari non mereatur. Sed nunq; defuerunt qui dum videri appetunt sapientes, illud sit eis proprium, à communi aliorum sententia dissentire.

De libro Iudit.

De libro quoq; Iudit, licet idem Hebræi censuerint, ipse tamen B. Hieronymus testatur quòd inter sanctas scripturas eum Nicena synodus legitur computasse: & ob eã causam se illum fecisse latinum. Quòd verò sancti Patres vno spiritu id censuerint, in Cõcilijs latè patet. Ego etiã obseruaui in sanctorum Patrum, summorum Põtificum ac doctorum veterum libris, absq; scrupulo ac formidine sententias inde tanquàm de diuina Scriptura citari, quæ colligere longum esset, nec valde operæpretium, cum sacrosancta extent concilia quæ rem totam deciderunt.

De libris Machabæorũ.

Sunt & præter superiores historicos libros, libri duo Machabæorum, qui similiter in Canonem recepti sunt in Concilijs, & Romanorum Pontificum decretis. Hos tamen B. Hieronymus inter apocrypha annumerare videtur: sed hoc non tam ex sua (quod diligenter ponderandum est) quàm ex Hebræorum sententia loquutus. B. Augustinus contrà constanter asserit. B. verò Gregorius autoritate (vt opinor) Hieronymi motus, videtur concedere illos non esse canonicos, cum tamen de eis producat testimonia. Excusat autem ijs verbis: Non inordinatè agimus si ex libris, licet non canonicis, tamen ad Ecclesiæ ædificationem editis, testimonium proferamus. Hoc autem est quod Hieronymus præscripserat, volens hos libros in contentione quidem aduersus hæreticos non posse adduci ad statuenda dogmata, sed in ædificationem Ecclesiæ: quod tunc fortè poterat dici, cum libri isti haberent aduersarios detrectantes. Ædificatur autem Ecclesia quæ credit, nec spiritu contradictionis agitur. Et tamen ipse B. Hieronymus in dialogo contra Pelagianos, ex illis libris ad dogma ecclesiasticum probandum testimonia producit. Quantò igitur magis nostris temporibus debent pro receptis haberi, cum tot seculis, et tantis ac tam multis testimonijs meruerint in autoritatem recipi, idq; tot Concilijs assertũ? Verè duri capitis est nolle acquiescere, præsertim cum vsus vniuersalis Ecclesiæ in diuinis mysterijs idipsum magnopere comprobet, quæ lectionem ex his libris accepit in sacrosancto Missæ pro mortuis sacrificio, vbi contra hæreticos inuictissimum testimonium habetur. Vnde illi cum aliud non valeant respondere, ad antiquam perfidiam conuolant, negantes esse canonicos libros, & Ecclesiæ spiritum ac testimonium cõtemnentes, quæ præterea septem filiorũ & generosissimæ eorum matris martyrium in eis libris conscriptum, solenniter celebrat.

De ciuit. Dei lib. 18. ca. 36

lib. 19 Mor. cap. 17

Verùm illud maximopere pro ijs Machabæorũ libris facit, quod in euangelio D. Ioannis fit testimonium de festo Encæniorũ nouissimo, de quo agitur in libro Machabæorum .1. & 4. capite, iuxta communem sanctorum doctorũ expositionem. Similiter in Epistola ad Hebræos canonizatur ille liber secundus, in quo continetur illorum fratrum & religiosissimæ fœminæ crudele martyrium, his verbis: Alij autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem. Illã enim incredibilem septem illorum martyrum tolerantiam designauit, sicut ipse Caietanus annotauit, & rectè: quanq; illud minus rectè, sed planè ad scandalum faciẽs, quòd ipse quidem vt superaret alios, non solùm pro non canonicis habet hos libros, sed reprehendit etiam eorum autorem, quòd ibi prophetiam Danielis perperam interpretetur. Mouetur autem argumento quod profectò pudet honoris eius gratia recensere. Sat in Annotationibus hac de re scripsimus. Et verè magna est horum arrogantia, qui Ecclesiæ spiritum non sequuntur. Hoc quidem prodest Ecclesiæ: quia veritas quæ semper superat, his disceptationibus velut aurum per ignem, magis ac magis illustris fit & conspicua. Illud ergo omninò à quibusdam confictum apparet, qui horum librorum Iosephũ Iudæum faciunt autorem: quod est falsissimum. Nam Iosephus ille horum septem fratrum historiam suo proprio stylo conscripsit, quæ etiam sub eius nomine edita publicè prostat. Non est autem verisimile quæ iam semel enarrauerat, iterum voluisse scribere, & superuacaneum suscipere laborem. Præterea, nonnulli antiquorum patrũ anteq; scriberet Iosephus, aut eius historia publicè nota esset, testimonia de libris illis produxerunt. Stylus etiam

Heb. 11.

manifestè

manifestè à stylo discrepat. Quare acquiescendum est tandem Ecclesiæ spiritui, nec vllo pacto, præsertim post tanta testimonia, resistendum.

De libro Baruch.

Incidit etiam nonnulla disputatio de libro Baruch, cuius dum in nonnullis concilijs catalogus Scripturarũ memoratur, nulla fieri videtur expressa mentio: quanquàm Gelasius in sua decretali eum nominatim appellat. Sed qui dubitant, intelligere debent librum illum simul cum Ieremia computari. Vnde & frequenter à multis veteribus sententiæ illius quasi Ieremiæ citantur, cuius fuit notarius Baruch. Sic adducitur ipsius sententia sub nomine Ieremiæ in Synodo Constantinopolitana. Clemens itẽ Pontifex Primus etiam inde allegat vt de sacra & sancta Scriptura. Pelagius Primus item sub nomine Ieremiæ. Idem in sexta Synodo, actione octaua. B. Ambrosius in libro primo de fide ad Gratianum, sub nomine Ieremiæ citat verba quæ in Baruch leguntur, & testatur esse verba Spiritus sancti, tanq; ab ipso Ieremia dictata. Idem B. Chrysostomus in libro aduersus Gentiles. Idem Basilius & pleriq; alij, quos omnes tædium esset afferre. Præterea, Ecclesia sancta legit in vigilia Pentecostes ex Baruch quintam prophetiam. Quare magnoperè mirandum est, quàm stulti & tardi corde simus interdũ ad credendum, cum sciamus Spiritum Dei esse in Ecclesia, qui nequaq; permitteret in cultu Dei, in quo est protestatio ac professio fidei nostræ, tam perniciosa mendacia, recipere scilicet & canere populis tanq; certam prophetiam quæ non sit verè prophetia.

De Sapientia & Ecclesiastico.

Nunc superest de libro qui dicitur Sapientia, & alio qui Ecclesiasticus appellatur, considerare. De his enim duplex est quæstio. Prima, sintne libri Salomonis. Altera an sint canonici. Videtur quibusdam librum illũ Sapientiæ non esse Salomonis, cum B. Hieronymus testetur, Philonem Iudæum eius autorem fuisse creditum. Vnde & ab eo Pseudepigraphus appellatur, hoc est, falsò inscriptus Salomonis. Alibi quoq; inter apocrypha hos ambos connumerare videtur. Verùm hunc librum minimè esse Philonis, testis est Beatissimus Pater Dionysius, qui sententias de illo quasi de diuina scriptura sumptas, pro more suo citat. Nõ.n. dignatus fuisset tãtus vir Philonis autoritate inniti. Nam & Philo non fuit anterior Dionysio, nec conuenit stylus ille cum cæteris Philonis libris. Egesippus quoq; & Irenæus & alij prisci autores ex ea citarunt. Quare hoc commentum de constituendo Philone eius libri autore, omninò falsum esse conuincitur. Nam & qui Philonis opera enumerant, vt ipsemet B. Hieronymus de viris illustribus, hunc certè librum non commemorant.

Rursum nec fuisse Salomonis hunc librum alia est ratio D. Hieronymi, videlicet à stylo, qui hebraicã phrasim non redolet, sed græcam eloquentiam. Verùm hæc signa sæpe sunt quæ decipiunt. Hoc enim de epistola ad Hebræos similiter dictum est, stylum non videri esse B. Pauli: vnde quidam satis imperitè putarunt non esse B. Pauli. Potuit ergo facilè contingere vt eius libri Sapientiæ Græcus interpres fuerit eloquens & græcanica pollens facundia, qui dederit operam vt hebraicas sententias eloquio grãdiore faceret personare. Nam sententiæ ipsæ & doctrina illius libri proculdubiò hebraicam habent materiam atq; historiam, non græcam. Quòd verò idẽ S. doctor negat hunc librum inueniri hebraicè conscriptũ, sic debet intelligi perinde ac si dixisset, se dum illum requisisset, minimè inuenisse. Inuentus est tamen tempestate nostra. Quare & antiquum esse oportet. Nam quis mortalium è græco aut latino fecisset hebraicum, & cuius rei gratia? Iudæi enim non recipiunt nostra. Illũ verò librum, qui tam explicitè in secundo capite Domini nostri passionem, et Iudæorum incredulitatem atq; sæuitiam ante oculos ponit, quomodo possent recipere? Imò hinc sumimus probabilissimum coniecturam, librum illum fuisse de industria ab Hebræis reiectum: qui praua suorũ patrum consilia in Dominũ nostrũ IESVM CHRISTVM apertè produxerat. Quærn autem, Si non fuerit Salomonis, cuius ergo erit, præsertim cũ in cap. I. VIII. & VIIII. ipse autor manifestè se Salomonem inducet, qui si mendax conceditur, tantum perfectò abest vt inter sacras scripturas commemorandus sit, vt nec vllo pacto sit ferendus. In tanto quippe mendacio deprehensus, quis idoneum eum defendet vt possit adduci in testimonium vllius rei comprobandæ? At quanto minus vt in ecclesijs toto orbe recitetur vt sanctus atq; diuinus? Porrò siue Salomonis fuerit, siue non fuerit, sed fortè aliquis exceptis ex eius monumentis sententijs illum composuerit, iure optimo Salomonis dici potest, sicut de libro qui dicitur Ecclesiasticus rectè creditur. Quare omninò censendum est canonicum esse, & pro canonico ab omni Christiano recipiendum, cum & diuturna temporum serie, et post suscitatas aduersus illius autoritatem controuersias, semper tamen autoritatem maiorem adeptus sit, & à sacrosanctis concilijs & summis Pontificibus in numerum sacrorum librorum sit relatus.

Verùm in illius corroborationem colligamus testimonia ex iam propositis ab initio capitibus. Primò librum hunc esse diuinum & inter canonicos recipiendum, iuxta primam considerationem nostram, Scriptura ipsa sancta testatur. Nam B. Paulus ad Romanos, ad Corinthios, ad Hebræos: & B. Petrus secunda epistola, & Frater Domini videntur ex eis libris sumere sententias, sicut de alijs consueuerunt. Secundò attestatur ipse diuturnus Ecclesiæ vsus, qui sententias in diuinis mysterijs de hoc libro, & similiter de Ecclesiastico assumit, atq; in eum locum trãsfert qui non conuenit nisi diuinis scripturis atq; canonicis: quod quammanifestissimè patet. Tertiò attestatur argumentum ipsum horum duorum voluminum planè diuinum. Ex libro enim illo Sapientiæ, cuius subiectum videtur esse Dei sapientia, quæ in eius admiranda prouidentia prospicitur, tam multa, totq; pulchra ad hanc rem attinentia licet haurire, vt verè sapiens efficiatur ac beatus qui illa seruauerit.

Quòd si locus hic ita postularet, & spatium daretur interpretandi, ostenderem profectò pro virili mea, verissimũ esse quod loquor, tametsi non desint qui ut sapientiores

tiores

tiores cæteris existimentur, detrahunt his scripturis: quod dum faciunt, tum demum maximè declarant se vera Spiritus sapiētia prorsus vacuos. Ostenderem inquā, in ambobus illis voluminibus, videlicet Sapientia & Ecclesiastico, pleraq; nobis patefieri, quæ in alijs veteris Scripturæ libris aut non habentur, aut non tam clarè exprimūtur, quale illud de genere mortis Xpi filij Dei, et de pessimo Iudæorum consilio his uerbis appositissimis longè
Sapien.2. ante descripto. Circumueniamus ergo iustum (inquit) quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiā Dei habere, & filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Grauis est nobis etiam ad uidendum: quoniam dissimilis est alijs uita illius, & immutatæ sunt uiæ eius. Tanquàm nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à uijs nostris tanq; ab immunditijs, & præfert nouissima iustorum, & gloriatur patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones illius ueri sint, & tentemus quæ uentura sunt illi, & sciemus quæ erunt nouissima illius. Si enim est uerus filius Dei, suscipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus eum, ut sciamus reuerentiam eius, et probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum. Erit enim ei respectus ex sermonibus illius. Hæc cogitauerunt & errauerunt. Excæcauit enim illos malitia eorum. Et nescierunt sacramenta Dei, neq; mercedem sperauerunt iustitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum. Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum: Inuidia autem Diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur autem illum qui sunt ex parte illius. Vide nunc prudens lector, an poterat uel historica narratione mors ipsius Domini euidentius ante oculos Iudæorum poni. In eodem libro redemptio Adæ cōmemoratur facta per Filium Dei, qui est sapientia Patris, quæ nunq; in alijs Scripturis apparet. Ibidem & in libro Ecclesiastici plura reuelantur de recto atq; integro primi hominis statu, quæ nullo alio loco in uniuersa Scriptura reperies. Longum præterea esset recensere singularia quæq; ibi tradita ad magnificandam sapientiam & prouidentiam Dei benignam & misericordem in omnes, contra noua hæreticorum placita. Verùm nunc ad rem nostram redeamus.

Mitto quartam considerationem, & nouissimam aggredior, ut sciat lector à ueteribus & sanctis Patribus, vnanimi consensu hos libros susceptos tanq; Scripturam quamlibet quæ absq; dubio diuina sit & canonica. Et de libro quidem Sapientiæ, ut iam dixi, aliquid citatur à B. Dionysio & ab Irenæo, sicut Eusebius animaduertit. Adiunxi & Egesippum. Hic addo etiam Clementem beatissimi Petri successorem in prima sua epistola. Itē Anacletum in secunda epistola. Euaristum etiam Papā in Epistola prima ad Africanos. Xistum Primum, Aniacetum, Anterum, Cornelium, Xistum Secundum, Dionysium, Felicem, Eutbicianum, Marcellinum, Eusebium, Iulium, Damasum, Leonem, Pelagium. Hi omnes Romani Pōtifices de his duobus libris attestati sunt, citantes de ipsis tanq; de diuina & prophetica scriptura, idq; nedum ad formandos mores, sed ad dogmata statuenda uel confirmanda.

Non sum nescius & alios propemodum innumeros, cum summos Antistites, tum etiam insignes Doctores usq; ad hæc nostra tempora de his libris tanquàm uere sacris testimonia protulisse. Nam eo peculiari modo quo sanctæ tantum citari solent scripturæ citātur. Quum enim citantur, sæpenumerò uel absolute nomine Scripturæ, aut cū adiecto, Scriptura sancta, siue sacra, siue diuina, siue prophetica appellantur: quæ epitheta alijs quàm diuinis tribuere literis nefas est. Fateor quidem non defuisse aliquos, sed eos tamen non admodum clari nominis, qui hos libros pro canonicis non habuere. Ex quibus nōnulli B. Hieronymi testimonium sequentes, qui rem claram nisus est conturbare, hæsitauerunt. Verùm contra hos attestatur B. Augustinus, qui hunc librum Sapientiæ à Veteribus in autoritatem fuisse receptum & in ecclesijs decantatū, palàm enunciat, & sæpius aduersus eos qui obiecta inde testimonia nolebant recipere tanq; non esset in Canone & autoritate pollens, unde tractatores Scripturarum potius quærebant qui eadem affirmarent, his
uerbis inuehitur: Sed qui sententijs tractatorum instrui uolunt, oportet ut istum librum Sapientiæ, ubi legitur: Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, omnibus tractatoribus anteponant: quoniam sibi eum antepofuerūt etiam temporibus proximi Apostolorum egregij tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere nisi diuinum testimonium crediderunt. Et paulò inferius: Nec ideò liber Sapientiæ qui tanta numerositate annorum legi meruit in Ecclesia CHRISTI, in quo et hoc legitur, pati debet iniuriam quoniam resistit eis qui pro eis meritis hominum falluntur. Hæc ille. Quamobrem in libro secundo de doctrina christiana ubi Canonicos libros enumerat, de his duobus libris ita scripsit: Nam illi duo libri, unus qui Sapientia, & alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Iesus filius Sirach eos scripsisse constantissimè perhibetur, qui tamen quoniam in autoritatem recipi meruerunt, inter propheticos annumerādi sunt. Hæc ille. Quid uerò necesse est citare alios, ut B. Ambrosium, qui passim de Tobia & Iudit & his libris Sapientiæ & Ecclesiastici, quasi diuinis, sententias profert, et Latini omnes similiter? De Græcis autem quis unquàm fuit qui non hos probauerit, & re uera canonicos habuerit? Certè D. Basilius de libro Sapientiæ obiectat aduersus Eunomium prima uerba noni capitis tanq; uerba diuina, & tanq; Salomonis.

B. Augustinus de prædest. Sāctorū. c. 14

NOTA.

D. Basilius lib. 5. aduersus Eunomium.

Cyrillus etiam sæpenumerò de Ecclesiastico. Deniq; nullus est ueterum nobilium tractatorum, qui hos libros non receperit ut canonicos. Sed quæ omnium aduersantium deberent ora claudere, extant sacra Concilia. Est enim Concilium Cartaginense Tertium, cui præsens interfuit B. Augustinus, ubi ij libri ut uerè diuini cum

I

cæteris de quibus nulla est dubitatio computantur, & Salomoni ob iam redditas causas ascribuntur.

In Concilio Triburiensi sancti illi Patres autoritate libri Ecclesiastici nitentes, statuerunt Canones. Idem factum est in Concilio magno Lateranensi cap. 70. Ioãnes item Secundus & Iustinianus in edicto quod comprobandum ad illum Pontificem transmisit, ambo de libro Sapientiæ tanq; de diuina scriptura inducunt sententias. Sed, quod adhuc maius est testimonium, Innocentius Primus ad Exuperium, ad eius informationem de libris canonicis in hunc modum scripsit atq; decreuit: Qui verò libri recipiantur in Canone sanctarum scripturarum, breuis annexus ostendit. At inter eos qui sunt ueteris testamenti, absq; ulla hæsitatione hos duos libros Sapientiæ & Ecclesiastici annectit.

Gelasius Papa cum Concilio septuaginta Episcoporũ, in primo librorum ueteris testamenti ordine, quem sancta & catholica Romana suscipit & ueneratur Ecclesia, hos libros nominatim attexuit, suo quemlibet titulo uocans. Deinde Concilium Florentinum hoc ipsum perspicuis & magnificis uerbis contestatur dicens: Firmiter credit & profitetur et prædicat sacrosancta Romana Ecclesia unũ atq; eundem Deum noui ac veteris testamenti, hoc est, legis & Prophetarum atq; Euangelij: quoniam eodem Spiritu loquuti sunt, quorum libros suscipit & ueneratur, qui titulis sequentibus continentur &c, ubi hos libros nominatim cum reliquis annumerat. Quid igitur dubij, quid scrupuli homini uerè catholico iam superesse potest?

Dicet aliquis, In Concilio Laodiceno, ubi similiter ponitur sacrorum librorum catalogus, hi duo non annumerantur. Fateor, modo fideliter illius Concilij tenor conscriptus sit. Nam uehementer suspicor fuisse à sciolis quibusdam de scriptura illa semotos. Etenim cũ ibi prius fiat Canon his uerbis: Non oportet ab idiotis psalmos cõpositos & vulgares in ecclesijs dici, neq; libros qui sunt extra Canonẽ legere, nisi solos canonicos ueteris et noui testamenti, continuò subiectum legitur: Quæ antẽ oporteat legi et in autoritatem recipi, hæc sunt &c, in qbus non ponit hos libros. Quare iuxta illum Canonem prohibiti sunt legi in ecclesijs & in autoritatem recipi. At hoc nunq; seruatum est. Quamobrem uel illud Conciliũ (ut dixi) hac parte mendosè conscribitur, aut testimonium eius caret autoritate, quandoquidem uniuersalis Ecclesiæ usus illi penitus aduersatur, nec usus tantùm, uerùm & aliorum etiam uniuersalium conciliorũ autoritas. Nam & in Concilio illo Cartaginensi Tertio, placuit, ut præter canonicas scripturas nihil in Ecclesia sub nomine diuinarum scripturarum legeretur. Postmodo uerò declarans quæ sint canonicæ scripturæ, disertè inter eas duos istos connumerat. Quamobrem nouissimè Concilium Tridentinum hæc omnia summa cum diligentia ponderans & animaduertens, hos & alios quosdam libros, de quibus recentes magistri dubitationem mouerant, magno consensũ declararunt uerè esse de Canone. Non .n. ipsi posuerunt, sed iam olim consistentes noua declaratione confirmarunt.

Hactenus ergo de his satis est disputatum quantum attinet ad libros ueteris testamenti. Nulla enim de alijs libris est dubitatio, nisi quam nouissimè solus Erasmus de libro Hester commouit, si tamen dignum est vt quicquid vnus aut alter excucullatorum effutuerit, siue potius quod ei Diabolus suggesserit, debeat in dubium reuocare quæ in Ecclesia sunt indubitata. Quamobrem ad ea tandem ueniendum est quæ de nouo testamento quidam similiter in controuersiam uerterunt.

De libris noui testamenti.

Ecce de epistola primùm B. Pauli ad Hebræos aliquando à Latinis (teste B. Hieronymo) dubitatum est: qua occasione capta studiosi contentionum & suipsorum nimium amantes, inter quos Coryphæus Erasmus, exuscitarunt in primis dubiũ, an illa esset B. Pauli, & deinde, sit'ne inter canonicas scripturas computanda.

De epistola ad Hebræos.

Et hi quidem (ut sæpe quùm non ambulatur in veritate contingit) nec secũ concordant. Erasmus. n. licet tanquàm probabilius acceperit non esse Pauli, eam tamen esse canonicam non inficiatur. Alij econuersò si non sit certò B. Pauli, nec esse canonicam ausi sunt asserere. Et cum dubium esse dicant an sit B. Pauli, consequenter hoc stante dubio, non esse tanq; uerè canonicam recipiendam volunt. Vnus autem eorum qui in ea sunt sententia Caietanus est & qui illum hac parte sectantur. Arguit autem ille quibusdam argumentis ut euincat non esse B. Pauli. Verùm nos primùm inuictissimis testimonijs conuincemus eam esse & Pauli & canonicam: tum clarè ostensuri sumus eorũ argumenta eousq; futilia, ut quædam sententiam nostram plurimùm confirment.

Argumenta ostendentia epistolam ad Hebræos esse B. Pauli.

Esse igitur B. Pauli Apostoli, Primùm ab ipsamet epistola ob unam hanc rationem potissimum suadetur, quòd & titulo careat & nomine autoris, cuius rationis singulare argumentum innenitur in B. Paulo. Scripsit enim (inquit B. Hieronymus) ad Hebræos, quem infensi plurimùm oderant. Vnde nomen proprium amputauit, ne odium nominis vtilitatem excluderet lectionis. Quæ ratio ad nullum alium uerius potest quàm ad Apostolũ Paulum conuenire.

Secundò, ab ipsamet epistola capite vltimo educitur, vbi autor epistolæ indicat se Hebræum secũdum carnem: quod nec Caietanus negat. At Clemens B. Petri discipulus, qui à quibusdam creditur huius epistolæ autor, Romanus erat, nec ei conueniunt illa vltimi capitis verba, quibus significat se illis celerius restitutum iri si hortationem benignè ac seriò reciperent. Et hoc totum concedit Caietanus, uidelicet & Hebræum fuisse, & Clementem non fuisse eius epistolæ autorem. Nota hoc amice lector, et serua. Nec itẽ Tertullianus fuit Hebræus, ut multò minus credi debeat huius epistolæ autor. Et certè fatuum est de Tertulliano vel suspicari, cum et malè audierit in Ecclesia, nec (ut arbitror) tantus erat, q tam doctè posset capere huius epistolæ mysteria, ne dicã docere, præter hoc quòd multi catholici Patres anteq; Tertullianus esset in rerum natura, de hac Epistola protulerunt testimonia. Quamobrem alias rationes, ueluti

minimè necessarias prætermitto: vt est illud quòd ignorabat hebraicũ idioma, quo primùm hæc epistola scripta fuisse magnis testimonijs perhibetur.

.2. Petri. 3.

Tertiò huic epistolæ attestatur B. Petrus Apostolus, qui & ipse ad Hebræos præcipuè scribens, hortatur eos vt longanimiter ferant, expectantes diem retributionis, sicut charissimus frater noster Paulus (inquit) secundum sibi datam sapientiam scripsit uobis, sicut & in omnibus epistolis. At certè ni volumus proteruire, illa fuit propriè materia & argumentum illius epistolæ ad Hebræos, qua passim eos deprecatur ut permaneãt, et lõganimiter expectẽt. Vnde cap. 3. ait: Participes. n. sumus Christi, si tamen initium substantiæ eius vsq; in finem firmum retineamus. Et cap. 6. Cupimus autem unumquemq; uestrum eandem ostentare solicitudinem ad expletionem spei vsq; in finem, ut non segnes efficiamini, uerùm imitatores eorum qui fide & patientia hereditarunt promissiones. Et cap. 10. Nolite itaq; fratres amittere confidentiam uestram, quæ magnam habet remuneratiõe. Patientia enim vobis necessaria est. Deniq; cap. vltimo ac penultimo, ac in tota epistola nihil aliud agit quàm hortari ut permaneant in CHRISTO, ne quis excidat et desideretur. Quare non rectè hic occurritur à Caietano. Videat qui volet: Ego quidem non puto digna recitatione.

Quartò esse epistolam tanti Apostoli, ipsum epistolæ argumentum, ipsa verba quæ uerè sunt tonitrua, ipsa doctrina mysterijs & Scripturarum profundissimo intellectu referta, satis superq; testantur, sicut uiri magni et spirituales confessi sunt, vel ipsemet B. Hieronymus, in quo tamen uno aduersarij maximè sed immeritò innituntur.

B. Hierony. in epist. ad Titũ.

Quintò, magnum est pro hac epistola argumentum, eos qui primi derogarunt fuisse hæreticos: quoniam per illam (B. Hieronymo teste) uehementer confutabantur. Idem testatur Epiphanius in libro secundo contra hæresim Arrianam disputans, illisq; obiectans, qua fronte ex hac epistola producerẽt testimonia, cum eam ex professo non reciperent.

Ecclesiæ autoritas

Sextò, huic epistolæ attestatur longissimus totius Ecclesiæ catholicæ usus, quæ in maximis solennitatibus Saluatoris de hac epistola sub nomine B. Pauli clara voce legit & cantat, cuius unius uoci longè magis est credendum quàm sexcentis istorum nouorum magistrorum argutationibus, quæ nihil aliud sunt nisi meri cauilli & inanes fallaciæ.

Conciliorum autoritas.

Septimò, attestãtur huic epistolæ plurima sacrosancta Concilia. Ponam primo loco prouincialia. Est Concilium Laodicense, vbi manifestè hæc epistola inter cæteras B. Pauli recensetur. Est & Carthaginense Tertiũ, cui interfuit D. Augustinus. Ibi non ab re particulariter ac separatim à cæteris epistolis hæc ad Hebræos nominatur, & B. Pauli Apostoli esse decernitur ad tollendam (ut mihi persuadeo) omnem dubitationem, quæ tũc etiam inter catholicos, tamen ab hæreticis inuecta, uigebat. In Concilio etiã Arausicano producitur, atq; nominatim asseritur esse B. Pauli. Est & multò antea Nicenæ Synodi testimonium, quæ hanc epistolam, cum illã præcipuè (teste Epiphanio) Arriani negarent, esse B. Pauli declarauit, & in autoritatem extulit. Est præterea Ephesina Synodus, ubi contra Nestorianum hæresim de hac epistola sumpta sunt testimonia tanq; de scriptura sancta & apostolica & illius vasis electionis doctrina ad hæreses confutandas. Et secundum Theophylactum plures hæreses per hanc epistolam damnatæ sunt. Extant & quæ item superius adduximus decreta, uidelicet, Innocentij Primi tradentis canonicorum librorum catalogum: Et Gelasij Primi, qui cum septuaginta Episcopis id operis multò diligentius expleuit: Et Eugenij Quarti in Concilio œcumenico Florentino: quæ omnia nõ aliter huic epistolæ atque alijs Scripturis attestantur. Quamobrem nostris diebus in Concilio Tridentino nulla facta est hac de re quæstio, tanq; iam transacta & certa nimis.

Pont. decreta

Octauò, sunt pleriq; magnæ gloriæ Autores, qui nõ ferentes rem eousq; insolentiæ plenam, aduersus nõnullos qui hanc epistolã è canonicis sufferre moliebantur, tanq; in contentione uersantes, magnis eam testimonijs tutati sunt: & ijs quæ ex aduerso obiectabantur, argute & cum lumine ueritatis satisfecerunt.

Sãctorum patrũ testimonia.

Clemens ergo Presbyter Alexandrinus magister Origenis, ut Eusebius scribit, hanc epistolam absq; dubio & B. Pauli esse, & canonicam, aduersus secus opinantes atq; effutientes constanter defendit.

Origenes quoq; in contradicẽtes (eodem Eusebio teste) ijs uerbis est contestatus: Is uerò qui idoneus factus est minister noui testamenti, non literæ, sed Spiritus, Paulũ dico, qui repleuit Euangelium ab Hierusalem in circuitu usq; ad Illyricum, nec ad omnes ecclesias quas docuerat scripsit, sed quatuordecim solas epistolas: quamuis & nonnulli de ea quæ ad Hebræos scripta est dubitent, pro eo quòd non uideatur in ea seruari illa eius sententia quã de seipso pronunciat, dicens se imperitum esse sermone. Sed ego dico, sicut mihi à maioribus traditum est, quòd manifestissimè Pauli est, & semper omnes antiqui maiores nostri eam ut Pauli susceperunt. Hæc ille.

B. Ioannes Chrysostomus in ea quæ ad Romanos, idẽ defendit, & argumentis aduersariorum, sicut alij, quasi una uoce respondit.

Sedulius quoq; non ignobilis autor quæstionem hanc faciens, eam esse B. Pauli tandem concludit.

Theodoritus in principio argumenti in epistolã ad Hebræos

Extat & Theodoriti viri doctissimi egregia ac notatu dignissima huius ueritatis pronunciatio in hæc uerba: Nihil faciunt admirandum qui morbo Arrianico laborãt, si aduersum literas apostolicas furiant, & epistolam ad Hebræos à reliquis separent, & eam adulterinam appellent. Qui enim aduersus Deum & saluatorem nostrum linguas mouent, quid non ausi fuerint aduersus eius beneuolos & grandiloquos ueritatis præcones? Ipsius enim Domini uox est: Si me persecuti sunt, & uos persequentur. Oportebat autem ipsos, & si nihil aliud, temporis quidem certè diuturnitatem reuereri, quo hanc

epistolam in ecclesijs perpetuò legerunt alumni ueritatis. Ex quo enim literarum apostolicarum fuerunt ecclesiæ participes, ex illo etiam epistolæ ad Hebræos vtilitatem percipiunt. Quòd si nec hoc quidem ad eis persuadendum satis est, Eusebio quidem certè oportebat eos Palæstino credere, quem patronum suorum decretorum appellant. Nam is etiam diuinissimi Pauli hanc esse epistolam confessus est, & ueteres omnes hanc de ea sententiam habuisse asseruit. Sed ij, omnibus iussis ualere, aduersus ueritatem impudenter decertant, apostolicæ Theologiæ, qua procemium exornauit, splendorem non ferentes. Cum enim non possent resistere ijs quæ de unigeniti diuinitate apertè dicta fuerant, ausi sunt totam epistolam eijcere, cum tamen & decreta & aliæ sententiæ magnã habeant cognationem cum alijs epistolis. Suæ autem accusationi hunc prætextum afferunt, quòd apostolica appellatio non sit similiter posita in procemio. Oportebat autem eos considerare, cum eorum qui ex Gentibus, non eorum qui ex Iudæis crediderant, fuisse cõstitutum Apo-

Act. 23. stolum. Etenim dixit ei Dominus: Festina, & hinc cito egredere. Non enim suscipient testimonium tuum de me. Vade quoniam ad Gentes procul mittam te. Eiusmodi etiam pactum conuentum cum alijs inijt. Iacobus enim,

Gal. 2. inquit, & Cæphas & Ioannes, qui uidebantur esse columnæ, dederunt mihi & Barnabæ dextras societatis, vt ipsi quidem ad Circuncisionem, nos verò ad Gentes. Ita etiam scribens ad Romanos dixit: Quatenus ego sum Gentium apostolus, glorifico ministerium meum. Ea de causa cum scriberet ad eos qui crediderunt ex Gentibus, appellationem adiecit, & apostolicam dignitatem addidit, ut Doctor & Magister scribens ad discipulos. Ad Hebræos autem scribens quorum non erat sibi cura credita, meritò nudam dignitate doctrinam eis tradidit. Aliorum enim Apostolorum curationi suberant. Quòd autem spirituali gratia plena sit epistola, & nullam omninò præbeat calumniæ occasionem, singulorũ interpretatio docebit apertius. Hæc ille, ubi uides hæreticorum fuisse commentum, hanc epistolam è Canone desecari. Cui testimonio B. Hieronymus astipulatur his uerbis: Vt

B. Hierony. de cæteris epistolis taceam, de quibus quicquid contrariũ suo dogmati uiderant eraserunt, nonnullas integras repudiandas crediderunt, ad Timotheum uidelicet utranq;, ad Hebræos, & ad Titũ. Et si quidem redderent causas cur eas Apostoli nõ putarent, tẽtaremus aliquid respõdere, & forsitan satisfacere lectori. Nunc uerò cum autoritate hæretica pronuncient, & dicant: Illa epistola est Pauli, Hæc non est: ea autoritate refelli se pro ueritate intelligant, qua ipsi non erubescunt falsa simulare. Hæc ille. B. Epiphanius idem (ut supra citauimus) contestatur.

B. Augustinus D. Augustinus cum de hac epistola sumeret testimonium, atq; animaduerteret nonnullos Latinorum eam non recipere, suum clare proferens iudicium, profitetur se malle orientalium ecclesiarum sequi autoritatem, apud quas, etiam teste B. Hieronymo, quin illa epistola esset B. Pauli nulla erat ambiguitas.

Est & Theophylacti terribilis in aduersarios senten- Theophylact.
tia, cuius uerba hæc sunt: Non possum equidem non admirari multorum hominum impudentiam, qui cum intelligant per epistolæ huius exordium fuisse tot hæreses confutatas, haud tamen desistant efferere hanc epistolam haud B. Paulo conuenire, ceu à cæteris epistolis alienam. Velim tamen non esse hos nescios, epistolæ huius & sensuum profunditates & uim illam inconfutabilem, nullius esse alterius posse quàm Pauli, qui CHRISTVM haberet in se loquentem. Quòd si dicendi modus illos offendit, intelligant Paulum hebraica lingua hanc dictasse epistolam, ut qui ad Hebræos haberet sermonem, & unum de suis contubernalibus in græcum uertisse. Et pleriq; Lucam hanc transtulisse ferunt, aut Clementem, cuius etiam in ea uel stylus seruetur. Nec secus ij peccant qui hanc esse Pauli epistolam negant, quàm si à Paulo abesse CHRISTVM negarent. Hæc ille. Et uerè sic se res habet. Non enim tam est impietatis quàm dementiæ, putare tantum torrentem aduersum se irruentem posse repellere, aut tantam testium nubem substinere.

Mitto breuitatis gratia ex recentioribus gloriosis doctoribus plurimos, quales sunt B. Anselmus, D. Thomas noster, Dionysius Carthusiensis, & pleriq; alij doctissimi homines qui commentaria ad illam epistolam ediderunt. Nam ij omnes, nemine prorsus reclamante, unanimiter concludunt hanc epistolam esse B.Pauli Apostoli, & sine ulla dubitatione canonicam. Neq; uerò ignorarunt friuola istorum & inania argumenta qui contrariam nitebantur tueri sententiam, quibus breuiter (quemadmodum rei ipsius indignitas poscere uidebatur) respondent, & ea explodunt.

Nono, pro hac epistola citabo singulariter sanctissimos uiros, clarissima Christianæ religionis lumina, quæ ab Ecclesiæ incunabulis toto orbi illuxerunt, qui citra omnẽ dubitationem hanc epistolam ut B. Pauli & ut canonicam receperunt, citantes testimonia de illa aduersus hæreticos. Incipiam autem à summis Põtificibus. Est in primis san-
ctus Clemens B. Petri discipulus & Pontifex maximus, Testimonia
in sua ad Corinth. epistola sicut testatur Eusebius. Idẽ sanctorum Pon
in epistola sua prima ad B. Iacobum fratrem Domini de tificum Rom.
hac epistola ad Hebræos testimonia citat non quasi sua, sed ut alterius: quominus est æstimandum illum autorem fuisse. Est & Anacletus quintus à B. Petro. Hic ex ea epistola citans, Paulum exprimit autorẽ. Idem Euaristus sextus à B. Petro in epistola sua ad Africanos Episcopos. Idem Iginius. Idem Sother. Idem Cornelius. Idem Marcus. Idem Iulius. Idem Liberius. Idẽ Felix Secundus. Idem Innocentius. Idem Leo. Idem Gelasius. Idem Ioannes Secundus. Idem Gregorius. Et post illum quicunq; aliquid ediderunt in eandem conuenisse sententiã proculdubiò testati sunt. Vnde Paschalis Secundus in sua confessione quam fecit in Lateranensi Concilio, de hac epistola accipit testimonia ac sententias tanquàm B. Pauli Apostoli. Quis ergo ausit contra tot & tantos Pontifices hiscere, & tamen se esse Christianũ reputare?

Testimonia veterum sanctorum patrum.

Venio nunc ad alios testes, qui etsi non fuerunt summi Pōtifices, fuerunt doctissimi ac sanctissimi uiri. Primus est S. Dionysius ipsius B. Pauli discipulus. Deinde B. Ignatius discipulus Ioannis. Item Irenæus Episcopus Lugdunensis. Ille etiam Clemens Alexādrinus Presbyter de quo mentionem superius fecimus, & Origenes eius discipulus. Item B. Alexander pariter Alexandrinus Episcopus. Item D. Athanasius, Epiphanius, Eusebius, Basilius, Ioannes Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, & alius Nissenus. Item Cyrillus, Damascenus, & (ut uno uerbo me expediam) omnes Græci alicuius nominis. Ex nostris autem B. Cyprianus, Ambrosius, Hilarius, Augustinus, & (uelit nolit Erasmus) etiam B. Hieronymus. Sedulius etiam quem superius memoraui. Sunt & innumerobiles sequentium seculorum Doctores, Beda, Remigius, Alcuinus, Rabanus, Anselmus, Bernardus, Thomas, Vgones, Dionysius Carthusianus, et alij sine numero. Neq; enim ullus inuentus est qui catholici nomen seruauerit, qui contra hanc epistolam ausus sit uel non esse B. Pauli, uel non esse canonicam dubitare: nisi quòd hac nostra misera tempestate, quando iam quicquid cuiq; libet, asserere etiam sibi licitum putat, isti noui sapientes ac magistri suis argutijs eam reuocare in dubium pertentarunt. Pertentemus igitur & nos quibus argutijs id prosequantur.

Resoluuntur argumēta cōtradicentium.

Primo aiunt se autoritate B. Hieronymi inniti. Vnde Caietanus hoc pacto contra hanc epistolam mouetur: Hieronymum, inquit, nacti sumus regulam discretionis canonicorum librorum. Certum est autem quòd Hieronymus de hac epistola, utrū sit Pauli, dubitauit. Si autē non fuerit Pauli, non erit canonica. Non igitur certò possumus statuere uel esse Pauli, uel esse canonicam. Hoc primum est ex doctrina Caietani argumentum: quod certè omni ex parte falsum est, tum in eo quod assumit, tum quod concludit. Quis enim dedit unq; B. Hieronymo ut esset regula discretionis canonicorum librorum, cū Ecclesia sancta sit regula? Præterea, quòd B. Hieronymus dubitauerit de hac epistola, unde, quæso, extorquet? Nam uerba B. Hieronymi clarè asserunt & esse Pauli, & esse canonicam, tum in his quæ superius adducta sūt, tum etiam in epistola quam scripsit ad Dardanum, ubi sic ait: Quòd si eam Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas, nec Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsim Ioannis eadem libertate suscipiunt, & tamen nos utraq; suscipimus, nequaq; huius temporis consuetudinem, sed ueterum scriptorum autoritatem sequentes, qui plerunq; utriusq; abutuntur testimonijs, non ut interdū de apocryphis facere solent: quippe qui & Gentilium literarum rarò utantur exemplis, sed quasi canonicis & ecclesiasticis. Hæc ibi. Et in epistola ad Euagriū eam constantissimè B. Pauli esse asseuerat. *Quanq;* (ait) Apostolus in epistola sua ad Hebræos apertissimè definiat, non Abraham suscepisse à Melchisedec decimas diuitiarum eius, sed de spolijs hostium partem accepisse Pontificē. *Quid his poterat euidētius exprimi?* Quādo igitur narrat ex sententia aliorum fuisse dubitatum, non de mente sua illud profert ut rem esse dubitabilem probare uelit.

Dicet hic fortasse aliquis B. Hieronymum fuisse hac in parte sibijpsi contrarium. Egregiam ergo regulam discretionis librorum nobis proponunt, quæ modo aiat, modo neget. Adhæc, si ipse sibijpsi contrarius, utram nos partem accipere debemus? Nunquid illā quam, uel ipso teste B. Hieronymo, hæretici commenti sunt? An eam potius quam omnes catholici & præstantissimi Doctores magno & robustissimo consensu suscipiunt? Quis circa hoc nisi hæretici spiritus ambigere potest?

Præterea, quis probet illam consequentiam quasi formalem: Non est B. Pauli, Ergo non est canonica, nisi qui dicat, Quicquid est canonicum in epistolis oportere esse Pauli? Quanto melius hac parte Erasmus, qui etsi temerariè putauerit non esse B. Pauli, formidauit tamen negare canonicam. Vide igitur ut hoc argumentum in omni sua parte peccat & corruit.

Secundò, mouentur argumento iam nimis detrito, quia scilicet sui autoris nomen inscriptum non habet. Huic obiectioni egregiè respondit ipse B. Hieronymus: Si non est (inquit) B. Pauli, quia nomen eius præscriptum non habet: Ergo nullius erit, quia nullius alterius præscribitur nomen. Quanto ergo prudentius erat uel ob hoc ipsum existimare eam esse B. Pauli, quia singularis in eo fuit nominis supprimendi ratio?

Tertiò, arguunt de stylo, qui cum cæteris minimè conuenit, cum paulò facundior & elegantior uideatur. Quibus idem B. Hieronymus respondet ob hoc accidisse, quòd solam hanc hebraica, idest, propria ac natiua lingua dictauit, cæteras peregrina: vnde non mirum si fuit in ea eloquentior: quanquàm hæc coniectura de stylo non rarò fallax est. Videtur enim vnus quandoq; in quibusdam suis scriptis alius esse ab eo q in alijs itidem suis scriptis conspicitur. Nec est mirum aut nouum eundem hominem diuersa scribentem, stylo uti uario. Hoc mihi euenire experior, qui dum mea quædam post aliquod temporis relego, uix mea esse recognosco.

Illud etiam ipsemet Caietanus fatetur, qui exemplo à B. Gregorij stylo in Moralibus & Pastorali adducto, ostendit quàm parum habeat uirium hæc de varietate styli obiectio. Infirmum itaq; argumentum (inquit) assumitur, quùm unum atq; eundem hominem diuerso stylo quandoq; scribere experientia testetur. Registrum Gregorij tantū dissonat ab alijs scriptis à Gregorio, ut si ex stylo arguendum esset, negaretur Gregorij. Hæc ille. Illud autem hic notandum, quòd Erasmus in primis, deinde Caietanus negarunt hāc epistolam fuisse scriptam hebraicè, idq; contra communem omnium fidem. Quibus porrò argumentis moti fuerint & quàm friuolis, tædet hic referre: alibi confutauimus copiosius.

Quartò, quod maximè pij uiri debent animaduertere propter summam scriptoris arrogantiam, arguunt hanc epistolam nonnullis in locis fauere hæreticis. Nam ex illa hæresis Arriana foueri uidetur, & Nouatiana crudelitas, quæ negabat pœnitentibus ueniam. Quod enim de

Filio dixit B. Paulus, qui cum sit splendor gloriæ, & figura substãtiæ eius, Græcè legitur ὑποστάσεως. Vnde Arriani (ut ait Erasmus) tres ὑποστάσεις ponebant. Verùm quis Catholicorum iam ignoret Erasmũ de spiritu Arrij participasse? Tantum enim abest ut faueat Arrianis illa epistola, ut per eam maximè confodiantur, ut egregiè Theodoritus testatur. Quamobrem ipsimet Arriani hanc epistolam non recipiebant. Et certè Apostolus ibi uocans Filium figuram siue characterem paternæ hypostaseos, eleganter ostendit personam, ut sancti Doctores exponunt. Vnde & tres hypostases rectè dici possunt tres illæ diuinæ personæ, cum uerè sint subsistentes: nec ob id fauetur Arrianis. Quòd itẽ uideatur ex cap. 6. sufferri locus pœnitentiæ, ut uoluit Nouatus, à malo intellectu procedit, quem parit arrogantia, quæ non patitur intellectum captiuari in obsequium fidei. Etenim si volumus eam non esse Scripturam unde ansam aliquam hæretici accipiant, iam nulla erit Scriptura: quoniam ex omni fermè Scripturarum loco ipsi accipiunt ansam. Nã cõtra perpetuã immaculatæ Virginis MARIAE uirginitatem, nónne in euangelio B. Matthæi innituntur? Et Arriani contra diuinitatem CHRISTI, nónne potissimùm in B. Ioannis euangelio, & similiter cæteri? Longũ autem esset de singulis exempla proponere. Hæc quæ modò attuli seruiant pro omnibus Scripturis: quoniã & similia argumenta struunt increduli contra libros Sapientiæ & Ecclesiastici & Machabæorum, quæ libuit meritò præterire, quoniam & meritò contemni possunt.

Quintò, annotauit particulariter Caietanus, ꝙ huius epistolæ autor Scripturam illam, Ego ero illi in patrem, quæ ad literam loquitur de Salomone, detorsit ad Christum. Eodem penitus argumento usus est Iulianus Apostata contra B. Matthæum, quòd scilicet Scripturam illã: Ex AEgypto uocaui filiũ meum, quæ ad literam loquitur de toto populo Hebræo, detorsisset ad CHRISTVM ut imponeret Gentibus. Quo in loco ambo suam imperitiam præter insignem arrogantiam ostenderunt, ignorantes quæ ad literam sæpenumero de alijs dicuntur, ea secundum spiritum & perfectam ueritatem impleri in Christo, ut eleganter de utroq; loco B. Hieronymus declarat, & nos alibi.

Sed instat Caietanus, Quinimò quædam ibi dicuntur quæ non possunt conuenire Christo, quale est illud: Si iniquè aliquid gesserit, arguam eum. Nos autem uersa uice dicimus, etiam ibi quædam dici quæ non possunt cõuenire Salomoni, nec alij cuiq̃, nisi Christo. Dixit enim Dominus Dauidi: Cumq; completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum eius. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronũ regni eius usq; in sempiternum. Ego ero ei in patrẽ &c. Vides quomodo hæc non possunt conuenire Salomoni? Satis enim ibi innuitur, post mortem Dauid egressurum semen de utero eius, cuius regnum esset firmandũ in sempiternum. At Salomon ille potuit'ne, rogo, ex Dauid egredi post mortem ipsius? Non certè, sed ex illo uiuente. Nec post mortem constitutus est rex, sed in solio regio sedit adhuc uiuente Dauid patre, & confirmatus est unctione & prophetia in regnum. Scio posse his aliqd responderi, & aliquo modo uerificari in Salomone, ut sit aliquis locus literæ. Sed spiritus hic quãmaximè erat quærendus, non litera. Nam, ut ad radicem securim ponamus, Nunquid, obsecro, secundũ intelligentiam Spiritus Salomon ædificauit domum Domino? Habitat'ne & requiescit in manufactis templis Dominus? Ad quid enim Scriptura tantopere hoc admonebat? Et Stephanus & Paulus cur testificantur Dominum non habitare in manufactis templis, nisi ut hanc prophetiam de ædificanda illi domo per Salomonem intelligeremus secundum spiritum tanquam ueri Israelitæ & Hebræi? Hoc Caietanus non obseruauit, idq; periculosè si ei crederetur. Adde nec uerum esse in Salomone, quòd regnum eius & sedes fuerit stabilita in æternum. At Scriptura solui non potest, sed impleri debet. Et iccircò miror uehementer quomodo fugerit Caietanum interpretatio huius loci, quæ facta est ab Angelo, & Beatiss. VIRGINI nunciata quùm dixit de CHRISTO: Et dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Hoc enim est quod dixit Dominus Dauidi firmiter de Christo, non de Salomone: Ipse ædificabit domum nomini meo, & ego stabiliam regnum eius usq; in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium.

Dicet aliquis, Quomodo respondes ad id quod sequitur: Qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in uirga uirorum. Respondeo, Ipsemet Dauid hoc declarat: quoniam Christus mysticus etiam peccat, hoc est, membra eius, quæ quùm à Deo arguuntur & puniuntur, & ipse quodammodo arguitur & punitur in illis, sicut & illum persequimur quùm persequimur suos. Illud ergo quod cap. 7. lib. 2. Regum dixit Dominus: Qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in uirga uirorum, idem Dauid in Psalmo. 88. declarat inducens Dominum dicentem: Si autem dereliquerint filij eius legem meam, et in iudicijs meis non ambulauerint: si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint, uisitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neq; nocebo in ueritate mea. Neq; prophanabo testamẽtum meum: & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita. Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit, & thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum & testis in cœlo fidelis &c. Ecce coactus sum prodere huiusmodi magistrorum impudentiam, & ostendere imperitiam circa Scripturarum intelligentiam, ut uideas illos uel in foribus aberrare deuiantes ab Ecclesiæ doctrina perniciosè cum inueniant sectatores.

Sextò, idem uir annotauit, autorem huius epistolæ dum profert testimonium de ueteri Scriptura, imperitè pro PACTO reddidisse TESTAMENTVM. Nam BERITH non testamentum (ait) sub ratione

testamenti, sed pactum significat. Quo in loco tripliciter errat. Primò, quoniam putauit hunc autorem scripsisse graecè, non hebraicè, contra communem omnium veterum persuasionem & priscorum testimonia. Deinde quòd non uidit Apostolum non hoc in loco solummodo accepisse eam uocem ut significaret testamentum sub ratione testamenti, sed etiam in ea quae ad Romanos & ad Galatas, ubi etiam supponens esse testamentum, arguit ex natura testamenti, quae est ut nullus ordinationē patrisfamilias testatoris infringat, aut quid aliud superordinet. Quare si cōcluditur hoc argumento epistolam hāc non esse Pauli, simili ratione concludetur nec illam quae ad Galatas esse Pauli. Tertiò errat, quòd ignorauit nihil obstare quo minus idem pacti et testamenti possit habere rationem, cum & olim heredes pacto constituerentur, ut priscae leges meminerunt. Mitto eam uocem BERITH semper à Septuaginta traductā TESTAMENTVM. Zacharias quoque propheta hanc rationem testamenti declarauit per sanguinem, dicens de
Zach. 9. CHRISTO: Tu quoq; in sanguine testamenti tui emisisti uinctos tuos de lacu. Imò ipse CHRISTVS dixit: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Sed indignum erat vt haec tam clara & quae ab omnibus absq; scrupulo sunt accepta, ob quemlibet proferentem sermonem iterum in disceptationem uocarentur. Nec tamen ex altera parte committi debuit ut silentio praeterirentur: quoniam intolerabile prorsus est audire christianae professionis hominem, qui ausus fuerit autorem tantae epistolae ijs nominibus notare, à quibus ego abhorreo.

Septimò, cum autor huius epistolae annumeret se cum his in quos euangelica salus confirmata est per eos qui audierunt à Domino, notat hoc de Paulo uerè dici nō posse, qui non didicit ab homine, neq; per hominem. Hoc argumentum est antiquorum derisorum, cui respondetur quòd B. Paulus hic non ait de doctrina se eam ab alijs didicisse, sed de salute, quae confirmata est in illo sicut in alijs multis per illos qui audierunt à Domino: quod uerissimum fuit. Ipse enim missus fuit ad Ananiam discipulum Domini ut ab illo baptizaretur, & in eo per illum confirmaretur salus, nec sine signo receptae missionis. Et quantum ad illius doctrinam attinet, confirmata fuit
Galat. 2. postea per Apostolos, ne ipse in uacuum curreret aut cucurrisset, ut ipsemet testatur. Scio quid pleriq; respondeant, quos non reprehendo: uideat qui vult. Satis est nos in hoc conuenire, eam epistolam proculdubio B. Pauli esse.

Octauò arguit, hunc autorem qui in arca testamenti fuisse urnam auream & manna & uirgam Aaron memorat, contra Scripturam, 2. Regum. 6. esse loquutum, vbi expressè dicitur non fuisse in arca nisi duas tabulas testamenti. Et non aduertit argumentator, quòd nihil prohibet aliquando fuisse virgam illam & urnam in arca, et aliquando ibi non fuisse, sed solas tabulas legis lapideas: quod quidem & ad mysterium facit. Tunc enim oportuit deficere sacerdotium Aaron & manna, quùm in veram terram promissionis veniret per Dominū IESVM, vt patet Iosue, 5.

Nono, taxauit autorem huius epistolae dum ait: Celerius uidebo vos. Non est autem consentaneum (inquit) quòd Paulus qui iam ad Caesarem appellarat ut manus Iudaeorum effugeret, iterum se ad illos spondeat reuersurū. Hoc verò argumentum carnalem sapientiam prae se fert, sicut erat in discipulis Domini, cui Hierosolymam redire volenti dixerunt: Rabbi, modo Iudaei quaerebant te lapidare, & tu uadis illuc? Non ergo minus uerisimile erat hoc factum fuisse à B. Paulo, quod à Domino prius exēplo monstratum agnouimus. Nam cum Hierosolymam redire statuisset, & ab Agabo propheta fuissent illi renunciata uincula & afflictiones, omnesq; magnis precibus hortarentur ne iret, continuò actus in Spiritum, & ardore martyrij succensus, erupit animo inuicto in haec verba: Quid facitis flentes et affligentes spiritum meum? Ego autem non solùm alligari, sed etiam mori in Hierusalem paratus sum &c. Poteram & alijs modis respondere, ac dicere hanc epistolam exaratam esse Romae multo tempore ante ipsius liberationem. Fuit enim biennio Romae semicaptiuus initio imperij Neronis postquàm recesserat à Hierusalem, qui à Nerone absolutus inde recessit, & perlustrauit plagas occidentales praedicans euangeliū vbiq; & iterum reuersus est Hierusalem iuxta pollicita in hac epistola, & inde demum iterum Romam, ita ut anno quartodecimo imperij Neronis, iussu eius, gladio peremptus coronam iustitiae receperit, quo die & B. Petrus est crucifixus. Haec de historijs ueterum & iuxta Scripturas accepimus. Vnde non est mirū si iam exacto biennio iterum Hierosolymam repetere voluerit, cum posuerit illuc tutius ire, uel quòd iam deferbuerat ira illa & indignatio Iudaeorum, uel si non referbuisset, tamen absolutus ipse à Caesare tutus remearet. Non enim ausi essent tam facile contra sententiam Caesaris quicq; molestiae Paulo inferre. Praeterea, non illis omninò perfidis Hebraeis suis persecutoribus scribebat, sed ijs qui iam nomen dederant in professione baptismi, & si illis etiā infensior esset, quòd destructor Legis Mosaycae uideretur.
Act. 22. (margin, beside "Ego autem non solùm alligari")

Mitto alia eiusdem magistri argumenta ita sanè futilia vt taedeat referre, quale est illud, quòd Paulus producat Scripturas non iuxta veritatem hebraicam, sed iuxta Septuaginta: quasi hoc non alibi consueuerit tum ipse, tum alij Apostoli: & quasi non potuerit hoc esse factum ab epistolae interprete, non autore Paulo. Patienter, quaeso, audiat, & mittat parumper affectiones, quae mētem perturbant amator veritatis. An non est omninò miserabile & prorsus intolerabile, quòd hic homo nec in hebraicis literis eruditus, nec admodum in Scripturis versatus, ad quas iam senex accessit, ac de repente protulit commentaria, ausus tamen sit tam confidenter sententiam proferre aduersus autorem huius epistolae, redarguens illum tanq; linguae hebraicae imperitum, & ipsarum Scripturarum ignarum, idq; sit ausus (quod non possum desinere admirari) contra omnium autorum sententiam qui laudē aliquam in Ecclesia meruerunt, & contra Concilia & decreta magnorum Praesulum & summorum Pontificū?

Et cum ita sit, mihi quidem indignatur quòd huiusmodi arrogantias detexerim?

Mitto quod & cunctæ Vniuersitates christiani orbis & illa potissimum Parisiorum, huiusmodi nouorum Magistrorũ hæreses iam retunderant: similiter & concilium quoddam prouinciale Senonensem, & quotquot ex catholicis scripserunt aduersus Erasmum & Lutherum, qui primi in hanc eruperunt effrenatam audaciam. Nominabo primùm felicis memoriæ Dominum Ioãnem Episcopum Roffensem, qui pro fide CHRISTI *martyr occubuit. Hic manifestè huius erroris tanquàm certæ hæresis reprehendit Lutherum. Mitto Dominum Ecciũ, & Ioannem Cochlæum, & alios nonnullos, qui nostris diebus Zelo Sponsæ Christi accensi, magna cum laude scripserunt aduersus nouitates has, quos omnes hic unus Magister non debuit contemnere, præsertim in re tam graui, quæ faueret hæreticis, cum nullam prorsus rationem afferat quæ valeat à viro mediocris doctrinæ censeri saltem probabilis. Et hæc satis in defensionem tantæ epistolæ.*

De Epistola B. Iacobi.

*P*OSuerunt in contentionem B. Iacobi Fratris Domini *epistolam, contra quam tempore nostro Lutherus primùm inuectus est, negans eam habere spiritum apostolicum. Vnde et stramineã nõ ueritus est eam appellare lingua illa uirulenta & perfida, nec ob aliam causam nisi quia ipsa eius lingua proprijs coloribus in ea epistola depicta erat, & similiter ipsa eius doctrina & sapientia plena tumore & contentione & impudicitia & proteruia, utpote terrena, animalis, diabolica. Cum igitur manifestæ sint causæ cur hanc epistolam reijciat, et hæc quidem unde probatur esse catholica, uidelicet, cum displiceat hæreticis eo quòd hæretici sunt, non indiget alia defensione. Illud omninò iniquum, hæreticis tamen frequentissimum, ut quùm quid pro illis facere uidetur, etiam testimonium ex ea scriptura sumant quam ipsi reprobant.*

Verùm non omittamus rationes alias quibus mouentur, ut uideamus quid habeant ponderis. Est autem prima ratio & maxima, quia in ea epistola uidetur esse aliquid quod pugnet cum doctrina B. Pauli de iustificatione. Nam ibi dicitur, hominem non ex sola fide iustificari, sed ex operibus, cuius rei exemplum ponitur Abraham. At B. Paulus eodem Abrahæ exemplo statuit nos non ex operibus, sed ex fide iustificari. Sed nolunt, seu uerius simulant impostores se non intelligere mentem utriusq; Apostoli, qua patefacta facilè nobiscum in concordiam uenirent, sicut non discordarunt illi Apostoli, sed alter alterum declarauit. Saltem audirent B. Augustinũ illos egregiè his uerbis conciliantem: Ergo ex fide iustificatus est Abraham. Iam qui audit, non ex operibus, sed ex fide, obseruet illam uoraginem de qua locutus sum: Vides ergo quia ex fide, non ex operibus iustificatus est Abraham. Faciam ergo quicquid uolo, quia etsi bona opera non habuero, & tantùm credidero in Deum, deputabitur mihi ad iustitiam. Si dixit & decreuit, lapsus demersus est: si adhuc cogitat & fluctuat, periclitatur. Scriptura autem Dei verusq; intellectus, non solum periclitãtem à periculo liberat, sed & demersum à profundo eleuat. Respondeo ergo tanquàm contra Apostolum, et dico de ipso Abraham quod inuenimus etiam in epistola alterius Apostoli, qui uolebat corrigere homines qui malè intellexerant istum Apostolum. Iacobus enim in epistola sua cõtra eos qui nolebant benè operari, de sola fide præsumentes, ipsius Abrahæ opera commendauit, cuius Paulus fidem: Et non sunt sibi aduersi Apostoli &c.

Augustinus in præfatione psal. 31. Item vide in lib. de fide & operibus cap. 14.

Mouentur & alij, quibus durum uidetur aliud eius dictum: Qui in uno offenderit factus est omnium reus. Sed si ijs argumentis nutare Scriptura deberet, quænam, obsecro, stare poterit? Nulla est enim contra quam ulla quid obiectari non possit. Quamobrem necesse est seruari & videre solutiones Doctorum, & si fortè non placeant, captiuare tamen intellectum, & confiteri ignorantiam. Nam quùm aliquid de scriptura iam canonizata venit in dubium, oportet ad B. Augustini exemplũ se demittere, qui sapientissimè dixit, Si quando incideret locus in scripturis sanctis qui ueritati uideretur aduersari, se in eam venire cogitationem ut crederet aut fortè librum mendam habere, aut se veram eius intelligentiam nõ assequi, & constantissimè tenere nihil penitus ibi haberi non sanctum ac verum, sed scriptoris uitio potius esse deprauatum. Et nihilominus locus ille non est adeò difficilis, vt non facilis declaratione reddatur. Nam in omni peccato duo sunt consideranda. Primum est materia, alterum forma. Materia enim peccatorum est multiplex, ut adulterium, homicidium, furtum, odium &c, Sed omnium vna est forma: quia omne peccatum ideò est peccatum, quia est contra Deum. Si ergo materiæ considerentur, non est dubium ab eo qui facit vnum peccatum nõ propterea committi aliud, & ita non fieri reum alterius peccati. Sunt quippe nonnunq; opposita uitia & peccata, ut prodigulitas & auaritia: sed si consideratur ratio peccati inquantum intenditur vel nõ curatur offensa Dei, tunc est verum dictũ illius Apostoli: Qui in vno offendit, factus est omnium reus. Vide vt benè considerans vsus est verbo OFFENDIT, *vt peccati ratio consideretur, quæ est Dei offensa. Et addit rationem hoc manifestè explicantem, subdens: Qui enim dixit Non mœchaberis, dixit & Non occides. Quòd si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis &c. Et voluit dicere: Quemadmodum in eo quod admisisti non curasti legislatorem, ita nec in alio curasses si eadem libido & peccandi occasio oblata tibi fuisset. Nam Deus non ea lege diligendus est ut in vno tantùm uel altero pareatur illi, sed in omnibus prorsus: quia super omnia diligendus est. Quare manifestè loquitur Apostolus ille de peccatis mortalibus, per quæ fit legis transgressio, non de venialibus, ut ipsemet exemplis ac uerbis clarè explicat.*

Qui in vno offenderit etc, quomodo intelligatur.

Sed surrexit idem Magister, qui improbaturus hanc epistolam esse B. Iacobi, & ita incertæ autoritatis, nedum diuinæ & canonicæ, his verbis ausus est scribere; Nõ est vsquequaq; certum an hæc epistola sit Iacobi Fratris Domini, dicẽte Hieronymo in libro de uiris illustribus:

Iacobus Frater Domini unam tantùm scripsit epistolam, quæ de septem canonicis est, quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine eius asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit autoritatem. Hæc ille Magister. Quis autem non magnopere admiretur, quo indicio ex B. Hieronymi sententia elicuerit, hanc epistolam non esse certè Iacobi, cum ipse D. Hieronymus non quidem quasi dubitans, sed palàm asserens sic dicat: Iacobus Frater Domini vnam tantùm scripsit epistolam, & asserat quòd sit vna de septem canonicis, & non obstante quòd ab aliquibus assereretur non esse B. Iacobi, sed alterius qui illius nomine se ornauerit, procedente tamen tempore paulatim obtinuerit autoritatem? Verè non possum desinere admirari quùm ista cogito, quomodo inde educat hanc epistolã non esse certè Iacobi apud B. Hieronymum, & non esse certæ autoritatis & canonicam, cum ab ipso Hieronymo pronuncietur esse Iacobi, & esse unam de septem canonicis, & temporis progressu autoritatem obtinuisse.

Dicet aliquis: B. Hieronymus ait, quòd asseritur nõ esse illius. Sed à quibus, rogo, tum putas assertũ fuisse nisi quemadmodum & hoc tempore fit, nimirum à curiosis & nouitatum atq; controuersiarum amatoribus aduersus Ecclesiam Dei? Nullus enim citatur clari nominis in Ecclesia Dei, qui hoc aliquando dixerit. Et iam eorum temeraria assertio qui hoc aiebant, etiam B. Hieronymi tempore silebat, nec efficere potuit quin suam non obtineret in Ecclesia autoritatem. Et post tanto tempore siluit, vt nisi hoc memorasset Eusebius & D. Hieronymus, nemo putaret de hac epistola fuisse unq; dubitatum. Nam & qui hoc sciebant, non id apprehendebant tanquàm rẽ alicuius momenti, nisi uenissent isti excitatores sepulturã & obsoletorum dogmatum. Eusebius manifestè testatur, Iacobum scripsisse hanc epistolam, quæ prima ponitur inter eas quæ catholicæ appellantur: & licet à nonnullis reijceretur, & non facilè illius meminissent antiqui, sicut nec illius quæ dicitur Iudæ, quæ & ipsa est vna de septẽ: Nos tamen (inquit) scimus etiam istas cum cæteris ab omnibus penè ecclesijs recipi. Hæc ille. Et cum hoc sit nostris temporibus absolutè verum, eam scilicet ab omnibus ecclesijs receptam esse, & tot Synodorum canonibus cõfirmatam, magnopere mirandum est si potest benè fidelibus animis ulla incidere vlterius dubitatio. Nam aliquos aliquando dubitasse, efficacius persuadet ne nos amplius dubitare debeamus, cum eorum dubitationem veritatis luce superatam esse cognoscamus. Alioqui dubitemus & de Christi resurrectione, quia Thomas Apostolus aliquãdo dubitauit.

Eusebius lib. 2. cap. 31.

Sed audi, quæso, alia quoq; argumenta eiusdem magistri. Subdidit: Salutatio hic posita tam pura est ut nulli salutationi cuiuscunq; alterius apostolicæ epistolæ conformis sit. Nam nihil Dei, nihil IESV Christi, nihil gratiæ nihilue pacis sonat, sed prophano more Salutem: nec ipse se Apostolũ nominat, sed tantùm seruum IESV Christi: ex quibus simul iunctis minus certus redditur autor. Hæc ille, tam futiliter & tam perplexè & falsò, ut in stuporem possit conijcere quemlibet sana mente cogitãtem. Dicit enim in salutatione nihil esse Dei, nihil Iesu Christi. Et nihilominus Apostolus, ut ipse citat, uocat se Dei seruum & Iesu Christi. Arguit & modum salutandi ea uoce, Salutem, quasi prophanum, nec animaduertit à se hac obiectione omnes Apostolos coargui, qui ea sola uoce salutarunt Gentes hisce verbis: Apostoli & Seniores fratribus qui sunt ex Gentibus salutem. *Act. 15.*

Dicit hãc salutationem nulli alteri epistolæ apostolicæ conformem: quasi necesse sit hac parte omnes esse conformes, cum B. Ioannes nec salutationem vllam in prima sua ponat, sed statim erumpat dicens: Quod fuit ab initio &c. Et in sua tertia solùm dicit: Senior Caio charissimo, quem ego diligo in veritate. Sed hanc quoq; negaturus est esse B. Ioannis. Nec igitur prima erit B. Ioannis si hoc valeat argumentum.

Verùm pro hac epistola, quòd sit B. Iacobi Apostoli & canonica, possem innumerabiles similiter autores & graues & orthodoxos & sanctos afferre, sed satis esse puto omnia Concilia & Decreta, quæ unà cum B. Pauli Apostoli epistola ad Hebræos etiam hanc absq; vllo scrupulo comprobarunt. Quòd si quæritur insuper expressa B. Hieronymi grauior autoritas, ipse ad Paulinum in prologo bibliorum sic ait: Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas, septem scripserunt epistolas tam mysticas quàm succintas, breues & longas, breues in uerbis, longas in sententijs, ut rarus sit qui non cæcutiat in earum lectione. Alibi etiam pro hac epistola pugnat non iam quasi extra Canonem poneretur, sed cur non prima in ordinẽ catholicarum. Nam quidam non intelligentes mysterium, volebant illas B. Petri propter primatum in ordine præponere: quod B. Hieronymus non temerè reprehendit, tantum abest ut putauerit non canonicam & incerti autoris. *B. Hierony*

Non pigebit autem etiam multò antiquiores testes producere pro hac epistola. Est enim Anacletus in primo suo decreto, qui non semel de hac epistola producens sententias, aperte autorem Iacobum Apostolum nominat. Similiter et Alexander Primus in prima sua decretali epistola. Similiter & Vrbanus Papa, & Stephanus, & Marcellus.. Item Felix Secundus, & Liberius, & alij plures. Nec post illa tempora apud catholicos unquàm fuit reuocata in dubium. Illud maximum argumentum, quòd singulariter ex hac una epistola, sancta Dei Ecclesia Extremæ unctionis sacramentum elicuit, & in usum tradidit, sicut patet ex decreto Innocentij Primi & recentioribus etiam Concilijs. At hoc esset maximum absurdum si hæc epistola non fuisset certi autoris, & certè canonica.

De secunda B. Petri epistola.

NON defuerunt & alij temerarij qui & secundam B. Petri epistulam vocarunt in dubium, Eusebio teste ac Hieronymo, sed argumento planè fallaci, nimirum à stylo. Quæ epistola si non sit B. Petri Apostolorum Principis, certè cuiusdam insignis nebulonis & impostoris fuisse necesse est confiteri. Nam ibi autor testatur se fuisse vnum ex tribus qui in monte sancto viderunt magnificam Christi gloriam, & honoris uocem

audierunt dicentis: Hic est filius meus dilectus. Sit ille igitur potius impostor qui impiè arbitratur Ecclesiam nugas & imposturas recepisse pro sanctis et apostolicis scripturis. Non enim digni sunt quibus aliter respondeamus. Est & in ea epistola grauissimum de B. Paulo & eius epistola ad Hebræos testimoniū, id quod Satanæ et membris eius displicuit uehementer.

De epistola Iudæ.

DE B. Iudæ epistola similiter est dicendum, quæ pariter è Concilijs superius citatis, & sacris tractatoribus multis probata est, & ab antiquis habita ut uerè sacra & diuina scriptura. B. enim Hieronymus sic de illa testatur: Iudas Frater Iacobi paruam quidem, quæ de septem canonicis est epistolam reliquit. Et quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimoniū, à plerisque reijcitur: tamen autoritatem uetustate iam & vsu meruit, & inter sanctas scripturas computatur. Hæc ille. Idem sub nomine Paulæ & Eustochij ad Marcellā testimonia de ea epistola profert his uerbis: In epistola canonica Iudas Apostolus frater Iacobi scribit dicēs: Commonere autem uos volo &c. Eusebius quoq; de illa similiter sicut de Iacobi epistola attestatur. Et Dionysius in lib. de diuinis nom. cap. 4. Et Anacletus in suo decreto primo manifestè de illa tanq; de apostolica & de scriptura diuina citat. Epiphanius etiam de illa producit testimonia, & pleriq; alij. Quòd si non sit eousq; frequens eius epistolæ allegatio apud tractatores, haud mirum, cum sit adeò breuis ut rarò citari possit.

Restat igitur nunc uendicare illam à calumniosis, quā etiam cum alijs à diuinis scripturis resecare conati sunt. Caietanus enim non esse certò Iudæ epistolam, & ita nō canonicam, de mente B. Hieronymi accepit: quia B. Hieronymus dixit eam fuisse olim à plerisq; reiectam: quasi verò si à plerisq; tunc reijceretur, ille quoq; reijcere intelligatur, cum ipse contrarium asserens tam clarè testetur quòd Iudas Frater Iacobi eam reliquit epistolam, & quòd vna est de septem canonicis. Quin & ipsemet Hieronymus ne quis de eius mente perperam interpretaretur, postquàm dixit à plerisq; reijci, cautè adiecit eam nihilominus vetustate & usu meruisse autoritatem, & inter sacras computari scripturas. Quid amplius poterat dicere ad suæ sententiæ expressionem, cum & alibi pro illa absq; ullo scrupulo et formidine censeat? Et quod amplius est, respondet aduersarijs, qui propter illam allegationem ex libro apocrypho mouebantur. Caietanus enim ualdè eo argumento mouetur, ubi legitur: Prophetauit autem septimus ab Adam Enoch &c, aiens: Hic est locus unde Hieronymus dixit refutari hanc epistolam, nec ab re: quoniam etsi citare apocrypha multò magis liceat quàm Poetas, autoritati tamen sacræ scripturæ derogat ut apocrypha prophetia inducatur: quod hic fieri clarè apparet, dum absolutè dicitur, Prophetauit autem. Hæc ille: quæ certè patienter ferre pia pectora non ualent nec debent, cum non absq; blasphemia sugillet huius epistolæ autorem, quem esse Apostolum Ecclesia definiuit, & tam falso crimine sugillet, quòd apocryphum tanq; propheticum accipiat: & non uidit permistam ratiocinatione fallaciam. Non enim quia ex apocrypho quid citatur, confestim sequitur etiam illud citatum esse apocryphum. Multa enim libri apocryphi continent non apocrypha. Et uerè hic homo non tam hac in parte ostendit suam in argumentando inscitiam, quàm contemptum tam ueterum q; recentium Doctorum, qui huic argumento obuiam ierunt & satisfecerunt: quorum tamen ipse non meminit ac si essent prætereundi silentio: nisi quis dixerit illum non uidisse aliorum commentaria. At uidere oportuisset, cum hoc iam nimis detritū esset, & hoc potissimum tempore, ut iuuaret partes Ecclesiæ aduersus recentiores hæreticos, qui hanc epistolam sufferre cum alys conati sunt. Nam et B. Hieronymus in epistola ad Titum resoluit hoc argumentum. Et B. Augustinus in libro de ciuit. Dei cap. 13. Et post illum Beda & Dionysius Carthusianus & alij qui ad hanc epistolam commentaria ediderunt. Porrò quod adiecit, Allegare apocrypha tolerabilius esse quàm Poetas, taxat Paulum Apostolum magis quàm Iudam: quia si Iudas ex apocrypho, ille ex poeta citauit. Deberent ergo isti homines, qui de magisterio gloriantur, non ignorare quid autoritatis tribuant Sancti dum aliquid ex prophanis autoribus in suum usum assumunt. Nam B. Paulus producens ex poeta, non ipsum poetam, sed illius dictū probat et canonizat. Similiter et B. Iudas ex apocrypho libro adducens, non librum, sed dictum illud vt uerum probat, quod iam nō liceat vlli negare, non tanq; in apocrypho contentum, sed tanquàm ex apocrypho selectum, ut non iam apocryphum sit, sed exploratæ compertæq; veritatis.

De secunda et tertia epistola B. Ioannis.

DVas Ioannis Apostoli epistolas simili audacia non sunt olim ueriti quidam à canonicis scripturis resecare, & alteri cuidam Ioanni theologo ascribere, idq; ex Papia, sicut apud Eusebium & B. Hieronymum de uiris illustribus legitur. Sed ego periculo meo ausim polliceri, alicuius hominis illusoris fictione talem circa hoc natam esse deceptionem, qui ab ea celebri existimatione qua Apostolus ille propter excellentiam reuelationum uocatus est theologus, finxit alium esse Ioānem theologum à Ioāne Apostolo, idq; (ut non dubito) in his libris inseruit quos Papias fertur composuisse: nec id solùm, sed & pleraq; alia non solùm quantum ad hanc historiam pertinet, uerumetiam ad dogmata quædam ridicula & fabulosa & indigna Ioannis Euangelistæ discipulo, qualis creditur fuisse Papias.

Adhæc, quia Ioannes euangelista longam hic uixit ætatē, et se presbyterū, idest, seniorē appellabat, iccircò finxerunt alium esse Ioannem presbyterum à Ioanne Apostolo. Quare non facilè sunt hæc credenda, quæ ui ueritatis diuturno temporis cursu suas uires intendētis, euersata iam sunt ac prostrata. Quamobrem meritò in Cōcilijs & catalogis tractatorum obtinuerunt etiam hæ duæ epistolæ suum locum, & autorem suum Ioannem Apostolum. Nam & à multis veterum sub nomine Ioannis Apostoli citatæ sunt. Et B. Hieronymus in epistola ad Euagrium de illis etiam in contentione citat tanq; de Ioannis Apostoli epistolis. Et quod magnum præbet testimoniū,

non

non solùm stylus, uerum etiam sermo Dilecto peculiaris ibi apparet. Quis enim alius ausus fuisset dicere: Et testimonium nostrum uerũ est, nisi ille qui recubuit in sinu Domini, qui & eodem sermone euangelium suum firmauit aiens: Scimus quia uerum est testimonium eius.

de Apocalypsi B. Ioannis. DE Apocalypsi quoq; eiusdẽ B. Ioãnis Apostoli aliquando dubitatum est, sed ab his citra dubitationẽ qui nouitatibus ad facessendum Ecclesiæ negotium delectabantur, & quibusdam argumentis friuolis vulgus inconstans commouere studebant: quod etiam nostra ætate quidam simili ingenio præditi, iterum iam confractum et sepultum dogma excitarunt. Horum primus fuit Erasmus, qui in suo Ecclesiaste ausus est dicere epistolas Apostolorum catholicas nouo testamento finẽ imponere. Primùm verò contra hanc Apocalypsim mouetur ex titulo, qui in græcis habetur Ioannis theologi, non autem Ioannis Apostoli. Qua in parte uoluit uafrè illudere, cum homo plurimæ lectionis minimè esset ignarus hunc Apostolum propter euangelium suum, in quo tam altè de VERBI diuinitate intonat, meruisse ut solus insigniter Theologi nomine honoraretur. Sic enim illum uocauit D. Dionysius Areopagita & plures alij Græci, ut Origenes & Chrysostomus et Gregorius p̃sbyter in uita Nazãzeni, et alij.

Verùm profert Erasmus Dorotheum quendam Tyri Episcopum, qui cum dixisset Ioannem scripsisse euangelium in Pathmos insula, Apocalypseos non meminit. Vide, rogo te lector, argumenti futilitatem pari cum malignitate coniunctam. Quia, inquit, Dorotheus non meminit Apocalypseos Ioannis Apostoli, ergo non fuit eius. Quo argumento (si ualeret) etiam cõcluderetur nec tres epistolas esse eiusdem B. Ioannis, quia Dorotheus ille earum non meminit. Hic addo, falsum esse in Pathmos insula Ioannem suum conscripsisse euangelium.

Producit Erasmus & alium Dionysium Alexandrinum Episcopum, qui Erasmi iudicio uidetur existimauisse huius Apocalypsis scriptorem fuisse quendam alium à Ioanne Apostolo. Sed non fideliter de illo Dionysio citat, cum apud Eusebium lib. 7. cap. 23. ex verbis Dionysij non eliciatur quòd ipse putaret autorem non fuisse Apostolum, cum dicat solùm se credere, Ioannem fuisse eius nomen, & scripturam esse sanctam ettã si non esset illius Ioannis Apostoli. Non enim asserit, neq; opinari se fatetur nõ esse Ioãnis Apostoli, cũ loquatur cõditionaliter.

Porrò quòd certò fuerit B. Ioannis Apostoli, est grauissimum Dionysij Areopagitæ testimonium. Est et Melitonis Haudensis Episcopi, ut testatur B. Hieronymus. Est & Irenæi Lugdunensis Episcopi. Est et Iustini martyris, qui etiam in eum librum edidit commentaria. Si autem nullum aliud esset argumentum, nomen quidem ipsum conuenit, quia Ioannes dicitur: & cognomen Theologi, quod insigniter illi tributum fuit. Conuenit & locus insulæ Pathmos, in quam propter uerbum Dei & testimoniũ IESV Christi se fuisse relegatũ ibidem testatur. Conuenit etiam quòd in principio reuelationis dicit se illum esse Ioannem qui testimonium perhibuit uerbo Dei. Non est autem literis idoneè de alio quouis Ioanne proditum, cui eiusmodi proprietates cõuenire æquè valeant.

Sed aiunt, Ille Ioannes Apostolus in euangelio non se nominat suo nomine, hic aũt sæpè repetit, Ego Ioannes, Ego Ioãnes: et nõ animaduertũt quòd in euãgelio texebat historiam de Christo, hic reuelationem propriam sibi factam. Nec enim alij Euangelistæ se crebrò nominant. Sed futilia sunt huiusmodi argumenta, & indigna quibus responderi conueniat. Quòd etiam nunc Lutherus & Erasmus obijciunt, librum hunc nihil continere apostolica grauitate dignum & spiritu, nónne prorsus est indignum vt apostatici spiritus de apostolica grauitate & spiritu diiudicent? At cur non potius imitantur Dionysium illum Alexandrinum Episcopum, cuius autoritate aduersus hũc librum abutuntur? Dixit enim ille: Ego uerò quantum ad meam sententiam pertinet, spernere aut abijcere scripturam libri huius nullatenus audeo, maximè cum multi ex fratribus ita mecum sentiant: sed hoc magis de eo iudico, quòd excedant atq; emineant quæ in eo scripta sunt humanæ conditionis modum, & sit in eo arcanus quidam & reconditus atq; admirandus omnibus sensus, quem & ego admiror ac ueneror, etiam si nõ intelligo. Et ita sentio quòd diuina aliqua sacramenta sermonibus contegantur humanis, non tam iudicio meo discernẽs, quàm fide credens. Et ideò non reprobo quæ nõ intelligo, sed tantò magis admiror, quantò minus assequor. Hæc ille quàm prudentissimè. Et ita debuissent dicere hi noui Magistri, & ita profectò dixissent si spiritu humilitatis & ueræ sapientiæ præditi fuissent. At eũ fuerint tumoris & falsæ scientiæ persuasione ac præsumptionis fumo repleti, iccircò hæc ausi sunt euomere. Non enim turbari debebant figuris illis & inuolucris quibus liber ille refertissimus est, cum sit hoc prophetarum proprium. Nam & ueteris testamenti prophetæ, & Ezechiel potissimum pleni sunt huiusmodi. Sunt uerò & alia grauissimorum autorum pro hac Apocalypsi testimonia. B. Hieronymus quot sunt uerba, tot esse in ea sacramenta asseuerat. Et addit: Parum dixi pro merito uoluminis.

Piget recensere uerba testantium pro illa: satis esse deberet unus Philastrius, qui catalogum texuit hæreticorum. B. etiam Augustinus in libro de hæresibus, inter alios connumerat Alogianos, quia et euangelium Ioannis Apostoli & hanc eius Apocalypsim negabant. Vnde et in Concilio quarto Toletano hoc decretum legitur: Apocalypsim librum multorum Conciliorum autoritates & synodica sanctorum Præsulum Romanorum decreta, Ioannis Apostoli esse præscribunt, & inter diuinos libros esse recipiendam constituerunt. Vnde & sub anathemate cõeluduntur qui illã aut recipere, aut in diuinis legere recusarẽt. Et hæc satis de libris noui testamẽti.

Defendũtur vt canonica aliquot Scripturarũ loca à quibusdam temere reiecta.

QVoniam autem non solùm integros scripturæ sanctæ libros ausi sunt è catalogo segregare, uerumetiam de ijs quos nobiscum canonicos profitentur

particulas aliquas repudiare, non grauabimur hunc quoq; errorem refellere. Iam nemo nescit quid de Daniele abstraxerit quasi nõ canonicum, uidelicet Susannæ historiam, & Belis Draconis, & lacum leonum, & hymnũ Puerorum: & (quod iniquius est) autoritate B. Hieronymi se id agere profitentur, propter quædam ab eo scripta in prologo, quasi illa protulerit de propria sententia, cum re uera ipsomet attestante, non qđ ipse sentiret, sed quid Hebræi aduersus nos obiectare soliti essent recitaret: quod est attentissimè considerandum. Etenim multi hoc in loco decepti sunt, & in alijs similibus decipiuntur, ubi B. Hieronymus aliorum sententias enarrans & non reprobans, uidetur tacitè eas sequi: sed non ita se ueritas habet. Vnde ipse in Rufinum, qui hac persuasione deceptus, obiecerat quòd amputasset sua autoritate de Daniele quæ Ecclesia receperat & in cultu Dei ad ædificationem populorum canonizauerat, in hunc modum respondet: De Daniele breuiter respondeo me non negasse eum prophetam, quem statim in fronte prologi prophetam cõfessus sum, sed quid Hebræi dicerent, & quibus argumentis suam uterentur probare sententiam, uoluisse mõstrare. Quòd autem refero quid aduersus Susannæ historiam, & hymnum trium Puerorum, & Belis Draconis fabulas in uolumine hebræo Hebræi soleant dicere, qui me criminatur, stultum se & sycophantam probat. Non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant explicaui. Quorum opinioni si non respondi in prologo breuitati studens, ne non præfationem sed librum uiderer scribere, puto quòd statim subiecerim. Dixi enim, De quo non est huius temporis differere. Hæc D. Hieronymus. Erasmus tamen in scholijs non est ueritus suspicari uirum tam sanctum hoc in loco mendacem, quasi falsò negauerit se id sensisse quod uerè senserat. De se ipso hoc iudicium fecit dolosus homo, quoniam illud sæpius disputando faciebat. Quare pius lector procacem ac mendacem potius ipsum Erasmum securè arbitrabitur, quàm ipsum B. Hieronymum non ueracem. Satis est aũt nobis in re proposita hoc euicisse, quòd uir ille sanctus & gloriosus aut nunquam sensit illas historias non esse canonicas (si credimus eius attestationi de mente sua) aut si darem secus eum sensisse, nõ perstitit tamen in ea sententia, sed oppositam professus est dicens: Non quid ego sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant explicaui. Quibus uerbis se adhærere contrariæ sententiæ manifestat.

NOTA

Nota pie lector quid Hieronymus sensit.

Erasmus.

Est verò quod aliquem turbare possit: quoniam in sua editione, ut ipsemet fatetur, ea ueru iugulante traduxit, vnde reprobasse uidetur: sed non est ita. Nam ueru illud non erat reprobationis signũ, sed tantùm quod in hebræo non comperijsset, neq; ipse de hebræo trãstulisset. Alioq; si ueru illud uolebat ea quæ non probabat significare, qđ est ergo quod idem ibi ait se imperitis uideri nolle ea detruncasse? Nam sic potius uolebat uideri si id illo ueru significabat. Est ergo manifestus B. Hieronymi sensus, q; propter imperitos uoluit quæ de hebræo non transtulerat, tamen de alia translatione, idest, Theodotionis sumpta, componere cum suis: ueru autem iugulare, ut intelligeretur quid non esset à se translatum, quia illud in hebraicis non comperijsset.

Insuper sum miratus nõ puduisse Erasmum annotare, B. Hieronymum ideircò Belis Draconis appellasse fabulas, ut indicaret eas procul esse à ueritate, cum ipsemet Erasmus multos offenderit, quòd sacras historias fabulas dixerit. At hoc multo minus ei quàm B. Hieronymo licebat. Quis enim ab Erasmo dictum in bonam partem trahere ualeat, cum iam nec terræ nec cœlo pepercerit, & suspicatus sit etiam ipsos Euangelistas memoriæ lapsu aut humana aliqua fragilitate scribendo potuisse in aliquo errare, ita ut nõ habeat pro re absurda in scripturis sanctis aliquem contineri errorẽ? quod quàm sit impium ac periculosum asserere, solummodo expertes pietatis non sentiunt. B. autem Hieronymus ubi fabulas illam historiam appellat, Rufino respondens manifestè declarat in aliam significationẽ se eam uocem accepisse, dum cõfitetur eas quas fabulas uocarat, ueram esse historiam: quo magis miranda est Erasmi calumnia, quem non latuit uocem hanc FABVLA, quæ à fando dicitur, vnde et fabulor, ui ipsa sua non magis falsam q; ueram significare narrationem, quandoquidem & uera fabulari solemus et falsa. Attamen quia id plerunq; non fit absq; mendacio, accommodata est ea uox ut magis ea significet quæ falsa sunt, nisi materia subiecta prohibeat, quemadmodum in proposito abusus est Hieronymus. Neq; adeò temerarius erat, qui erat sanctissimus, ut quod in uniuerso christiano orbe probabatur, ipse iudicio Synagogæ cõsentiens vellet improbare.

Non est autem dubium de hymno illo trium Puerorum, q; ab omni Ecclesia decãtatur iam inde ab ipsius Ecclesiæ incunabulis, ut Rufinus testatur. Similiter & de historia Susannæ & lacu leonũ. Nec debemus ignorare hæc esse à B. Paulo canonizata in epistola ad Hebræos. Nã quod ait: Obturauerunt ora leonum, cui magis conuenit quàm Danieli in eo lacu? Sanson enim non obturauit ora leonum, sed leonis catulum dilacerauit. Et quod adiecit: Extinxerunt impetum ignis, quibusnam, quæso, alijs tam pulchrè conuenire potest, quàm illis tribus pueris? Eorum enim orationibus illud datum est, tametsi Mosi quoq; & Aaron possit conuenire, ut patet ex libro Num. cap. 1. & 16.

Verùm de historia Susannæ sunt plurima & ea qđem clarissima ueterum & Pontificum testimonia. In primis B. Ignatius Martyr in epistola ad Magnesianos, Susannæ historiam probat. Anacletus de Daniele testatur in lacũ leonum misso, quanquàm non me latet bis in lacum leonũ Danielem coniectum fuisse. Cyprianus ad Lucium Papã de tribus illis pueris ex Daniele pariter citat. Vt autem ostendam istas historias apud solos Iudeos & hæreticos non haberi in Canone, Cyrillum Antistitem Alexãdrinũ proferam, qui in libro suo super Leuiticum ferè in principio, Susannæ historiam probans, sic ait: Sed tempus est nos aduersus improbos uti Susannæ uocibus, quas illi qđam repudiantes, historiam Susannæ de catalogo diuinorum

uoluminum

uoluminum desecuerunt. Nos autem & suscipimus, & opportunè contra ipsos proferimus, dicentes, Angustiæ mihi sunt undiq;. Hæc ille, quæ satis ad persuasionem esse possunt homini nõ proteruo, has historias à uiris ecclesiasticis acceptas ut uerè canonicas.

Ausi sunt & nonnulli ultimum caput B. Marci Euangelistæ penè extra autoritatem ponere. Caietanus noster dixit non esse illud solidæ autoritatis sicut cætera Marci indubitata. Quòd si rationem exigis, dicunt quosdam aliquando suspicatos adiectũ fuisse. Quæ quidem ratio si ad hunc effectum esset solida, profectò quilibet posset diuinam labefactare scripturã, et suam illi autoritatem detrahere. Itaq; cum uniuersa Ecclesia de hoc capite B. Marci, præcipuè in maximis solennitatibus Resurrectionis & Ascensionis Domini recitet euangelium, hæc mea sit sententia, Non leuius esse piaculum huic euangelio detrahere, quàm ipsis Domini solennitatibus. Et hoc est lucrũ quod in gazophilatiũ Ecclesiæ inferũt hi noui tractatores, ut Euangelistæ Marci pro integro detruncatum euangelium nobis reddant, & in qua fidei summa consistit, illud succidant.

Simili temeritate calũniati sunt quidam historiã Adulteræ apud Ioannem cap. 8. quam tamen semper in Ecclesijs decantatam fuisse B. Ambrosius testatur.

Similiter de Angelo qui in agone Domini legitur descendisse de cælo ut ipsum consolaretur. Quam historiam Beatiss. pater Dionysius & citat & probat.

Item quod in epistola Dilecti habetur, & in octaua resurrectionis Dominicæ in toto orbe decantatur: Tres sunt qui testimonium dant in cælo &c, à quibusdam negabatur esse illius epistolæ. Vnde Erasmus in prima sua editione tantum testimonium omisit, perinde ac si non attineret ad textum. Caietanus post illum reuocauit in dubium, quia non in omnibus græcis codicibus leguntur, & causam se ignorare fatetur. At B. ipse Hieronymus causam exprimit, dicens, hoc propter translatorum infidelitatem fuisse. Nam in græcis codicibus suo tempora reperiebantur ea uerba. Hæretici uerò in latinum transferentes, de industria omittebant. Vnde & uerisimile est sicut uoluerunt imponere latinis non transferendo fideliter, ita potuisse ex ipsis græcis resecare, unde uaria postmodò uenerunt exemplaria. Idem Erasmus tentauit calumniari eiusdem epistolæ uerba illa: Qui soluit IESVM. Sed hæc non sunt digna quæ in disputationẽ adducantur. Interest quidem plurimum Ecclesiæ, ut quicunque perturbatores sunt & nouarum opinionum satores, noti sint, ne parum eruditi & minus cauti decipiantur. Neq; enim desunt alia ueterum & summorum Pontificũ grauissima pro huiusmodi locis confirmandis testimonia. Iginius enim Papa illud Tres sunt qui testimonium dant in cælo, quasi locum indubitatissimum citat. Idem Iohannes Papa Secũdus. Quamobrem noui isti temeratores, qui nec ulla certa ratione mouentur, sed potius ueterum ac recentiorum hæreticorum exempla atq; vsum consectantur, ut scilicet videantur apud rudem & imperitam multitudinem aliquid præ cæteris sapere, contemnendi penitus sunt: sanctarum uerò Doctorũ, summorum Pontificum, & sacrasanctorum Conciliorum sententijs atq; decretis firmissimè adhærendum.

QVAESTIO AN EXPEDIAT SCRIPTVRAS IN MATERNAS LINGVAS TRANSFERRI.

POSITVM EST hac tempestate in controuersiã, An expediat scripturam sacram in vulgarem cuiusq; nationis linguam & quæ sit etiam Idiotis communis, uerti. Sunt .n. qui istud ob hãc rationem maximè expedire contendant, quoniam scriptura diuina non est aliud quàm medela animæ, eiusq; cibus & refectio. Et cum non sit acceptio personarum apud Deum, sed omnes facti simus dociles Deo, nec sit in Christo IESV Barbarus aut Scytha, rusticus aut ciuis, nobilis aut plebeius, mas aut fœmina, doctus aut indoctus, non negandum esse istis suum cibum ac refectionem uel medicinam eo quòd non colleant latinam aut græcã aut hebraicã linguam, quibus linguis sacræ literæ conscriptæ sunt. Addunt, in Scripturis testamentum Dei Patris, quo filij instituti sunt heredes, cõtineri. Indignum uerò est si ipsis heredibus clausæ & abditæ testamenti tabulæ teneantur. Afferunt & exemplum Apostolorum, qui ut omninò possent ab omnibus intelligi, varijs linguis loquebantur, & unusquisq; audientium agnoscebat linguam suam, & ita ædificabatur Ecclesia. Cur ergo (inquiunt) quod olim ex diuino fiebat miraculo, idem nunc prohibetur humana solertia per uersionem Scripturæ fieri? Alia deniq; afferũt exempla. Nam AEthiopes, Indi, Armeni, Arabes, et quicunq; trium commemoratarum linguarum sunt expertes, habent suo idiomate per translationem sapientum loquentes Scripturas. Diuum Hieronymum ferunt in patriam linguam uertisse sacra uolumina. Memoratur & in Historia Tripartita idẽ fecisse Episcopus quidã Gothus. Hæc sunt ferè argumenta & rationes quas ij proferunt qui sacras scripturas in maternam cuiusque nationis linguam uertendas probabilius esse existimant.

Argumẽta pro parte affirmatiua.

At ecõuersà plura ac longe firmiora uideo pro ijs argumenta qui appositam sententiam existimant ueriorem. Primum (et istud apud me ualet plurimum) quoniam qui priorem partem fouent, omnes ferè sunt hæretici aut de

Argumẽta pro parte negatiua

hæresi suspecti: imò hoios facti autores, pestiferi hæresiarchæ, nempe Lutherus & alij eius uel sectatores uel æmulatores. Qui autem contrà senserunt et scripserunt, sunt insigniter catholici, & quorum magna laus est in Ecclesia. Nominabo duos, alterum ordinis Prædicatorum magistrum Spiritum Roterum Inquisitorem Tolosanum: alterum uerò ordinis Minorum Fratrem Alphonsū de Castro Hispanum. Hi ambo optimis rationibus ostenderunt & inutilitatem & periculum harum uersionum.

F. Spiritus Roterus.

Alphonsus de Castro.

Missa nunc facio Vniuersitatum et Regum edicta atq; interdicta, quæ perspecto tantæ rei periculo sancita sunt & promulgata. Hoc primum magni omninò momenti argumentum debet esse nescientibus ratiocinari ex proprijs, ut cuiq; uiro pio ac prudenti perspicuum fiat multò esse conducibilius Ecclesiæ, id reprobari quod reprobant ac explosum uelint Catholici, quàm admittere, quantouis prætextu adumbratum, quod probant & obtrudunt hæretici. Nónne summa Veritas nec de spinis uuas, neq; de tribulis ficus colligi posse testatur?

Est & secundum argumentum, nempe ab ipsis fructibus qui orti inde sunt. Satis .n. apparet quid hæ uersiones Germaniæ profuerint, per quas facti sunt plebei & ignari homines non Deo, sed Diabolo dociles. Nō quasi vllum sit in Scripturis uitium, quæ sunt sanctissimæ, sed ob uitium & temeritatem legentium, qui non sunt apti ad ueros Scripturæ sensus eliciendos, quemadmodum pòst suo loco perspicuè ostensuri sumus. Quo fit ut magnopere mirer eorum prudentiam qui tantæ Nationis exemplo & grauissima ob oculos posita iactura non mouentur, nec discunt alieno malo sapere. Verùm magnas uires habet rerum nouarum cupiditas.

Est et tertium argumentum quo ad rem propius accedimus. Ostendant nobis qui contra sentiunt harum uersionum utilitatem. Quid, oro, possunt proferre nisi ipsarum uersionum beneficio multa ab ijs qui latinam linguam ignorant intelligi posse, quæ aliàs ijsdem destituti non ualuissent? Habere quidem posset hæc ratio aliquē in speciem colorem, nisi illud protinus in promptu quoq; esset, ex his multis quæ possent uideri sibi intelligere, facilè plura reperiri posse, quæ perperam intelligerent, & in suam perniciem pertraherent, sicq; ea intelligentia non solum illis non prodesset, sed plurimum obesset. Sunt enim in primis sacræ scripturæ ad intelligendum difficiles, non autem faciles, ut hæretici blaterant, qui dum suis falsis ac uarijs interpretationibus & præsumpta docendi autoritate illas detorquent & lacerant, contra semetipsos iudicium ferunt.

NOTA.

Quid enim opus esset tanto studio ac labore earum sensum (ut ipsi uolunt) aperire, si sui facilitate esset cunctis peruius? Difficultas autem Scripturarū non est tantummodo à uocum ignorantia. Qui .n. perniciosè errarunt perperam eas intelligendo, non ex imperitia linguæ errarunt. Nam omnes quæ inter catholicos & hæreticos ortæ sunt controuersiæ, inter eos uiguerunt qui peritiam linguarum callebant. Multa quippe in Scripturis leguntur, quæ iuxta uoces ipsas sensum reddūt clarum, qui tamen ad nudas uoces accommodatus, facilè in noxium trahitur ac detorquetur errorem.

Ecce Dominus dixit: Ego dico uobis, non iurare omninò. Ex hoc quidam prohibitum penitus omne iusiurādum contenderunt. Nam hoc ipsum videbatur litera ipsa porrigere, quos tamen falsos esse iam nemo catholicus dubitat.

Errores ex malo Scripturarū intellectu orti.

Dixit item Dominus: Oportet semper orare. Hinc Euchitarum exorta est hæresis, qui sine ulla intermissione nocte & die uolebant continuas haberi orationes.

Dixit & Dominus: Qui te percusserit in unam maxillam, porrige illi & alteram: & qui vult tunicam tuā tollere, dimitte ei & pallium: & pleraq; alia his similia, quæ si ad literam seruanda esse quis dixerit, nullum proferre poterit exemplum, quo aliquando illud obseruatū esse queat defendere: imò ipsius Christi ac Sanctorum exemplo, qui hoc non seruarunt, retunditur. Quocirca non semper ad literam sunt intelligendæ Scripturæ, sed opus est à Sanctorum exemplis & ab Ecclesiæ usu, maiorumq; traditionibus, & à sacrorum doctorum concordi interpretatione veros sensus elicere atq; eruere, & non ab ijs qui semetipsos ab Ecclesia segregarunt.

Quibus regulis Scripturæ sint intelligendæ.

Sparsi sunt & in Scripturis tropi quidam & figuræ dicendi, & alij quidem communes, alij uerò sacrorum eloquiorum proprij. Hi aliam sensum reddunt quàm patiatur prima uocum significatio. Illos uerò discernere, profectò nō est omniū, sed ad eruditorum omninò spectat, non ad Idiotarum iudicium, quos nec facilè lingua communis potest reddere, cum quælibet lingua suos habeat proprios, qua gratiosè exprimantur: qui si in aliam linguam transferantur, inepte admodum dicerentur.

Mitto tropos, metaphoras, parabolas, & ænigmata, ad quæ intelligenda requiruntur præstantia ingenia, & ea quidem multa lectione, exercitio, atq; acumine expolita. Quot passim occurrunt quæ primo facie uidētur inuicem pugnare, ut necessariò ad sui conciliationem legitimis distinctionibus egeant, quas qui non habet in prōptu facilè decipitur et in hæresim præceps ruit? Beatus Paulus dixit: Circuncisio quidem prodest si legem obserues. Ex his uerbis inferet mox aliquis: Ecce probat Apostolus circuncisionem & legem Moseos etiam post Christum. Et tamen alibi tam seuerè circuncisionem damnat aiens: Si circuncidimini Christus nihil uobis prodest. Et de lege: Translato sacerdotio, necesse est vt & legis translatio fiat. Alicubi ait, Gentes natura facere quæ legis sunt, unde Pelagianus accipit pro se testimoniū. Alibi verò et passim naturæ uires omninò prosternit. Alio loco docet, factores legis iustificari apud Deum. Alibi verò ait: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Et alibi ex fide absq; operibus venire iustificationem asserit. Alibi uerò et passim requirit opera. Et B. Iacobus ait: Vide homo inanis quòd ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm. Alicubi dicere videtur homines etiam renatos habere peccatum. Alibi uerò ueluti hoc abominans ait: Si quærentes iustificari in Christo inuenti sumus & ipsi peccatores, nunquid Christus peccati minister est? Absit. Alicubi suam

Loca Scripturæ quæ inuicē pugnare uidentur.

infelicem conditionem ob id deplorare uidetur, quòd per concupiscentiam captiuabatur in lege peccati, ut prima fronte uidetur de seipso pronunciare. Alibi uerò de se ait: Nihil mihi cõscius sum, & ea passim de se prædicat, quæ captiuitatem illam simul nequaquã ferant. Alicubi omnem delectum ciborum & afflictionem carnis damnare videtur, dum ait: Non est regnum Dei esca & potus. et: Omnia munda mundis. &: Nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur: cum tamen alibi & se castigare corpus suum, & ieiunijs & uigilijs multis illud macerare confiteatur. Alicubi omnem ritum & cæremonias & obseruantias festorum & dierum videtur explodere, unde hæretici in Ecclesiam blasphemant: cũ tamen Patrum & Apostolorum antiquissimæ traditiones secus probent, & Apostolus ipse obseruauerit Pentecosten. Videtur et & in antiquis & in noui testamenti scripturis omninò cultus imaginum prohiberi, ut patet in Decalogo: & Discipulus ille Dilectus inquit: Custodite vos à simulacris. Quis autem, nisi arrogantissimus hæreticus, uelit contra Spiritum Dei certare, qui uoce sanctorum Patrum anathema detractoribus imaginum pronunciauit?

Quod autem scribit B. Paulus de odio Dei in Esau antequã quicquam mali ageret, & figuli exemplum affert, qui suo mero arbitrio uasa fingit, alia quidem in honorẽ, alia uerò in cõtumeliã, quasi talis sit erga homines Deus: quem pium lectorem non remoretur, non exagitet, cum alibi passim proprio peccato reprobationem cuiusq; & damnationem ascribat, & manifeste in arbitrium ponat hominis si velit se emundare à uitijs, vt fiat vas in honorẽ sanctificatum & utile Domino?

Possem his alia multa adiungere, quæ magnum certè volumen conficerent si velim cuncta Scripturarum loca citare, ubi cum omni perítia linguarum olim offenderunt hæretici, & nunc etiam offendunt. Nullum est .n. tam fœdum, tamq; insanum dogma cui Scripturæ non videantur alicubi astipulari. An non Valentinus, Arrius, Nestorius, Macedonius, Manichæus, Donatus, Pelagius, & alij hæresiarchæ inniti se Scripturis præ se ferebant? Imò uerò nónne hæretici nostri temporis ad tuenda sua impia dogmata Scripturas solas nobis obtrudunt? Non ergo hæ versiones illud auferunt periculum grande quod à malo Scripturarum sensu incurritur, etiam nota vocabulorum significatione: quo periculo præcipuè vulgus inuoluitur & scientiarum ignari, qui frequentius atq; libentius illum sensum probant qui placet carni & mundo. Hoc artificio Lutherus ab initio edoctus à Diabolo, disputationes suas lingua materna sparsit in vulgus, & cœpit adulari laicis & idiotis, blandiens & laudans eos quod dociliores essent ijs qui theologi habebantur, quos iã cœperat contemnere. Tunc quò vehementius eis gratificaretur, cœpit vertere in linguam patriam Scripturas & Missam. Quantum autem illa Scripturarum uersio profecerit, testes sunt plurimæ hæreses quas multis plebibus pessima interpretatione persuasit. Quòd uerò ad Missam attinet, eò tandem impietatis prolapsi sunt, vt omninò negauerint sacrosanctum Altaris sacrificium, & secretas laudes canonicasq; preces atq; gratiarũ actiones à sanctis Patribus sanctissimè compositas ut in sacrificio demissa voce à sacerdotibus rem sacram peragentibus dicerẽtur, deriserint, ita ut non capientes quæ sunt Spiritus Dei, euaserint in canes & porcos dentibus lacerantes Sanctum, et margaritas pedibus conculcantes. Hi sunt fructus exorti à versionibus Scripturarum & eorum quæ à Patribus de industria vt secretò dicerentur tradita sunt: quoniam prophanum vulgus non potest penetrare arcana Spiritus, vnde illi etiam quæ sunt pretiosa vilescunt. Extat ad rem propositam elegans magni Basilij testimonium in hunc modum scribentis: Patres nostri in silentio, quod curiosos et otiosos submouet, quædam seruarunt: pulchrè quidem illi, nimirum docti arcanorum venerationem silentio conseruari. Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui eõuenicbat horum doctrinam publicitus circumferri scripto? Aut quid tandem sibi voluit magnus ille Moses, qui non omnia quæ erant in templo passus sit omnibus esse peruia, sed prophanos extra sacros cancellos statuis? Sed priora atria purioribus permittens, Leuitas solos dignos censuit numinis ministerio. Mactationes autem & holocaustomatum oblationes, reliquumq; ministerium sacerdotibus assignauit, atq; vnum ex omnibus selectum in adyta recepis: ac ne id quidem semper, sed vno tantum die quotannis. Rursus et huius diei certam horam qua fas esset ingredi præstituit, quò propter nouitatem & insuetudinẽ cum stupore intuerentur sancta sanctorum, probè sciens pro sua sapientia, res vsu tritas & undecunq; parabiles, expositas esse contemptui. Cæterum ei quod sepositum est, quodq; rarum est, huic natura coniunctam esse summam admirationem ac studium. Ad eundẽ profectò modum & qui in primordijs Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli & Patres, in occulto silentioq; mysterijs suam seruauere dignitatem. Neq; .n. omninò mysterium est quod ad populares ac vulgares aures effertur. Hæc Magnus ille Basilius ad confutationem huius peruersitatis hæreticæ & astus Dæmonis, qui eo pacto percuperet sacra arcana in contemptum exponere.

Hæretici scripturis malè intellectis decipiuntur.

In lib. de Spũ sancto cap. 27

Nunc ad principalem articulum rediens, non commemorabo varia loca quæ passim in antiquis Scripturis leguntur, vbi si solam literam consideres, nihil facere ad ædificationem dixeris. Quare consultò prætermittam ad hoc probandum exempla, ne fortè scandalizentur infirmi. Illud exploratum est atq; compertum doctis, ubi maximè videntur insulsa quædam & incondita dicere, ibi potissimum latere mysteria, quæ prophanum vulgus non caperet, & beatus qui non scandalizatur in eis, sicut accidit in carne Christi infirma & mortali.

Est deniq; & quarta consideratio pro hac veritate, quòd Ecclesia Dei est velut corpus quoddam organicum, quemadmodum sæpenumerò nobis, nec ab re, designat Apostolus. Plura igitur sunt huius corporis membra, et quædam honorabiliora ac fortiora, quædam verò infirmiora atq; ignobiliora, ita tamen aptata ut alterũ alteri vbi opus est subueniat. Vult ergo sapientia Spiritus in

hoc corpore esse prophetas, vult esse doctores, & cæterarum functionum præfectos. Nunquid omnes prophetæ, aut omnes doctores, & sic de singulis ministerijs? Nequaq;. Si igitur sunt doctores, est ergo aliquid quod doceant, & oportet etiam esse qui audiant ac discant. Quod docent est Dei voluntas ac testamentum, in quo cõtinentur quæ credenda, quæ facienda, & quæ tandem speranda sunt si crediderimus & fecerimus. Eos ergo in Ecclesia esse oportet qui à Doctoribus discant, & hi sunt Laici, idiotæ, & seculares, qui in mundi negotijs & curis versantur, quos in diuersis artibus oportet sibi uictum comparare. Quapropter nequeunt incumbere artibus liberalibus & scientijs, siue voluntate & electione, siue ingenij crassitudine, siue facultatum tenuitate impediti. Multò ergo minus sacris literis, quæ citra cõparationem longe maioris sunt difficultatis ad intelligendũ sanè, & circa quas aberrare periculosissimum est. In horum numero seponendæ sunt & mulieres matresfamilias, quæ abundè curis domesticis occupantur, quarum non est vacare Scripturis, & sensa illarum perscrutari. B. Paulus has prohibet in Ecclesia loqui: iubet vt tantummodo audiant, & domi à viris discant. Non dixit legere ac meditari: quod fuisset ei promptius dicere si etiam conducibilius id æstimasset. Vide ut nunq; hortatur vulgus ad legendum Scripturas, sed eos tantum ad quos ex professione attinebat. Et hoc est quod iure ac meritò B. Hieronymus desiderat in epistola ad Paulinum, quæ non ab re, nec absq; Spiritus sancti inspiratione in fronte sacrorum librorum præscribitur, vt homines hunc abusum agnoscant, qui hæreticorum opera & à curiositate hominum etiam tunc vigebat, vt omnes vellent esse sacrarum literarum magistri & censores. Dixit .n. sanctus
B. Hierony. *ille Doctor: Agricolæ, cæmentarij, fabri metallorum, lignorumq; cæsores, Lanarij quoq; & fullones, & cæteri qui variam supellectilem & vilia opuscula fabricantur, absq; doctore esse non possunt quod cupiunt. Quod medicorum est promittunt medici: tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars est quam sibi passim omnes vendicant. Scribimus indocti, doctiq; poemata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista uerbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent antequ; discant. Alij adducta supercilio, grandia verba trutinantes inter mulierculas de sacris literis philosophantur. Alij discunt (proh pudor) à fœminis quod viros doceant. Et ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, imò audacia, edisserunt alijs quod ipsi non intelligunt. Hæc ille.*

Dicet hic fortè aliquis: Nolo Idiotas censere ac docere, sed audire doctores, & illos consulere: attamen & ipsos habere quod legant & conferant audita cum lectis ad ædificationem & cognoscant, quemadmodum ab initio faciebant, ita se habere in Scripturis sicut audierunt. Nos autem huic dicto respondemus & dicimus: Da nobis primùm hanc pietatem in his qui legunt, ut scilicet acquiescant doctis, & nolint curiosi probare collatione illa cum Scripturis. Quod si ab initio talis mos in illo Spiritus feruore seruabatur, non tamen hoc fiebat ab omnibus, sed (vt ait Scriptura) à nobilioribus Synagogæ qui erant in Scripturis eruditi, nec dum uenerant ad Christum. Lege in Actis Apostolorum cap. 12. & ita esse quemadmodum dico, comprobabis. Imò ipse B. Paulus propter imbecillitatem auditorum dixit de sua prædicatione: Nõ potui vobis loqui tanq; spiritualibus, sed tanq; carnalibus lac potum vobis dedi, non escam. Nondum .n. poteratis. Et paulò superius: Sapientiã loquimur inter perfectos.

Rursum obijciet aliquis, Cur ergo B. Hieronymus docuit mulieres, & eas induxit vt Scripturas sanctas ad suã consolationem atq; ædificationem legerent, nempe Marcellam, Paulam, Eustochium, Demetriadem, & alias complures? Prompta est ad hanc obiectionem responsio. Nam illæ mulieres nobilissimæ iam erant linguis eruditæ, quibus minimè opus erat huiusmodi versionibus. Erant et separatæ à mundo & dicatæ Deo, & iam veram humilitatem didicerant, promptissimæ captiuare intellectum in obsequium fidei. Nõ igitur ab una aut altera hirundine, Veris probatur aduentus. Vix vlla est tam firma regula quæ non patiatur exceptionem. Dent autem isti nobis Marcellas, Paulas, Eustochia, & nos libenter illis dabimus lectionem & meditationem Scripturarũ. Etenim mulieres illæ diuino timore præditæ nunq; sibi arrogassent censuram ac iudicium Scripturarum vt nunc multæ vanæ & arrogantes mulierculæ faciunt. Nam & illa Paula etsi esset doctissima, cum tamen à quodam hæretico subdole circa articulum resurrectionis semel tentaretur, non ausa est illi respondere, sed loco sui suffecit B. Hieronymum, qui paucis eum disputando deuinxit. Optimè .n. intellexerat prudentissima illa & sanctissima mulier, illud B. Petri dictum: Parati semper ad satisfactionem de ea quæ in nobis est fide ac spe, non promiscue pertinere ad omnes, sed propriè, ut B. ipse Hieronymus declarat, ad sacerdotes Dei, à quibus id exigit Dominus Deus, non à mulieribus & idiotis. Noui ego, noui heu, quasdam & sanguine nobiles, & ingenio & lingua ac nonnullis etiam literis pollentes, & fortunis ac seculi principatibus claras, & nihilominus facile à Diabolo per Scripturarũ lectionem deceptas, in hypocrisi abscondentes superbiam, atq; hæreses imbibentes. Hæ sectas more Iezabel mirificè diligunt, & fauore ac sumptibus amplis fouent, & libenter à uiris eadem farina compactis audiunt honorificam sui nominis mentionem crebro fieri & laudibus in cœlum se efferri, quo magis sibijsis placeant & insolentur, & ita inanis gloriæ funiculis & proprij amoris dulcedine illaqueatæ, infeliciter cum multis pereant. Quocirca meo periculo omnibus dictum velim, longe præsta- NOTA.
re, & omninò conducibilius esse seruare obedientiam & fidem in simplicitate, quàm operosius inuestigare mysteria & sectari nouitates ac peregrinas doctrinas. Hac curiosa sciendi cupiditate extimulata prima Mulier corruit, quæ dum plus sapere quàm oportebat gestiuit, insipientissima reddita est, & iumentis comparata.

EX his igitur quæ hactenus dicta sunt poterit facile non somniculosus lector respondere cunctis argumentis

Responsio ad argumẽta partis affirmatiuæ

quæ à contradicentibus obiectantur. Nolunt quemq; cibo suo & refectione ac medicina fraudari. Sed nullus certè bis fraudatur, qui ordinem Dei seruare studuerit. Positi sunt in Ecclesia eximij doctores & prædicatores catholici non suspecti, qui ad eum sunt finem ordinati, ut quæ de Scripturis ad salutem pertinet, ea publicè et priuatim exponant, & quasi præmansum cibum in os infirmorum inserant. Ab his .n. verius, clarius & tutius intelligent tabulas testamenti & conditiones sub quibus instituti sunt heredes, & ea quæ cuiq; faciant & necessaria sint ad salutem, quàm si per se quisq; inquirere conetur: quoniam sua lingua commodius loquentes audit, & facilius quæ per illos viua voce explicantur percipit, sicut ab initio discipulorũ Christi auditores solebãt.

Quòd si AEthiopes, Arabes, & alij forte quidam populi habeãt in sua materna lingua Scripturas, nihil obstat, cum latinam & græcam & hebraicam linguam nõ calleant. Huius rei gratia B. Hieronymus & ille Gothus Episcopus quem in exemplum nobis proponunt, suis ciuibus per has versiones consuluerunt, ne omninò carerent Scripturis: et tamen earum intelligentia & declaratio (more nostro) seruabatur maioribus & sacerdotibus.

Afferuntur et de B. Chrysostomi homilijs quædã quæ prima facie id videntur probare quod isti dicunt. At nõ eo rigore accipiendæ sunt Concionatorum sententiæ, qui plerunq; multa per hyperbolem habita personarum ratione enunciant. Nam cum ille gloriosus doctor considerauisset à multis deseri ac contemni Scripturas, nimiam sui gregis inertiam & ignorantiam molestè ferens, uehemẽtiori desiderio hortabatur promiscuè omnes ad earum lectionem, quasi hoc pertineret ad omnes. Volebat enim omnes, si fieri posset, esse Theologos. Quo spiritu etiã Moses aiebat: Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum? Attamen B. Paulus ait: Nunquid omnes prophetæ? Satis autem esset populis habere diebus festis Concionatores aut Scripturarum tractatores & expositores ad ædificationem ac doctrinã, docentes necessaria fidei, detestantes uitia, extollẽtes uirtutes, & illam omnium maximam charitatem, proponendo horribilia & sempiterna illa supplicia quæ manent iniquos, & præmia æterna quæ seruantur iustis, idq; breui sed ardenti sermone. Qui hæc pauca nouerit, satis nouit: & si charitatem habuerit, vnctio docet omnia. Alioqui si charitas in corde non fuerit, quid proderit litera? Litera occidit, Spiritus autem viuificat.

Possunt & fortasse meritò conqueri plebes non multos esse doctores ac prædicatores euangelij, sed potius qui vana & curiosa tractant minimè pertinentia ad doctrinã sanam ac solidam & ad Ecclesiæ ædificationem. Scio iam diu hoc factum, & ideò iam adesse tempus adhibendi præsentaneum remedium fateor. Oporteret .n. esse prædicatores vitæ integræ & sanæ doctrinæ celebres, qui haberent verbum in potestate, quorum ea esset vita quæ non fœdaret sermonem rectè sonantem. Omnibus item diebus festis extra tempus Quadragesimæ incessanter deberent haberi sermones in ecclesijs. Hic mos erat Iudæis in omni sabbato in Synagogis ut Scriptura testatur. Quamobrem erigendæ essent cathedræ vbi non sunt, ut clerici diligenter erudirentur, quò possent & ipsi postmodò inseruire populis in eo munere prædicationis.

Verùm quoniam econuersò multi sunt in plebibus qui ingratis audiunt verbum Dei, & gratis odio habent sermones æternæ vitæ, & potius festos dies absumunt in ludis et iocis et choreis et ganeis et spectaculis, ubi uel gladiatores, uel comœdi, vel funambuli, uel circumforanei, uel pharmacopolæ, aut chiromantici, et id genus nebulonum qui sua ludicra et ostentant et uendunt, et suis ludificationibus et scurrilitatibus et mendacijs animos plebeiorum et otiosorum hominum pascunt et fascinant: cum inquam hic perniciosus abusus in præcipuis Italiæ Ciuitatibus latissimè vigeat, et eo potissimũ tempore quo uel Missarum sacrosancta solennia celebrantur, vel uespertinæ preces decantantur, et sacræ conciones habentur ad populum, oporteret omninò hanc bonorum morum pestem per edicta grauissima et interdicta seuerissimas mulctas aut pœnas iuxta prudentum sapientiam continentia, maturè et funditus tollere. Hæc profecto si amouerentur, multo plures diuerterent ad ecclesias, et aures sermonibus serijs et salutaribus assuescerẽt, psalmisq; et canticis atq; hymnis ecclesiasticis faciles se præberent, et spirituales inde fructus qui non pereunt referrent. Ad hanc ergo rem adeò salutarem si opus esset, imò quia necessariò opus est, opportunè et importunè hortari deberent ardẽtissimo Spiritu suum populum Episcopi, et qui (ut iam recepto vtamur uocabulo) parochijs præsunt suos quorum curam habent, ut libenter et promptè diebus festis ecclesiasticis officijs et sacris concionibus adesse velint, ostẽdendo eis quantum lucri ab auditione, et quantum damni à neglectu diuinorum sermonum proueniat. Vnumquodq; .n. ijs modis conseruatur, quibus et nascitur. Euangelica prædicatione scimus institutam esse christianam rempublicam: per eandem ergo opus est et conseruari. Ob eam causam scriptum est: Cum defecerit prophetia dissipabitur populus. Qua in re prudentiores sunt ac prouidẽtiores in sua generatione filij mendacis Diaboli (de hæreticis loquor) quàm qui se Catholicos profitentur. Illi enim (ut et ego in quibusdam eorum locis uidi) considerantes vigorem prædicationis, qua cessante, mox populus doctrinam eorum nouam et cultum tenerum desereret, seueram indicunt mulctam nolentibus adesse sermonibus in synagogis eorum. Hactenus de versionibus et ordinaria doctrina quæ conuenit Idiotis et popularibus.

Consilium Autori.

SVPEREST nunc postq; quorundam præualuit audacia et uersæ sunt Scripturæ multis locis in linguas uernaculas ferè cuiusq; gentis, quid huic malo sit adhibendum remedij consideremus. Si quis .n. me consuleret, quæ iam sunt editæ non prohiberem, nisi fortè mendosæ inuenirentur ac dolosæ translationes, aut per adiecta hæreticorum scholia scandalosæ: idq; eo consilio facerem, ne daretur ansa malignis garriẽdi in nos, quasi velimus supprimere euangelicas ueritates. Sed illud diligenter curari uellem ut in eis Scripturæ locis quibus aduer

sum nos abutuntur hæretici, declararetur sensus catholicus, aut in præfatione admoneretur lector de offendiculis, et instrueretur, in cunctis tutissimum esse ritus et obseruantias Patrum ac traditiones obediẽter sectari. Nouas autem uersiones nollem permitti, nisi et nomen autoris haberent, et diligenter probatæ à doctis et uere catholicis, testimonium secum ferrent. Placeret ut in locis per hæreticos controuersis haberent glossema catholicũ. Hoc autem secundum indulgentiam ad duritiam cordium, non secundum consilium.

De libris Christiano detestandis, & à Christianismo penitus eliminandis.

NON PRAETERIBO aliud magna quoq; et graui animaduersione dignum. Etenim pter uenenatos hæreticorum libros qui clàm ueneunt et emuntur ab occultis eorum sectatoribus, et ad illaqueandas curiosorũ animas sparguntur in vulgus, prostant etiam publicè libri Gentilium et ueterum quorundam obscænorum poetarum lasciuijs et omni impuritate et impietate referti. Quæ certè talia sunt ut etsi natura hominis non esset iam plus nimio prona in improbas cõcupiscentias ab adolescẽtia sua, per hos tamẽ lasciuos et impios autores bona ingenia facilè corrũperentur. Quãto igitur studio fugiẽdi sunt in tãta naturæ corruptione et incendio, ne igni oleũ addere magno cum nostro malo procuremus? Nec defuerunt ex nostris qui vates illos ethnicos imitari spurcis carminibus non erubuerunt. Hinc Petrarchæ et Boccaccij, et eiusmodi uanarum fabularum et libidinosorum amorum enarratores, qui sonoris et suauibus quibusdam melodijs animas curiosorum ac stultorum rapiunt. Væ mihi misero, qui olim puer imprudens suxi dulcia hæc uenena. Sed gratias ago Deo, cuius ego clementia tandem per Angelũ bonũ expergefactus et admonitus agnoui mortem in olla, fleui amarè, et misericordiam imploraui, ne delicta iuuentutis meæ et ignorantias meas recordari vellet Dominus. Nam cum primùm eiusmodi studij malignitatem et damna agnoui, quæcunq; scripseram, quantumuis à Typographo illa in vulgus spargendi cupido peterẽtur, malui ipse ea flammis comburere, quàm me simul cum illis aliquando æternis ignibus tradere comburendum. Et nũc expertus protestor, si qs prudens ab alterius exemplo discere velit, hæc studia multum conferre ad impietatem. Qui enim talibus uacant, facilè in suis cõcupiscentijs naturæ leges fœdissimè peruertunt, et propterea meritò in reprobum sensum traduntur. De me uno coniecturam faciens existimo et alios esse in carne, qui pariter his illecebris queant succumbere.

Lasciuorũ autorũ libros debere comburi.

Quamobrem optimè prouideretur si eiusmodi autorum uolumina ea parte qua sunt illecebrosi atq; impudici, exponerentur ad ignem, cum nihil ibi sit quod ad scientiam vllam uel artem bonam aut prudentiam spectet, quibus potius imbuendi essent teneræ ætatis adolescentuli, præsertim cum nulla uel longissima integra hominis ætas, & quantauis ingenij ubertas atq; felicitas ad ediscendas plenè bonas artes & literas sufficiat.

Cur relegatus Ouidius.

Fertur Octauius Augustus Ouidium, ob librum quem de arte amandi composuit, in vltimas et barbaras Orbis oras relegasse. Hanc certè causam eius relegationis fuisse idoneam voluit intelligi. Quod igitur ethnicus Imperator tanta pœna mulctauit, aut saltem dignum mulcta censuit, Christianus'ne Princeps stare & vulgò legi ac etiam cum plausu tractari patietur? Meminerimus, obsecro, non ab re illud à sacra historia in exẽplum posteris propositum, quod narratur factum Ephesi ad prædicationem et persuasionẽ Apostoli Pauli. Multi (ait B. Lucas) credentium qui fuerant curiosa sectati cõtulerunt libros & combusserunt coram omnibus, & cõputatis pretijs illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium: ita fortiter crescebat verbum Dei & confirmabatur. Quid hic potest ab eo qui christianus esse & haberi velit, responderi? Memini cũ essem puerulus in patria mea, ecclesiasticorũ prædicatorum suasu non semel hoc factum ut publicè componeretur strues magna lignorum, ubi similiter multa librorum uolumina curiosa & lasciua in pium sacrificium tradita sunt cremanda igni simul cum multis quæ seruiebant ludis, ut sunt pictaratæ chartulæ, & taxilli seu tesseræ, & huiusmodi. Sed heu nunc, væ simulato ac picturato iam Christianismo non uero. Quis leget hæc? aut quis legẽs non me fortassis ut fatuum irrideat? aut si quid mitius uelint me audire, saltem ut simplicem, hoc est tandem iuxta illorum sensum, ut fatuum? Sed præstat ueritatem dicere, nec formidare opprobrium euangelicæ ueritatis causa. & ipsum iudicẽ expectare Christum, cui etiam de uerbo otioso reddenda erit ratio.

NOTA.

Quàm execrandi Macchiauelli discursus & institutio sui Principis.

EST verò & aliud non minori dignum emendatione, quod etiam magnopere miror, ullo in loco ubi sit Christianorum principum imperium tandiu esse toleratũ. Etenim multos iam annos prostant & publice ueneuntur libri quidam, qui etsi alioqui eorum autor non esset notus, ipsimet satis per se indicarent non alium esse potuisse autorem quàm hominem omnis prorsus religionis expertem & contemptorem, qui omninò diuinam prouidentiam tollat è mundo. Nomen uiri, ne subticeam, est Nicolaus Macchiauellus, quem sic ex nomine indicasse, apud multos plus satis esse non dubito, cum is scriptis & professione impietatis egregiam sibi famam comparauerit. Scripsit .n. libros aliquot, in quibus sunt ij quos sua lingua Thusca nuncupat Discursus. Est & alius cui titulus Princeps. In his potissimum clarè se ostendit impium et atheon, qui in omni sua consultatione sic loquitur et definit, ac illi qui existimant Dominum Deum per cardines Cœli ambulare, nec nostra prospicere. Sic enim re uera filius ille perditionis animo & cogitatione discur-

rit, ut nihil religioni tribuat nisi propter opinionem & persuasionem hominum, in quorum gratiam uult suum Principem aliquam rationem diuini cultus profiteri. Eodem astu noui hæretici utuntur, qui cum cunctas Ecclesiæ cæremonias floccifaciant, nihilo minus simulant aliquam earum obseruantiam retinendam, idq; (ut aiunt) propter scandalum infirmorum. Haud aliter homo iste, si tamen hominis nomen meretur, ita de pietate ac religione sentire Principem suum quem ipse instituit docet, ut potius studeat religionis cultor & uirtutum amator uideri, quàm esse re uera, si uelit tutius potiri regno: cuius exitialem doctrinam quidam nostri seculi principes, ut à uiris magnis ac fide dignis audiui, imbiberunt, & factis ipsis crudeliter approbarunt: quo quid funestius contingere nostræ ætati, quidue perniciosius possit, equidem prorsus ignoro. Non ualeo reticere pauca quæ habentur in eo suo libello de Principe, ubi tractat quatenus expediat Principi seruare fidem. Audi pie Lector obsecro, & hanc temporum infelicem conditionē considera & deplora. Hæc eius sententia est, fideliter à me latinis verbis expressa. Quam sit laudabile (inquit) in Principe seruare fidem, & uitam ducere integre, non astutè, quisq; nouit. Attamen experientia cernitur temporibus nostris eos Principes magna gessisse, qui fidei obseruantiam paruifecerunt, ac nouerunt astu suo hominum cerebrum in gyrum uoluere. Hi tandem superarunt eos qui sua iecerunt fundamenta in uirtute fidei. Hæc ille, quæ continenter à fabulis comprobat, quibus qualem uelit esse suũ Principem, in figura Centauri designat, scilicet semihominem & semibestiam, ut faciem quidem præ se ferat humanam, humanos simulans mores; sed re ipsa bestiarũ ritu atq; ingenio consummetur, nimirũ violentia & fraude. Iccirco vult eum leonem & vulpem agere: quod nostra ætate innumeris exemplis ostendi posse affirmat: Siquidem multoties pacem & fœdera iam contracta, principum infidelitate irrita facta esse testatur: & illis magis prosperè successisse, q magis uulpino astu valuerũt. Oportet ergo principem hoc uulpis ingenium uafrè coloribus tegere, & esse simulatorem ac dissimulatorem: quia nunq̃ desunt colores ac subterfugia ad excusandum perfidiam. Et ut egregia hæc monita, quibus ornatum uult esse suum principem, singulari exemplo comprobaret, Alexandrum Papam Sextum producit, qui non aliud (inquit) cogitans quàm fallere homines, inuenit semper paratam hanc unam materiam, in quam suam hanc artē exercere potuerit. Nec .n. fuit unq̃ homo illo efficacior in asseuerando, & sacris iuramentis promissa cõfirmando, & qui minus ea seruarit, cui tamen doli & fraudes semper profuerunt, eò quòd pulchrè nouerat hãc regnãdi et fallendi artem. Hæc de summo illo Põtifice Macchiauellus. Non est ergo (inquit ille) necesse principi re ipsa habere has uirtutes, uidelicet pietatem, fidem, humanitatem, religionem, integritatem: sed eas simulatione præ se ferre, hoc necesse est. Imò ausim dicere, habere illas & semper obseruare, damnosum esse, cum sit nouo Principi sæpè necessariũ operari contra fidem, contra charitatem, contra humanitatem, contra religionem. Quare oportet Principem ita animo esse compositum, ut quo flauerint uenti, & quò fortuna impellit, eò se uertat, & quùm fuerit necessitas operetur malum. Hæc & alia id genus diabolica ab isto perfido & eximio perfidiæ doctore scripta publicantur, leguntur, & cum plausu & laude à quibusdam suscipiuntur, & quod est lacrymabilius, non desunt (ut fertur) qui hanc impiam ac scelestissimam nec minus pestilentem doctrinam opere ipso compleant. Quæ cum ego cogito, cogor ad exclamandum, O infelicem temporum conditionem. Nam quis non sentit in ea nos tempora incidisse quando inimicus homo dormientibus hominibus in agrum Domini tutò potest quæuis noxia sua perseminare Zizania? Poterat'ne quicq̃ maiori cũ impietate dici ac magis pernitiosè, quàm hanc adeò mõstrosam ac detestandam metamorphosim tanq̃ utilem & eligendam proponere, ut scilicet homo suæ naturæ contemptor, uulpis & leonis conditiones usurpet? Quo in loco si euangelicam solummodo spreuisset doctrinam homo iste infelix, dignus quidem erat magno tanq̃ apostata uituperio ac detestatione. At cum etiam humano & naturali se cassum lumine, & in bestiã penitus conuersum esse ostenderit, quid dignum queat aduersus tantam tanq̃ extremã peruersitatem proferri, cum iste perditissimus hominum illud docere non erubuerit quod ui ueritatis etiam ipsi Pagani magnopere auersati sunt & detestati? Proferamus quid Marcus Tullius prorsus in re proposita de homine q uulpem aut leonem agat, eleganter apteq; scripserat, quæ neq; hunc hominem latuerunt. Cum (inquit) duobus modis, idest, aut ui, aut fraude fiat iniuria: fraus quasi uulpeculæ, uis leonis uidetur, utrumq; ab homine alienissimum: sed fraus odio digna maiore. Totius autem iniustitiæ nulla capitalior est quàm eorum qui tum quùm maximè fallunt, id agunt ut uiri boni esse uideantur. Hæc ille gẽtilis Philosophus quæ sunt è diametro huius animalis doctrinæ contraria. Quid hic dicemus? Nónne surget in iudicio paganus hic Philosophus & orator, & condemnabit generationem istam quæ Deũ ipsum ab animo suo abalienauit, & omne Spiritus sancti lumen non minus stultè quàm arroganter sibi extinxit? Dixit olim Ethnicus quidam potentissimus Tyrannus: Si uiolandum est ius, regnandi causa. Veritus est ille dicere absolutè, sed adhibita conditione dixit, Si uiolandum est ius. At hic noster nec Deum nec homines metuens, absolutè ius uiolandum proponit & suadet.

Addam (uelint nolint huius mundi dilectores) ingentem hominis stoliditatem. Duos proponit Principes tanq̃ exempla hac parte ad imitandum, uidelicet Alexandrum illum Sextum, & eius filium Valentinum Borgiã: quorum tamen qui fuerit exitus satis nouit infelix, nec didicit perhorrescere. Nam unum et eundem esse hominum & iumentorum interitum existimabat scelestus: quod dogma passim spargebat in uulgus, quò sapientior uideretur. At quàm falsus fuerit persentit nunc infelicissimus mortaliũ, de quo satis hactenus. Non est.n. contra hos disserendum qui negant principia fidei, & prouidentiam Dei omninò

Side notes:
Hæreticorum astus.
Verba Macchiauelli.
Nota impietem doctrin
Cicero in lib. primo officiorũ
Iulius Cæsar.

è medio tollunt. Recitasse impia eorum dogmata, apud uerè christianos est idoneè confutasse. Id enim ea de causa feci, ut ad quos pertinet animaduertant, & remedium adhibeant opportunum.

Exhortatio ad Principes christianos.

Ad Principes autem Christiani Orbis pauca loquar, ut Christum et sapientiam eius dignentur potius audire quàm has Diaboli fistulas, per quas ille loquitur. Cum quidam Phariseorũ dicerent Domino: Exi hinc et uade, quia Herodes uult te occidere: Respondit Dominus et dixit: Ite et dicite uulpi illi, Ecce eijcio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor &c. Vtinam hæc intelligerent mundi Principes: equidem esse uulpes abhorrerent. Sed ut planè intelligant, ueniat illis crebrò in mentem sententia illa Domini superbiam Pilati retundentis, eamq; sibi figant in corde: Non haberes (inquit) potestatem aduersus me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Vnde sapiens ait: Diligite iustitiam qui iudicatis terram. Melior est sapientia quàm uires, et uir prudens quàm fortis. Audite ergo Reges et intelligite: discite iudices finium terræ. Præbete aures uos qui continetis multitudines, et placetis uobis in turbis nationũ. Quoniam data est à Domino potestas uobis, et uirtus ab Altissimo, qui interrogabit opera uestra, et cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neq; secundum uoluntatem Dei ambulastis. Horrendè et cito apparebit uobis: quoniam iudiciũ durissimũ in his qui præsunt fiet. Exiguo .n. concedetur misericordia: potentes autẽ potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusq; Deus, qui est omnium dominator: nec uerebitur magnitudinem cuiusq;: quoniam pusillum et magnũ ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad uos ergo Reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam et nõ excidatis. Hæc diuina loquitur sapientia, cuius uoce si nõ terremini, quid (rogo) uos terrere ualebit? Quòd si etiã exemplis doceri uultis, considerate illos Herodes, illos Antiochos, et à primo Cæsare incipientes, magnam eorũ partem, qui fuerunt quales Macchiauellus requirit & leones et uulpes, considerate. Considerate inquam illorũ primò uitam periculis et angustijs refertam: tum mortem prorsus horribilẽ, ut in ostentum uiuant in mundo. Decertarunt tot laboribus et sanguine pro pusillo terræ, et eius terræ quæ est morientium, sedes autem amplissimas atq; æternas in terra uiuentium miserabiliter amiserunt. Sed hæc verba aulas principum et eorum conclauia penetrare non consuerunt.

QVO IVRE QVAVE POENA PVNIENDI SINT HAERETICI.

VTRVM SAECVLARES leges, quæ à multis temporibus statuunt hæreticis pœnam mortis, etiã canonibus Pontificum cõsentientibus, sint secundũ ius diuinum, an uerò cõtra, quidã ex fratribus dubitans, rogauit hac de re sententiam meam, cui in hunc modum rescripsi.

Quæstio tua hæc in plures secari potest, ut primùm quæratur, Nunquid ius diuinum mandet explicitè occidi hæreticos: Deinde, si demus explicitè non mandari, Vtrum econuersò explicitè hoc prohibeat. Tertiò, posito quòd explicitè neutrum horum expressum pateat iure diuino, Quodnam horum per rationes & argumenta inde eliciatur.

Redeundo igitur ad primam quæstionem, An ius diuinũ iubeat explicitè plecti hæreticos, uideo hic opus esse distinctione. Etenim si per ius diuinum ius uetus per Mosem datum intelligamus, haud dubium quin hæretici debeant occidi, ut probatur Leuit. 4. & Deut. 13. et clarius adhuc ad propositum cap. 17. ubi qui iudicio Sacerdotis definientis non obediebat, morti subdebatur. Verùm quoniam ius illud abolitum est per Euangelium, quod uerius ius diuinum dicitur, si quæramus an lege euangelica sint gladio puniendi, negandum est omninò. Nam lex euãgelica pro ultima pœna in omni scelere ac delicto: si quis in eo obstinatè persistere inueniatur, excommunicationem habet. Hæc est gladius Spiritus, & certè potentior quàm sit corporalis mors, licet carnales homines id non ponderent.

Hic tamen posset mihi obsistere aliquis & obijcere: Nónne Christus ipse usus est flagellis dum nummularios de templo eiecit? Et B. Petrus nónne Ananiam & Saphiram mẽdacij reos deprehensos interfecit spiritu oris sui? Item B. Paulus nónne Magum cæcitate percussit, ut in Actis Apostolorum legitur, & in alium iussit Diabolum ingredi?

Ad hæc uerò respondetur, non ex potestate legis diuinæ traditæ facta fuisse, sed ex potestate diuina, quæ est super omnem legem. Et iccircò quæ sunt eiusmodi, in exemplum non debent adduci. Hoc habent etiam ciuilia iura de Principe, qui si extra ordinem ac legem iusserit quempiam pro arbitrio puniri, illud factum nõ est in exẽplum trahendum. Nam & illud quod scribitur de flagellis, non fuisse factum à Domino iuxta ullam legem satis patet: quoniam nulla lex extabat quæ illud mandaret. Vnde et ipse rogatus, In qua potestate hoc facis? optimè sciens per legis autoritatem responderi non posse, uolensq; tacitè se Deum illis insinuare, qui erat super omnem legẽ, mira sapientia respondit dicens: Baptismus Ioannis ex Deo est, an ex hominibus? quibus tacentibus ille quoq; noluit explicare in qua potestate id faceret, satis innuẽs

ea potestate se illud patrasse qua baptizabat Ioannes Baptista ac testimonium præbuerat illum esse Filium Dei.

Similiter illud quod fecit B. Petrus nõ factũ fuisse ab eo, sed ui diuina, manifestum est: quia audito illius uerbo occidit moribundus. Verborum enim non erat illa uirtus, nisi uis in eis diuina fuisset. Rursum nõ erat iuxta Euãgelinm mandatum Petro ut quenquam occideret, sed potius ut mitteret gladium in uaginam, & si quis peccaret in eum, fraternè corriperet. Quòd si nulla tandem correptio proficeret, haberet eum tanquam ethnicum et publicanum: quod erat excommunicare. Statuendum est igitur ultionem illam in Ananiã & Sapphiram autoritate et potestate diuina factam fuisse, quæ nulli prorsus legi est subiecta. Nec tamen absq; magna & urgenti ratione sic factum fuit: quoniam ab initio nascentis Ecclesiæ oportuit uehementiorem & manifestum timorem incutere, & ab exemplo unius aut alterius cæteros ab improbitate & læsione religionis deterreri. Propterea ad instructionem nostrã uigilanter scriptum est ibidem post tantam in Ananiam & Sapphiram ultionem. Et factus, ait, est timor magnus super omnes qui audierunt. Idem dicendum est de his quæ B. Paulus faciebat, potestate scilicet diuina, & non ex regula Euangelij facta fuisse. Est ergo secundum euangelicam legem concludendum, non statui pœnã gladij in ullos criminosos, ac proinde nec in hæreticos.

Conclusio.

Deinceps igitur uidendum est, An sic punire hæreticos sit contra Euangelium, ita ut in Euangelio habeatur expresè eos non debere puniri. Hoc quidem uidetur ~~prima facie euidenter accipi~~ ex parabola Domini de zizanijs, per quæ præcipuè significari uidẽtur huiusmodi homines maculis hæreseos cõtaminati. Proponuntur enim serui patrisfamilias qui perpẽdentes nata in agro Zizania interrogarunt Dominum: Vis eamus, inquiunt, & colligamus ea? Quibus Dominus respondet: Non, ne fortè colligentes eradicetis simul & triticum, sed sinite utraq; crescere usq; ad messem. Ecce aiunt, quomodo Dominus ibi prohibet hæreticos exterminari. Non desunt qui sexponant & dicant, tunc non esse puniendos hæreticos quãdo meritò dubitari potest ne si hoc tentetur fiat cum dispẽdio ac detrimento tritici. Ad hunc enim finem uidetur ratio Domini respicere. Si igitur hic metus absit, tunc non solùm permittitur, uerumetiam probatur seueritas disciplinæ, ut ait D. Augustinus.

Tu uerò huic intelligentiæ te opponis, uolens semper esse metuendum de tritico propter hominis mutabilitatem, quia nescimus quid de homine futurum sit cras. Quod.n. hodie est zizania, cras in triticum potest euadere. Et q hodie unum opinatur, cras poterit in aliam transire sententiam. Itaq; verbis corripiendos esse potius, & argumentis uinciendos, quàm fune cogendos aut gladio plectendos hæreticos arbitraris. Adijcis fuisse sic olim in Ecclesia primitiua ab Apostolis obseruatum, quorum autoritas & exemplũ magis sequendum est quàm recentiorum. Et hoc in loco acta Constantiensis Cõcilij uellicas, in quo hæretici sunt combusti: quibus oponis Concilium Florentinum, per quod licuit Marco Ephesino Episcopo ad propria remeare impunè, quanquã malo nostro. Sic enim tu fateris. Deniq; obijcis in Ecclesiam, quæ illud nunc exercet in hæreticos quod Ariani olim in nostros, q non contenti excommunicationibus & exilijs, ipsum quoq; iugulum petebant.

Hæc quidem mi frater ad excitandum me, & tentandum fortasse ingenium meum, disputationis gratia à te proposita esse interpretor: non autem quò ita re uera sentias contra Ecclesiam matrem tuam, ac tantos uiros nõ minus doctrina quàm pietate præstantes, qui hunc morem probant: quorum doctrinæ si non acquiescis, quid meæ tribues, qui cum illis minimè sum conferendus? Attamen postquam tu meam de hoc rogasti sententiam, et iam cœpi dicere, superest ut argumentis tuis respondeam.

Quantũ igitur ad Zizaniorũ parabolã attinet, etsi illã B. Augustini solutionẽ à te improbatam, idoneè tutari possem, omittam tamen: hoc unum duntaxat tibi significabo, illud in quo tu præcipuè uideris inniti, non te substinet quouis modo. Primùm considerare oportet circa Parabolam Domini, quinam per zizania intelligantur. Eqdem ab ipsa Domini interpretatione habemus intelligendos esse filios nequam. Filij autem nequam nõ solum sũt hæretici, sed quicunq; scelerosi & quibusuis criminibus Diabolo mãcipati. Quocirca si uera sit interpretatio quam proferunt hæretici, sequeretur nullum in Ecclesia Christi esse istis corporalibus pœnis puniendum, quia zizania non sunt eradicanda, sed omittenda ut crescũt usq; ad messem. Itaq; nec latrones, nec adulteri, nec homicidæ & huiusmodi homines flagitiosi & publicæ tranquilitatis perturbatores puniendi essẽt, quia possunt esse triticum & cras conuerti ad Dominum. Quamobrem tollenda essent ciuilia iura, & uindictæ publicæ, & negãdæ potestates gladij in principibus, ex quo protinus efficeretur ut mundus in confusionem & latrocinium curreret. Deniq; repugnaret hæc hæresis manifestè doctrinæ B. Pauli aientis, principem non frustrà gladium portare, sed in uindictam malorum. Et ob istam causam quærenda est ea parabolæ intelligentia quæ non offendat.

Dicimus ergo cum Dominum eam parabolam proponeret, non dedisse legem qua quid faciendum imperaret, sed prophetasse solùm quid usq; ad cõsummationẽ seculi erat futurum. Instruit uerò peculiares seruos suos de prouidentia sua, ne ob peccata quæ cessante superiorum animaduersione admittuntur, scandalum patiantur. Ait igitur quòd malus homo superseminauit in agro Domini zizania dormientibus hominibus. Hæc est prophetia eius prænuntiantis id quod uidimus, & utinam non uideremus. Etenim quia dormierũt homines, hoc est, agricolæ, superfata zizania sunt. Quo in loco notandum est, agricolas subtacitè de somno coargui, dum ait, quia non uigilarunt intendentes agro, sata sunt zizania, ac si dixerit manifestè: Si uigilassent & custodissent agrum, & ex officio prohibuissent, aut rigore iustitiæ punissent, Zizania nulla fuissent in agro reperta. Rem ergo significabat omninò futuram, uidelicet sationem zizaniorum, & causã cur seminata fuerint, quæ partim est à maligno

uelut autore, partim ab hominibus, qui potuissent ac debuissent prohibere malos iuxta autoritatem ac potestatem sibi datam. Non autem prohibuerunt, sed potius somno & inertiæ deditì passi sunt hæc mala crescere. Tantum ergo abest ut hac parabola prohibeatur legitima Zizaniorum euulsio, ut etiam tacitè reprehendantur qui dormientes illa permittant spargi in agrũ, ac propterea non exercentes iurisdictionem suam. Deinde inducit seruos Dominum interrogantes, uelit'ne ut ipsimet zizania quæ Magistratus permittunt uenire ac urgere, eradicent & colligant. Et hic est locus deceptionis: quia hæretici per seruos intelligunt eos qui habent potestatem: quod omnino falsum est: quoniam his non conueniebat rogare Dominum utrum vellet eradicari zizania, cum iam data sit eis potestas, et à Domino confirmata puniendi reos criminis. Quapropter nec reprehendit Pilatum quem audiuit quorundam Galilæorum sanguinem cum sacrificijs Gentilium miscuisse, sed probauit factum, quod meritam illis pœnam intulerit. Serui ergo qui in hac parabola inducuntur sunt domestici discipuli Domini, qui præ cæteris profitentur se illi assistere seruientes, quales nos esse debemus qui arctiorem uiuendi normam profitemur.

Considerabat ergo Dominus multos de seruis suis, qui uidẽtes huiusmodi scandala in agro Domini, magnopere indignantur & torquentur, ita ut vellent dari sibi ea extirpandi potestatem. Idcircò horum seruorum zelum voluit temperare, ut esset secundum scientiam. Qua in re fateor me à Domino doctrinam accepisse. Sæpe enim ego quùm uideo tot perniciosos in Ecclesia Dei homines, non solùm hæreticus, sed etiam quosdam Prælatos, qui malo suo exemplo multos perdunt, & Tyrannos insuper qui pauperes ui & iniuria opprimunt, rapior in zelum quendam: quumq; uideam nullum in terris esse remedium aduersus istos, quia ipsi gladium portant, rapior in eam zeli cogitationem, ut expetam dari mihi à Deo potestatẽ ad euellenda ista omnia zizania. In eodem desiderio reperiuntur multi, & sæpe eos accensos audio pariter conqueri. Sed hæc nostra cogitatio proficiscitur ex zelo illo non secundum scientiam concitato, qui per eam petitionẽ significatur: Vis imus, & colligamus zizania? atq; idcircò reprimitur & uetatur à Domino, qui iubet ut simus patientes usq; ad messem. Docet autem non esse bonum, tametsi prima facie aliter uideatur, isto modo euellere zizania, q̃a noceretur tritico. Illustremus hoc aliquo exẽplo. Fuit magna in Apostolos & Martyres persequutio, qui erant triticum, & hoc factum est per zizania, per principes Iudæorum & Pharisæos, & Tyrannos Gentium. Si protinus Deus illa zizania ab initio euulsisset non haberemus Martyres, nec tantum tritici in borreo. Potuissent enim multi cessante illo persecutionum gladio torpere desidia, & ita multi qui eorum constanti tolerantia & miraculis accensi crediderunt, non uenissent ad fidem.

Neq; propterea prohibitum est à Deo ne humana potestas ea faceret secundum legem & naturalem rationem quæ ad illam pertinebant, uidelicet audaces coercere, punire sontes & improbos: sed hæc à Domino dicta sunt iam posito quòd secularis potestas non utitur gladio suo siue per negligentiam & socordiam, seu quauis alia de causa, sicut temporibus nostris factum uidemus, & olim B. Hieronymus meritò cõquestus est de Arrio hæresiarcha, qui cũ ab initio una tantùm esset scintilla, non fuerit mox potestate aliqua oppressus antequàm tantum incẽdij peperisset. Ita & nos hac licentiosa ætate conquerimur recentes hæresiarchas nõ fuisse ab initio correctos, & pœnis consuetis, si aliter emendari non potuissent, maturè punitos. Existimamus enim hac prouisione pacem in Ecclesia fuisse perseueraturam, nec tot animas uel perijsse uel infusu iã ueneno perituras. Itaq; si ita fuisset à Magistratibus animaduersum, quis (obsecro) nisi perditus et eodẽ fermẽto compactus, illud tam salutare remedium non magnopere laudare atq; comprobare, nedum uituperare aut improbare potuisset? Non est autem animaduersum ut debuit. Quid ergo? Ecce nos illi serui zelo incensi dum animaduertimus tanta mala grassari, adimus Dominum & conquerimur, uellemusq; eius nobis cœlestem delegari potestatem, quasi cogitantes in zelo non secundum scientiam, Dei præsentaneam deesse prouidentiam. Ipse autem sapientissimè respondet, nondum sui fori & tribunalis aduenisse tempus, & ideò iubet expectandum esse usq; ad messem. Et nihilo secius docet istud interim minimè à Deo sine fructu permitti, quia ista zizania triticum iuuãt. Nam oportet hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant. Et necesse est item uenire scandala, quia Deus de maximis scandalis maxima bona nouit eligere. Ecce Iudas prodidit eum, qui certè poterat, imò & debebat atrocissimè puniri à principibus quando se obtulit ad perdendum Dominum & Magistrũ suum: quem si puniuissent, iustius fecissent, digniq; maxima laude fuissent. Non punierunt illi. Dominus ergo permisit illud insigne scelus propter eximiũ bonũ quod ex ea passione et cruce consequebatur: & ideò nec ipse ante suum tempus punire proditorem uoluit.

Quamobrem parabolæ intelligentia nõ eò tandem pertinet ut prohibeat iustæ uindictæ secundum leges potestatẽ & iudicia secularia ad purgandas malis & noxijs hominibus ciuitates, sed eò potius ut doceamur quando uidemus hæc negligi, debere nos esse patientes, & cogitare cum magna prouidentia à Deo ista mala permitti, quia tempus iudicij sui æterni non statim ut quis facit delictum adest, sicut tempus iudicij secularis & terreni cõfestim plectendos esse flagitiosos suadet. Væ nobis miseris si statim ut peccamus puniremur à Deo. Ipse enim est patiens & longanimis, quia æterna futura est pœna & nimis magna, quam tandem obduratis infliget. Hunc autem parabolæ intellectum uerum esse non dubito, quem ut tibi ex alio loco probem, audi. Ibat IESVS Ierosolymam, & transijt per Samariam, cui tanta prius cõtulerat beneficia, ut propterea in contumeliam à Iudæis Samaritanus appellaretur. Cum ergo illàc transiens non reciperetur à Samaritanis, ut Lucas ait, Iacobus et Ioannes hoc zelo seruorũ Dei qui erat reprehendus, uehementer incẽsi dixerũt: Domine uis dicimus ut ignis descẽdat

de cœlo

de cœlo & consumat illos? Vide quòd hic similiter dicũt: Vis imus & colligamus zizania, ut scilicet eradicentur de terra? At Dominus increpauit illos dicens: Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non uenit perdere, sed saluare: ut intelligerent regnare hoc tempore iudicia secularia, quibus ista sunt dimittenda: nondum autem diẽ esse Domini. Quòd si iudices seculares suum officium nõ implent, ad alios nequaquam pertinet extra hunc ordinẽ arrogare sibi curam & munus iudicandi & puniendi: quoniam seruatur Domino in alio seculo, non in isto. Nam totum istud seculum quo hic uiuimus, Dominus vult esse nobis in beneficium acquirendæ salutis, ut si uelimus bene illo uti, liceat pœnitentia delere peccata ad euadendũ æternum iudicium. Qua distinctione rectè considerata, tantum abest ut tollantur per parabolam secularia iudicia in uindictam malorum, ut etiam multò robustius probentur: quoniam præsupponitur Magistratus ea non fecisse quæ ex officio facere debuissent ac potuissent.

Cum ergo expressè in Euangelio nec mandetur nec prohibeatur talis hæreticorum punitio, uidendum est modo, an saltem ex Euangelio educatur prohiberi. Tu .n. ad hoc comprobandum argumẽtaris, & primò à consuetudine primitiuæ Ecclesiæ: vbi non uideris considerasse nullam fuisse ab initio secularem potestatem in Ecclesia: Nec item animaduertis, etiam si qua tunc fuisset, non tamen fuisse tempus exercendi gladium. Erat enim fundanda fides per sanguinem armis patientiæ, non ui & promptitudine uindictæ, quò illustrior appareret uirtus Dei altissimi: quæ ratio cessat Ecclesia iam fundata. Neq; enim fiunt nunc miracula ad comprobandam fidem, quemadmodum tunc fiebant. Quamobrem quicunq; à uarietate temporum etiam uarietatem legum & consuetudinum oriri non norit, ut quod uno tempore rectè seruatũ sit, si alio tempore seruaretur non esset rectum, is non potest rectè iudicare de legibus. Quare immeritò taxas B. Augustinum & alios qui ita docent, & uerè docent: quia tunc erat tempus superandi mansuetudine, ut (B. Paulo teste) appareret in Euangelio uirtus Dei, nõ virtus gladij. Quæ ratio postmodo fundata iam Ecclesia, ut dixi, cessauit.

Ais, in Concilio Florentino non fuit hoc seruatum contra illum Marcum, qui licet fuerit pertinax, non tamen punitus fuit. Certè nec erat tunc seruandum, cũ uenisset ille disputator, & cum fide publica. At non est dubium multo tempore, multisq; seculis per secularia iudicia hæreticos pertinaces fuisse uarijs et magnis pœnis, et capitali etiam sententia punitos, & ea ultione extinctas fuisse hæreses. Vnde quod ais: Quantum magis sæuitum est in hæreticos, tanto magis eos creuisse (pace tua) falsũ est. Huic enim dicto experientia ipsa repugnat, ut B. Augustinus & Hieronymus testantur. Nam Arius cum non fuerit ab initio compressus, tantum ignem accendit. Itaq; uolim te istius esse sententiæ, quæ et falsa est et perniciosa. Si enim hæresis cresceret per sanguinem, tunc Dei uirtus ibi esse coniectari posset: Sed hoc Ecclesiæ fuit, creuisse sanguine & persecutionibus.

Addis, Dominus non vult mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. At hoc non de morte corporis, sed animæ intelligitur. Alioqui neminem prorsus liceret secundum leges occidere, cum illud esset uoluntati diuinæ velle resistere.

Subiũgis: Si occidis, perditur anima, quæ fortè posset resipiscere. Respondeo: Perditur anima si persistat in infidelitate superba, sua accidit culpa. Neq; expectandũ est ut resipiscat cum multorum interim damno, & si fortè possit: quia ut Apostolus de huiusmodi testatur & experientia probat, qui tales sunt semper proficiunt in peius. Vnde idem Apostolus dixit: Hæreticum hominem post unam aut alteram correptionem deuita, sciens quia subuersus est & proprio iudicio condemnatus. Quid ergo mali si iam proprio damnatus iudicio damnetur etiam à potestate? Maiori itaq; ratione credendum est plus ad salutem animarum eorum conducere punitionem per gladiũ, quàm impunitatem: quia uexatio plerunq; dat intellectũ, at propositum mortis corporalis periculum multos à morte animæ sanauit. Et hoc B. Augustinus se experientia didicisse in epistolis suis & alijs locis contestatur: & aliquando se falsum fuisse aliud opinans ingenuè fatetur, dum vellet hæreticos eorum arbitrio esse dimittendos.

Præterea diligenter considerandum est hæresim esse tanquàm pestẽ quandam, quæ contagium lethiferum habet & atrociter inficit. Vnde factum est iam tritum sermone prouerbium: Morbida facta pecus totum corrumpit ouile. Quapropter abscindi maturè oportet pestilentes, non solum spirituali, uerũetiam materiali gladio: quoniã qui huiusmodi sunt, iam spiritualem gladium nõ metuunt, sed derident.

Ais, Rogandum est pro illis. Quis neget? Hoc qdẽ faciendum, sed illud non omittendum.

Ais: Scelerum alia sunt quidem uoluntatis, alia intellectus &c. Non satis capio quid loquaris, quoniam nullum est peccatum non voluntarium: imò ipsa hæresis si voluntaria non esset, peccatum non esset, nedum scelus. Et nescio quò tuum argumentum tendat. Non enim quùm puniuntur hæretici id quæritur ut per tormenta recipiant fidem, sed puniuntur ut perfidi, & proditores, & hostes Ecclesiæ, & suo contagio pestilentes, ne amplius noceant: dent autem dignas fidei fractæ pœnas non tam Deo quàm ipsi Ecclesiæ. Deus enim uindicabit seipsum opportuno tempore.

Ais, Hæretici conuincendi sunt Scripturis, nec uideris considerare, hæreticos de quibus loquimur qui puniri debent, esse eos qui præsupponuntur iam conuicti, imò et proprio iudicio damnati. Nec est etiam disputandum cum illis quando resistunt Ecclesiæ in ijs quæ sunt iam determinata, sicut uiderunt sapientes, & Tertullianus uetustissimus autor eleganter ostendit: de quo sunt & Imperatorum constitutiones.

Ais, Fides est donum Dei, quod nec meritis datur. Quare nefarium uidetur quenquam perimere quia fidem non habeat. Nam si Hebræum, Turcam, & Atheum non occidimus, cur Christianum? Respondetur: Verè

fides est donum Dei. Sed non habere illud donum peccatum est multis (Nolo hic disputare utrum omnibus) licet illud promereri non ualeamus. Alioqui non daretur peccatum infidelitatis. Et ratio est, quia etsi promereri non possimus illud donum, oblatum tamen possumus non recusare, aut non oblatum possumus quærere, licet non mereri. Recusare autem & non quærere peccatum est, cum teneamur non solùm nõ recusare sed etiam quærere. Christianus autem homo tenetur iam acceptum fidei donum seruare: quod si non seruat, culpa sua non seruat, & offendit primò Deum qui uindicabit, deinde matrem Ecclesiam catholicam, unde meretur obijci & excommunicari. Deinde ciuilitatem lædit, quia non pacificè agit, sed nocet proximo, cuius occidere animam nititur, & ideo occidi meretur etiam corpore. Porrò hæc in Iudæo & Turco, & quouis alio qui non se astrinxit, locũ non habent. Et nihilominus si Turca & Iudæus aliquis uel Atheos solicitare uellet nostros & ad suam sectam traducere, esset capitaliter puniendus.

Arguis etiam subtiliter ut probes neminem esse ad cõfessionem fidei cogendum, dicens: Quicquid est contra conscientiam peccatum est. Hæreticus autem si tormentis cogitur, contra conscientiam confitebitur. Ergo &c. Sed extra propositum est. Neq; enim ea in re uertitur quæstio, sit'ne hæreticus uiolenter ad confessionem fidei adducendum, quod nemo asseuerat, sed an debeat puniri eam fidem non confitens quam semel professus est: Istud est quod nos dicimus & asserimus. Nemo exigit ab eo dicens: Volo confitearis siue credas siue non credas, sed dicit: Nisi quemadmodum es obligatus in Ecclesiæ sacramento cõfitearis, digno in te animaduertam supplicio. Dices: At homo uidens sibi parari mortem, timore concussus confitebitur contra conscientiam, & peccabit. Respondetur, Id culpa ipsius fit, non autem principis q exigit iustum. Debet enim, ut Doctores omnes statuũt, conscientiam deponere erroneam. Dices, Fortè non potest deponere conscientiã. Quid tum propterea? Imputetur ei, & meritò, postquàm se in hanc impotentiam præcipitauit. Imò uerò uel hac ratione meretur tolli de medio, ne incurabilis effectus possit alijs afferre perniciẽ.

Addis, Placeret ut exilio punirentur, aut alijs pœnis damnarentur, at non morte. Sed quæ tu argumenta cõtra pœnam mortis proponis, penè omnia contra omnes pœnas, si rectè cogitas, faciunt. Plus autem uel minus, nihil aut parum admodum refert.

Hæc igitur mea est cũ cæteris catholicis de hac re sententia, Seculares leges quæ mortis supplicio puniunt hæreticos, nedum non esse aduersus Euangelium, sed magnopere cum illo conuenire. Conueniunt enim cum ratione, ideóq; à iure canonico comprobatæ sunt. Quæ autẽ rationis naturalis sunt Euangelium Christi non tollit, sed supponit & confirmat. Aliter uerò opinari esset omninò periculosum: quoniam nihil aliud esset quàm damnare uniuersam Ecclesiam.

Quòd uerò disputationis gratia hæc tu sis commentus, ingenium laudo. Quòd ad me miseris & censuram meã postulaueris, animi modesti est indicium. At uerò dum interdum uideris ecclesiasticis decretis & Ecclesiæ cõsuetudinibus non satis pro dignitate tribuere (ne tibi perniciose blandiar, & contra conscientiam dissimulem) hac inq; in parte plus in te iudicij desidero, plus timoris Dei. Non est enim nostrum tam promptè de obseruantijs Ecclesiæ, præsertim uniuersalibus, ferre censuram. Quamobrem B. Augustinus & sanctus doctor noster Thomas, imò omnes catholici & pij, multum (ut par erat) his semper tribuere. Aliud est de quibusdam particularibus factis Pontificum & Prælatorum, in quibus possunt deprehendi quandoque errasse & peccasse.

Sunt & alia quædam in tuis scriptis, mi frater, quæ uidentur paulò animosius à te, non tanquam à disputatore, sed quasi à decernente ac statuente conscripta. Possunt enim facilè ijs offendi pij lectores & mansuetudinis amantes. Porrò quantum ad me attinet, hoc adolescentiæ tuæ ascribendum duco, cuius tamen ea debet esse cõditio ut quemadmodum præceps et per ætatem minus prouida errore facilè potest, ac propterea errans digna sit uenia & excusatione, ita etiam cauere debet ab errore quùm admonetur, ne quod ætate poterat excusari, fiat inexcusabile proteruitate.

Denique quòd etiam usus fueris quibusdam ethnicis uocabulis & iuramentis quale est illud: Mediusfidius &c. id certè nulla possum ratione probare, tum quòd Christiano iurare non licet nisi adsit uel utilitas uel necessitas, tum uerò quòd quum faciendũ est, nõ licet per Deos alienos et falsos, ne illis quod est diuinum tribuatur. Vale Frater, et quod liberius tecum locutus sum ascribe hoc officio quod Christianus Christiano et frater fratri tibi debui, malens tibi aperta ueritate prodesse, quàm assentatione subdolè nocere.

CONFIRMATIO DOCTRINAE EIVSDEM AVTORIS

DE PERSONALI RESIDENTIA EPISCOPORVM

contra quendam nouitium oppugnatorem.

AMICVS NOSter qdam nuper de residētia Episcoporum libellum edidit. Ne quis autem illū argueret quod post Tridētinæ Synodi decretū & quorundā disceptationem tam serò & nō rogatus sentētiā suam frustrà & impudenter videretur obtrudere, exemplū attulit Eldad & Modab, quos Moses noluit prohibere ne prophetarent cū prophetiæ munere essent donati. Quo exēplo (ait ipse) quis prohibeat quicunq; sim, & vbicunq; agam, ne dicam sentētiam præsertim ex literis sanctis per spiritum prophetiæ deprompiam? Hoc proculdubiò præmisit, quia hic Romæ ab his qui probandi libros, anteq̄ edantur, curam habent, hic eius libellus reiectus fuit, & meritò, meo quidem iudicio, ne ea publicaret quæ re vera non ꝓphetiæ spiritum, sed contradictionis, sed calumniæ, sed vanitatis & inanis gloriolæ studium potius præ se ferre prudenti ac perito lectori facile videri possent. Neq; ego hoc iudicium profero (testis est mihi Deus) vt inimicus illi, aut quia ab eo lacessitus, cùm eo libello me & doctrinam meam (quanq̄ suppresso nomine) iniuria & indignis modis laceret & infamet: sed vt veritatis amicus, quam in rebus magni pōderis defendere ab his molestis propter æmulos ac detractores, quibus non careo, existimaui operęprętium. Nam iam pridem hic Romæ cępit hac atq; illac hunc spargere rumorem, & suum istum fętū priuatim pluribus ostentare. Solummodo mihi videre non licuit, cui tamen ipse primū, si ciuilitatem saltem seruare voluisset, ostēdere debuit, præsertim cum huius officii communes amici illum admonuerint, & ipse suas alias quasdam lucubratiunculas mihi crediderit, rogans meum de illis iudicium atq; cēsuram: cui morem gerens vt fidelis amicus, quid ego de illis sentirem liberè atq; apertè pronunciaui, quippe contineri ibi dogmata periculosa & inaudita paradoxa, vel illud, quod ēt norūt amici communes, Inter Deū & creaturam dari medium. Non recensebo alia: satis hoc vnum esse puto vt coniectare valeat prudēs lector, qui hoc vnum dixerit, potuisse ēt quælibet facilè effutire. Sed ne videar à suis erroribus velle tueri quæ ille de scriptis meis reprehendit, nunc iam nostram aduersus ea quæ mouit disputationem aggredior.

POSTQVAM NECESSITATEM ILlam proferendi sententiā suā de prophetica gratia deprōptā præfatus est, ad me spectans & de me sentiens, cōtinuò hęc adiecit: Eos verò contra quos fortasse scribere videbor, vt æquo animo ferant, meminisse velim quod eosdē audio dicere solitos, quùm contra aliquem scribunt, nō se aduersus auctores scribere, sed aduersus eorum falsas opiniones. Tantò autem æquius ferre debebūt, quantò maior est & plus nocere potest eorū opinio præiudicata, si eam vsurpare, eadēq; ad defendendum errorem abuti aliis contigerit, item quantò plura & sæpius iidem rectè alias scripserunt: hęc ille.

Hactenus ne sim ingratus, ago illi gratias q̄ fateatur me plura & sępius rectè scripsisse. Doleo autem quòd versa vice ego de illo idē confiteri non valeam. Nam eorum quæ legi in eius libello, paucissima sunt quæ erroribus careant & mendis: quod vt manifestaret, in fronte & primo cōgressu hæc subtexuit: VT enim debemus omnes honestate vitæ aliena vitia tanquàm lumine tenebras coarguere ac prodere: sic luce veritatis errorum tenebras patefacere, vt (sicut scriptum est) ambulemus omnes in omni bonitate, iustitia & veritate, neq; ponamus offendiculū fratri vel scandalum, quale est quod quidam dicūt Episcopos non fieri à Deo, sed à Pontifice, & quod iidem falsa ratione inde concludunt, residentiam Episcoporum non esse iuris diuini. Et paulò post. Recitemus ergo primùm quæ isti ad hæc duo defendenda tanto alioqui errore & scandalo plena falso opponunt pluribus aliis erroribus implicata, vt velut in tabella proposita sit tota suscepti operis

ad redarguendum materia.

Hactenus ergò hic amicus & reprehēsor meus duo proponit tanquàm à me scripta plena offendiculis & scandalis, & pluribus implicata erroribus. Primùm hoc me scripsisse insimulat, Episcopos non à Deo, sed à Pontifice fieri. Hiccine est propheticus spiritus, tam impudenter & in primo verbo calūniari? Vbi, obsecro, reperit me hoc vnq̄ scripsisse? Hoc autē erat quod ego scripsi, Episcopos, pręter vnū primum Christi Vicariū, à Deo quidem fieri. Nam B. Paulus, quem adduxi, à Spiritu sancto esse positos testatur: attamen non ab eo immediatè, sed summo Pontifice mediante, cuius est cura vniuersalis Ecclesiæ, ac propterea creare Pastores ecclesiarum. Si hoc ipse reprehendit, non me aberrantem à vero, sed seipsum indoctum ac stultum prodit, vt qui non ad propheticam, sed ad hæreticam sententiam studio contradicendi labatur. Est enim quodam hominum genus qui satis gloriæ sibi comparasse existimāt, modo aduersus eos qui aliquid esse videntur, congressum habuisse ac decertasse dicantur. Quàm verò opportunè, quàm cordatè, & iurène an iniuria, & quam inde adoream relaturi sint apud æquos & prudentes atq; peritos lectores, minime cogitant. Quid enim hic poterit respondere? Num hiscere? Nū mutire, in calumnia tam perspicua & ante oculos posita, & quam facit totius suæ disputationis fundamentum, quo corruente ēt cętera super illud fabricata corruerē necesse est? Equidem cum ista legerem, & alia pleraq; eiusmodi calumniosa, ac sanè perspicerē hūc disceptatorem passim temerè pronunciantē, nec nostra capientem, nec sua intelligentem, & tam multa inculcantem frustrà, fuit mihi animus nihil homini respondere, cum ipsamet quæ scripsi si rectè considerentur, satis respondeant. Sed postq̄ ipse ita vult, & in eo quiescit quòd nobiscum disceptauerit, nolo eum fraudare gloria sua.

Primùm autem illi occurram quòd passim de scandalo vociferatur. Nam cum negari nō possit hac nostra infelici tempestate inter innumerabiles abusus qui in Ecclesia vigent, Vnum hunc esse de præcipuis tanquàm caussam plurimorum, videlicet magnam Episcoporum partem in ecclesiis suis non residere, non defuerunt qui mea scripta hanc circa rē existimarunt huic tā pernitioso facinori blandiri ac fauere, tanq̄ ne quis in eam sinistram existimationem veniret, non diligenter prouiderim. Ego enim in ipso Tractationis initio in hunc modum exorsus sum: Non puto aliquem adeò vel desipere vel insolescere, vt existimet aut ausit etiam asserere, Episcopum non teneri personaliter residere in loco ecclesiæ sibi commissæ, nisi vel necessitas, quę legi subiecta nō est, impediat: vel maior Ecclesiæ vtilitas aliud requirat, cum Canones hoc abominētur & puniant. Sed illud vertitur in quæstionem, Vtrum hæc obligatio ad residēdum sit iuris diuini, an potius canonici & ecclesiastici. Et iterum cū taxarer de imprudentia, quòd scripserim personalem et assiduam residentiam non esse iuris diuini cōtra Caietani doctrinam: quoniam etsi verum esset, attamen (aiebant) scribi non debuisset hoc pśertim tēpore quando Episcoporū absentia à suis sedibus eousq; est Ecclesiæ perniciosa, respondi his verbis: Quòd si vobis placebat hanc veritatem à me taceri, debueratis vos primi abstinere à falsitate, ne illam tam constanter & cū tanto opprobrio, tanq̄ conspicuam veritatem, in faciem nobis obiiceretis, præsertim cum nemo negaret debitū residentiæ, & tota Synodus nouis pęnis Episcopos ad residendum vrgeret. Ego verò non ita fui vnq̄ sapiens vt censerem esse prudentius falsa proferre, quod fuit vestrum stāte hypothesi tua, q̄ vera defēdere: quod fuit meum. Aliud est si datam Hypothesim reposcas, & contendas me falsum defendere: hoc enim opus erat probare. Nec vllum est ex nostro libello periculum, quo Episcopi alliciantur ad non residendum qa audiant non esse debitum iuris diuini, hoc est, nō esse pręceptum illis à Deo immediatè: quia satis est ad æternam damnationem vt sit pceptum Ecclesiæ, dicente Domino: Qui vos audit, me audit: quod præsertim in iis Ecclesiasticis præceptis valet, quæ ipsum diuinum pręceptum apertè determinant. Vnde B. Thomas eleganter de coniunctis matrimonio cōtra Ecclesiasticum præceptum his verbis docet: Sicut Deus non coniungit illos qui cōtra diuinum præceptum coniunguntur, ita nec coniungit illos qui coniunguntur cōtra præceptum Ecclesiæ, quod habet tantā obligationem, sicut diuinum præceptum: hæc ille. Ecce igitur quàm minime extenuauerim Episcoporum obligationem ponens eam iuris esse Ecclesiastici: imò potius negans eam esse iuris diuini, prouidebā periculo in quod alia pars inclinare poterat, hoc est, perturbari ordinem Dei in Ecclesia sua positum Christi verbo in Petro, pro quo verbo & pugnaui sēper & pugnabo cum Dei gratia. Hoc enim non est fauorem abusibus prębere, sed est illos potius amouere. Hæc ego

In espurgatiōe

in Expurgatione mea, vbi satis clare patet, nõ à me ortam controuersiam hanc, sed me cõpulsum fuisse in gratiam veritatis ostendere quorundam persuasionem qui volebãt omnino residentiæ modum sub iure diuino concludere, falsam esse & periculosam. Nam etsi in loco tacere veritatem, prudentiæ sit: falsitatem tamen ac mendacium dicere (præsertim quod ad religionem attineat) perniciosũ est. Quare & illi mendacio assentiri non est Theologi. Ergo si volebãt à me veritatem taceri, debebant ipsi prius non obtrudere falsitatem, idq; sub prætextu falsi scandali. An quæso, est scandalum & incitamentum ad nõ residendum, protestari manere æternas flammas eos qui à non residẽtia gregem suum neglexerint? Detrudi enim in geennam ignis aut quia violasti expressum Dei verbum, aut quia Ecclesiã Dei contempsisti, eius mandato non parens, quid interest ad deterrendum hominem ab inobedientia, cum reuera etiam quando Ecclesię non obtemperatur, contemnatur Dei præceptũ dicentis: Qui vos spernit, me spernit?

Sed occurrit hic reprehẽsor noster & ait: Magis metuissent, si putarent residentiam illiusmodi esse præceptũ verbo Dei expressũ. Verum fallitur. Qui enim præceptum Ecclesiæ non curat, nec verbum Dei expressum curabit. Et qui non metuit quantulumcũq; geennę incendium modo sempiternum, nec vllum aliud maius formidabit supplicium. Dominus dixit: Si crederetis Moysi, crederetis vtiq; & mihi. Denique vt maledicorũ ac detractorum linguas compescerem, & omnẽ maledicti occasionem subtraherẽ, in Comm. nostris ad B. Pauli epistolam ad Timoth. postq̃ in Caietanũ nonnulla hanc circa rem pro veritate disserui, hæc adieci: Non tamen inficias ire possumus multum & grauiter hac in re à nobis peccari, qui nulla idonea & necessaria causa longe absumus à gregibus nostris, contra canonum expressa decreta. Quo fit vt euenire conspiciamus innumera mala: inde perniciosæ licentiæ, & vigor hæresum pestilens, & cleri relaxatio, & ignorantia Christi vbiq; in plebibus. Non negamus inquam, residentiæ obligationem, ne quis sinistrè nostra sententia abutatur. Nam sunt aliqua hominum ingenia ita pleraq; callida, vt dum suos errores volunt & peccata defendere, nullum qui eis fauere videatur respuãt scriptorem, quem iustis reprehensoribus possint obiicere. Clara ergo voce testificamur Episcopos ad residẽtiam teneri, & grauissime peccare qui aliter faciunt. Manus tantũ summo Præsuli non ligamus, si quando ad maiorem totius Ecclesię vtilitatem aliquibus viris insignibus vti, opportunum iudicaret: qui tñ non sunt leui de causa à suis ouibus euocãdi. Nam eos qui vel fauoribus, vel inanibus causis & leuibus dispensationes quasi extorquẽt, & moras non residendi nectunt, quis à peccato excusauerit? Nam etsi millies probauerimus de iure diuino immediatè non esse, an propterea culpa, qui nõ resident, vacare defenderemus? Ius ipsum & obligationis moderationem qui docemus, obligationi vim suam minime tollimus. Hæc à me scripta sũt, vnde igitur scandalum? Quid amplius dici poterat ad hortandum Pastores vt gregem pascant diligenter ob tam graue animæ periculum? Quin ob hoc ipsum multò antea in lib. 4. de consideratione instantium temporũ ad Pastores gregum & Episcopos Ecclesiarum qui crediram sibi animarum curam negligunt, habens sermonem, duram Dñi sententiam & horrenda in illos supplicia comminatus sum verbis seriis & grauissimis, quæ & huc quoq; afferrẽ, nisi longa nimis esset orõ. Sed illud habe persuasum amice lector, vt resideant Pastores & gregem pascant, nõ satis esse prædicare illis iuris diuini præceptum, sed hoc multò certius esset remediũ si cunctis q absq; optima & legitima causa absunt à grege suo præcipiatur seriò, seuerè, ac viua voce à summo Pastore, aut eos renũciare muneri, aut diligenter illud obire. Quòd si non parerent, priuari fructibus, cogi censuris, deniq; dignitate & cura priuari. Quanq̃ multo præstantius longèq; magis esset præsentaneũ remedium si crearentur Episcopi viri boni, religiosi ac docti, contemptoresq; mundi & timentes Deũ: & ii tandem qui rogati à Christo: Amas me, possent respondere quisq; p seipso: Etiam Domine, tu scis quia amo te: vt & illi securè dici possit: Pasce agnos Christi. Hoc si seruaretur, nihil esset de non residentia periculi. Verum istud nunc inter ea reponit quę magis valeãt optari q̃ obtineri. Eam viam nunc pergit mundus. Redeo igit̃ ad rem nostram.

Protuleram ego secundo loco vnum tantummodo esse Pastorem primũ Christi verbo constitutum, videlicet Petrũ, in quo omnes etiam successores intelliguntur: reliquos verò qui postmodo in Ecclesia ordinati sunt, non esse Episcopos immediatè à Deo, sed mediãte ipso Pontifice primo: sicut multi sanctorum Pontificum & omnes catholici Doctores, & specialiter B. Thomas docuere, & ipsa experientia magis cõprobat, cõtra

quam obire insanum est. Et ideo eorũ Episcoporum curam dixi immediatè modum accipere ab ipso Pontifice & à pontificio iure. Pontificem autẽ ipsum teneri sub regula Dei, vt sic omnia ordinatè fiant. Hic autẽ homo contra disputans contendit his verbis:

Aiunt enim Pontificem immediatè fieri à Deo, scilicet tanq̃ ab auctore & Domino. Episcopos verò immediatè à Põtifice. In illo quidem nudam esse electionem per homines sine collatione potestatis Papalis: Hos verò vt eligi ab homine, ita ab eo potestatem ac iurisdictionem accipere. Quæ omnia absurda sunt & secũ discrepantia. Quid enim monstri est nuda illa Pontificis electio per homines sine collatione potestatis Papalis? Etenim si eligitur canonicè, ad aliquam potestatem spiritualem eligatur necesse est: imò ipsa electio quam Pontifex per homines consequitur, q̃d aliud est nisi gratia, siue charisma summæ potestatis spiritualis?

Hæc ille, verè monstra & ostenta, quæ mihi longè quidem sunt difficiliora ad intelligendum, quàm ad redarguendum. Illud tamen manifestum est de superioribus verbis suis, negare illum summi Pontificis potestatẽ ac iurisdictionem esse immediatè à Deo, cum ab hominibus eligatur. Et hoc stante, credo vt mihi penitus & in omnibus contradiceret, non multò post ait, omnium Episcoporum iurisdictionem immediatè esse à Deo. Et tandem concludit, haud magis immediatè à Deo esse summum Pontificem, q̃ quemuis Episcopum. Si hæc absurda non sunt & peruersa, quæ (rogo) erunt? Vult enim Papæ potestatem non à Deo immediatè, contra quod ego assero, sed per eligentes venire, quod se putat probare: quia electio ipsa, quam Pontifex per homines consequitur, nõ est aliud, inquit, nisi gratia & charisma summæ potestatis spiritualis. Vnde non multò post dicit electionem esse actum pontificalem, ita vt non Pontifices qui eligunt, congruè tamen actum pontificalẽ exerceant. Hic te appello studiose lector, nunquid hæc sunt digna cõfutatione, quæ per se patent tam inepta támq; ridicula? Quis vnq̃ somniauit electionem esse gratiam siue donum summæ potestatis spiritualis; & esse actum pontificalem? Fuit hæc olim fallacia Lutheri, qui vt probaret Pontificis potestatem non esse immediatè à Deo, sed per Ecclesiam, vt illum Ecclesię subderet, produxit electionem, vt per hoc suaderet rudibus & idiotis: tanq̃ qui eligunt ipsa electione etiam conferant potestatẽ, cui lõgo sermone respondi. Verùm audiamus hominem de cathedra resonantem, & tenentem vibrantémq; virgam qua nos pueros cedat. Ait: Quid ergo ẽ quod isti dicũt, applicationem quidem Pontificatus à Deo fieri immediatè: applicationem episcopatus immediatè ab homine? Ferri quidem poterat simplicitas sermonis, & huius verbi; immediatè; adiaphoria, nisi de dogmate ageretur: Hæc ille. Et nõ multò post: Docent isti & tanq̃ dogma tradunt, Episcopos à Põtifice fieri immediatè, à Deo autem mediatè, ac proinde ius totum residendi à Pontifice nasci: quod omnino volunt concludere. Icircò non est hic vtenda homonymè neq; indifferẽter hęc vox; immediate; sed vno modo & propriè. Propriè autem immediatum est quod nõ habet causã priorẽ, vt philosophi tradũt, quare hac ratione immediate fiunt à Deo Episcopi. Fiunt quoq; primum à Deo tum hac ratione, quia immediatè fiunt ab eo, sunt aũt immediata prima, tum quia cum primũ multipliciter dicatur, vt iidẽ quoq; philosophi tradunt, primum sm̃ potentiam dicitur quod valentius est, vt causa qua sm̃ volũtatem mouente, alterum mouetur, qua item ratione primum à Deo fiunt Episcopi. Fiunt igitur immediatè & primùm ab eo. Hæc ille.

Quæ, vt explicentur, rogo, quid est tandem quod ipse in me reprehendit? Nũquid sensum meum quem declaraui, an potius locutionem impropriam? Quùm ego dico, applicari põtificatũ Papæ à Deo immediatè, sensus meus est: Cũ omnis potestas sit à Deo & applicetur ab illo, esse tamen aliquas ab illo immediatè, idest, non per alias personas medias, qualis est summi Põtificis potestas, tametsi eligatur ab hominibus: quia electio non confert potestatem, sed personam solùm discernit, cui à Deo potestas absq; alio medio cõfertur. Aliquæ verò sunt quidem à Deo, sed mediatè, quales sunt potestates alię quæ à summo Pontifice, & per ipsum in alios deriuãt, sicut docuit S. Doctor noster Thomas in multis locis, asserens omnem potestatem spiritualem dependere à summo Põtifice, cui & illud suo modo cõuenire potest: De cuius plenitudine omnes accipimus. Et propterea omnes qui potestatem habent, habere eam sub illo & ab illo: nec propterea sequitur eos nõ habere illam à Deo, sicut me falsò iste insimulat, sed oppositum sequitur, quia etiam Papæ potestas qua potest alios constituere & constituit Episcopos, à Deo est. Si autem hunc meum sensum reprehendit, vt certè facit, volens Pontificatus gratiam & potestatẽ per electores venire, eo modo quo potestas

episcopalis à Pontifice descendit in singulos, non me reprehendit, sed ipsos summos Pótifices & Ecclesiæ sanctæ Doctores, & hæreticis fauet: quamobrem dimittendus tanq̃ indignus responso. Quòd si reprehendor de verbo quòd minus propriè vocem illam IMMEDIATE acceperim, debuit nō adeò durè mecum agere, cum ita disertè ipsum meum sensum explicauerim vt non esset periculum vllum in dogmate propter vocabulū. Nec tamen ego primus vsus sum hoc verbo in eū sensum, sed quotquot scholasticorum scripserunt, potissimum autem B. Thomas, vt demirer hominis inscitiam & audaciā. Verùm Aristotelem obiicit, qui immediatum vocat quod non habet causam priorem. Et ego illi contrà, B. Thomam obiicio, qui dixit Episcopos habere immediatam potestatem in sua diocesi: quod esset falsum iuxta istius datam vocis significationem, cū causa potestatis Episcoporū immediata et prior sit diuina virtus, quam Episcopus administrat. Adde quòd si ad eum modum loquendi restringimur, nec ipse summus Pontifex haberet immediatam potestatem in vllum: quoniā prima & immediata causa Deus est. Quamobrem negat Pontificem propriè & immediatè ponere Pastores siue Episcopos in Ecclesia, sed hoc Deū facere. Errauit ergo iterum B. Thomas cū reprehendit eos qui dixerunt Deum operari omnia immediatè. Hæc eius sunt verba: Est opinio quorundā q̃ Deus immediatè operetur omnia, ita quòd nihil aliud est causa alicuius rei à Deo. Sed hæc opinio stulta est, quia ordinem tollit vniuersi, & propriam operationem à rebus, & destruit iudiciū sensus: hæc D. Thomas. Vnde cōcludit quòd Deus est solùm causa immediata eorum quæ per generationem nō cœperunt esse. Et nihil prohibet respectu diuersorum eadem Deum operari & mediatè, & immediatè. Nā multa mediatè per creaturas facit, si supposita respicimus: sin autem operationis virtutem, ipse tāquàm intimior causa et principalis attingēs omnem effectum, immediatè dicitur operari. Hęc me docuit S. Doctor. Cōtra illū ergo quē in hoc ego sectatus sum, vitilitigare debuit hic noster Censor, non mecum: quanq̃ nullus est Scholasticorum qui illa voce non sit vsus in eam significationem in quam ego protuli. Sed ad rem redeundo, Audiamus eum de summo Pontifice loquentem: hæc eius verba sunt: Ipse enim tanq̃ caput accepit à Deo secundum gratiam omne ministerium ac dispēsationem omnis potestatis spiritualis, ita vt quicquid Dominus aliis tribuat, non nisi per Pontificem tanquàm summum ministrū suum tribuat, accipiātq; de eius potestate cæteri partem, non quidem ab eo tanquā primo auctore & datore, sed à Deo per eum qui qdē (si ita loqui liber) dicatur mediatè facere Episcopos, similiter electores faciunt Pontificē, tanq̃ ministri inquam electionis & gratię pōtificalis quę à Deo immediatè & primū tribuitur. Hæc ille, vbi vehementer fallitur. Quòd enim ait à Pōtifice dispensari omnem potestatem spiritualē & quicquid Dominus aliis tribuit, & Deum dispensare mediatè per illum: rectè dictū est, & seruit nobis. Hoc est enim quod & nos dicebamus, & ille reprehendit. Quod autem addit quòd sicut Pontifex facit Episcopos, similr electores Pōtificē faciunt tanq̃ ministri electionis & gratiæ pontificalis, & quòd pontificalem actū exercent, omnino falsum & imperitè dictū est. Quomodo enim pontificalem possent exercere actum non pontifices? & quomodo possent ipsi dare potestatem quam non habent? Nunquid Deus calefaciat per aquam, aut frigefaciat per ignem? quia hic homo ait per electores dari curam pontificatus, quam tamen ipsi non habent, sicut per Pontificem datur cura episcopatus, quam ipse Pontifex habet? Quis non videat falsò hæc & temerè iactari, & sola dicentis arrogantia, qui tanq̃ censor et magister, imò & propheta queat silentiū cęteris imponere, iuxta illud quod scriptum est: Si alii sedenti fuerit reuelatum, prior taceat. Et tamen hic propheta ignorauit, aliud esse constituere Papam, aliud eligere quenq̃ in Papam. Qui constituit, autoritatem ac potestatem impartit: Qui autem eligit, solum ostēdit cui sit autoritas ac potestas impartienda. Vnde nec Episcoporum sola electio facit vllos esse Episcopos. Solebant.n. plebes aliquando eligere, sicut septem illi Diaconi electi sunt à multitudine, & ideo non statim acceperunt potestatem, quam multitudo dar non poterat, q̃a non habebat, sed vbi ab ipsis Apostolis electio probata est, & per manus impositionem ordinati sunt, tunc acceperunt potestatem.

Videat q̃ vult in eo libello pagina. 11.

2.d.1.q.1.4

¶ Multa prætereo ab hoc viro inconsideratissime dicta, q̃a nimis longus esset sermo & lōgę ambages, tum quia ab iis quę iam sunt confutata poterunt multi eius errores agnosci ac emendari. Multū em̄ sudat ut probet à Deo fieri Episcopos. Quasi verò hoc negauerim, cum dixerim fieri à Deo, sed per Pontificem. Sed audi argumentum. Obtento hoc quòd à Deo fiant Episcopi, mediatè tamen per Pontificem, iure diuino nihilominus cōstitui eos

asserit, cuius rationem his verbis explicat: Per Petrũ enim dedit quicquid potestatis aliis in Ecclesia non negauit. Ergo cum potestas omnis ecclesiasticę iurisdictionis spiritualis sit, ea autem à Deo & legibus diuinis originem habeat, sequitur iurisdictionem huius Episcopi, aut illius, cum spiritualis potestas sit, non ab homine, sed à Deo esse. Hæc ille, quę non tam contra me q̃ contra illum pugnãt. Primũ enim hoc sumit; Omnem potestatem spiritualem in Ecclesia originẽ habere à Deo qui Petro eam dedit. Et fatetur quicquid potestatis aliis in Ecclesia non negauit, per Petrum dari & ab ipso descendere. Et hinc seq ait, spiritualem huius aut illius Episcopi potestatem non ab homine esse, sed à Deo. Ego verò contrà, putarẽ ex præmissis sequi: Ergo potestatẽ habẽt ab homine immediatè, hoc est, homine mediante, quæ tamen originaliter est à Deo, quia omnis potestas à Deo est. Quãdoq; tamen immediatè ab eo, quandoq; verò mediatè ab homine seu per hominem, sicut declarat B. Paulus in principio epistolæ ad Gal. & expositores illius epistolę. Ipse enim B. Paulus sciens neminem prædicare posse nisi mittatur, & quidem à Deo: et hoc amplius sciens, multum interesse inter eam missionem quæ à Deo esset immediatè, & illam quæ mediatè veniret per hominẽ, licet & hæc legitima sit & rata; ille ut suam Apostolicam missionem exaltaret, sic intonuit: Paulus Apostolus non ab hominibus neq; per hominem, sed per IESVM Christum, & Deum Patrem &c. Vbi, sm̃ B. Ambrosiũ, negat se missum ab Apostolis qui multos mittebant: quoniam non ita honorabilis fuisset illa missio tanq̃ non immediatè à Deo.

Dicet fortasse aliquis: Quid hæc ad principalem quæstionẽ, vt residentia Episcoporũ de qua est quæstio, non sit de iure diuino ꝓpterea quia Episcopi non sint immediatè à Deo, sed ab homine ac per homine? Respondeo, Multum hoc facit. Sed vt à principio repetamus, & suo ordine procedamus ne quis decipiatur, proponenda est primò quęstio super qua disputatio est. Quæstio igitur à me tractata non est, Vtrum residentia Episcopi sit de iure diuino: sed vtrum residentia personalis, & illa quidem assidua, sit iure diuino præcepta, sicut Caietanus asserit, cõtra quem scribebam. Ergo à ratione nominis incipiens quæstionis resolutionem educere, hæc sum ꝓfatus: Igitur pro huius rei intelligentia prius oportet definire qd est quod dicimus esse aliquid iuris diuini. Hinc enim accipiendum est vt distinguitur ab humano, vel naturali, vel ciuili iure, vel etiam ecclesiastico. Primò igitur & propriè iuxta doctrinam D. Thomæ & veritatẽ, illud esse diuinũ ius intelligo quod Deus ore proprio locutus est & expsſit: & cõsequenter quod ex eo quod est expressum manifesta et necessaria consequentia deducitur, vt nõ sit opus nouo præcepto, cum satis in eo vnde deducitur, contineatur. Et paulò post subieci: Nec decipiatur quisq̃ existimans hoc pacto quòd quęcũq; præcipit nobis ius canonicum iuris diuini dici possint, eò quòd necessitas illa seruandi sit iuris diuini, dicente Domino: Qui vos spernit, me spernit. Vt enim sit aliquid iuris diuini, oportet vt super illud diuinum præceptum cadat, & non super necessitatem obtemperandi. Exempli gratia. Debere sacerdotem continere, dicimus esse Ecclesiastici iuris, non diuini, cum non sit hoc vlla diuina voce expressum nec ab expressis necessaria consequentia deducatur. Et nihilominus hoc quòd huic ꝑcepto Ecclesiastico debeat obtemperare Sacerdos, iuris est diuini. Quo in loco etiam considerandum est & diligẽter animaduertendũ, ne erremus, lõge aliud esse colligi aliquid de scripturis vt præceptum, aliud verò ex illis accipi vt præcipiẽdum. Cęlibatus .n. sacerdotum etsi in scripturis non videatur præceptum, nec verè sit: attamen ex ipsis scripturis accipimus bonum esse & vtilem & conuenientem tanto officio & ordini, ac propterea dignum vt ab Ecclesia præcipiatur sicut & factum est. Nouo enim Ecclesiæ ꝑcepto fuit opus in hac re. Et subinde apposui: His præmissis, si sic accipitur ius diuinum vt declarauimus, & sicut re uera debet secũdũ distinctam & propriam significationem vocis, sicut dicitur ius naturale quia à natura dictatur, & ius humanum quod à ratione seu dictamine humanæ rationis descendit: Respondentes nunc ad quæstionem primum dicimus, non illud quęri, Vtrum residentia Episcopi sit iuris diuini, tanq̃ sit expresso verbo à Deo præcepta. Nam si ita esset, nimis turpiter in quæstionem verteretur. Quis enim præsertim Catholicus audeat qeq̃ opponere verbo Dei? Sed in hoc quæstio est, Vtrum ex aliquo expresso Dei præcepto vi consequentiæ euidentis hoc deducatur. Sunt enim qui hoc proculdubiò existimant, & his modis argumẽtãtur. Episcopus, idest, ordo ipse & officium sine dubio à Deo est, & iure diuino institutum, & ad hoc institutum vt curentur oues Christi. Vnde B. Paulus Episcopatum bonum opus appellat. Cura igitur pastoralis de iure diuino est. Hęc verò

absq; personali & assidua residentia præstari non potest. Personalis igitur residentia, & illa assidua iuris est diuini. Qui enim certum quid præcipit, etiam illud præcipere censendus est, sine quo præceptū illud prius pstari non potest. Hæc ego ibi ne æquiuocatio inanem disputationē redderet. Et inde cæpi pro his texere argumentum qui residentiam & personalem & assiduam exigunt: quod argumentum resolui posteā. Et tandē ad quæstionem respondens dixi: Quarta conclusio sit, qua respondetur quæsito, Quòd Episcopus non tenetur ad personalem residentiā assiduam in ecclesia sua de iure diuino, ita accipiendo ius diuinū sicut expositū est. Huius autem cōclusionis ratio ex supradictis deducitur. Cū enim nulla Dei vox faciat hunc vel illum Episcopum vt dicamus immediate datam illi esse curam à Deo, & consequenter præceptam residentiam sine qua præstari cura non potest, sed hoc totum habeat à Petro & ab Ecclesia, profectò ecclesiastici iuris & nō diuini, Episcopi residētia est. Quamuis ergo episcopatus absolute in se consideratus, & cura illi annexa in generē de iure diuino sit, applicatio tamen ipsius episcopatus & curæ illi vel illi, quod illum vel illum habeat gregē sibi commissum, & isto seu alio tempore vel loco, non à Deo immediate est, sed à Petro, cuius cura (vt iam dixi) etiam hæc erat, videlicet dispertiendi curam istam, & propterea creandi Episcopos. Vnde B. Paulus, vt significaret quomodo Episcopi sumus, dixit: In quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, intelligens spiritu sancto fieri quod per Prælatos rite disponitur. Itaq; omnis obligatio particularis Episcopi circa curam crediti sibi gregis ab eo descendit, à quo & episcopatū accepit. Vnde & normam curādi ab eo debet accipere, quā tamen etsi Petri sit tradere, non aliter tamen debet tradere q̃ quemadmodum sibi tradita fuit, hoc est, in ædificationem, non in destructionem, id est, vt pascant greges, nō semetipsos. Quamobrem licet Petri sit & Episcopos instituere, & similiter destituere ac mutarē, non tamen hoc ei licet pro voluntate, sed ex causa, & vt viderit expedire Ecclesiæ. Quòd si aliter faciat, non dicam non tenere factum (sunt.n. pleraq; quæ cum non debeāt fieri, facta tamen tenēt) sed vere dicā de malefacto redditurum illum rationem in die Domini. At si vere esset hæc de iure diuino (eo modo sicut est declaratum,) nec talia posset facere Pontifex, nec si faceret, facta tenerēt. Hoc dixerim vt sane intelligat lector quantum intersit inter ea quę iuris diuini sunt, quę scilicet ab ore Dei statuta & immutabilia sunt, & inter alia quæ immediate veniunt ab Ecclesia. Nā propter hoc necessaria est speculatio hęc discernendi, vtrum hoc sit iuris diuini necne, & quatenus, vt intelligamus quid subdatur Pontificiæ potestati.

Quinta cōclusio sit, q licet non teneatur Episcopus particularis curare gregem immediate præcepto Dei, ac propterea iure diuino, tenetur tamen vt accepit episcopatū iure diuino parere Petro, qui portionem sui gregis ei dispartiuit in curam, & vocauit eum in partē solicitudinis, quia iuris diuini est illum Petro obtemperare. Sicut enim tenetur homo cōfiteri & communicare in solemnitate pascali, etiam sub pęna damnationis æternæ, nec tamen dicimus tali tēpore, aut tali die hoc fieri debere diuini iuris esse, sed ecclesiastici: simili modo dicimus deberi curam & residētiam ab Episcopo, nō quia diuini sit iuris in hoc loco, vel tali modo illum curare gregem, sed quia iuris est diuini eum obedire Pontifici, qui satis illud imperat (etiam si nihil aliud expresse diceret) cum eā curam impertit: modus tamen curæ & residentiæ determinatur ab ipso Pontifice in canonibus suis: quia quæ huiusmodi sunt, mutabilitati & variationi subiecta sūt, & ideo ad ius ecclesiasticum spectant, sicut accidit in iis quæ sunt iuris naturalis, & indeterminata. Determinatio enim eorum, & ipsamet, quatenus determinata sunt, de iure ciuili esse dicuntur. Hæc ego.

Nunc cum pleraque ibi dixerim & proposuerim, videndum est de quo quasi non rectē dicto me aduersarius meus redarguat: & vtrū in acceptione huius vocis IVS DIVINVM mecum conueniat, ne Andabatarū more pugnemus, vt ille facit. Non enim frustrà dixi, Si sic accipiatur ius diuinum &c. cogitans esse plerosq; qui laxius eam vocem acciperent. Hic enim amicus noster ita circa hoc confusē loquitur, ita rem perturbat, vt nihil videas differentiæ inter ius diuinum & naturale, & ius ecclesiasticum siue canonicum & inter ipsum tandem ciuile ius. Ego tamen sic accepi vocis significationem, vt ab aliis distinguerē iuribus, sicut me docuit B. Thomas, vt recitaui, & cum Soto disputās planissime declaraui.

Nunc audi benigne lector, Quòd talis residentia non sit iuris diuini, hoc est, à iure diuino præcepta, manifestum est: quia quæ sunt à iure diuino pręcepta, indispensabilia sunt ab homine, nec sub eius arbitrio concluduntur. Modo nemo negare potest quòd multa Episcopis imponuntur quæ personalē

illam & assiduam residentiam prohibent. Quomodo ergo posset mihi dicere Papa: Sta hic, aut veni huc, si Deus mihi sua voce dixisset: Vade illuc, aut: Sta ibi? Nititur .n. hic homo suadere, quòd quãdo mihi & cuilibet Episcopo dicitur: Vade & pr̨edica populo Dei, illud non homo mihi dicat, sed Deus solùm hominis organo vtens: & ideo pinde omnino esse ac si Deus immediatè illud mihi, & non per hominem dixisset: quod est peruertere Dei ordinem & hierarchiã ecclesiasticam. Quare hanc differentiã non cernens, quam dilucidè probãt Scriptur̨e, mul ta mea dicta, imò non mea, sed gloriosorum Doctorum, & specialiter B. Thomæ, imò ipsius Scriptur̨e sanct̨e audet nouus prophe ta reprehendere.

Primùm pr̨eter ea qųe iam dicta sunt, vult iuris esse diuini q̃cq̃d Ap̃li aut verbo p̃cipiebant aut scribebãt & per canones decernebãt. Adducit .n. hic acer iuris diuini defensor, Canonem quendam Apostolorum inferen tem excommunicationis p̨enam Pastoribus in suo ouili non permanentibus, ita quod ea p̨ena sit etiam de iure diuino: quod est ridicu lum. Alioquin fateri oporteret hac parte ius diuinum fuisse, id quod hic homo pro iure diuino dimicans, quod solui nõ potest, non concedet. Nam hinc gloriosè contra nos exultans, quasi rem abundè probauerit, adiungit: Eant nunc isti, & negent iuris diui ni esse residentiã. Qųe .n. canonibus Apo stolorũ sancita sunt, ad ius diuinũ aut scriptũ aut nõ scriptũ pertinerẽ qs neget, nisi q eccl̃cas traditiones, qųe solui non possunt, contem nat? H̨ec ille plenus zelo simul & imperitia, de quo possum fortasse dicere quòd zelũ Dei habet, sed illud proculdubiò possem addere, quòd non secundum scientiam. Dicat ergo nobis, Si Canones Apostolorum sunt iuris diuini, ac per hoc solui non possunt, cur igi tur soluti sunt, & nobis periit tanta pars iuris diuini? Nam qui sint, aut qui fuerint hi Canones, iam non est certo notũ Ecclesįe, qųe non nouit apocrypha, et à doctoribus varie de his traditum esse nullus ignorat. Ille autẽ Canon de p̨ena residentįe prorsus ignotus fuit ecclesįe multis seculis. Adh̨ec, autoritate D. Epiphanii asserit Canonem Apostolorum de non tondenda barba, pr̨eceptum diuinum esse. V̨e igitur tot monachis qui rã dunt barbam cõtra ius ac pr̨eceptum diuinũ. Fertur & illud in Apostolorum Canonibus fuisse, vt oraremus ad orientem. Cur igitur nõ admonet homo iste vt destruãtur omnes Ecclesįe quarũ maius altare non ad orientẽ, sed ad occidentem, vel ad meridiem, vel ad aquilonem spectat, ne suum diuinum ius pro quo certat soluatur? Pr̨eterea, vt videat lector hominem etiam secum pugnantem, qųero ab illo qui de Scripturis depromit sen tentias, Quando Dominus dixit Apostolis: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit, nõnne intellexit de p̃ceptis quæ daturi erant Apostoli siue in scripto, siue sine scripto? Equidem id negare non potest. Si hoc fatetur, iam secũ pugnat. Ipse .n. initio sui sermonis cõfessus est vi veritatis, illa verba: Qui vos spernit, me spernit, p̃tinere ad eos qui spernãt non ius diuinũ, sed ecclesiasticũ. Videat qui vult locum in eius libello pag. 5. Et tamen furore sui spiritus tactus, conuertens magisterii censur̨eque sųe verba in nos, postq̃ diutius aerem verberans multa futiliter disseruit, ita scripsit: Quare desinãt obsecro, imò obtestor, nouitates verborum, qui aiũt præcepta Pauli non esse pr̨ecepta Christi, desinãt scandalũ fratribus, pro quibus Christus mortuus est, creare. Qui enim audit, nõ esse pr̨eceptum Dei, quod Petrus & Paulus pastoribus præceperunt, pascere scilicet, & attendere gregi, facilius ministerii sui opus negliget tametsi cum magno suo, & ouium suarum malo. Quod quidẽ vt persuaderẽt, non esse scilicet hoc Dei pr̨eceptum, falsa inductione similium vsi sunt, idem in omnibus peccantes, id est, falso ponẽtes pr̨ecepta Pauli non esse Christi pr̨ecepta, verũ hoc dicunt ne secum discreparẽt, aut sui dissimiles essent, qui prius dixerant, legem Moisis nõ esse propriè legem Dei. Hæc ergo similiter volunt non esse Dei præcepta, mulierem non orare, aut prophetare, nisi velato capite, episcopũ esse vnius vxoris virum, & Deo militãtem nõ implicare se negotiis sæcularibus, & alia (inquiunt) non pauca, qųe apud solum Paulũ leguntur, qualia fortasse dicerent, Episcopũ non neophytum, nemini cito manus imposueris, fidelem coniugem ab infideli non discedere, si consentiat habitare cum eo. Item mulierẽ non docere in ecclesia, in qųe quidẽ competat illud, dico ego, nõ Dominus. qųe tamen qui dicit pr̨ecepta Dei non esse, fratribus ponit offendiculum, Sunt enim pr̨ecepta Dei, non minus quàm ea, qųe leguntur in euangeliis, hoc interest, quod illa prius pr̨ecepta sunt à Domino, quando scilicet Domi nus docebat, & euangelizabat, hæc vero ab eodem Domino per apostolum spiritum Dei habentem. H̨ec ille.

Vult ergo hic Magister nõ minus dici præcepta Christi qųe voce sua nõ præcepit ipse

Christus

Christus, sed per Paulum aut alium Apostolum, quàm quæ ipsemet Dominus verbo suo expressit. Quod si verũ est, cur ergo B. Paulus dicebat: Non ego, sed Dominus? & rursum: Ego, non Dominus. Poterat.n. dicere, Dominus dicit (sicut solebant dicere Prophetæ) si nihil interesset. Scio quòd quæ dicebat B. Paulus, ex Spiritu Dei veniebant, cum ipse dixerit: Puto quòd & ego Spiritum Dei habeam. Sed non sunt eiusdem gradus in robore ac firmitate quæ Dominus per Paulum aut Apostolos disponebat, ac illa quæ p seipsum. Nec merentur ista nomen iuris diuini, cum super his quæ sancit per Ecclesiam, in qua est Spiritus Dei, possint ipsimet Ecclesiæ Pastores ac Principes dispẽsare. Audiat ergo patienter reprehensor meus B. Thomam, de cuius doctrina locutus sum, vt me desinat reprehendere, & cum illo (quod ipsi erit gloriosius) congredi atq; decertare. Ipse enim in quodlibet. 4. quæstionẽ proponens, An Pontifex possit dispensatione bigamos promouere, primò pro parte falsa de more arguens sic scribit:

B. Thomas. Ad secundum sic proceditur. Videtur quòd Papa non possit dispensare in bigamiæ irregularitate. Non .n. potest ab homine dispẽsari in his quæ sunt diuinitus instituta, vt Bernardus dicit in lib. de dispens. & pcept. Sed doctrina Apostoli in qua continetur quòd bigamus non promoueatur, vt patet 1. ad Timoth. 3. & ad Tit. 1. est diuinitus promulgata, secundum illud Apostoli 2. ad Cor. vlt. An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? Ergo Papa non potest cũ bigamis dispensare: Hæc ille. Et postq̃ fusiore doctrina statuit veritatem, ad argumentum his verbis respondit: Ad primum ergo dicendũ, quòd Apostolus dupliciter in doctrina sua aliquid proposuit. Quædam quidem sicut promulgans ius diuinũ, sicut illud quod habetur ad Gal. 5. Si circuncidimini, Christus nihil vobis proderit: Et multa alia huiusmodi: & in hos Papa nõ potest dispensare. Quędam verò sicut propria autoritate aliqua statuẽs. Nam ipse dicit 1. ad Cor. 11. Cætera cum venero disponam. Et infra. 16. mandauit vt collectæ quæ fiunt in sanctos, per vnam sabbati fiant: quod nõ pertinet ad ius diuinum. Et similiter etiam quod dicitur de bigamo non promouendo nõ est iuris diuini, sed institutio autoritatis humanę diuinitus homini concessæ: hæc ille pro nobis & contra hunc reprehẽsorem nostrum quàm manifestissimè. Nec aliud veteres Patres, quos iste producit, senserunt. Nihil.n. aliud dicunt nisi quòd quæ præcipiebat B. Paulus, ipse Christus, cuius spiritu loquebatur, præcipiebat, sed per eum: & quia per eum, non autem per se ipsum, iccirco non erat ius diuinum, sed canonicum siue ecclesiasticum, & propterea dispensabile. Nec iccirco cõtemnendum: quia Dominus dixit: Qui vos spernit, me spernit.

De lege Moseos. VEnio nunc ad aliud dictum nostrum, cuius gratia hic miserãdus homo se cruciari, rũpi, nec posse pati, quasi zelo tactus, toto illo libro ostentat, quia dixi: Non propriè Dei dicitur lex illa Moseos, eò quòd nõ immediatè venit à Deo, sed per Mosen. Decalogum aũt propriè dici legem Dei, quia à voce Dei venit, et (vt ait Scriptura) Deũ audierunt loquentem. Hic igitur homo carpens quæ non apprehendit, illis verbis, quę non citat perfectè, putauit me dicere quòd non sit propria loquutio hęc: Lex Moseos fuit lex Dei. Ego autem ad ipsum ESSE respiciens, non ad DICI, dixi de illa q̃ non erat propriè lex Dei. Et declaraui dictum, quòd illud propriè Dei esse dicitur, quod ab ipso immediatè, & non per alium, emanat: sicut res propria dicitur in qua alius non cõmunicat. Illa autem lex per Mosen data est, sicut testatus est B. Ioannes Baptista, & ideò dicitur esse lex Moseos, & non propriè Dei. Sicut baptismus Ioannis, tametsi esset à Deo & consequenter à Christo, non propriè diceretur baptismus Dei & Christi: vnde semper dictus est baptismus Ioannis, non autem Dei aut Christi, vt à baptismo Christi distingueretur. Neq; parũ interest hæc intellectu sapienter diuidere, cum non modica sit in re differentia secũdum Scripturas, vt iam pbaui ex verbis B. Pauli excellentiã sui aplatus desi gnantis in hoc quòd nõ ab homine neq; per hominem. Et pari rõne præ lege Moseos ẽt ministrata p Angelos, & præ eloquiis prophetarum legem euangelicam extulit his verbis: Multifariam multisq; modis olim Deus loquẽs Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem cõstituit heredem vniuersorum, per quem fecit & secula. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substãtię eius, portãsq; omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorũ faciẽs, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et ponens differentiam claram inter transgressiones, quòd criminosius est transgredi legem Christi euãgelicam

quàm illam Moseos legem, sequenti capite dixit: Propterea abundantius oportet obseruare nos ea quę audiuimus, ne forte pefluamus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? Hæc Apostolus, quæ verba exponētes omnes sancti Doctores (etsi per se sint clarissima) in hoc conueniunt, vt rectè colligit Caietanus his verbis: Declarata excellentia Christi supra Angelos, ex illa deducit debitum nostrū ad seruandum doctrinam euangelicam longe maius quàm seruandi doctrinā veteris testamenti: quia euāgelica doctrina ab ipso Domino, illa autem per Angelos data est: hæc ille.

Caietanus

Et loquitur B. Paulus de lege Moseos, quod patet in pęnis præuaricationum, quas generaliter commemorat dicens: Et omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedem. Certum est quòd de temporalibus pęnis sensit. Hanc verò differentiam magnā, quam noster reprehensor nō animaduertit, sensit populus Dei in Horeb cū audisset Dei voces & metueret, Deo ipso Decalogū pronunciante in horribilibus prodigiis & signis. Vnde scriptum est: Cunctus populus videbat voces & lampades & sonitum buccinæ, montémque fumantem, & perterriti ac pauore concussi steterunt procul dicētes Moysi: Loquere tu nobis & audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur: hęc ibi. Et vt inter verba Decalogi quæ accipiuntur tanquàm immediatè dicta à Deo, & legem cęremoniarum, eam quam indicaui differentiam agnosceremus, loquitur per Ieremiam Dominus: Non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti de verbo holocaustomatum & victimarum. Si Deus quæ per Mosen loquebatur, ipse immediatè locutus diceretur, falsum esset quod ait: Non sum locutus &c. Quod videns Origenes, nobis eleganter attestatur: quod & noster reprehensor fatetur. Qua in re audi quæso prudens lector admirandum censorem. Post quędā satis ineptè atque indoctè ab eo effutita, sic loquitur:

NON itaque ponenda est in sanctis scripturis connexio ex præceptis Dei, & ex præceptis hominum separatim, vt faciebat Ptolemæus hæreticus, sed omnia præcepta scripturæ sunt, & dici debent Dei præcepta. scio aliquem ex veteribus idem sensisse, quod modo isti, Originem dico. & alios eum secutos, quos, ne sim longior, non commemoro. sed quę male veteres docuerunt, aut corrigenda sunt, aut certe non imitanda in iis præsertim, quorum opera cum auctoribus damnata sunt. hęc itaque sunt Origenis, ex Homilia Num. 16. & per Moisem quidem multa locutus est Deus, aliqua tamen & Moises propria auctoritate mandauit, quod Dominus in euangelio euidentissima ratione secernit, cum dicit de repudio mulieris interrogatus, quia ad duritiā cordis vestri scripsit vobis hęc Moises, ab initio autem non fuit sic. & paulo post, vides ergo & hic Deum quidem non præcepisse, neque voluisse fieri diuortium, Moisem vero propter duritiam cordis Iudęorum scripsisse, dandum esse repudium. ostendit hęc & Paulus in literis suis, cum dicit de quibusdam, Dominus dicit, nō ego, & de aliis, hæc autem ego dico, non Dominus, & iterū in aliis, præceptum dñi non habeo, consiliū autem do. & iterum, quæ loquor nō loquor secundum Deum, vnde similiter etiam in cęteris prophetis aliqua quidē Dominus locutus est, & non prophetæ, alia verò prophetæ, & non Dominus. hæc Origenes. Equidem vt hic in origine Ptolemæum agnosco, sic in istis, quos sic sentiunt, originem. Hęc ille.

Fatetur ergo hanc differentiam nō esse meā, sed Origenis & aliorum quorundam Patrum, quorum non citat nomina, nec ab re. Grauabatur enim autoritate Catholicorum. Origenem tantum nominauit, quoniam eius opera cum autore damnata sunt ab Ecclesia, vt ait, nec meminit etiam recitari continuè in Ecclesia pluscul as eius homilias, nec animaduertit quòd singuli errores Origenis notati sunt à B. Hieronymo & aliis, inter quos hic non legitur. Solus homo iste propria autoritate damnat quod & alii catholici docuerūt, quia sibi aduersantur. Vult ergo mandatum repudii venisse à Deo, eo modo quo Decalogus, vt sic Deus ipse suam legem coniugii quam ipsemet per os Adæ protulerat, destruxerit. Et non attendit euangelii verba. Primum quod Dominus testatur, eum qui fecit masculum & fœminam dixisse: Propter hoc dimittet homo &c. De libello autem repudii nō ait dixisse Dominum, sed illis interrogantibus & dicētibus, Quid ergo Moses mādauit dare libellum repudii? respondit: Quoniam Moses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem non fuit sic.

Respondebit opinor hic homo & dicet: Quod Moses fecit, nónne Deo volente atque inspirante? Non nego: & tamen nón vt propheta, sed ex potestate vt legislator locu-

tus est Moses mandans libellum repudii. Adam autem non fuit legislator, sed vt propheta legem Domini Dei protulit, sicut B. Augustinus super Gen. ad literam egregie declarat.

Sed vt obstruatur contumeliosum & vani huius hominis os, qui in nobis spiritum hæreticum intuitus est, audiat B. Hieronymum ea verba Domini exponentem his verbis: Quod dicit istiusmodi est. Nunquid potest Deus sibi esse contrarius vt aliud ante iusserit, & sententiam suam nouo frangat imperio? Non ita sentiendum est. Sed Moses cum videret propter desiderium secundarum coniugum primas vxores interfici, aut malam vitã ducere, maluit indulgere discordiam, quàm odia & homicidia perseuerare. Simulq; cõsidera quòd non dicit propter duritiam cordis vestri permisit vobis Deus, sed Moses, vt iuxta Apostolum, consilium sit hominis, non imperium Dei: hæc ille è diametro destruens huius viri sententiam. Heus igitur bone vir & pugnator egregie, Nunquid in B. Hieronymo agnoscis spiritum Origenis aut Theodori hæreticorum? Miseratur tui Deus, & disce saltem tuo nunc periculo non tam facile esse ad reprehendendũ, quæ res cũ odiosa sit, etiam si fortè iure reprehendas, quanto magis detestanda cum tam præcipitanter ac contumeliosè quasi hæretica taxantẽ quę à viris doctis & sanctis, nemine cõtradicente, scripta sunt? B. Thomas quoq; hanc differentiam agnoscens, dico differẽtiam legis vt erat lex Moseos etiam dictata per Angelos, à lege Christi, in hunc modum scripsit: Specialis ratio est quare legem veterem per Angelos dari oportuit. Dictum est.n. quòd lex vetus imperfecta erat, sed disponebat ad salutẽ perfectam generis humani, quæ futura erat per Christum. Sic autẽ videtur in omnibus potestatibus & artibus ordinatis, quòd ille qui est superior principalem & perfectum actum operatur per seipsum: ea verò quę disponũt ad pfectionẽ vltimã, operaẽ p suos ministros: sicut nauifactor compaginat nauem per seipsum, sed præparat materiam per artifices subministrantes. Et ideò conueniens fuit vt lex perfecta noui testamenti daretur immediatè per ipsum Deum hominem factum. Lex aũt vetus per ministros Dei, scilicet per Angelos daretur hominibus. Et per hunc modum Apostolus ad Hebr. probat eminentiã nouæ legis ad veterem: quia in nouo testamẽto locutus est nobis in Filio: in veteri autem testamento est sermo factus per Angelos: hęc D. Thomas, quę si vera esse reprehensor noster

B. Tho. 1. 2. q. 98. art. 3. in corpore.

fatetur, profectò iam redarguitur: sin autem negat, opprimitur tãti Doctoris autoritate, ego autem releuor.

Audet etiam non contra me, sed contra omnes Doctores & Ecclesiæ sensum ac definitionem asserere, cęlibatum siue continentiã ministrorum Ecclesiæ catholicæ esse præceptum de iure diuino scripto sancitum: quod latius tractauit alio suo libro de sexta & septima & octaua synodo, vbi confidentissimè concludit:

De Cœlibatu Cleri corum.

Est itaq; sacrorum ministrorum ecclesiæ catholicæ continentia præcepto, atq; iure diuino scripto sancita. tenẽtur, inquam episcopi, presbyteri, diaconi, hypodiaconi continere se perpetuo à suis vxoribus quas ante habuerint, idq; præcepto Christi per Christum, & apostolos ꝑdicato, & ab ipsis scripto: hęc iste. Errauit igitur vniuersus Scholasticorum cętus & B. Thomas, qui docuit, ex statuto tantum Ecclesiæ esse debitum continentiæ in suscipientibus sacros ordines, ac ꝑpterea posse in his per Ecclesiã dispensari vbi magna causa deposceret. Verùm non solus S. Doctor, sed pontificii Canones idem asserũt, vt patet in sexto libro Decretalium sub titulo de voto & voti redempt. vbi legitur, ex sola Ecclesiæ constitutione inuentum esse, non à iure diuino emanare insolubile debitum continentiæ in iis qui sacros ordines suscipiũt. Sed nimis laboro in nimis notis.

PRofert & mea verba quibus argumenta contradicentium resoluebam, ac simul rationem reddebam, quare modus & obligatio residendi personaliter in Ecclesia non sit iuris diuini, sed ecclesiastici. Verùm quia nõ omnia recitat, & tamen ad rem omnino faciunt, quia ipse ferè omnia reprehendit, ego commode hic ea subiiciam.

Reditur ad materiã residentiæ.

Restat ergo nunc vt argumẽta ex iam supposítis diluantur, quod facilè erit. Fatemur.n. primum, episcopatum esse (sicut diximus) de iure diuino, & curam gregis annexam habere de iure diuino: applicationem tamen mei episcopatus mihi cum omni sua obligatione non esse immediatè à Deo, sed ab homine: vnde à quo mihi episcopatus traditur, ab eo & præceptum curæ & obligatio illius curæ descendit: & ideò ex sui natura subditur ea cura & eius obligatio dispositioni & dispensationi summi Pontificis, à quo accipitur. Et hic est locus vbi decipiuntur aduersarii. Putant enim ex hoc quòd episcopatus est de iure diuino, continuò sequi de singulis Episcopis qui illi vel illi loco applicantur, quòd sint & ipsi à iure diuino, hoc est, à Deo immediatè,

Autoris verba in tractatione huius quæstionis.

ita vt nō subiaceat episcopatus & cura illa particularis residētiæ, potestati & arbitrio Papę, sicut verè non subiaceret si iure diuino, hoc est, à Deo esset commendata immediatè. At non ita est. Sicut ex hoc ꝙ ieiunium est de iure diuino, non sequitur ꝙ ieiuniū quadragesimæ sit de iure diuino, & cōsequenter immutabile. Et similiter ex hoc ꝙ esse respublicas & magistratus in eis sit de iure naturali, nō sequitur, Ergo esse hunc & illum magistratū signatū, est de iure naturali. Similis est deceptio in hoc processu: Homo est dignissima creaturarum: Ergo hic homo vel ille est dignissima creaturarum. Manifestè peccat argumentum. Ita ergo est in proposito. Etsi episcopatus & esse episcopos in Ecclesia sit de iure diuino, non tamen me esse Episcopum est de iure diuino, cum mihi talis episcopatus applicetur medio Petro, id est, Episcopo Romano. Solus episcopatus Romanus immediatè à Deo applicatur personæ. Quamobrem non nisi soli Petro dictum legimus à Domino IESV Christo, Ego dabo tibi claues regni cęlorum. Reliqui enim à Petro ipso accipiunt, aut saltem sub Petro. Hoc autē dico propter Apostolos, qui immediatè acceperunt à Christo, qui tanq̄ verè summus Pōtifex in hoc facto Petrum præuenit. Cæteri verò omnes Episcopi qui post Apostolos fuere, sicut potestatem & curam à Petro acceperunt, ita consequentissimè ipsam curandi obligationem: Hæc ego. Et pręter hæc adieci:

Ea verò quę afferuntur, quòd non potest p̄stari pastoralis cura sine personali & assidua residentia, non habet euidentiam. Non .n. euidens est quòd munera episcopalia Episcopus non posset exercere per alium, cum nullum suapte natura sit indelegabile, vt patet: imò sunt casus pleriq; in quibus nō solū licet Episcopo abesse, verumetiam necesse est, si propterea magis consulatur Ecclesię suæ aut Ecclesiæ Catholicæ. Sunt & historiæ de uiris probis & sanctis qui nonnunq̄ & per magna temporum interualla, ex magnis causis absfuerunt ab suo episcopatu. Beatus Timotheus Apostoli discipulus, etsi esset Ephesinus Episcopus, tamen ad iussum Pauli aliis Ecclesiis inseruiuit: vnde iussus est ire Romam ab Epheso & Corintho, idq; nō semel, & è Roma Ierusalem, vt nonnullam intercapedinem, imò & frequenter, pateretur cura episcopatus sui: quod de multis aliis per historias patere potest. Sunt & casus in quibus licet dubitare An teneantur, & quatenus: & ideò huiusmodi quę variationem & dubitationem ex emergētibus casibus accipiunt, determinatio est sapientum: vnde non possunt constanter dici esse iuris diuini. Nam quæ propriè iuris diuini sunt, certa sunt & immutabilia. Sed illud est (vt dixi) quod deceptionem facit, quia credimus ꝙ quia aliqd in genere consideratum, est iuris diuini. Verbi gratia, curare oues, similiter etiam sit iuris diuini si consideretur in particulari signato secūdū certos modos & conditiones: quod est falsū manifestè, vt multis locis declarat B. Thomas. Exempla sunt innumera, & iam dedimus, & addere etiam plura possemus. Verbi gratia, præceptum obseruātiæ Sabbati de iure naturali est & diuino quatenus de indeterminata die intelligitur & de indeterminato modo obseruantiæ. Quatenus verò determinatio facta est ad certum diē, v.g. quòd septima die, vt obseruatio est Iudæorum, aut octaua die, sicut obseruamus nos, nō est ex lege naturę, quamq̄ ab initio fuerit ex lege Dei, qui diem septimum sanctificauit propter beneficium creationis in ea die perfectum: hæc nostra sunt.

Nunc videamus quæ reprehendit hic amicus noster. Ait primùm generaliter: Si hęc ita sunt, ergo neq; vota, neq; iuramenta iure diuino iam sancita erunt: quoniā in ea cadat varietas ętatis, personę, materiæ, & aliarum qualitatum. Hactenus etiam atq; ēt prodit imperitiam suam, in eundem incidens lapidē, non capiens quòd quando dispensat Pontifex circa votum aut iuramentum, non dispensat circa ius diuinum, cum votum & iuramentum in genere sint iuris diuini, non in particulari. Neq; enim Papa facit canonem ne vota fiant aut iuramenta (quod esset contra ius diuinum) sed dispensat particulariter super illo aut illo voto ac iuramento, cuius materia non est iure diuino præcepta. Non enim est de iure diuino quòd ille illud voueat aut iuret, nisi & illa quæ vouet aut iurat pertineant ad ius diuinum, vt est votum Baptismi quo obligamur Christo, quod non recipit dispensationem, quia nec varietatē. Cætera verò particularia vota aut iuramenta ita non sunt de iure diuino vt sint sæpenumerò & contra ius diuinum, vt si cadat super indebita materia. Tunc enim potius de iure diuino est vt non seruētur: similiter si inutilia ac frustratoria sint. Quòd si aliquod maius bonū impediant, aut non conueniant personæ vouenti, Prelati est inspicere & in omni dubio dispensare. Intelligat ergo si vult aliquādo, multo aliud esse dicere votum & iusiurandū sic generaliter acceptum, esse de iure diuino:

quod significat generaliter Deum probare vota & iuramenta, velleq; ea seruari quantũ fas fuerit: Aliud verò dicere hoc vel illud siue votum siue iuramentũ esse de iure diuino, ita vt ad cuiusq; voti vel iuramenti obseruantiam immutabiliter quisq; teneatur de iure diuino. Hæc enim particularia sunt, quę cum varietatem recipiant, subduntur hominum iudiciis & censuræ & potestati: vnde & in his determinationes ac dispensationes Pontificũ recipiuntur, sicut rectè docent tractatores.

De die dominica. Diei quoq; Dominici obseruantiam asserit esse de iure diuino, quia in Canonibus Apostolorum habebatur, ac proinde lege diuina sancitam. At contrà docuit me B. Thomas, qui ait, à constitutione solum Ecclesiæ & cõsuetudine populi christiani loco Sabbati successisse, & ideò non esse ita arctam eius obseruantiam. Non est autem hæc vnius B. Thomæ doctrina, sed communis omnium. *2.2.q.122. art 4. ad 4. et 3.d.37.art. 5.q.3.ad.3. & 4.*

De ieiunio Quadragesimæ etc. De ieiunio Quadragesimæ & quatuor tẽporum similiter horum institutionem putat esse diuini iuris etiam contra B. Thomam, qui vniuersaliter dicit, ex statuto Ecclesiæ factam esse ieiunii determinationem de modo & de tempore: hæc sunt verba eius. Idem quoq; B. Augustinus agens cum quodã phanatici spiritus homine, qui de iure diuino volebat esse ieiunium Sabbati, concludit his verbis: *2.2.q.147. art.3. in corp.*

B. Augustinus ad Casulanum Ego in euangeliis & apostolicis literis totoq; instrumento quod appellatur testamentum nouum animo id reuoluens, video præceptũ esse ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non inuenio definitum: hæc ille, cui in hoc contradicere nõ est nedum prophetici, sed nec quieti nec sani spiritus. Quòd verò quidam sancti Patres, vt Ambrosius, dicãt Quadragesimę ieiunium venisse à Christo (quanq̃ B. Hieronymus & sanctus Leo dicãt ab Apostolis) nõ negamus, cum dicamus à Christo venisse, sed per Apostolos, vt etiam quodammodo dicatur diuinum pręceptum, nec propterea constituere diuinum ius propriè loquendo, hoc est, secundum illam significationem arctiorem qua ius diuinum diuiditur à iure naturali & ecclesiastico. Quapropter B. Ignatius ad Philippenses, non dixit Quadragesimam à Christo venisse, sed conuersationis eius imitationem continere: vnde admonet non esse pro nihilo habendã, nec audet quasi diuinum pręceptum obiicere, sed quasi ecclesiasticum.

Dicuntur etiam Apostoli suis canonibus statuisse die Mercurii & die Veneris ieiunium: quod statutum quis nunc seruat? Quale ergo esset istud ius diuinum quod ita euacuaretur & disperiret? Et hic est honor quem defensor iste diuini iuris tribuit iuri diuino censor & explosor nouitatum verborum, qui ita laxè accipit ius diuinum vt sub eo etiam suam istam sententiam concludat, vt quisq; eam recipere teneatur tanq̃ ius diuinum. Quid ni? cum ausus sit dicere à Spiritu prophetiæ depromptam?

Audiamus, obsecro, modo virum istum quæstionem cum autoritate determinantem: verba eius hæc sunt:

Valeat ergo, cum cęteris, hæc quoq; verborum nouitas, quæ non parum scandali, & contẽptus affert, non esse de iure diuino ieiunium quadragesimæ, & obseruationẽ diei dominici, aliaq; huiusmodi, & si enim notanda sunt, & distinguenda, quæ sunt à Christo, & quę ab apostolis tradita, quæ scripto, & quæ sine scripto, tamen non sunt ex his dicenda alia iuris diuini alia non iuris diuini, idem enim Deus est, qui vtraq. sanxit, & docuit, siue scripto, siue sine scripto, siue per se, siue per apostolos, neque refert ad vim obligandi quomodo sanxerit, aut docuerit, an per se primum, an per apostolos suos, neutra enim solui possunt, cum autem solui videntur, dispẽsatio potius est, & ęconomia, quam solutio: hæc ille.

Contremuissem certè ad verba tanti censoris ac tantæ seueritatis si me solum verberarent, & has verborum nouitates adeò scandalosas ego primus inuenissem. Verùm cum nullus scriptorum sit qui has differentias non obseruet inter diuinum & ecclesiasticum ius & pręceptum, quam doctrinã latissimè patere existimo, quiescam animo, præsertim quòd qui rationem eius ponderauerit, facilè agnoscet hominis ingenium habens (vt plerunq; contingit) inscitiam cum arrogantia & pręsumptione coniunctam. Audacter loquor, quia de re euidenti, & quia non me defendo, sed vniuersorum Doctorum cętum. Et obsecro pie & acute lector, considera eius rationem. Quia idem est Deus qui vtraque sanxit & docuit siue scripto, siue sine scripto, siue per se siue per Apostolos, non vult pati hãc differentiam notari per ius diuinum & ecclesiasticum. Transibit ergo ius diuinum ad omne ius ciuile, quia & hoc idem Deus sanxit, licet per homines, sicut scriptũ est: Per me reges regnant, & conditores legum loquuntur iustitiam. Et tamen pagina xviiii ipse idẽ ait, potestatem spiritualem à Deo legibus diuinis constitui: secularem verò legibus humanis,

cum Deus & potestatum & legum humanarum sit autor. Vult etiam pari modo non solui ecclesiasticum ius quod per Apostolos sancitum fuit, quemadmodum ius diuinum quod ore Dei habetur expressum non soluitur. Hanc verò doctrinam quàm sit catholica, docti iudicent. Ego verò miror quomodo permiserūt edi in publicū tam crassos errores, præsertim si sciebāt hoc illi Romę nō licuisse, sed tulisse repulsam, cum tamen id maxima ambitione & modis omnibus requireret.

Cōclusio totius quæstionis. SVperest igitur vt missis quæ passim aut falsò aut inaniter disserit & effutit, cum iam illius fundamenta destruxerim, rem omnem paucis perstringens concludam. Primùm, si volumus propriè intelligere ius diuinum vt à naturali & ab ecclesiastico differt, sicut accipit B. Thomas & sicut accipi debet propter eius excellentiam & notabiles ab aliis iuribus differentias, ita vt dicamus illud solummodo *Ius diuinum propriè quid.* esse ius diuinū quod verbo Domini expressò prolatum est, aut inde clara & prompta sequela deducitur: perspicuum reddi, modum residentiæ Episcoporum non esse de iure diuino: quia circa hoc nihil habetur expressè determinatum à diuino iure, nisi de cura gregis. De residentia verò An per seipsum, & quanto tempore, quia hęc magnam recipiūt variationem, relictum est determinandū Ecclesię & circunspectioni summorum Pontificum. Manifestum est enim quòd personalē & assiduam residentiam simpliciter nunquam nec ipsi Canones exegerunt: & deridendum est illud quod iste inculcat de præcepto Salomonis: Agnosce vultum pecoris tui, vt probet assiduam & personalem Episcopi residentiā. Impediunt .n. illam sæpè generalia Cōcilia, quę interdum integros & multos annos absorbent, quod & nunc videmus. Impediebant & Concilia prouincialia, quæ erant olim frequentia, & aliquando bis in anno ex lege congregabantur. Impediunt legationes à summis Pontificibus, quas sæpè obeunt & multo temporis Episcopi propter maiorem Ecclesię vtilitatem. Impedire etiam possent tyrannides & odia aliquorum principum in certos pastores, & pericula vitę. Quis ergo tunc requirat personalem residentiam, cum æquè aut ēt melius possit per Vicarios curari grex? Et vtinam non esset mihi promptum nunc exempla circa hoc proferre. De his ergo certum ac palam est, nihil esse expressò Dei verbo sancitum. Possent etiam accidere casus, de quibus dubitari posset etiam inter sapientes, Verum personalem residentiam Episcopi excusent, cum sint hinc inde rationes. Has ergo determinationes Dominus reliquit Ecclesiæ & Pastori vniuersali: quod quidem munus, vt patet in Canonibus & pleri[s]que Conciliis, exequuti sunt, & nouissimè in Tridentino.

Nunc audi bone lector vt rideas. Cum non posset hic reprehensor noster aliter respondere & tueri propheticam suam sententiam, videlicet, personalem & assiduam Episcoporum residentiam de iure diuino requiri, propter instantias datas, & omnino volebat eas pimere, hac noua stropha vsus est: Esse præsētem Episcopum (inquit) duplici modo potest intelligi. Vno modo corporaliter: alio modo spiritualiter, iuxta doctrinam B. Pauli, qui dixit. Absens quidem corpore: præsens autem spiritu, ita tandem vt sufficiat personalis residentia secundum spiritū vt saluum sit ius diuinum, quod exigit personalem & assiduam residentiam. Argutum profectò tametsi nouum commētum, & à nemine antea excogitatum, nec vllum magis efficax cōtra personalem Episcoporum residentiam. Qui enim residere personaliter, & corpore præsentes esse minus curabunt, facile huius tanti doctoris ex prophetico spiritu pronunciantis autoritate freti, illud Apostoli dictum sibi vsurpabunt, & dicent: Absentes quidem corpore, præsentes autem spiritu & c. & illudetur tandem residentiæ obligatio, adeò hic homo pro residentia laborauit.

SED iam fessus sum redarguendo, nec tamen deerat adhuc multa materia: sed ne lectorem tædio afficerem, hic finem facere decreui, orans atque obsecrans, non mei qdē, sed publicæ vtilitatis gratia, per nomen & viscera IESV Christi Domini nostri, eos qui probandi libros curā habent, permittendique publicationem, vt non tam citò támque facile, præsertim in hoc scribendi genere, id permittant, vnde contentiones & conuicia & turbę in Ecclesia Dei absque vllo fructu emergūt magno cum gaudio Satanæ & Angelorum eius & cunctorum hominū qui ex eius semine cōpacti sunt. Quòd si quid à me paulò stomachosius effusum pius lector & mansuetudinis amator cernat, per ipsius pietatem & mãsuetudinem rogo, vt velit vehementer considerare primùm ipsius rei indignitatem, deinde me confitente & attestante persuasum habere, hac mea defensione me non tam voluisse rectè à me scripta defendere, quæ satis per se veritas perspicua ac manifesta defendebat, quàm huius hominis inscitiam atque impotētiam retundere ad illius resipiscentiam & aliorum

exemplum. Nam huiuscemodi homines eius ingenii sunt, vt nisi eorum os ictu grauiore percusseris, vix cohibeas à latratu. Quamobrem si fortè nihil veritus hanc primam nostram retunsionē, sed potius irritatus (quod non est charitatis) silere non poterit, & permittatur etiam denuò resarcire arma & in harenam descendere, protestor pie lector & mansuetudinis amator, cedam furori. Hoc tantum dicam, quod & nunc dico, satis respondi, satis ostendi, sapientes iudicent.

REGESTVM.

A B C D E F G H I K L M

Omnes sunt terniones prçter D L M qui sunt duerniones.

Excudebat Romæ Antonius Bladus Cameræ Apostolicæ Typographus.

Anno Domini M. D. L I I, mense Aprili.

